



1837
ARTES
VERITAS
SCIENTIA
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
TUEBOR
SI QUAERIS PENINSULAM AMOENAM
CIRCUMSPICE

BIBLIOTHECA

CASINENSIS

TOMVS III.

TYPIS MONTIS CASINI
MDCCCLXXVII.

BIBLIOTHECA CASINENSIS

BIBLIOTHECA CASINENSIS

SEU

CODICUM MANUSCRIPTORUM

QUI IN TABULARIO CASINENSI ASSERVANTUR

SERIES

PER PAGINAS SINGILLATIM ENUCLEATA

NOTIS, CHARACTERUM SPECIMINIBUS AD UNGUEM EXEMPLATIS AUCTA

CURA ET STUDIO

MONACHORUM ORDINIS S. BENEDICTI

ABBATIAE MONTIS CASINI

TOMUS TERTIUS



EX TYPOGRAPHIA CASINENSI

M.DCCC.LXXVII.


Bibliothek
Bonn

COD. CX.

PAGINA LI.

lec. ii.

Accidit uero quadam die presbyter eiusdem
monasterii a presbytere hiemis uestimenta
sua abluens. cui sol minime candenti
radios emicaret. ut potest humanitas
inopie. ea expanderet in arte separate
chibani. et oblita; ea ibi relinqueret.

COD. CXI.

PAGINA CCCIII.


Sermo uen. Bede
presb. secundum Lucam de eadem lectione.

Et obseruantes miseri insidiato-
res qui se iustos simularent. ut ca-
perent eum in sermone et traderent eum
principatui et potestati presidis.

COD. CXII.

PAGINA CLXXXI.

Uenia enim non potest quod inuenitur.
sed querere quod perditur.
Quid ergo respondit? Videte
quam plenum sit iustitia. ple-
num mansuetudine et ueritate.


UNIV.
OF
MICH.

CODEX CX.

SIGNATUS NUMERIS EXTERIORIBUS 110 ET 38, INTERIORI VERO 1029 PLUTEO GG.

Codex membranaceus in folio magno, longitudinis metri 52/₀, latitudinis 35/₀, pernitido charactere Longobardo XI. Saeculi desinentis exaratus, pulchris ornatus Literis initialibus eiusdem temporis, et 616. constans paginis, si cuncta adnumerentur folia; pars enim in fine, ubi exaratus est liber Genesis, saltem linearum numero cuiusque paginae differt a majore Codicis parte, sed tamen ad eamdem aetatem, eumdemque amanuensem pertinet. Continet lectiones Officii divini a prima Dominica Adventus usque ad Octavam Pentecostes, cum multis Sanctorum vitis eorum festis diebus legendis. Manus recentior addidit in fronte primae paginae: *Breviarium magnum*, et re vera lectiones Sacrae Scripturae, homiliae Sanctorum Patrum, Vitae Sanctorum saepe abbreviautur in Codice. Ex scripturae forma et nominibus Auctorum homiliarum sive Passionum clare patet ad usum Monasterii Casinensis illud lectionarium exaratum fuisse.

Habet pro compactione quatuor folia, quae continent fragmenta libri *Comitis*, quem jam in aliorum Codicum compactione invenimus. Exhibent litterae initiales Sanctum Matthaeum sub forma hominis librum manu tenentis, Sanctum vero Ioannem sub forma aquilae librum fibulis clausum ferentis, et caudam habentis variis coloribus ornatam in modum pavimenti tessellati.

Pag. 1 — Incipit prologus beati ieronimi presbyteri in liber esayae prophetae. Incipit: *Nemo cum prophetas versibus viderit esse descriptos...* Desinit: *diutius insultarent.* Edit. Migne Tom. IX. col. 825. *Operum* S. Hieronymi.

Explicit prologus. Inc. *Visio esaiae filii amos quam vidit super iudam...* Des. *advene comedent.* Responsorium. *Ecce virgo concipiet.* Tres priores lectiones conflantur ex primo Capite Isaiae, quinque vero sequentes incipiunt cum versu vigesimo Capitis II. et desinunt cum versu decimo septimo Capitis V. In fine cuiusque lectionis initium responsorium indicatur: *Aspiciens a longe... Aspiciebam in visu... Missus est Gabrihel angelus... Ingressus ad Mariam angelus... Ave Maria gratia plena... Salvatorem expectamus... Obsecro domine... Ecce virgo concipiet.*

Pag. 4 — Lectio IX. Lectio Sancti evangelii secundum lucam. *In illo tempore. Dixit ihesus discipulis suis; Erunt signa in sole... Et reliqua.* Omelia beati gregorii papae de eadem lectione. Incipit: *Dominus ac redemptor noster paratos nos...* Desinit: *timendo praevenitis.* Responsorium. *Montes israhel.* Inter *Opera* D. Gregorii, Ed. Bened. Tom. I. col. 1436. Homilia in quatuor lectiones dividitur cum istis responsoriis: *Ecce dies venient... Alieni non transibunt... Laetentur caeli... Montes israhel.*

Pag. 7 — Lectio intra ebdomadam. Incipit: *Ve qui trahitis iniquitatem...* Desinit: *subicient exactores suos.* Incipit a versu 18 Capitis V; omissis 17 primis versiculis Capitis VII, prosequitur usque ad finem capitis octavi; relinquit caput IX, cum quatuor versibus capitis X, decem primos versus capitis XI, totum caput XII, et desinit cum secundo versu capitis XIV.

Pag. 11 — Dominica II. lectio I. Incipit: *Onus damasci. ecce damascus...* Desinit: *effugere nos.* ℣. *Egredietur dominus de samaria.* Ibi a cap. XVII ad initium XXI. Octo lectionibus subjiciuntur sequentia responsoria: *Ierusalem cito ve-*

niet... Ecce dominus veniet... Ierusalem surge... Civitas ierusalem... Ecce veniet dominus protector... Sicut mater... Ierusalem plantaris... Egredietur dominus de samaria.

Pag. 13 — LECTIO IX. LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM MATHEUM. *In illo tempore*: *Cum audisset iohannes...* OMELIA BEATI GREGORII PAPAE DE EADEM LECTIONE. Incipit: *Querendum nobis est...* Desinit: *cum iohanne valeatis.* ℣. *Tu bethleem ephratha.* Edit. supracitata, Tom. I. col. 1452. Lectiones sequentia habent responsoria: *Rex noster adveniet... Leva ierusalem... Ecce veniet... Tu bethleem ephratha.*

Pag. 16 — LECTIO INTRA EBDOMADAM. Incipit: *Onus deserti maris. Sicut turbines...* Desinit: *summitates eius.* Incipit a capite XXI. et desinit ad decimum versum Capitis XXVII.

Pag. 20 — DOMINICA III. LECTIO I. Incipit: *Audite verbum domini...* Desinit: *parum aquae de fovea.* RESPONSORIUM. *Veni domine et noli tardare.* Ibi a versu 11. Capitis XXVII. usque ad versum 15 Capitis XXX. Responsoria vero 8 lectionum sunt sequentia: *Ecce apparebit... Bethleem... Qui venturus est... Suscipe verbum... Egypte noli flere... Prope est ut... Descendet dominus... Veni domine et noli tardare.*

Pag. 22 — LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM IOHANNEM. *In illo tempore miserunt iudaei...* OMELIA BEATI GREGORII PAPAE DE EADEM LECTIONE. Incipit: *Ex huius nobis lectionis...* Desinit: *humilitate valeatis.* Inter *Opera* D. Gregorii ed. cit. Tomo I, col. 1456. Responsoria vero sic incipiunt: *Ecce radix iesse... Docebit nos dominus... Erumpant montes... Confortate manus.*

Pag. 25 — LECTIO INTRA EBDOMADAM. Incipit: *Haec dicit dominus deus sanctus israhel*; *Si revertamini...* Desinit: *contempnere contempneris.* Ibi a versu 15 Capitis XXX, ad versum 2 Capitis XXXIII.

Pag. 27 — FERIA IIII. LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM LUCAM. *In illo tempore. Missus est angelus gabrihel...* OMELIA VENERABILIS BEDE PRESBYTERI DE EADEM LECTIONE. Incipit: *Exordium nostrae redemptionis...* Desinit: *semper esse coaeternum.* Inter *Opera* Bedae Edit. Colon. Agr. 1688, Tomo VII, 335. Tria vero responsoria sic incipiunt: *Clama in foro... Orietur stella... Paratus esto.*

Pag. 29 — FERIA V. Incipit: *Ubi est litteratus...* Desinit: *et gemitus.* Ibi a versu 18 Capitis XXXIII, usque ad Caput XXXVI. Responsoria sunt: *Modo veniet... Egredietur... Precursor pro nobis.*

Pag. 30 — FERIA VI. LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM LUCAM. *In illo tempore*; *Exurgens maria...* TRACTATUS ORIGENIS DE EADEM LECTIONE. Incipit: *Meliores ad deteriores veniunt...* Desinit: *disseremus in christo ihesu.* Inter *Opera* Hieronymi edit. Vallarsi, Tomo VII, 263. Responsoria lectionum sunt: *Videbunt gentes... Emitte agnum domine... Rorate coeli.*

Pag. 32 — SABBATO. LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM LUCAM. *Anno quinto decimo...* TRACTATUS SANCTI AMBROSII DE EADEM LECTIONE. Incipit: *Congregaturus ecclesiam dei filius...* Desinit: *consecratur voce doctoris.* Edit. Migne Tomo II, col. 1658. Responsoria: *Egredietur virga... Germinaverunt... Ecce radix iesse.*

Pag. 33 — DOMINICA III. Incipit: *Haec dicit dominus redemptor...* Desinit: *in ierusalem gloriam meam.* Ibi a versu 14. capitis XLIII, usque ad versum 8 Capitis XLIV; a versu 21 usque ad finem eiusdem Capitis; a versu 9 Capitis sequentis usque ad Caput XLVII. Responsoria: *Canite tuba... Vicesima quarta... Non auferetur... Me oportet... Nascetur... Virgo israhel... Iuravi dicit dominus... Non discedimus a te.*

Pag. 35 — LECTIO VIIII. LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM LUCAM. *Anno quinto decimo...* OMELIA BEATI GREGORII PAPE DE EADEM LECTIONE. Incipit: *Redemptoris nostri precursor...* Desinit: *pignus tenemus.* Combefis Tomo I, pag. 89; brevior tamen Homilia in Codice. Responsoria: *Intuemini... Veniet vobis salvator... Confortamini... Ecce venio cito.*

Pag. 38 — LECTIO INTRA EBDOMADA. Incipit: *Laudate coeli...* Desinit: *dominus deus impiis.* A versu 13 Capitis XLIX Isaiae usque ad versum 7 Capitis LI; deinde lectio sumitur ex capitibus LIV, LVI, LVII.

Pag. 42 — PASSIO SANCTI ANDREAE APOSTOLI. Incipit: *Passionem beati andreae apostoli quam oculis nostris vidimus...* Desinit: *ad agnitionem veritatis venire. cui sit gloria... per immensa saecula saeculorum. amen.* Habes apud Surium ad hunc diem. Responsoria: *Dum deambularet... Venite*

post me... Mox ut vocem domini... Homo dei... Cum videret... Vidi crucem... Doctor bonus... Salve crux quae in corpore Christi.

Pag. 46 — LECTIO VIIII. LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM MATHEUM. *In illo tempore. Ambulans ihesus iuxta mare galileae...* OMELIA BEATI GREGORII PAPAE DE EADEM LECTIONE. *Audistis fratres karissimi; quia ad unius iussionis vocem petrus...* Desinit: *ad propria contemnenda perducatur.* Combesis Tomo VI pag. 39. Responsoria: *O bona crux... Orabit sanctus... Constitues... Dilexit.*

Pag. 48 — PASSIO SANCTAE BIBIANAE VIRGINIS ET MARTYRIS. Incipit: *Temporibus iuliani imperatoris erat quidam vir illustris ex prefecto urbis...* Desinit: *domino ihesu christo sacrificium offerebant. Cui est honor... Amen.* Apud Mombritium T. I, pag. 74.

Pag. 49 — PASSIO SANCTAE BARBARE VIRGINIS. Incipit: *Temporibus imperatoris maximiani Erat quidam senator...* Desinit: *praeside marciano. Apud nos vero Regnante domino nostro ihesu christo. cui est honor... Amen.* In hoc Codice nonnulla extant Sanctorum *Acta* quae vel adhuc lucem expectant, vel ab editione differunt. Quum haec omnia hic, uti Scriptoris Codicis mos est, plerumque abbrevientur, ut supra innuimus, et in Codice CXXXIX et Codice CXLV atque in aliis integra contineantur; ne pluries eadem repetamus, et opus nostrum prolixius, quam par sit eveniat, censuimus in huius Codicis excussione tantum indicare alium Codicem, in quo de eis loqui praestat. Quapropter de his *Actis* S. Bibianae mentem nostram in Codice CXXXIX pag. 412. exponemus, et sic deinceps de loco in quo singula huiusmodi *Acta* adnotationibus adornaturi sumus lectores monebimus.

Pag. 50 — VITA VEL OBITUS SANCTI SABAE. Incipit: *Beatissimus sabas hortus ex provincia cappadociae fuit. Natus vero...* Desinit: *cum suo tegmine ac si hora eadem defunctus fuisset.* Vide Codicem CXXXIX p. 421.

Pag. 53 — VITA VEL OBITUS SANCTI NYCOLAI AEPISCOPI. Incipit: *Beatus nicolaus ex illustri prosapia ortus...* Desinit: *ihesu christo domino servire mereamur. Qui cum patre... Amen.* Vide Aloysium Lypomanum de Vitis sanctorum, Parte secunda, pag. 267. Lovanii 1571. Multa tamen desunt in Codice.

Pag. 59 — INCIPIT PROLOGUS IN VITA SANCTI AMBROSII EPISCOPI. Incipit: *Hortaris venerabilis pater Augustine ut sicut...* Desinit: *quae fuerit agnoscatur.*

EXPLICIT PROLOGUS. Incipit: *Igitur posito in administratione...* Desinit: *loqui veritus est.* Conflatur haec vita ex fragmentis passim sumptis e vita S. Ambrosii a Paulino scripta. Vide Surium ad diem IV. Aprilis.

Pag. 65 — PASSIO SANCTI SAVINI AEPISCOPI. Incipit: *Imperante maximiano augusto cum venustianus...* Desinit: *in hodiernum diem. Ad Laudem domini nostri ihesu christi, qui cum patre... Amen.* Apud Balutium *Miscellan.* T. II, pag. 47.

Pag. 66 — PASSIO SANCTAE EULALIAE VIRGINIS. Incipit: *Beatissima eulalia bargillonensium civis....* Desinit: *habere patronam.* Fusior legitur apud Bollandum ad diem XII Februarii.

Pag. 67 — PASSIO SANCTI EUSTRATII ET SOCIORUM EIUS. Incipit: *Imperantibus igitur dioclitiano et maximiano. universitas romani imperii.....* Desinit: *perficiens omnia delegata sibi. ad honorem dei et domini nostri..... Amen.* Habes apud Surium ad diem 13 Decembris. Qui hanc vitam compendiavit nonnulla parvi momenti addens verba, multa omisit.

Pag. 71 — PASSIO SANCTAE LUCIAE VIRGINIS. Incipit: *Cum per universam provinciam Siciliae...* Desinit: *sub die iduum decembrium. Regnante domino nostro... Amen.* Ibi ad diem 13 Decembris. Responsoria sunt: *Lucia virgo.... Rogavi dominum... Grata facta est... Beata es quae propter.*

Pag. 74 — PASSIO SANCTI THOMAE APOSTOLI. LECTIO PRIMA. Incipit: *Cum apostolus thomas....* Desinit: *gaudia pervenire. Adiuvante ipso domino nostro... Amen.* Apud Mombritium T. II. fol. 333.

Pag. 81 — PASSIO SANCTI GREGORII MARTYRIS. Incipit: *Temporibus diocletiani et maximiani imperatorum...* Desinit: *crediderunt in domino.* Ibi ad diem 24 Decembris.

Pag. 83 — VIGILIA NATALIS DOMINI. SERMO SANCTI SEVERIANI EPISCOPI. Incipit: *Audistis fratres quemadmodum nobis...* Desinit: *adoravit in terris.* Apud *Initia Librorum Patrum Latinorum*, Vindobonae 1865, Fulgentio; in *Bibl. PP. Con-*

cion. Tom. I, pag. 114, Chrysologo tribuitur. Sic incipiunt Responsoria: *Sanctificamini hodie... Constantes estote... Sanctificamini filii israhel.*

Pag. 85 — In nativitas domini. Lectio prima. Incipit: *Primo tempore alleviata est terra zabulon.... sed adhuc manus eius extenta.* ℟. *Hodie nobis coelorum rex de virgine.* Caput IX. Isaiae.

Lectio II. *Consolamini consolamini... ex nomine vocat.* ℟. *Hodie nobis.* Ibi a versu primo usque ad medium versum 26, Cap. XL.

Pag. 86 — lectio III. *Ecce puer meus... et non intellexit.* ℟. *Hodie natus est dominus ihesus Christus.* Ibi Cap. XLII.

Pag. 87 — Lectio IIII. *Consurge consurge....* Desinit: *ecce assum.* ℟. *Descendit de coelis deus verus.* Ibi a versu 9 Capitis LI, usque ad versum 7 Capitis LII.

Pag. 88 — Lectio V. Sermo Sancti augustini episcopi. Incipit: *Sanctificavit nobis istum diem... signavit tempora.* ℟. *Confirmatum est cor virginis.* Augustini Sermo CLXXXIX. Vid. Cod. XCIX, Tom. I, pag. 400, et Tomum XI Ed. Migne. *Opp.* S. Aug. col. 980.

Pag. 89—Lectio VI. *Dominus christus in aeternum... non perimus.* ℟. *Quem vidistis pastores.* Ibi.

Lectio VII. Sermo. *Commendat nobis divinae... factus est homo.* ℟. *O maguum misterium* Tom. V, col. 1095. Ed. Migne, *Opp.* Aug. Sermo CCXXV.

Pag. 90 — Lectio VIII. *Adhuc humana cognitio...* Desinit: *exultemus et laetemur in ea.* ℟. *Sancta et immaculata virgo quibus.* Ibi.

Pag. 91 — Lectio VIIII. Lectio sancti evangelii secundum matheum. *Liber generationis....* Ex commentarium beati ieronimi presbyteri super matheum. *Liber generationis ihesu christi. In esaya legimus...* Desinit: *videlicet stirpe generati.* ℟. *Ecce iam venit plenitudo temporis.* Inter *Opera* D. Hieronymi ed. Migne, Tom. VII, col. 21.

Pag. 92 — Lectio X. Lectio sancti evangelii secundum lucam. *In illo tempore. Exiit edictum...* Omelia beati gregorii papae de eadem lectione. Incipit: *Quia largiente domino missarum sollemnia...* Desinit: *factus est deus homo.* ℟. *Beata viscera.* Greg. Hom. VIII. Tom. I, col. 1460. ed. Bened.

Pag. 93 — Lectio XI. Lectio sancti evangelii secumdum lucam. *In illo tempore pastores loquebantur...* Omelia venerabilis bede presbyteri de eadem lectione. Incipit: *Nato in bethleem domino salvatore...* Desinit: *mereamur videre regnantem.* ℟. *Dies sanctificatus illuxit nobis.* Est pars Homiliae VI ven. Bedae, Ed. Migne Tom. V, col. 34.

Pag. 94 — Lectio XII. Initium Sancti evangelii secundum iohanem. *In principio erat verbum...* Tractatus sancti augustini episcopi de eadem lectione. Incipit: *Intuentes quod audivimus...* Desinit: *venientem in hunc mundum.* ℟. *Benedictus qui venit.* Combefis Tomo I, pag. 312, brevior tamen homilia legitur in Codice.

Pag. 96 — Natale Sancti stephani. Incipit: *In diebus illis crescente numero...* Desinit: *evangelizantes verbum dei.* Ex *Act. Apost.* a primo versu Capitis VI, usque ad 5 versum Cap. VIII. Initia vero Responsoriorum sunt: *Stephanus autem... Videbant omnes... Intuens in caelum... Cum autem esset plenus spiritu sancto.*

Pag. 99 — Lectio V. Sermo beati maximi episcopi. Incipit: *Lectio actuum apostolorum quae nobis...* Desinit: *orantibus vobis ipse prestare dignetur; Qui cum patre... Amen.* Combefis Tom. I pag. 398. Responsoria: *Lapidabant Stephanum.... Impetum fecerunt... Positis autem genibus... Stephanus autem.*

Pag. 101 — Lectio IX. Lectio sancti evangelii secundum matheum. *In illo tempore dicebat ihesus turbis...* Ex commentario beati ieronimi presbiteri de eadem lectione. Incipit: *Hoc quod antea...* Desinit: *ora conspicient.* Inter *Opera* D. Hieronymi Ed. Migne Tomo VII. col. 179 a versu 34 usque ad finem Capitis XXIII. Responsoria trium lectionum sunt: *Impii super iustum.... Patefacte sunt... Hesterna die dominus natus est.*

Pag. 103 — Lectio XII. Sermo Sancti augustini episcopi. Incipit: *Natalis domini et salvatoris...* Desinit: *hominis filius. Jhesus christus dominus noster; qui hodierna die ex virgine natus; eternaliter vivit et regnat cum deo patre... Amen.* ℟. *Continet in gremio.* Aug. Sermo CLXXXIV; brevior tamen legitur in Codice.

Pag. 104 — Sancti iohannis evangelistae. lectio prima. Incipit: *Apocalypsis ihesu christi quam dedit...* Desinit: *erant et creata sunt.* Ex

Apocal. a cap. I usque ad V. Responsoria: *Valde honorandus est... Iste est iohannes... Hic est discipulus ille... In medio ecclesiae.*

Pag. 107 — LECTIO V. PASSIO SANCTI IOHANNIS EVANGELISTAE. Incipit: *Secundam post neronem domitianus persecutionem exercuit...* Desinit: *consequuntur effectum. Prestante domino... Amen.* Edita in *Florilegio* Tomi II, pag. 67. huius *Bibliothecae.* Responsoria: *In illo die suscipiam te... Qui vicerit faciam illum... Cibavit illum dominus... Ecce puer meus.*

Pag. 112 — LECTIO VIIII. LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM IOHANNEM. *In illò tempore. Dixit ihesus petro...* TRACTATUS SANCTI AUGUSTINI EPISCOPI DE EADEM LECTIONE. Incipit: *Non parva questio est...* Desinit: *quia verum est testimonium eius.* Aug. Tractat. CXXIV. Commentarii *in Ioannem*, sed multa desiderantur in Codice. Resposoria vero lectionum sic incipiunt: *Diligebat autem eum ihesus... Famulo meo ego prestiti... Hic est beatissimus evangelista.*

Pag. 114 — LECTIO XII. SERMO SANCTI AUGUSTINI EPISCOPI. Incipit: *Dominus noster ihesus christus fratres karissimi qui semper apparuit...* Desinit: *per eorum interitum.* ℟. *Hodie nobis de caelo.* Editus in *Florilegio* Tomi II *Bibl. Cas.* pag. 168, sed brevior in hoc Codice.

Pag. 115 — IN NATALI SANCTORUM INNOCENTUM. Incipit: *Ego iohannes vidi in dextera sedentis...* Desinit: *ab oculis eorum.* Ex *Apocal.* a Cap. V, ad Cap. VIII. Rosponsoria vero sic incipiunt: *Sub altare dei audivi... Vidi sub altare... Adoraverunt vi... Isti sunt sancti qui passi sunt.*

Pag. 117 — LECTIO V. SERMO BEATI IOHANNIS EPISCOPI. Incipit: *David. propheta Sanctissimus loquitur...* Desinit: *Victoria per interitum comparatur.* Editus in *Florilegio Cas.* Tomi II, pag. 169. Responsoria: *Cantabant sancti canticum... Isti sunt qui non inquinaverunt... Vidi turbam magnam.... Centum quadraginta quatuor.*

Pag 119 — LECTIO IX. LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM MATHEUM. *In illo tempore. Angelus domini apparuit....* TRACTATUS SAMCTI IOHANNIS CHRISOSTOMI DE EADEM LECTIONE. Incipit: *Angelus domini apparuit... O angele dei. non tu retulisti...* Desinit: *reparatio erat doloris.* Combefis Tomo I, pag. 444. Initia Responsoriorum sunt: *Coronavit eos dominus corona iustitiae... Ecce vidi agnum stantem... Isti qui amicti sunt stolis albis qui sunt.*

Pag. 121 — LECTIO XII. SERMO SANCTI AUGUSTINI EPISCOPI. Incipit: *Natalis domini dicitur; quando dei sapientia...* Desinit: *datum fuerit de caelo.* ℟. *O regem caeli.* Aug. Sermo CLXXXV, a Cap. I, ad Caput III.

Pag. 122 — INTRA OCTAVAM. SERMO SANCTI AUGUSTINI EPISCOPI. Incipit: *Novit fides vestra quae.....* Desinit: *quod accepit ex nobis. christus qui... Amen.* Sermo CCCLXXII. Responsoria: *Ecce agnus dei... Beata dei genitrix maria... Congratulamini mihi omnes.*

Pag. 124 — SERMO SANCTI AUGUSTINI EPISCOPI. Incipit: *Gratias domino deo nostro. quod quae sit....* Desinit: *utrumque retineret. Ihesus christus dominus noster qui hodierna die ex virgine natus; aeternaliter vivit et regnat... Amen.* Editus a Caillau ex hoc Codice. Reperitur etiam si excipias exordium inter *Opera* S. Leonis Ed. Migne Tomo I, col. 487. Responsoria: *Dies sanctificatus... Continet in gremio... Nesciens mater.*

Pag. 125 — DOMINICA I INTRA OCTAVAS NATALIS DOMINI. Incipit: *Exultemus in domino dilectissimi...* Desinit: *in sua maiestate regnantem. Qui cum patre... in saecula saeculorum. Amen.* Combefis Tomo I, pag. 211. Lectiones vero sequentia habent Responsoria: *Hodie nobis de caelo... Hodie natus est dominus.... Confirmatum est cor virginis... Quem vidistis pastores... O magnum mysterium... Beata dei genitrix maria.... Sancta et immaculata virginitas.*

Pag. 128 — LECTIO VIII. Incipit: *Salvator noster dilectissimi hodie natus est....* Desinit: *misericordia te redemit. christus dominus noster qui vivit et regnat in saecula.* Ibi pag. 210.

Pag. 129 — LECTIO VIIII. LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM LUCAM. *In illo tempore. Erant ioseph....* EX COMMENTARIO ORIGENIS DE EADEM LECTIONE. Incipit: *Congregemus in unum ea quae...* Desinit: *perfectus esset et deus.* Quae occurrunt in hac homilia desumpta fuerunt ex homiliis 18 et 17. Origenis; quae autem leguntur in fine: *Notanda discretio verborum... esset et deus.* ex Commentario Bedae. Vide Combefis tom. I, pagg. 463, 465, 480. Responsoria: *Dies sanctificatus..... Congratulamini.... Nesciens mater.... Benedictus qui venit.*

Pag. 131 — Natalis Sancti Silvestri papae Incipit: *Silvester itaque cum esset infantulus...* Desinit: *apparuit ex illa die et deinceps*. Vide Codicem CXXXIX p. 564.

Pag. 137 — Lectio XII. Sermo Sancti Augustini episcopi. Incipit: *Salvator noster natus de patre sine die...* Desinit: *et ipse nobiscum deus emmanuhel*. ℟. *O magnum mysterium*. Est pars Serm. CCCLXIX. Augustini.

Pag. 138 — In Octavae natalis domini. Sermo Sancti Augustini episcopi. lectio I. Incipit: *Incarnationis divinae mysterium...* Desinit: *in domo dei semper esse possitis*. Edit. Rom. 1753. *Operum* S. Leonis Tom. I, pag. 329.

Pag. 141 — Lectio IX. Lectio Sancti Evangelii secundum lucam. *In illo tempore. Cum consummati essent...* Omelia venerabilis bede presbyteri de eadem lectione. Incipit: *Sanctam venerandamque presentis festi memoriam...* Desinit: *secundum promissionem heredes*. Est pars homiliae, quae legitur in Combefis, Tomo I, pag. 491.

Pag. 143 — Lectio XII. Sancti basilii episcopi. Incipit: *Basilius igitur in civitate cappadociae...* Desinit: *scripserat libros. Ad gloriam et laudem domini nostri ihesu christi. cui... Amen*. Vide Codicem CXXXIX p. 616.

Pag. 145 — Octavae Sancti Stephani. lectio prima. Incipit: *Factum est cum esset reconditum...* Desinit: *super infirmos in diebus illis in gloria patris et filii... Amen*. Inter Opera Augustini Edit. Migne, Tomo VII, col. 87.

Pag. 148 — Octava Sancti iohannis. Lectio sancti evangelii secundum iohannem. *In illo tempore. Dixit ihesus petro...* Omelia venerabilis bedae presbyteri. Incipit: *Lectio sancti evangelii quae nobis lecta est...* Desinit: *promisit pervenire. Per dominum... Amen*. Combefis Tomo I, pag. 418. Verba: *Possumus autem mystice... perducente, perfici*. desunt in Codice.

Pag. 151 — Octavae innocentum. Tractatus origenis. Incipit: *Angelus domini per somnium...* Desinit: *a iusto aeterno domino deo. Qui cum patre... Amen*. Ibi pag. 434; sed quaedam passim in medio et in fine Codex omittit.

Pag. 155 — In vigilia epiphaniae. Tractatus sancti augustini episcopi. Incipit: *Bonum est fratres ut textum...* Desinit: *plenum gratia et veritate*. Tract. II, S. Aug. *in Ioannem* sed nonnulla passim desiderantur in Codice.

Pag. 158 — Lectio sancti evangelii secundum mattheum. *In illo tempore. Defuncto herode...* Omelia domni aymonis... de eadem lectione. Incipit: *Primo omnium quaerendum est...* Desinit: *fugite in aliam*. Est fragmentum Homiliae, quae legitur in Tomo CXXXI *Patrologiae Latinae* Migne col. 895, sub nomine Remigii Antissiodorensis.

Pag. 159 — In epyphania. Lectio prima. Incipit: *Omnes sitientes venite ad aquas... non auferetur*. ℟. *Hodie in iordane*. Cap. LV Isaiae.

Pag. 160 — Lectio secunda. *Surge illuminare... Syon sancti israhel*. ℟. *In columbe specie*. Cap. LX usque ad versum 15.

Lectio III. *Gaudens gaudebo... et non derelicta*. ℟. *Rex magnus*. Ibi a versu 10 Cap. XLI usque ad finem Cap. sequentis.

Pag. 161 — Lectio IIII. *Attende de coelo...* Desinit: *universa ista dicit dominus*. ℟. *Illuminare*. Ibi a versu 15 Cap. LXIII usque ad mediam partem secundi versus Capitis LXVI.

Pag. 162 — Lectio V. Sermo Sancti augustini episcopi. Incipit: *Nuper celebravimus diem quo... potuerunt nosse miraculum*. ℟. *Venit lumen tuum*. Aug. sermo CXCIX.

Pag. 163 — Lectio VI. *Magos sane; ad ipsum...* Desinit: *ex gentibus peccatores. Ipso adiuvante... Amen*. ℟. *Reges tharsis*. Ibi.

Pag. 164 — Sermo Sancti Augustini. Lectio VII. Incipit: *Celebravimus ante hos dies... onus meum leve est*. ℟. *Magi venerunt ab oriente*. Edidit Caillau e nostris Codicibus, pag. 37.

Pag. 165 — Lectio VIII. *Magis ergo venientibus...* Desinit: *premia ab eo capiamus aeterna*. ℟. *Interrogabat magos herodes*. Ibi.

Lectio Sancti evangelii secundum matheum. *Cum natus esset....* Omelia beati gregorii pape de eadem lectione. Incipit: *Sicut ex lectione evangelica.... non agnovit*. ℟. *Hodie coeli aperti sunt*. Combefis Tomo I, pag. 581.

Pag. 166. — Lectio X. *Sed nativitate regis... videamur*. ℟. *Stella quam viderunt magi*. Ibi.

Pag. 167. — Lectio XI. *Magi vero... continentiae custodimus*. ℟. *Tria sunt munera preliosa*. Ibi.

Pag. 168. — Lectio XII. *Magnum vero no-*

bis... Desinit: *malis amaricati redeamus.* ℣. *Hic est dies preclarus.* Ibi.

Intra octavam epyphanie. Sermo Sancti augustini episcopi. Incipit: *Nomen ex greca lingua*... Desinit: *non vult habere communem.* Editus in nostro *Florilegio* Tomi II, pag. 172.

Pag. 172 — Sermo sancti fulgentii episcopi. Incipit: *Post illam sollemnitatem*... Desinit: *aeterna felicitas.* Mai *Nova PP. Bibl.* T. I. pag. 497.

Pag. 174. — Dominica intra octavas epyphanie. Sermo Sancti augustini episcopi. Lectio I. Incipit: *Hodierni diei per universum mundum*... Desinit: *venimus redeamus.* Aug. Sermo CCII.

Pag. 176. — Lectio VII. Sermo Sancti augustini episcopi. Incipit: *Aperiatur hodie omne os*... Desinit: *in aeternum custodiat.* Aug. Sermo CXXXVIII *Appendicis.*

Pag. 177. — Lectio IX. Lectio Sancti evangelii secundum lucam. *In illo tempore. Cum factus esset*... Ex commentario origenis. Incipit: *Cum autem duodecim esset annorum*... Desinit: *patris mei sunt oportet esse.* Combefis Tomo I. pag. 600, 601, brevior tamen in Codice.

Pag. 179 — Sancti severini. Lectio prima. Incipit: *Tempore quo attila rex hunnorum*... Desinit: *praedictoris imperata complerent.* Lectio XII et Responsorium de epyphania. Fusior legitur apud Bollandum Tomo I Januarii, pag. 486.

Pag. 184 — Vita vel obitus Sancti pauli primi heremite. Incipit: *Inter multos sepae dubitatum est*... Desinit: *regum purpuras cum regnis suis.* Ibi pag. 604.

Pag. 189—Octavae epyphaniae. lectio I. Incipit: *Veri amatores christi. dilectores fratrum atque hospitales*... Desinit: *et dicens. Ecce agnus dei. ecce qui tollit peccata mundi.* Differt haec homilia ab ea quam leges in Tomo I, pag. 619 Combefisii, ipso interprete, sub nomine S. Gregorii Neocaesareae Episcopi.

Pag. 190 — Lectio V. Incipit: *Beatissimus hylarius pictavorum urbis episcopus*... Desinit: *coelo gaudente.* Sumpta passim ex vita B. Hilarii scripta a Fortunato; Boll. Tomo I Ianuarii, pag. 790.

Pag. 192 — Lectio IX. Lectio Sancti evangelii secundum matheum. *In illo tempore venit ihesus a galilea*... Ex commentario Sancti iohanni crisostomi de eadem lectione. Incipit: *Quando iohannes predicabat dicens*... Desinit: *quemadmodum per gratiam caritatis.* Inter *Opera* S. Chrysostomi *Opus inperfectum*, Ed. Migne Tomo VI, col. 657, sed brevior in Codice.

Pag. 194 — Vita Sancti felicis confessoris. Incipit: *Ad gloriam domini nostri ihesu Christi pertinet*... Desinit: *Kalendas februarias. Regnante domino nostro ihesu christo. Cui est gloria*... *Amen.* Ex vita a Marcello presbytero scripta, ibi apud Boll. pag. 946.

Pag. 197 — Lectio IX. Passio Sancti felicis presbyteri. Incipit: *Cum fervor diocltiani et maximiani sanctos dei*... Desinit: *in orationem, perrexit ad dominum ihesum christum. Qui vivit*... *Amen.* Haec passio duorum fratrum includit vitas, quarum prior quoad sensum legitur in Boll. qui Adonis citat verba (Tomo VI Augusti pag. 547.); in Codice tamen non adjungitur martyrium Adaucti sed post verba: *ibi eum sepelierunt*, sequitur alia vita, quae incipit: *Post haec alius sanctus Felix vir venerabilis*... et occurrit in Tomo I. Januarii pag. 951. Vide etiam Cod. CXXXIX, pag. 724.

Pag. 199 — Incipit prephatio. De vita beati mauri discipuli almifici patris benedicti. Incipit: *Faustus famulorum christi famulus*... *sanctorum virorum sim provocatus imperio. Beatissimus igitur maurus clarissimo senatorum genere*... Desinit: *et dies duodecim. per omnia benedictus deus in saecula saeculorum. Amen.* Vide *Acta sanct. Boll.* Tomo primo pag. 1038. Codex multa praetermittit sed nonnullas lectiones variantes non semper parvi faciendas offert. Haec sunt initia responsoriorum: *Beatissimus maurus*... *O quantus meror*... *Pater benedictus*... *Accipe dilectissime*.... *Beati mauri*... *Dum sanctissimus*... *Iste homo ab adolescentia*... *Custos artificum*... *Sanctus maurus detrahentium sibi*... *Benedictionem omnium*... *Magnificavit eum dominus*... *Vir dei dolore tactus.*

Pag. 214 — Passio Sancti marcelli papae. lectio. I. Incipit: *Tempore quo maximianus augustus rediit*... Desinit: *requievit in pace. Regnante domino*... *Amen.* Fusior apud Bollandum Tom. II Januarii pag. 5.

Pag. 217 — Incipit Vita Sancti Antoni heremite. Incipit: *Beatus antonius nobilibus religiosisque parentibus*... Desinit: *hylarior eius caro videretur.* Sumpta passim ex Vita S. Antonii a S.

Athanasio scripta. Vide Boll. Tomo II. Ianuarii pag. 121.

Pag. 228 — Incipit epistola Sancti pauli apostoli ad Romanos. Incipit: *Paulus servus ihesu Christi vocatus apostolus*... Desinit: *propter iustificationem nostram.* A primo Cap. usque ad quintum.

Pag. 231 — Epistola pauli apostoli ad corinthios. Incipit: *Paulus apostolus christi ihesu per voluntatem dei et timotheus*... Desinit: *non videntur aeterna sunt.* A primo Capite usque ad quintum.

Pag. 234 — Epistola Sancti pauli apostoli ad galatas. Incipit: *Paulus apostolus non ab hominibus*... Desinit: *et ego sicut vos.* A primo Cap. usque ad medium versum 12 Capitis IV.

Pag. 236 — Epistola Sancti pauli apostoli ad ephesios. Incipit: *Paulus apostolus ihesu Christi per voluntatem dei*... Desinit: *per fidem eius.* A Cap. I usque ad 13 versum Capitis III.

Pag. 238 — Dominica II. post epyphaniam. Lectio sancti evangelii secundum iohannem. *In illo tempore. Nuptiae factae sunt*... Tractatus S. Augustini episcopi de eadem lectione. Incipit: *Miraculum quidem domini*... Desinit: *non condicionis sed potestatis.* Combefis Tomo I, pag. 701. sed in Codice multum contrahitur.

Pag. 239 — Dominica III. post epyphaniam. Lectio Sancti evangelii Secundum lucam. *In illo tempore. Regressus est ihesus*... Tractatus Sancti ambrosii episcopi. Incipit: *Completur hoc loco prophetia*... Desinit: *corporis negabamus.* Ambrosii *Expositio in Lucam* Lib. IV, a versu 14 ad versum 24 Capitis IV. Tomo II col. 1709 Edit. Migne.

Pag. 240 — Lectio II. Sermo Sancti epyphanii episcopi. Incipit: *Omnis cibus qui ad horam*... Desinit: *domini non praeteribunt.* Non invenimus.

Pag. 241 — Dominica IIII. post epyphaniam. Lectio Sancti evangelii secundum matheum. *In illo tempore. Cum descendisset*... Omelia origenis. Incipit: *Docente domino in monte*... Desinit: *cordis ipsorum fiet.* Combefis Tomo I, pag. 727, sed brevior in Codice.

Pag. 243 — Dominica V. post epyphaniam. Lectio Sancti evangelii secundum iohannem. *In illo tempore. Erat quidam regulus*.... Omelia beati gregorii papae. Incipit: *Lectio Sancti evangelii quam modo*... Desinit: *per fidem tenetis. Per ihesum*... *Amen.* Gregorii Homilia XXVIII Libri II, col. 1566, Ed. Benedictinae.

Pag. 245 — Dominica VI. post epyphaniam. Lectio sancti evangelii secundum matheum. *In illo tempore. Ascendente ihesu*... Sermo Origenis. Incipit: *Ingrediente domino in naviculam*... Desinit: *propter nomen tuum.* Est pars homiliae quae legitur apud Combefisium Tomo I, pag. 740.

Pag. 247 — Passio Sancti Sebastiani martyris et sociorum eius. Incipit: *Sebastianus vir christianissimus*... Desinit: *tertio decimo Kalendarum februariarum. Regnante domino*... *Amen.* Responsoria: *Sebastianus vir christianissimus*... *Erat namque in sermone verax*... *Christo cotidie*... *Sebastianus dei cultor*... *Zoe uxor nicostrati*... *Beatus es tu*... *Viri sancti gloriosum*... *In isto loco*... *Egregie dei martyr sebastiane*.... *Sancti dei dedit vobis dominus*.... *Elegit dominus virum de plebe.* Fusior legitur apud Bolland. Tomo II Ianuarii pag. 265.

Pag. 254 — Lectio XII. Passio Sanctorum martyrum marii et marthe. Audifax et Abbacuc. Incipit: *Temporibus claudii caesaris venit*... Desinit: *in hodiernum diem. Regnante domino ihesu*... *Amen.* ℟. *Hi pro dei amore.* Vide apud Bolland. Tom. II Ianuarii, pag. 216 eandem vitam sed prolixiorem.

Pag. 256 — Passio Sanctae Agnes virginis et martyris. Incipit: *Ambrosius servus christi Virginibus sacris. Diem festum sacratissimae virginis*... Desinit: *valeat invenire. Qui cum deo patre*.... *Amen.* Initia Responsoriorum: *Diem festum sacratissimae virginis*... *Amo christum*... *Specie tua*... *Ipsi sum desponsata*... *Dexteram meam*... *Induit me dominus*... *Pulchra facie*... *Mel et lac*... *Iam corpus eius*... *Haec est virgo sapiens*... *Quinque prudentes*... *Omnipotens adorande.* Haec vita a S. Ambrosio scripta, ibidem pag. 351. legitur.

Pag. 261 — Passio Sancti Vincentii martyris. Lectio prima. Incipit: *Probabile satis est*... Desinit: *per totam hispaniam nomen domini nostri ihesu christi. Qui regnat*... *Amen.* Ibi pag. 395. sed Codex quaedam passim parvi momenti addens nonnulla omittit. In pagina 264 ad lectionem VIII. referuntur haec verba recentioris ma-

nus, quae in margine inferiori leguntur: *Octava lectio fiat de sancto dominico. Require in finem libri.*

Pag. 265 — Lectio VIIII. Passio Sancti anastasii monachi. Incipit: *Beatus Anastasius de quadam regione persidis...* Desinit: *nomine consummavit. Qui cum deo patre... Amen.* Haec versio diversa ab ea quae occurrit in Boll. Tomo II. Januarii, pag. 426, fusior legitur in Codice CXXIII, pag. 255. Vide Cod. CLXV. pag. 295.

Pag. 267 — Conversio Sancti Pauli apostoli. Incipit: *Saulus autem adhuc spirans minarum...* Desinit: *sancti spiritus replebatur.* ℣. *Reposita est michi corona iustitiae.* A versu primo ad 32 Cap. IX. *Actuum Apostolorum.* Responsoria. *Qui operatus est... Bonum certamen certavi cursum... Scio cui credidi... Reposita est michi corona iustitiae.*

Pag. 268 — Lectio V. Sermo Sancti Augustini episcopi. Incipit: *Hodie dilectissimi nobis lectio de actibus...* Desinit: *de peccatis nostris. Largiente ipso domino nostro ihesu... Amen.* ℣. *Sanctae paule apostolae.* Augustini Sermo CLXXXIX. *Appendicis.* Responsoria. *Audistis enim conversationem meam... Saulus autem magis ac magis... Gratia dei sum id quod sum... Sanctae paule apostolae.*

Pag. 270 — Lectio VIIII. Lectio Sancti evangelii secundum lucam. *In illo tempore. Dixit... Homo quidam erat dives....* Expositio Sancti Ieronimi presbyteri de eadem lectione. Incipit: *Theophilus antiochenae ecclesiae septimus...* Desinit: *ut metamus benedictionem.* Combefis Tomo 5, pag. 287. Responsoria vero sunt sequentia: *Magnus sanctus paulus... Ego vos elegi.*

Pag. 271 — Sermo Sancti Augustini episcopi. Lectio XI. Incipit: *Sanctae scripturae semper docent nos...* Desinit: *possibilia sunt in christo ihesu domino nostro. qui vivit... Amen.* Editus a Caillau pag. 70. Responsoria: *Isti sunt viri sancti quos elegit dominus... A christo de caelo vocatus.*

Pag. 272 — Passio sancti policarpi episcopi et martyris. Incipit: *Temporibus marci aurelii antonini qui pius...* Desinit: *et implebitur in futuro.* Si excipias quaedam verba, quibus incipit haec passio, ad verbum fuit desumpta ex vita eiusdem Sancti ab Eusebio Caesariensi scripta. Vide Lipomanum, loco citato, parte II, pag. 10.

Pag. 274 — Passio Sancti ignatii episcopi. Incipit: *Tempore quo traianus domitiani successit imperio...* Desinit: *kalendis februariis. Regnante domino... Amen.* Vide Cod. CXLI.

Pag. 276 — In purificatione Sanctae mariae. Christus dicit ad ecclesiam. Incipit: *Aperi michi soror mea...* Desinit: *super montes aromatum.* Responsoria: *Adorna thalamum tuum.... Postquam impleti sunt... Obtulerunt pro eo domino... Symeon iustus.* Rubricatis litteris indicantur variae voces: *Vox Christi, Vox adulescentularum, Vox pacifici, Vox sponsae, Vox synagogae, Vox ecclesiae,* ut in aliis codicibus iam vidimus.

Pag. 278 — Lectio V. Sermo Sancti Augustini episcopi. Incipit: *Dominus noster ihesus christus fratres karissimi; qui in aeternum est...* Desinit: *invenerunt excelsum.* Fusior legitur in Ed. Migne, sub numero CXXVIII *Appendicis*, nonnullas tamen lectiones variantes habentur in Codice, inter quas sequentes selegimus: *Igitur cum gaudio dicamus sanctae virgini Mariae matri domini nostri ihesu christi. Ave gratia plena dominus tecum. benedicta tu in mulieribus et benedictus fructus ventris tui. Dicamus et non confundamur... Innovatus est in aetate; qui plenus erat pietate. Rogo fratres karissimi. quid sit; iste senex symeon quam magnitudinem sentiebat in parvo. quod videbat; mater portabat; quod intellegebat; mundum regebat. ipse ferebat et christus regebat. Symeon senex ferebat christum infantem. christus regebat symeonem in senectute. Quid ergo dixit symeon audite. Nunc domine dimittis servum tuum in pace. In pace inquam commendatus est dicens discipulis suis; pacem meam do vobis; pacem meam relinquo vobis. Dictum ei fuerat a domino quod non gustaret mortem. nisi videret christum domini natum. Natus est christus. ille veniebat; et ille ibat. Iam senectus natura excludebat; sed sincera pietas detinebat. At ubi natus est christus; At ubi eum manibus matris portatum vidit; et divina infantia pia senectus agnovit; accepit eum in manibus suis; et dixit. Nunc dimittis servum tuum domine in pace. Impletum est desiderium senis...* Initia vero responsoriorum sunt: *Responsum acceperat... Cum inducerent puerum ihesum... Suscipiens ihesum in uln... Nunc dimittis domine.*

Pag. 280 — Lectio IX. Lectio sancti evan-

GELII SECUNDUM LUCAM. *in Illo tempore postquam impleti sunt....* OMELIA DOMNI AUTPERTI ABBATIS DE EADEM LECTIONE. Incipit: *Cunctis fidelibus liquet...* Desinit: *qui fecit utraque unum.* Responsoria: *Senex puerum portabat.... Beata es virgo maria... Gaude maria virgo.* Fusior legitur apud Edmundum Martene: *Veterum scriptorum amplissima collectio*, Tomo IX, pag. 235.

Pag. 283 — PASSIO SANCTI BLASSII EPISCOPI. LECTIO I. Incipit: *Cum romani imperii dioclitianus et maximianus gubernarent habenas...* Desinit: *tertio nonas februarii.* Est summarium vitae quae III die Februarii apud Bolland. legitur, Tomo I, pag. 349.

Pag. 285 — PASSIO SANCTAE AGATHAE VIRGINIS ET MARTYRIS. Incipit: *Passionis beatissimae virginis...* Desinit: *martyris agathae liberassent. Cui est honor... Amen.* Responsoria: *Agatha letissima.... Dum torqueretur... Quis es tu qui venisti... Qui me dignatus est... Ipse me curavit... Specie tua... Ego autem... Vidisti domine... Grata...* Sequens responsorium deletum est. *Grata facta est domino... Non eris inter virgines..... Beata.* Legitur apud Bolland. Tomo I Februarii pag. 615.

Pag. 290 — VITA VEL OBITUS SANCTAE AUSTROBERTE VIRGINIS. Incipit: *Beatissima virgo austroberta...* Desinit: *septimo idus februarii. Regnante... Amen.* Differt in principio et in fine a vita, quae legitur apud Bolland. Tomo II. Februarii pag. 419.

Pag. 291 — VITA VEL OBITUS SANCTI SAVINI EPISCOPI. LECTIO I. Incipit: *Regnante iustiniano augusto. sancti viri...* Desinit: *scripsimus ad laudem domini nostri ihesu christi. Qui cum patre... Amen.* Fusior occurrit in Bolland. Tomo II Februarii pag. 323.

Pag. 297 — IN NATALI SANCTAE SCOLASTICAE VIRGINIS. LECTIO PRIMA. Incipit: *Quia beatae Scolasticae fratres karissimi natalicia colimus...* Desinit: *domini tui. Prestante ipso qui digna promittere gaudia dignatus est suis famulis. Qui vivit.... Amen.* Responsoria: *Sanctimonialis autem... Rogavi... Egredere si prevales... Simile est regnum... Pulchra facta est... Specie tua... Simile est regnum celorum decem... Quinque prudentes.... Haec est virgo sapiens... Cumque sanctus benedictus... Beata es quae propter deum.* Vide Tom. V, col. 480. *Oper.* V. Bedae Edit. Migne.

Pag. 303 — PASSIO SANCTI VALENTINI EPISCOPI ET MARTYRIS. Incipit: *Propheta loquitur ad deum...* Desinit: *honestissimae tradiderunt. Regnante..... Amen.* Boll. Tomo II. Februarii, pag. 756.

Pag. 305 — PASSIO SANCTORUM MARTYRUM FAUSTINI ET IOVITE. Incipit: *Beatissimi viri faustinus et iovita.....* Desinit: *quinto decimo kalendarum martiarum. Regnante domino nostro ihesu... Amen.* Dividitur in XII lectiones. Ibi pag. 809.

Pag. 311 — PASSIONEM SANCTAE IULIANES. Incipit: *Anno ab incarnatione domini nostri ihesu christi fere ducentesimo nonagesimo....* Desinit: *cum quo perenniter gaudet in saecula saeculorum. Amen.* Passim desumpta ex vita, quae ibi pag. 878 legitur.

Pag. 312 — VITA SANCTI BARBATI EPISCOPI ET CONFESSORIS. *Tempore quo grimoald Langobardorum regni...* Desinit: *angelis gloriatur. Favente... Amen.* Dividitur in XII Lectiones. Ibi Tomo III. pag. 139.

Pag. 317 — CATHEDRA SANCTI PETRI APOSTOLI. SERMO SANCTI AUGUSTINI EPISCOPI. LECTIO I. Incipit: *Apostolum petrum primum omnium... confessionis testimonium. dilectionis.* (Aug. Sermo CXLVII). *Quantum nos recitatae evangelicae lectionis...* Desinit: *et angelis confiteri.* Mai *Patrum nova Bibl.* Tomo I, pag. 102. Responsoria: *Symon iohannis... Petre amas me... Si dilegis me... Quem dicunt homines esse... Tu es petrus et super... Symon petre... Ego pro te rogavi petre... Tu es pastor ovium.*

Pag. 319 — LECTIO IX. LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM IOHANNEM. *In illo tempore. Dixit ihesus petro...* SANCTI AUGUSTINI EPISCOPI DE EADEM LECTIONE. Incipit: *Dixit ihesus Simoni petro... Hunc invenit exitum...* Desinit: *diligat de quo vivit.* Est pars CXXIII Tract. S. Aug. *in Iohannem.* Responsoria: *Domine si tu es iuve me... Surge petre... Qui regni claves.*

Pag. 321 — IN S. MATTHIE APOSTOLI. SERMO DOMNI BERTARII ABBATIS. Incipit: *Inclitam et gloriosam festivitatem...* Desinit: *sexto Kalendas martias. Qui cum patre... Amen.* Apud Bolland. *Acta* 25. Februarii tom. III, pag. 438; et Tomum CXXIX *Patrologiae Lat.* Migne col. 1023, sub nomine Autperti. Codex nonnulla omittit.

Pag. 327 — VITA VEL OBITUS SANCTI ROMANI

ABBATIS. Incipit: *Adest nobis dies venerandae commemorationis...* Desinit: *ingemiscendum desolationi.* Si excipias quaedam a Codice omissa, hanc vitam reperies apud Bolland. Tomo III Februarii, pag. 153.

Pag. 330 — PASSIONEM SANCTORUM QUADRAGINTA MARTYRUM. Incipit: *Temporibus licinii imperatoris fervebat...* Desinit: *cum veneratione condiderunt.* Ibi Tomo II Martii, pag. 22.

Pag. 335 — VITA VEL OBITUS SANCTI GREGORII PAPAE. EDITA A VENERABILE PAULO DIACONO ET MONACHO CASINENSIS CENOBII. Incipit: *Gregorius urbe romulea patre gordiano editus...* Desinit: *die quarto iduum martiarum Regnante ihesu christo... Amen.* Responsoria, quae a V tantum Lectione incipiunt, sunt sequentia: *Hic inane. Iste homo ab adolescentia. Iste homo perfecit. Hoc beato gregorio. Magnificavit eum. Sint lumbi. Beatissimus pontifex.* Concordat cum vita edita in Patrologia Migne inter opera S. Gregorii. Tomo I, col. 41 sed circa finem contrahitur in Codice.

Pag. 340 — In margine recentior manus scripsit: *Vig. Sancti Benedicti. Vigilias egregii confessoris require in Sabbato Sancto in finem.*

INCIPIT VITA BEATISSIMI BENEDICTI ABBATIS. QUAM BEATUS PAPA GREGORIUS COLLOQUENDO CUM PETRO SUO DIACONO EDIDIT. Incipit: *Fuit vir vitae venerabilis... licuit ministravit.* ℟. *Fuit vir vite.* LECTIO II. *Vir autem dei... referebant vitae.* ℟. *Nursia provincia.* LECTIO III. *Praeconio itaque... habitavit secum.* ℟. *Hic itaque.* LECTIO IIII. *Cum sanctus vir... ad inferiora deribetur.* ℟. *Puer domini.* LECTIO V. *Quadam vero die... accepit.* ℟. *Benedictus dei famulus.* LECTIO VI. *Quaeso te... pondus habuisset.* ℟. *Vir dei.* LECTIO VII. *Coepit vero.... maiora cognoscas.* ℟. *Coeperunt postmodum.* LECTIO VIII. *Gothorum namque... non cessavit.* ℟. *Misereatur vestri.* LECTIO VIIII. *Vir quidam... in egestate dubitare.* ℟. *Dum beatus benedictus.* LECTIO X. *Gothorum quidam... incolumem dedit.* ℟. *Non aspicias domine.* LECTIO XI. *Alio quoque tempore... ordinem redeas.* ℟. *Intempeste noctis.* LECTIO XII. *Libet petre...* Desinit: *ab exauditione.* ℟. *Vir enim domini.* Concordat cum edita, sed passim decurtatur narratio in Codice.

Pag. 353 — IN ANNUNTIATIONE SANTAE MARIAE. LECTIO I. Incipit: *Verbum quod vidit esaias...* Desinit: *creavi eum.* Prima lectio decem primos versus cap. II. Isaiae continet; secunda a versu 10 cap. VII incipit, et cum versu 17 desinit; tertia decem primos versus Cap. XI. habet; quarta incipit a versu 24 cap. XLIV, et prosequitur usque ad versum 9. Capitis sequentis. Responsoria vero sunt sequentia: *Missus est Gabrihel. Ingressus ad mariam. Ave maria. Ecce virgo.*

Pag. 354 — LECTIO V. TRACTATUS SANCTI AMBROSII EPISCOPI. Incipit: *Eodem tempore missus est...* Desinit: *angelus est locutus.* Est pars libri II Tractatus S. Ambrosii *in Lucam*, Tomo II Ed. Migne, col. 1633, sed Codex multa praetermittit. Sic incipiunt responsoria: *Montes israhel ramos vestros. Suscipe verbum. Descendet dominus. Virgo israhel.*

Pag. 356 — LECTIO VIIII. LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM LUCAM. *In illo tempore. Missus est angelus...* OMELIA SANCTI AUGUSTINI EPISCOPI DE EADEM LECTIONE. Incipit: *Adventum domini et salvatoris nostri...* Desinit: *de proposito meo.* Est pars homeliae a Caillau editae pag. 19 ex nostra Bibliotheca. Responsoria: *Ecce dies venient. Rorate coeli. Gaude maria virgo.* DUODECIMA LECTIO ET RESPONSORIUM SANCTI BENEDICTI.

Pag. 358 — OCTAVA SANCTI BENEDICTI. LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM LUCAM. *In illo tempore. Dixit ihesus discipulis suis. Nemo accendit lucernam...* OMELIA PAULI DIACONI ET PHILOSOPHI. DE EADEM LECTIONE. Incipit: *His sancti evangelii verbis...* Desinit: *gaudia consequamur aeterna. Prestante domino... Amen.* Reperitur in Tomo VI *Operum* Bedae Ed. Migne, col. 1576 edita ex *Nova PP. Collectione* Mai, qui illam desumpserat ex antiquissimo et picturis ornatissimo Codice olim Casinensi, nunc Vaticano.

Pag. 361 — DOMINICA IN SEPTUAGESIMA. INCIPIT PROLOGUS SANCTI IERONIMI PRESBYTERI IN PENTATEUCHUM MOYSI. Incipit: *Desiderii mei desideratas...* Desinit: *transferre sermonem.* Tomo IX *Operum* S. Hieronymi, col. 177. edit. Migne.

Pag. 362 — EXPLICIT PROLOGUS. Incipit: *In principio creavit deus...* Desinit: *triginta et mortuus est.* A I cap. libri Geneseos usque ad 6 versum Capitis V. Responsoria: *In principio fecit. In principio deus. Igitur perfecti sunt. Tulit ergo do-*

minus. Dixit dominus ad adam. Dixit dominus deus. Immisit dominus.

Pag. 366 — LECTIO VIIII. LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM MATHEUM. *In illo tempore. Dixit... Simile est...* OMELIA BEATI GREGORII PAPAE. Incipit: *In explanatione sua. multa... tarditate pervenerunt.* Est pars homiliae quae legitur in Combefisio Tomo I, pag. 793. Responsoria: *Dum deambularet. In sudore. Ecce adam. Ubi est abel.*

Pag. 367 — DOMINICA IN SEXAGESIMA LECTIO I. Incipit: *Noe cum quingentorum...* Desinit: *et mortuus est.* Ab ultimo versu Cap. V, usque ad caput X. Responsoria: *Dixit dominus ad noe. Noe vir iustus. Quadraginta dies. In articulo diei. Recordatus dominus noe. Locutus est dominus ad noe dicens. Edificavit noe. Benedixit dominus noe.*

Pag. 370 — LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM LUCAM. *In illo tempore. Cum turba plurima,..* OMELIA BEATI GREGORII PAPAE. Incipit: *Lectio sancti evangelii quam modo...* Desinit: *ignis tribulationis purgat.* Est part homiliae, quae occurrit in Combefisio Tomo I, pag. 814. Responsoria: *Ecce ego statuam. Ponam arcum meum. Per memetipsum iuravi dicit. Cum turba plurima.*

Pag. 372 — In margine et alia manu: *Feria. II. scribe de alio libro.*

DOMINICA IN QUINQUAGESIMA. LECTIO I. Incipit: *Dixit autem dominus ad abram...* Desinit: *uxor eius.* Prima lectio excurrit a 1 versu usque ad 10 versum capitis XII; secunda et tertia a 2 versu usque ad finem capitis XIII; quarta a 1 versu usque ad 8 Capitis XV. Quinta incipit a primo versu et prosequitur usque ad decimum quintum Capitis XVII; sexta initium sumit a versu decimoquinto usque ad vigesimum secundum eiusdem capitis, cui addit primos novem versus capitis XXI. septima vero lectio conflatur ex primis 14 versibus capitis XXIII, et octava incipiens a versu decimoquinto prosequitur usque ad vigesimum eiusdem capitis, et a quinto versu usque ad undecimum capitis XXV. Responsoria: *Locutus est dominus ad abraam. Movens igitur abraam. Factus est sermo domini. Credidit abraam deo. Dum staret abraam. Apparuerunt tres viri. Temptavit deus Abraam. Dixit isaac patri suo.*

Pag. 375 — LECTIO VIIII. LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM LUCAM. *In illo tempore. Assumpsit Ihesus...* OMELIA BEATI GREGORII PAPAE. Incipit: *Redemptor noster previdens ex passione...* Desinit: *Ihesum enim sequitur qui imitatur.* Ibi pag. 828, sed finis deest in Codice. Responsoria: *Angelus domini vocavit. Deus domini mei abraam. Veni hodie. Cecus sedebat secus viam.*

Pag. 377 — In margine alia manus scripsit: *Feria. II. et III. scribe in alio libro.*

FERIA IIII. CAPUT IEIUNII. LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM MATHEUM. *In illo tempore. Dixit... Cum ieiunatis...* EX COMMENTARIO ORIGENIS. Incipit: *Superabundanter et digne dominus...* Desinit: *et omnibus sanctis.* Ibi Tomo II, pag. 5, sed multum contrahitur homilia in codice.

Pag. 378 — FERIA V. LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM MATHEUM. *In illo tempore. Cum intrasset...* EX COMMENTARIO ORIGENIS. Incipit: *Cum introisset ihesus capharnaum...* Desinit: *salvabitur hic puer meus.* Ibi pag. 66; multa vero praetermittit Codex. Responsoria primae lectionis: *Domine puer meus.*

Pag. 379 — FERIA VI. LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM MATHEUM. *In illo tempore. Dixit... Audistis quia dictum est...* EX COMMENTARIO ORIGENIS. Incipit: *Audistis... Sicut illa alia precepta...* Desinit: *et non a videntibus.* Edita integre in Tomi II *Florilegio* pag. 128, hic autem multum contrahitur.

Pag. 381 — SABBATO. LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM MARCUM. *In illo tempore. Cum sero esset...* EX COMMENTARIO ORIGENIS. Incipit: *Labor discipulorum in remigando...* Desinit: *et instabilem substantiam.* Haec homilia est excerpta ex alia, quae in Combefis Tomo II, pag. 131 legitur, Bedaeque tribuitur.

Pag. 382 — DOMINICA CAPUD XL. SERMO SANCTI LEONIS PAPAE. LECTIO PRIMA. Incipit: *Praedicaturus vobis dilectissimi sacratissimum...* Desinit: *contineamus. Auxiliante nobis eo per omnia. cui cum filio... Amen.* Ibi pag. 186. Responsoria: *Ecce nunc tempus acceptabile. In omnibus exhibeamus. Emendemus in melius. Abscondit tanquam aurum. In ieiunio et fletu. Paradysi portas. Abscondite. Scindite corda vestra.*

Pag. 384 — LECTIO IX. LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM MATHEUM. *In illo tempore. Ductus est ihesus...* OMELIA BEATI GREGORII PAPAE. Inci-

pit: *Dubitari a quibusdam solet...* Desinit: *proximi caro reparetur.* Ibi pag. 201, brevior tamen est in Codice. Responsoria: *Convertimini omnes. In te domine sperant. Qui cognoscis. Angelis suis.*

Pag. 386 — FERIA II. LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM MATHEUM. *In illo tempore. Dixit... Cum venerit...* EX COMMENTARIO ORIGENIS. Incipit: *Indiscussus quidem sermo...* Desinit: *in caelestibus in christo ihesu.* Est summarium homiliae, quae ibi legitur, pag. 221. Responsoria: *Peccantem me cotidie. Afflicti pro peccatis nostris. Peccata mea domine.*

Pag. 388 — FERIA III. LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM MATHEUM. *In illo tempore. Cum intrasset ihesus...* OMELIA IOHANNIS EPISCOPI OS AUREI. Incipit: *Et cum introisset... Merito commovebantur videntes...* Desinit: *iniuste dicentes.* Est summarium homiliae, quae legitur in Combefis eodem Tomo pag. 253, sub nomine Auctoris Imperfecti.

Pag. 389 — FERIA IIII. LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM MATHEUM. *In illo tempore. Accesserunt ad ihesum...* EX COMMENTARIO ORIGENIS. Incipit: *O impietas. o duritia...* Desinit: *ipsi morti dominans.* Est pars homiliae quam edidimus in *Florilegio* Tomi II pag. 149.

Pag. 390 — FERIA V. LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM MATHEUM. *In illo tempore. Egressus ihesus...* SANCTI IOHANNIS EPISCOPI CONSTANTINOPOLITANI. Incipit: *Transiens dominus ihesus. venit... Et ecce mulier chananea. caput peccati...* Desinit: *respondere mulieri.* Est fragmentum homiliae quam ibi integram reperies, pag. 156.

Pag. 391 — FERIA VI. LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM IOHANNEM. *In illo tempore. Erat dies festus...* TRACTATUS SANCTI AUGUSTINI EPISCOPI DE EADEM LECTIONE. Incipit: *Mirum non esse debet...* Desinit: *dominum glorie crucifixissent.* Est initium homiliae quae occurrit in Combefis, Tomo II, pag. 331.

Pag. 392 — SABBATO. LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM MATHEUM. *In illo tempore. Assumpsit ihesus...* OMELIA BEATI LEONIS PAPE DE EADEM LECTIONE. Incipit: *Salvator humani generis...* Desinit: *et heliae unum.* Ibi pag. 262, in Codice vero multa desunt.

Pag. 394 — DOMINICA II. QUADRAGESIME. Incipit: *Senuit autem isaac...* Desinit: *decimas offeram tibi.* Lectiones efformantur ex Capp. XXVII et XXVIII Geneseos, Responsoria vero sunt sequentia: *Tolle arma tua pharetram. Surge pater. Ecce odor. Det tibi deus. Quis igitur. Dum exiret iacob. Dum iret iacob. Dum dormiret iacob.*

Pag. 396 — LECTIO VIIII. LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM MATHEUM. *In illo tempore. Assumpsit ihesus petrum...* OMELIA VENERABILIS BEDE PRESBYTERI DE EADEM LECTIONE. Incipit: *Quarae petrus et iacobus et iohannes...* Desinit: *scandalum faceret.* Combefis Tomo II, pag. 354, sed Hieronymo tribuitur. Responsoria: *Minor sum cunctis. Oravit iacob. Dixit angelus. Ego dominus omnipotens.*

Pag. 397 — FERIA II. LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM IOHANNEM. *In illo tempore. Dixit ihesus turbis iudaeorum. Ego vado...* TRACTATUS SANCTI AUGUSTINI EPISCOPI. Incipit: *Lectio sancti evangelii quae praecessit...* Desinit: *conderet tempora.* Est initium homiliae, quae ibi legitur, pag. 378.

Pag. 398 — FERIA III. LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM MATHEUM. *In illo tempore. Locutus est ihesus...* OMELIA BEATI IOHANNIS EPISCOPI CONSTANTINOPOLITANI. Incipit: *Postquam dominus impios sacerdotes...* Desinit: *appareant iusti.* Est summarium homiliae quae ibi occurrit pag. 408, sub nomine Auctoris Imperfecti.

Pag. 400 — FERIA IIII. LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM MATHEUM. *In illo tempore. Dixit... Ecce ascendimus...* OMELIA BEATI IOHANNIS CONSTANTINOPOLITANI DE EADEM LECTIONE. Incipit: *Omnis gloria dei et omnis salus...* Desinit: *mores autem gentiles.* Ibi pag. 431, sub nomine Auctoris Imperfecti, sed prolixior.

Pag. 401 — FERIA V. LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM LUCAM. *In illo tempore. Dixit... Homo quidam erat dives...* OMELIA BEATI GREGORII PAPAE DE EADEM LECTIONE. Incipit: *Quem fratres; karissimi. quem dives...* Desinit: *filios recognoscunt.* Ibi pag. 521, sed multo prolixior.

Pag. 402 — FERIA VI. LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM MATHEUM. *In illo tempore. Dixit... Homo erat pater familias...* OMELIA SANCTI IOHANNIS EPISCOPI CONSTANTINOPOLITANI DE EADEM LECTIONE. Incipit: *Homo erat pater familias. Ho-*

mo nomine. non natura... Desinit: *vocatio seminis eius.* Est initium homiliae quae ibi, pag. 544. sub nomine Auctoris Imperfecti legitur.

Pag. 403 — SABBATO. LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM LUCAM. *In illo tempore. Dixit... Homo quidam habuit duos filios...* TRACTATUS BEATI IERONIMI PRESBYTERI DE EADEM LECTIONE. Incipit: *Homo quidam... Hominem deum dici...* Desinit: *in terra viventium.* Est fragmentum Epistolae XXI S. Hieronymi ad Damasum *de duobus filiis.* Tomo I, col. 382, Editionis Migne. Responsorium: *Pater peccavi in caelum.*

Pag. 404 — DOMINICA III. Incipit: *Ioseph cum sedecim...* Desinit: *interpretis sui.* Lectiones efformantur ex Capitibus XXXVIII, XXXIX et XL Geneseos. Responsoria vero sunt sequentia: *Dum ioseph fratres suos. Videntes ioseph a longe. Dixit iudas fratribus suis. Extrahentes ioseph. Videns iacob vestimenta. Ioseph dum intraret in terra. Memento mei. Merito haec patimur.*

Pag. 406 — LECTIO VIIII. LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM LUCAM. *In illo tempore. Erat ihesus eiciens...* OMELIA SANCTI AUGUSTINI EPISCOPI. Incipit: *Magna questio est...* Desinit: *invocant nomen domini.* Est initium Homiliae quae in eodem Tomo Combefis occurrit, pag. 603. Responsoria: *Dixit ruben fratribus suis. Lamentabatur iacob. Iste est frater vester. Salus nostra.*

Pag. 408 — FERIA II. LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM LUCAM. *In illo tempore. Dixerunt pharisei ad ihesum. Quanta audivimus...* TRACTATUS SANCTI AMBROSII EPISCOPI DE EADEM LECTIONE. Incipit: *Non mediocriter invidia...* Desinit: *occulta mysterii.* Haec homilia brevior in Codice, ibidem pag. 625 integra recurrit.

Pag. 409 — FERIA III. LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM MATHEUM. *In illo tempore. Respiciens ihesus...* OMELIA SANCTI AUGUSTINI EPISCOPI DE EADEM LECTIONE. Incipit: *In evangelio sancto modo cum legeretur...* Desinit: *fratribus nostris indulgentiam.* Est initium Homiliae a nobis editae in *Florilegio* Tomi II, pag. 158.

Pag. 410 — FERIA IIII. LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM MATHEUM. *In illo tempore. Accesserunt ad ihesum...* EX COMMENTARIO SANCTI IERONIMI PRESBYTERI DE EADEM LECTIONE. Incipit: *Quare discipuli tui... Mira pharisaeorum...* Desinit: *pro immundo appellatur.* Integram homiliam reperies apud Combefis, Tomo II, pag. 670.

Pag. 411 — FERIA V. LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM LUCAM. *In illo tempore. Surgens ihesus...* TRACTATUS SANCTI AMBROSII EPISCOPI DE EADEM LECTIONE. Incipit: *Vide clementiam domini...* Desinit: *daemones confitentur.* Legitur in Commentario S. Ambrosii *in Lucam*, Tomo II, col. 1713 Edit. Migne.

Pag. 412 — FERIA VI. LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM IOHANNEM. *In illo tempore. Venit ihesus in civitatem...* TRACTATUS SANCTI AUGUSTINI EPISCOPI DE EADEM LECTIONE. Incipit: *Non rude est auribus...* Desinit: *alienigenas deputemus.* Inter *Opera* D. Augustini, parte altera Tomi III Edit. Migne, col. 1510, ex Tract. XV *in Iohannem.*

Pag. 413 — SABBATO. LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM IOHANNEM. *In illo tempore. Perrexit ihesus...* TRACTATUS BEATI AUGUSTINI EPISCOPI DE EADEM LECTIONE. Incipit: *Inde ihesus perrexit in montem...* Desinit: *fructum quaerebat.* Ex Tractatu XXXIII *in Ioannem*, ibi col. 1648.

Pag. 414 — DOMINICA IIII. Incipit: *Moyses autem pascebat...* Desinit: *de terra sua.* A primo versu Capitis III, usque ad secundum versum Capitis VI *Exodi.* Responsoria: *Locutus est dominus ad moysen. Stetit moyses coram pharaone. Cantemus. In mari vie tue et semite. Qui persequebantur. Moyses famulus dei. Splendida facta est. Audi israhel.*

Pag. 416 — LECTIO VIIII. LECTIO SANCTI EVANGETII SECUNDUM IOHANNEM. *In illo tempore. Abiit ihesus...* SANCTI AUGUSTINI EPISCOPI. Incipit: *Miracula quae fecit dominus...* Desinit: *clausa portabantur.* Ex Tract. XXIV *in Ioannem*, ibi col. 1592. Responsoria: *Ecce mitto angelum. Attendite populus. Popule meus. Adduxi vos per desertum.*

Pag. 418 — FERIA II. LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM IOHANNEM. *In illo tempore. Prope erat...* TRACTATUS SANCTI AUGUSTINI EPISCOPI DE EADEM LECTIONE. Incipit: *In psalmo audistis gemitum...* Desinit: *quia gratia vocatur.* Ex Tractatu X *in Ioannem*, ibi col. 1466; nonnulla tamen semper praetermittit Codex.

Pag. 419 — FERIA III. LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM IOHANNEM. *In illo tempore. Iam die festo...* TRACTATUS SANCTI AUGUSTINI EPISCOPI DE EADEM LECTIONE. Incipit: *Quod de sancto evange-*

lio... Desinit: *quam tu. Si alicuius es quod est verbum est; ergo et deus est. et doctrina est.* Ex Tract. XXIX *in Ioannem*, col. 1628.

Pag. 420 — Feria IIII. Lectio sancti evangelii secundum iohannem. *In illo tempore. Preteriens ihesus...* Tractatus sancti augustini episcopi. Incipit: *De homine quem dominus...* Desinit: *faciat intellegentem.* Ex Tract. XLIV *in Ioannem*, col. 1713.

Pag. 421 — Feria V. Lectio sancti evangelii secundum lucam. *In illo tempore. Ibat ihesus...* Ex commentario venerabilis bede presbyteri. super lucam de eadem lectione. Incipit: *Naim civitas est...* Desinit: *potestatis astrueret.* Est pars Homiliae quae in Combefisio Tomo V, pag. 458, occurrit.

Feria VI. Lectio sancti evangelii secundum iohannem. *In illo tempore erat quidam languens...* Omelia beati augustini episcopi de eadem lectione. Incipit: *Inter omnia miracula...* Desinit: *et infidelitatem.* Conflatur haec homilia ex diversis fragmentis Tractatus XLIX *in Ioannem*, Tomo III parte altera, col. 1746.

Pag. 423 — Sabbato. Lectio sancti evangelii secundum iohannem. *In illo tempore. Dixit ihesus turbis iudaeorum. Ego sum lux...* Tractatus sancti Augustini episcopi de eadem lectione. Incipit: *Quod ait dominus. Ego sum lux...* Desinit: *a te absconditus.* Ex initio Tractatus XXXIV *in Ioannem*, col. 1652.

Pag. 424 — Dominica in passione. Incipit prologus beati ieronimi presbyteri in liber ieremiae prophetae. Incipit: *Jeremias propheta cui...* Desinit: *insaniam provocare.* Concordat cum editis.

Explicit prologus. Incipit: *Verba ieremiae...* Desinit: *dicit dominus.* A primo versu Capitis I, usque ad versum vigesimum primum Capitis III Prophetiae Ieremiae. Responsoria: *Isti sunt dies quas. Multiplicati sunt. Usquequo exaltabitur. Qui custodiebant. Deus meus es tu. Deus meus eripe me. In te iactatus sum. In proximo est.*

Pag. 427 — Lectio VIIII. Lectio sancti evangelii secundum iohannem. *In illo tempore. Dicebat ihesus.... Quis ex vobis....* Omelia beati gregorii papae. Incipit: *Pensate fratres karissimi mansuetudinem...* Desinit: *nequaquam possit.* Combefis Tomo III, pag. 270. Responsoria: *Tota die contristatus. Ne avertas faciem tuam. Vide quia tribulor. Adiutor et susceptor.*

Pag. 429 — Feria II. Incipit: *Convertimini filii...* Desinit: *levate signum syon.* A versu vigesimosecundo Capitis III Ieremiae usque ad versum sextum Capitis IV.

Lectio III. Lectio sancti evangelii secundum iohannem. *In illo tempore. Miserunt principes...* Tractatus Sancti augustini episcopi. Incipit: *Miserunt principes... Quem apprehenderet...* Desinit: *potestis facere.* Est fragmentum Tractatus XXXI *in Ioannem*, ibi col. 1639.

Pag. 430. — Feria III. Incipit: *In tempore illo dicetur... volatile caeli recessit.* A versu undecimo Capitis VI, usque ad versum vigesimum sextum eiusdem Capitis Ieremiae.

Lectio III. Lectio sancti evangelii secundum iohannem. *In illo tempore. Ambulabat ihesus...* Tractatus sancti augustini episcopi. Incipit: *Quid sit scenofegia...* Desinit: *mortale concepit.* Fragmentum Tract. XXVIII *in Ioannem*, numero tertio, col. 1623.

Pag. 431 — Feria IIII. Incipit: *Aspexi. et ecce carmelus...* Desinit: *vastavit eos.* Prophetia Ieremiae a versu vigesimo sexto Capitis IV, usque ad versum sextum Capitis V.

Lectio III. Lectio sancti evangelii secundum iohannem. *In illo tempore. Facta sunt encenia...* Tractatus sancti augustini episcopi. Incipit: *Encenia. festivitas erat...* Desinit: *et premebant persequendo.* Est fragmentum Tractatus XLVIII, ibi col. 1741.

Feria V. Lectio sancti evangelii secundum lucam. *In illo tempore. Rogabat ihesum...* Omelia beati gregorii papae. Incipit: *Cogitanti michi...* Desinit: *quod iustitia divina reprehendit.* Combefis Tomo VII, pag. 383. In margine pag. 332 leguntur haec verba posterioris temporis: *Sancte Marie Magdalene. Lectio I. Vigilia. III. ℟. fer. V. post pascha. Omelia. Maria stabat.*

Pag. 433 — Feria VI. Incipit: *Ecce ego adducam... plenae dolo.* A versu decimo quinto, usque ad versum vigesimum septimum capitis V Ieremiae.

Lectio III. Tractatus Sancti Augustini episcopi. Incipit: *Collegerunt pontifices...* Desinit: *es-*

se sentiebant. Ex Tractatu XLIX, numero 26, col. 1757.

Pag. 434 — Sabbato. Incipit: *Stupor et mirabilia facta sunt....* Desinit*: laboravi sustinens.* A versu trigesimo Capitis V. usque ad versum undecimum Capitis VI. *Ieremiae*

Lectio III. Incipit: *Cogitaverunt autem principes...* Desinit: *ipse dominus est.* Ex fine Tractatus L. et principio Tract. LI, ibi col. 1764.

Dominica in palme. Incipit: *Scitis quia post biduum...* Desinit: *cum fratribus suis.* Combefis Tomo III, pag. 514. Responsoria: *In die qua invocavi te. Fratres mei elongaverunt. Attende domine. Conclusit vias meas. Noli esse mihi. Dominus mecum est. Dixerunt impii. Viri impii dixerunt.*

Pag. 438 — Lectio IX. Lectio sancti evangelii secundum matheum. *In illo tempore. Cum appropinquaret...* Omelia beati iohannis episcopi constantinopolitani. Incipit: *Puto res ipsa exigit...* Desinit: *fuissent in eis.* ℣. *Ingrediente domino.* Ibi pag. 392, sub nomine Auctoris Imperfecti, brevior tamen legitur in Codice. Responsoria: *Insurrexerunt in me. Contumelias et terrores. Principes persecuti sunt. Ingrediente domino.*

Pag. 440 — Feria II. Incipit: *Haec dicit dominus. Nunquid...* Desinit: *Peccavimus enim domino.* Ieremias a versu quarto ad versum quintumdecimum Capitis VIII.

Lectio sancti evangelii secundum iohannem. *In illo tempore. Ante sex dies...* Tractatus Sancti Augustini episcopi de eadem lectione. Incipit: *Hesternam lectionem sancti evangelii. de qua locuti sumus quod dominus dedit. hodierna sequitur de qua locuturi sumus quod dominus dabit. quaedam in scripturis tam manifesta sunt ut potius auditorem quam expositorem desiderent. In eis nos immorari non oportet. ut necessariis in quibus immorandum est tempus sufficiat. Ihesus ergo ante sex dies... Ne putarent homines...* Desinit*: pedibus necessaria sunt.* Combefis pag. 577 si excipias initium, quod ibi desideratur.

Pag. 441 — Feria III. Incipit: *Expectavimus pacem...* Desinit: *rennuerunt me dicit dominus.* Ieremias, a versu decimoquinto capitis VIII usque ad versum septimum capitis sequentis.

Lectio III. Lectio sancti evangelii secundum iohannem. *In illo tempore. Dixit... Amen amen dico vobis...* Tractatus Sancti Augustini episcopi de eadem lectione. Incipit: *Audivimus sanctum evangelium...* Desinit: *contra dominum.* Ex Tractatu LIX Augustini *in Ioannem* Tom. III, parte altera, col. 1795, Edit. Migne.

Pag. 442 — Feria IIII. Lectio sancti evangelii secundum lucam. *In illo tempore. Appropinquabat dies festus...* Expositio venerabilis bede presbyteri de eadem lectione. Incipit: *Pascha quod hebraice...* Desinit: *immolatus est Christus.* Combefis tomo III, pag. 693. Responsoria*: Ecce turba. Revelabunt celi. O iuda qui dereliquisti.*

Pag. 443 — Feria V. In cena domini. Lamentatio ieremiae prophetae. Aleph. Incipit: *Quomodo sedet sola civitas...* Desinit: *invaluit inimicus.* Haec lamentatio Ieremiae suas habet notas musicas. Responsoria*: In monte. Tristis est anima mea. Ecce vidimus eum.*

Pag. 444 — Vigilia II. Lectio IIII. Incipit: *Exaudi deus orationem meam... Sevierunt inimici in martyres...* Desinit: *Gladio lingue.* Est fragmentum Enarrationis in Psalmum LXIII, Tomi IV parte priore *Operum* S. Augustini, col. 761. Responsoria: *Amicus meus. Unus ex discipulis. Eram quasi agnus.*

Pag. 446 — Vigilia III. Lectio VII. Incipit: *Convenientibus ergo vobis...* Desinit: *unum spiritum potati sumus.* A versu vigesimo capitis XI usque ad decimum quartum versum capitis XII Epistolae S. Pauli *ad Corinthios* primae: Responsoria: *Una hora non potuistis. Iudas mercator.* Desideratur responsorium ultimae lectionis.

Feria VI. Heth. Incipit: *Cogitavit dominus dissipare...* Desinit: *consumsi eos.* A versu 8 usque ad finem Cap. II *Threnorum.* Haec lamentatio ornatur notis musicis. Responsoria: *Omnes amici. Vinea mea. Barabas latro.*

Pag. 448 — Vigilia II. Lectio IIII. Incipit: *Videamus quomodo...* Desinit: *servorum dei mittebantur.* Ex eadem enarratione, ibi col. 764. Responsoria: *Tanquam ad latronem. Circumdederunt. Obprobrium factus sum.*

Pag. 449 — Vigilia III. Lectio VII. Incipit: *Festinemus ergo...* Desinit: *consummatio in combustionem.* A versu undecimo Capitis IV usque ad versum nonum capitis VI Epistolae B. Pauli *ad*

Hebraeos. Responsoria: *Hiesum tradidit impius. Velum templi scissum est.* Lectio IX responsorium non habet.

Pag. 450 — Sabbato. Incipit: Heth. *Misericordiae domini...* Desinit: *et clamoribus.* A versu vigesimo secundo usque ad quinquagesimum septimum versum Capitis III. Haec Lamentatio et sequens Oratio habent notas musicas. Responsoria: *Sepulto domino. Ierusalem luge.*

Pag. 451 — Lectio III. Oratio ieremiae prophetae. Incipit: *Recordare domine...* Desinit: *contra nos vehementer.* ℟. *Plange quasi virgo.* Ibi Capite V.

Pag. 452 — Vigilia II. Lectio IIII. Incipit: *Agitabant iudaei caput...* Desinit: *minantes Sacerdotes.* Ex Enarratione in Psalmum LXIII, col. 767. Responsoria: *Recessit pastor noster. O vos omnes. Caligaverunt.*

Pag. 453 — Vigilia III. Incipit: *Christus assistens pontifex...* Desinit: *Teneamus spei nostrae confessionem.* A versu undecimo Capitis IX Epistolae B. Pauli *ad Hebraeos,* usque ad priora verba versus vigesimi tertii capitis sequentis. Responsoria: *Ecce quomodo moritur. Agnus dei Christus.*

Pag. 454 — Vigilia Sancti benedicti. Sermo domni petri ostiensis episcopi. Incipit: *Vigilias egregii confessoris...* Desinit: *mereamur in paternae gloriae maiestate regnantem. qui cum patre et spiritu sancto vivit et regnat in saecula saeculorum. Amen.* Inter *Opera* B. Petri Damiani, pag. 22, Tomi II, editionis Rom. 1606. Partem posterioris columnae pag. 354, scriptura vacuam, et imperfecto versiculi sensu, reliquit amanuensis. Alius amanuensis eiusdem temporis, cum atramento pallidiori scripsit sermonem Sancti Benedicti.

Pag. 457 — Lectio Sancti evangelii secundum marcum. *In illo tempore. Maria magdalena.* Omelia beati gregorii papae. Incipit: *Multis vobis lectionibus...* Desinit: *unicum filium suum. Per eundem... Amen.* Combefis Tomo IV, pag. 102.

Pag. 460 — Feria II. Lectio sancti evangelii secundum lucam. *In illo tempore. Duo ex discipulis...* Omelia beati gregorii papae. Incipit: *In cotidiana vobis sollemnitate...* Desinit: *recipiat ad regnum.* Ibi pag. 144.

Pag. 461 — Feria III. Lectio sancti evangelii secundum lucam. *In illo tempore. Stetit ihesus...* Omelia venerabilis bede presbyteri. Incipit: *Gloriam suae resurrectionis...* Desinit: *ambiguitate monstrare.* Est summarium quoddam Homeliae, quae ibi legitur, pag. 258.

Pag. 462 — Feria IIII. Lectio sancti evangelii secundum iohannem. *In illo tempore. Manifestavit se...* Omelia beati gregorii papae. Incipit: *Lectio sancti evangelii que modo...* Desinit: *nichil habebit.* Ibi pag. 181, brevior tamen legitur in Codice.

Pag. 463 — Feria V. Lectio sancti evangelii secundum iohannem. *In illo tempore. Maria stabat...* Omelia beati gregorii papae. Incipit: *Maria magdalenae quae fuerat...* Desinit: *ardentius estuaret.* Est summarium homiliae quae ibi pag. 201 occurrit. In margine, alia manu: *In Sancte Marie Magdalene. lectio VIIII.*

Pag. 465 — Feria VI. Lectio sancti evangelii secundum matheum. *In illo tempore. Undecim discipuli...* Omelia venerabilis bede presbyteri. Incipit: *Evangelica lectio fratres karissimi quam modo...* Desinit: *substrata est.* Ibi pag. 210. Finis deest in Codice.

Pag. 466 — Sabbato. Lectio sancti evangelii secundum iohannem. *In illo tempore. Una sabbati...* Omelia beati gregorii papae. Incipit: *Lectio suncti evangelii quam modo audistis fratres. valde...* Desinit: *scandala non dividunt.* Sumpta ex homilia quae ibi pag. 217 occurrit.

Pag. 467 — Dominica octavae paschae. Epistola Sancti iohannis. lectio I. Incipit: *Quod fuit ab initio...* Desinit: *a simulacris.* Est Epistola prima S. Ioannis. Responsoria: *Angelus domini descendit. Angelus domini locutus est. Dum transisset sabbatum. Maria Magdalena. Tulerunt dominum meum. Congratulamini. Surrexit pastor. Expurgate.*

Pag. 470 — Lectio VIIII. Lectio sancti evangelii secundum iohannem. *In illo tempore. Cum sero esset...* Omelia beati gregorii papae. Incipit: *Prima lectionis huius evangelicae...* Desinit; *retinueritis retenta sunt.* Est prior pars homeliae quae ibi pag. 252 legitur. Responsoria: *Surgens ihesus dominus. Virtute magna. Isti sunt agni novelli. Pascha nostrum.*

Pag. 472 — Maior pars huius paginae, quae continebat initium Epistolae B. Petri Apostoli pri-

mae, fuit deleta, et manus ejusdem temporis, si non est eadem, scripsit quae sequuntur. Numerus linearum huius paginae est 45, dum sequens pagina 46 habet lineas; sed scriptura eadem videtur et numerus istarum linearum non regulariter occurrit in Codice.

INCIPIT PROLOGUS SANCTI IERONIMI PRESBYTERI IN LIBRUM ACTUUM APOSTOLORUM. Incipit: *Canit psalmista; ambulabunt a virtutibus in virtute. apostoli pauli epistolis dudum uno vobis volumine translatis; domnion et rogatione karissimi; Actum apostolorum compellitis ut transferam in latinum. Quem librum nulli dubium est a luca antiocheno. arte medico. qui postea inserviens paulo apostolo, christi factus discipulus fuisse editum. Cervices premit inposita sepius oneris magnitudo. quia studia invidorum reprehensione indignum putant ea quae scribimus. Illorum numquam odio et detractione iuvante christo meum silebit aeloquium.*

EXPLICIT PROLOGUS. Incipit: *Primum quidem sermonem feci...* Desinit: *per manus barnabae et sauli.* A Capite I. *Actuum Apostolorum* usque ad VI, a versu quinto Capitis VIII, quod desinit: *donec veniret cesaream; nomen domini ihesu christi,* usque ad finem Capitis XI.

Pag. 481 — INCIPIT APOCALYPSI BEATI IOHANNIS APOSTOLI. Incipit *Apocalypsi ihesu christi....* Desinit: *quae erat et non est.* A Capite I, usque ad versum octavum Capitis II, et a versu septimo Capitis VIII, usque ad versum nonum Capitis XVII.

Pag. 488 — DOMINICA I. POST OCTAVAM PASCHAE. EPISTOLA BEATI PETRI APOSTOLI. LECTIO I. Incipit: *Petrus apostolus ihesu Christi electis advenis dispersionis Ponti...* Desinit: *solidabitque. ipsi gloria et imperium in secula seculorum. Amen.* A Capite I usque ad versum sextum Capitis II, et a Capite III usque ad duodecimum versum Capitis V. Responsoria: *De ore prudentis. Audivi vocem. Audivi voces. Ostendit mihi. Locutus est ad me. Vidi ierusalem.* Duae primae lectiones responsoriis carent.

Pag. 490 — LECTIO VIIII. LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM IOHANNEM. *In illo tempore Dixit ihesus discipulis suis. Ego sum pastor...* OMELIA BEATI GREGORII PAPAE. Incipit: *Audistis fratres karissimi ex lectione evangelica...* Desinit: *in perventione satiemur.* Combefis Tomo IV, pag. 275. Responsoria: *Vidi portam. Haec est ierusalem. Plateae tuae. Decanta.*

Pag. 492 — DOMINICA II. POST OCTAVAM PASCHAE. Incipit: *Simon Petrus servus et apostolus ihesu christi, his qui coequalem nobis....* Desinit: *Ipsi gloria. et nunc et in die aeternitatis. Amen.* Est epistola II. S. Petri.

Pag. 494 — LECTIO VIIII. LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM IOHANNEM. *In illo tempore. Dixit ihesus discipulis suis. Modicum et iam...* TRACTATUS SANCTI AUGUSTINI EPISCOPI. Incipit: *Haec domini verba ubi ait, modicum...* Desinit: *paritura laudando.* Ex Tractatu CI S. Augustini *in Ioannem,* Tom. III parte altera, col. 1893 edit. Migne.

Pag. 496 — DOMINICA III. EPISTOLA BEATI IACOBI APOSTOLI. Incipit: *Iacobus dei et domini nostri ihesu christi servus...* Desinit: *sub iudicio incidatis.* A primo versu usque ad decimum sextum versum Capitis I, et a Capite II usque ad decimum quartum versum Capitis V. Responsoria: *Si oblitus fuero. Ymnum cantate. Viderunt te. Alleluia audivimus. In toto corde. Narrabo nomen. Deduc me. In ecclesiis.*

Pag. 498 — LECTIO IX. LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM IOHANNEM. *In illo tempore. Dixit ihesus... Vado ad eum...* OMELIA SANCTI AUGUSTINI EPISCOPI. Incipit: *Cum dominus ihesus praedixisset...* Desinit: *separatio naturarum.* Desumpta fuit ex Tractatu XCIV, ibi col. 1868. Responsoria: *Alleluia Iudica. Canite domiuo. Deus canticum novum.* Duodecima lectio responsorium non habet.

Pag. 499 — DOMINICA IIII. EPISTOLA BEATI IOHANNIS APOSTOLI. Incipit: *Senior electe domine...* Desinit: *saluta amicos per nomen.* Quatuor primae lectiones ex epistolis secunda et tertia B. Ioannis efformantur.

Pag. 500 — LECTIO V. EPISTOLA BEATI IUDE APOSTOLI. Incipit: *Iudas ihesu christi servus...* Desinit: *et nunc et in omnia saecula. Amen.* Haec epistola dividitur in quatuor lectiones.

Pag. 501 — LECTIO VIIII. LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM IOHANNEM. *In illo tempore. Dixit... Amen amen dico vobis...* OMELIA SANCTI AUGUSTINI EPISCOPI. Incipit: *Iam dictum est in superioribus...* Desinit: *id faceret nos amaret.* Hanc homiliam integram in Tomo IV Combefisii pag. 321 reperies.

Pag. 502 — ASCENSIO DOMINI. LECTIO PRIMA.

Incipit: *Primum quidem sermonem feci...* Desinit: *cotidie in ipso.* A primo versu usque ad finem Capitis I et a versu quadragesimo primo usque ad finem Capitis II.

Pag. 503 — Lectio V. Sermo Sancti Augustini episcopi. Incipit: *Glorificatio domini nostri....* Desinit: *si ascendere vultis in caelum.* Prior pars Sermonis CCLXIII S. Augustini. Folia praecedentia 45 constabant Lineis, sequentes vero paginae a pag. 505, ad pag. 564, 46 habent lineas: scriptura vero est eiusdem temporis.

Pag. 505 — ℟. *Non vos relinquam.* Lectio VIII. Sermo sancti leonis papae. Incipit: *Salvator noster dilectissimi fratres...* Desinit: *refugium vocatur.* ℟. *Modicum.* Est pars Sermonis, qui legitur sub nomine S. Augustini Tomo V, col. 2032, *Operum* eius.

Lectio VIIII. Lectio Sancti evangelii secundum marcum. *In illo tempore. Recumbentibus undecim...* Omelia beati gregorii papae de eadem lectione. Incipit: *Quod resurrectionem dominicam...* Desinit: *ipse qui dedit. Ihesus... saeculorum. Amen.* Desumpta est ex homilia 29 in Evang. Responsoria: *Psallite domino. Pater tempus est. Pacem meam.*

Pag. 506 — Dominica post ascensionem domini. Sermo Sancti leonis papae. Incipit: *Hodierna die dilectissimi fratres. deo sumus....* Desinit: *iterum veniet.* Responsoria: *Post passionem suam. Omnis pulchritudo. Exaltare. Ascendens. Ponis nubem. Ascendit. Non conturbetur. Non vos relinquam.* Est fragmentum homiliae a nobis in *Florilegio* Tomi II, pag. 98, editae.

Pag. 508 — Lectio VIIII. Lectio sancti evangelii secundum iohannem. *In illo tempore. Dixit... Cum venerit paraclitus...* Omelia beati augustini episcopi. Incipit: *Dominus ihesus in sermone...* Desinit: *non hominum gloriam requirebant.* Sumpta est ex Tractatibus XCII et XCIII Augustini *in Ioannem.* Responsoria: *Modicum. Psallite domino. Pater.* XII lectio responsorio caret.

Pag. 510 — Octavae ascensionis domini. Incipit: *Hodierna die fratres karissimi; ascensionem in caelum...* Desinit: *redde quod promisisti.* Sermo CCCXCV. S. Aug. Tom. V, col. 1716.

Dominica sanctum pentecostes. Incipit: *Cum complerentur dies...* Desinit: *advocaverit dominus deus vester.* A primo usque ad quadragesimum versum Capitis II *Actuum Apostolorum.*

Pag. 511 — Lectio V. Sermo Sancti augustini episcopi. Incipit: *Grata est deo sollemnitas....* Desinit: *factus est mundus.* Sermo CCCLXXVIII S. Augustini, ibi col. 1673.

Pag. 512 — Lectio VII. Incipit: *Perpetui muneris...* Desinit: *accipere meruimus spiritus sancti. Prestante domino... Amen.* Sermo CLXXXVI. *Appendicis*, ibi col. 2094.

Pag. 513 — Lectio VIIII. Lectio Sancti evangelii secundum iohannem. *In illo tempore. Dixit... Si quis diligit me...* Omelia beati gregorii papae de eadem lectione. Incipit: *Libet fratres karissimi evangelice verba lectionis...* Desinit: *pervenientibus do.* Combefis Tomo IV, pag. 542.

Pag. 515 — Feria II. Lectio sancti evangelii secundum iohannem. *In illo tempore. Dixit.... Sic enim dilexit deus....* Tractatus sancti augustini episcopi de eadem lectione. Incipit: *Quantum in medico est....* Desinit: *vos comprehendat.* Ibi pag. 580, brevior tamen in Codice.

Pag. 516 — Feria III. Lectio sancti evangelii secundum iohannem. *In illo tempore. Dixit.... Amen amen dico vobis. qui non intrat...* Tractatus sancti augustini episcopi de eadem lectione. Incipit: *De illuminato illo...* Desinit: *exercet obscuris.* Pars homiliae, quae ibi legitur pag. 588.

Pag. 517 — Feria IIII. Lectio Sancti evangelii secundum iohannem. *In illo tempore. Dixit... Nemo potest venire...* Tractatus sacti Augustini episcopi de eadem lectione. Incipit: *Dum dominus ihesus christus...* Desinit: *trahere dei est.* Est summarium Tractatus XXVI, Tom. III, col. 1606.

Pag. 518 — Feria V. Lectio sancti evangelii secundum lucam. *In illo tempore. Designavit dominus...* Omelia beati gregorii papae. Incipit: *Dominus noster fratres karissimi, aliquando nos...* Desinit: *sicut agnos inter lupos.* Est initium Homiliae XVII S. Gregorii in Evangelia.

Pag. 519 — Feria VI. Lectio sancti evangelii secundum Lucam. *In illo tempore. Factum est in una dierum...* Ex commentario Sancti ambrosii episcopi de eadem lectione. Incipit: *Non otiosa huius paralytici...* Desinit: *dominus resurrectio est.* Inter *Opera* S. Ambrosii Tomo II, col. 1722 Edit. Migne.

Pag. 520 — Sabbato. Sermo sancti augustini episcopi. Incipit: *Cum venisset ihesus in domum...* Desinit: *voluerit revelare.* Prior pars huius Sermonis usque ad verba: *multos fructus afferat,* legitur in Tomo VII *Operum* S. Hieronymi Edit. Migne, col. 53; posteriorem vero a verbis: *Sequitur. Exibant autem daemonia...* non invenimus.

Lectio II. Sermo sancti leonis papae. Incipit: *Dubitandum non est...* Desinit: *qui in coelis est. Qui vivit... Amen.* Sermo LXXIX S. Leonis, Tomo I Edit. Migne.

Pag. 521 — Dominica oct. pentecostes. Sermo Sancti augustini episcopi. Incipit: *Felix est dies hodierna...* Desinit: *cum apostolis suscipiamus.* Editus ex Codice nostro CVI a Caillau, pag. 62. Responsoria: *Dum complerentur. Factus est. Apparuerunt. Advenit.*

Pag. 522 — Lectio V. Sermo Sancti Leonis papae. Incipit: *Sicut apostolica dilectissimi...* Desinit: *neque in futuro.* Sermo LXXV S. Leonis, Tom. I, col. 401. Responsoria: *Repleti sunt. Loquebantur. Facta autem.*

Pag, 523 — ℣. *Facta autem.* Lectio VIII. Incipit liber Regum. Incipit: *Fuit vir unus...* Desinit: *quam decem filii. Preparate corda vestra.* Deleta scriptura, manus recentior initium libri I *Regum* scripsit.

Lectio sancti evangelii secundum iohannem. *In illo tempore. Erat homo...* Omelia beati augustini episcopi. Incipit: *Oportune nobis fratres...* Desinit: *qui est in coelo.* Desumpta ex Tractatibus XI et XII S. Augustini *in Ioannem,* Tomo III, col. 1474. Responsorium: *Iam non dicam.* Tres ultimae lectiones responsoria non habent.

Pag. 525 — Decem et octo lineis ab amanuensi sine scriptura relictis, sequitur: Passio sanctorum martyrum tiburtii et valeriani, et maximi. Incipit: *Temporibus marci aurelii et commodi...* Desinit: *et fide suscepit.* Vid. Cod. CXLV, pag. 401.

Pag. 526 — Passio Sancti georgii martyris. Incipit: *Anno ab incarnatione domini fere ducentesimo nonagesimo primo...* Desinit: *Kalendas maias. Regnante... seculorum. Amen.* Eadem vita legitur in Codice CXLV, sed amplior.

Pag. 528 — Lectio VIIII. Passio sancti adelberti episcopi et martyris. edita a domino silvestro papa urbis romae. Incipit: *Est locus in partibus germaniae...* Desinit: *custodem aspexit.* De hac vita confer Codicem CXLV, in quo amplior occurrit.

Pag. 530 — Passio sancti marci evangelistae. Incipit: *Tempore quo dispersi erant...* Desinit: *affectione benignus gratia dei plenus.* Apud Bolland. Tomo III Aprilis, pag. 347.

Pag. 532 — Passio sancti vitalis martyris. Incipit: *Sanctus vitalis militans...* Desinit: *bene positum violaret.* Fusior legitur in Bolland. Tomo III Aprilis pag. 564.

Pag. 533 — Vita sanctae euphrosinae. Incipit: *Fuit vir quidam in alexandria...* Desinit: *halitum extremum efflavit.* Differt ab utraque vita data apud Bolland. Tomo II Februarii, pag. 537 et 541. et est breviarium alterius, apud Migne tom. LXXIII, col. 643.

Pag. 537 — Passio sancti iacobi fratris domini. Incipit: *Iacobum qui dicebatur frater domini qui et iustus cognominatus est ab antiquis: virtutum merito et insignis vitae privilegio; primum historiae tradiderunt, suscepisse ecclesiae quae ierosolimis est sedem. Sicut clemens in sexto dispositionum libro asserit dicens. Petrus et iacobus et iohannes. post assumptionem salvatoris, quamvis ab ipso fuerint omnibus poene praelati; tamen non sibi vendicabant primatus gloriam. sed iacobum qui dicebatur iustus, apostolorum episcopum statuunt. Exploratius tamen... martyrio consummatus est. Cumque populi vellent eos comprehendere qui hec fecerunt. fuga elapsi sunt. Populi autem cum omni diligentia et honore sepelierunt eum ibi iuxta templum. credentes christum filium dei vivi. In quo loco colitur sancta passio eius usque in hodiernum diem; ad laudem et gloriam domini nostri ihesu christi.* Caetera require apud Lipomanum *Op. cit.* parte prima pag. 362. Responsoria: *Beatus vir qui... Pretiosa... Lux perpetua... Filiae ierusalem.*

Pag. 538 — Lectio V. Passio sancti philippi apostoli. Incipit: *Cum sancti apostoli domini...* Desinit: *regnum patris et filii et spiritus sancti; in saecula saeculorum. Amen.* Apud Bolland. Tomo I Maii pag. 11. Responsoria: *Tristitia... In circuitu... Tanto tempore... Vidi civitatem.*

Pag. 539 — Lectio VIIII. Lectio sancti evan-

GELII SECUNDUM IOHANNEM. *In illo tempore. Dixit... Non turbetur...* TRACTATUS SANCTI AUGUSTINI EPISCOPI DE EADEM LECTIONE. Incipit: *Erigenda est nobis fratres...* Desinit: *christus una persona.* Fragmenta desumpta ex Tractatibus S. Augustini LXVII, LXVIII, et LXIX *in Ioannem*, Tomo III, col. 1812. Responsorium: *Gaudete.* Tres ultimae lectiones responsorium non habent.

Pag. 541 — VITA VEL OBITUS SANCTI ATHANASII EPISCOPI. Incipit: *Temboribus constantii et constantis imperatorum, defuncto...* Desinit: *cum veneratione sepultus.* Vide Cod. CXLV, pag. 439.

Pag. 542 — PASSIO SANCTORUM MARTYRUM ALEXANDRI PAPAE. EVENTII EN THEODOLI PRESBYTERORUM. Incipit: *Quinto loco a beato petro...* Desinit: *quinto nonas maias. Regnante... Amen.* Apud Bolland. Tomo I Maii, pag. 371.

Pag. 544 — LECTIO VIIII. INVENTIO SANCTAE CRUCIS. Incipit: *Cum religiosissimus imperator constantinus.....* Desinit: *se famulam deputaret.* Responsoria: *Dulce lignum... O crux benedicta... O crux gloriosa... Hoc signum crucis.* S. Crucis *Inventionis* historia ab hac diversa extat in aliis huius *Bibl.* Codd. De utrisque in Cod. CXLII agemus.

Pag. 546 — SERMO VENERABILIS PAULINI LEGIONENSIS BRITANNICAE URBIS EPISCOPI. DE TRANSLATIONE SANCTI MATHEI APOSTOLI. Incipit: *Anno dominicae incarnationis nungentesimo quinquagesimo quarto...* Desinit: *ad premia aeterna pertingere. Prestante domino... saeculorum. Amen.* Vide quae de hoc serm. Bolland. T. VI. Sept. p. 198. adnotant. Occurrit in compactione Cod. I. et in Cod. CI. pag. 386.

Pag. 549 — LECTIO VIIII. PASSIO SANCTI IOHANNI EPISCOPI. Incipit: *Secundam post neronem...* Desinit: *ab hominibus expellerentur. Prestante domino.... Amen.* Edita a nobis in *Florilegio* Tomi II *Bibliothecae Cas.* pag. 67.

Pag. 551 — SANCTI MICHAELIS ARCHANGELI. Incipit: *Memoriam beati archangeli...* Desinit: *hereditatem capiunt salutis.* Legitur in Surio Tomo V, pag. 424. Responsoria: *Factum est silentium... Nunc facta est salus... Michael.* Caetera responsoria desunt.

Pag. 553 — LECTIO VIIII. LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM MATHEUM. *In illo tempore. Accesserunt discipuli...* EXPOSITIO SANCTI IERONYMI PRESBYTERI EX COMMENTARIO SUPER MATHEUM DE EADEM LECTIONE. Incipit: *Quod sepe monui...* Desinit: *capita feminarum propter angelos.* RESPONSORIUM. Ex Commentario B. Hieronymi in Caput XVIII Evangelii S. Matthaei, Tom. VII, edit. Migne, col. 132.

Pag. 555 — PASSIO SANCTI VICTORIS MARTYRIS. Incipit: *Regnante impio maximiano imperatore in civitate mediolanensi...* Desinit: *tertio idus maias. Regnante domino... saeculorum. Amen.* Fusior legitur apud Bolland. Tomo II Maii, pag. 288.

Pag. 556 — PASSIO SANCTORUM MARTYRUM GORDIANI ET EPYMACHI. Incipit: *Temporibus iuliani impiissimi imperatoris divulgati sunt...* Desinit: *florent usque in hodiernum diem.* Ibi pag. 552, sed contrahitur a scriptore ut saepe saepius accidit.

Pag. 557 — PASSIO SANCTI PANCRATII MARTYRIS. Incipit: *Erat temporibus dioclitiani et maximiani in civitate frigia...* Desinit: *et beati cornelii. Regnante domino... Amen.* Differt saltem quoad verba ab ea quae legitur in Bolland. Tomo II Maii, pag. 21.

Pag. 558 — LECTIO III. INCIPIUNT RESCRIPTA EUTICETIS, VICTORINI ET MARONIS AD MARCELLUM DE PASSIONE EORUM. Incipit: *Eutices victorinus, et maro servi domini nostri ihesu christi, Marcello. Sic venerunt litterae tuae...* Desinit: *quarto idus maias.* Ibi pag. 11.

Pag. 559 — PASSIO SANCTI BONIFATII MARTYRIS. Incipit: *Temporibus dioclitiani et maximiani erat quaedam in urbe...* Desinit: *coronam assumens. in gloriam et laudem dei patris; et unigeniti filii eius: et spiritus sancti, cui gloria et nunc, et semper, et in cuncta saecula saeculorum. Amen.* Ibi Tomo III, pag. 280.

Pag. 561 — SCRIPTA PASTORIS PRESBYTERI AD TIMOTHEUM DE VITA ET OBITU SANCTAE POTENTIANAE VIRGINIS. Incipit: *Sancto et venerabili fratri timotheo presbytero, pastor presbyter. Novit fraternitas tua...* Desinit: *in hodiernum diem. Per eum qui vivit et regnat deus in saecula saeculorum. Amen.* Apud Bolland. Tomo IV Maii, pag. 299.

Pag. 562 — PASSIO SANCTI EUSTASII ET UXORIS ET FILIORUM EIUS. Incipit: *In diebus traiani imperatoris; idolorum cultura...* Desinit: *pervenire me-*

reamur. Per ihesum christum dominum nostrum. cui est gloria et imperium in saecula saeculorum. Amen. Vide Cod. CXLV, pag. 483.

Pag. 564 — OBITUS SANCTE PETRONILLE VIRGINIS. Incipit: *Petronillam itaque bene nostis...* Desinit incompleta haecce vita: *corpus eius et po(suit)...* Apud Bolland. Tom. III Maii, pag. 10 legitur. Scriptura huius vitae differt a praecedenti, cuius tamen tempus sapit.

Pag. 565 — Quae sequuntur ad aliud Codicem eiusdem aevi pertinuisse videntur, quia illius folia 43 tantum constant lineis. INCIPIT LIBER GENESIS. Incipit: *In principio creavit deus caelum et terram...* Desinit: *quam tuli de manu* (Quae occurrunt in paginis sequentibus sunt recentioris manus) *amorrei in gladio et arcu meo.... repositus est in loculo, in egipto.* EXPLICIT LIBER GENESIS.

Pagina 614 — Spatium 25 linearum vacuum reliquit amanuensis. VITA VEL OBITUS SANCTI DOMINICI CONFESSORIS. LECTIO VIII. Incipit: *Beatus dominicus, fulinge etrurie oppido oriundus....* Desinii: *non desinit mirabilia. usque in hodiernum diem. Ad laudem et gloriam nominis sui, qui cum patre... saeculorum. Amen.* Fusior legitur apud Bolland. Tomo II Ianuarii, pag. 442.

CODEX CXI.

SIGNATUS NUMERIS EXTERIORIBUS 111 ET 37, INTERIORI DEFICIENTE PLUTEO GG.

Codex membranaceus in fol. maximo, longitudinis metri 53/₀, latitudinis 36/₀, characteribus longobardicis duplici columna exscriptus, tempore Abbatis Theobaldi (1022-1035), qui hunc Codicem *Homiliarum quadraginta* anno secundo suae ordinationis scribere iussit. Confer Tom. I. Cod. XXVIII, pag. 275, et Tom. II. Cod. LVII, pag. 129. Per decem priores paginas blattarum morsibus ita subiectus, ut per singulas earum infestatio circa paginarum calcem sensibilis nimis nobis evadat. Recensetur hic Codex sub num.° CXI a Montfauconio sic: *Homiliae Ss. PP. Passio Sanctae Restitutae Virg. et Mart. Versus in laudem Deiparae.*

Pag. 1 — Manus recentioris aevi hunc addidit titulum in fronte Codicis: *Omelie et sermones dominicales et festivales incipientes a sabbato sancto usque ad adventum domini.*

INCIPIT SERMO BEATI HIERONIMI PRESBYTERI DE VESPERIS SABBATI PASCHALIS. Incipit: *Quo modo iuxta matheum vespere sabbati...* Desinit: *ruperit feminarum.* Hier. *Epist.* CXX. Cap. IV. T. I. col. 986. ed. Migne.

LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM MATHEUM. *In illo tempore. Vespere sabbati... videre sepulcrum. Et reliqua.* ITEM OMELIA LECTIONIS EIUSDEM VENERABILIS BEDE PRESBYTERI. DE SABBATO PASCHALIS. Incipit: *Vigilias nobis huius sacratissimae noctis...* Desinit: *quam ante saecula promisit inducat. Qui vivit... Amen.* Bedae Hom. I. Lib. II. T. V. col. 153.

Pag. 5 — SERMO BEATI MAXIMI AEPISCOPI. DE DIE SANCTUM PASCHAE. Incipit: *Non inmerito fratres hodierna...* Desinit: *quam addicta captivitas.* Maximi, Hom. LVII. col. 361. ed. Migne.

Pag. 6 — ITEM EIUSDEM SEQUENTIA DE SANCTO PASCHA. Incipit: *Magnum fratrès et mirabile donum...* Desinit: *et sequere me.* Ibi col. 363.

Pag. 7 — ITEM UNDE SUPRA. Incipit: *Beneficia dei nostri cum magna...* Desinit: *ad caelestia non dubitent preparatos.* Ibi col. 355.

Pag. 9 — LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM LUCAN. *In illo tempore. Una sabbati...* OMELIA LECTIONIS EIUSDEM VENERABILIS BEDAE PRESBYTERI. IN DIE SANCTUM PASCHAE. Incipit: *Aperta nobis fratres de resurrectione domini...* Desinit: *gaudia pervenire. Ihesus Christus dominus noster qui vivit... Amen.* Bedae Hom. IV. T. V. col. 149.

Pag. 12 — OMELIA S. AUGUSTINI. EPISCOPI. IN DIE. SANCTO PASCHAE. Incipit: *Passionem vel resurrectionem domini...* Desinit: *quem fecerat liberavit. Cui est gloria... Amen.* Aug. Sermo CLX. *App.* In Codice desunt plura in ed. ansulis inclusa, quae editores in manuscriptis non reperiri et inter se cohaerere adnotant.

Pag. 14 — LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM IOHANNEM. *In illo tempore. Una sabbati...* OMELIA BEATI GREGORII PAPE. DE PASCHA. In margine legitur: *Sabbato in albis legi debet.* Incipit: *Fractus longa molestia stomachus...* Desinit: *quem amamus. I. C. dominus noster. qui vivit... Amen.* Greg. Hom. XXII, T. I col. 1530 ed. Bened.

Pag. 18 — LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM MARCUM. *In illo tempore. Maria magdalenae...* OMELIA BEATI GREGORII PAPE DE DIE SANCTUM PASCHAE. Incipit: *Multis vobis lectionibus...* Desinit: *unicum filium suum. Per eundem... Amen.* Ibi col. 1526.

Pag. 21 — ITEM DE SAECUNDA FERIA FESTI PA-

SCHALIS. SERMO BEATI MAXIMI AEPISCOPI. Incipit: *Exultandum nobis est...* Desinit: *venientem in hunc mundum.* Max. Hom. XXIX col. 589. *ed. cit.*

Pag. 22 — ITEM MAXIMI AEPISCOPI DE EADÉM DIAE. Incipit: *Diximus fratres quod ad similitudinem...* Desinit: *ipse non rexit.* Ibi col. 349.

Pag. 23 — LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM LUCAM. *In illo tempore. Duo ex discipulis...* OMELIA SANCTI GREGORII PAPE. Incipit: *In cotidiana vobis sollemnitate...* Desinit: *recipiat ad regnum.* Greg. Hom. XXIII. T. I. col. 1538. *ed. cit.*

Pag. 24 — SERMO SANCTI SEVERIANI AEPISCOPI DE RESURRECTIONE DOMINI. FERIA. III. Incipit: *Post illam terris inexpertam...* Desinit: *iubante tractabimus.* Chrysologi Sermo LXXVIII. col. 420 ed. Migne.

Pag. 25 — SERMO SANCTI AUGUSTINI DE RESURRECTIONE DOMINI. FERIA III. Incipit: *Quantum domino donante...* Desinit: *vulnus incredulitatis. Ipse qui vivit... Amen.* Mai *Nova PP. Bibl.* T. I. col. 346.

Pag. 26 — LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM LUCAM. *In illo tempore. Stetit ihesus...* ITEM OMELIA VENERABILIS BEDE PRESBYTERI DE EADEM LECTIONE. Incipit: *Gloriam suae resurrectionis...* Desinit: *homine ihesu christo. qui vivit... Amen.* Bedae Hom. II. Lib. II. Tom. V. col. 139.

Pag. 29 — SERMO. SANCTI LEONIS PAPE DE PASCHA. FERIA IIII. Incipit: *Licet omnes sollemnitates...* Desinit: *disputandum est.* Leonis Sermo VIII. *App.* T. I. col. 495. ed. Migne.

Pag. 31 — LECTIO. S. EV. S. IOHANNEM. *In illo tempore. Manifestavit se...* OMELIA BEATI GREGORII PAPE DE EADEM LECTIONE. Incipit: *Lectio sancti evangelii quae modo in vestris auribus...* Desinit: *ad perfectionem roborat. Per ihesum... Amen.* Greg. Hom. XXIV. T. I. col. 1540. ed. Bened.

Pag. 33 — LECTIO S. EV. S. IOHANNEM. *In illo tempore. Maria stabat...* OMELIA LECTIONIS EIUSDEM (Verba: *lectionis eiusdem* vix legi possunt, quia fuerunt abrasa, quod frequenter accidit in Codice.) SANCTI GREGORII PAPE. FERIA V. Incipit: *Maria Magdalenae quae fuerat...* Desinit: *consolabitur gaudio; qui vivit... Amen.* Ibi col. 1544.

Pag. 38 — ITEM IN III. FERIA PASCHALIS. LECTIO. S. EV. S. MATHEUM. *In illo tempore. Undecim discipuli...* OMELIA VENERABILIS BEDAE PRESBYTERI DE EADEM LECTIONE. Incipit: *Evangelica lectio fratres karissimi quam modo audivimus...* Desinit: *premia sublevet. In qua vivit... Amen.* Bedae Hom. III. Lib. II. T. V. col. 144. *ed. cit.*

Pag. 41 — DIE SABBATO. DE RESURRECTIONE DOMINICA. Incipit: *Digne fratres karissimi piis studiis...* Desinit: *servivit in terris.* Aug. Sermo CLXI. *App.* In margine legitur: *Legatur omelia sancti gregorii. Fr...*

Pag. 43 — OMELIA. BEATI AUGUSTINI. IN IOHANNEM. DIE SABBATO. Incipit: *Cum ergo esset sero...* Desinit: *alias disputemus.* Aug. Tractatus CXXI. in *Iohannem*, a num. 4. ad finem. T. III. col. 1958. ed. Migne.

Pag. 44 — CLAUSUM PASCHAE DE SUPRA. DE RESURRECTIONE. DOMINICA OCTAV. PASCHAE. Incipit: *Retinet sanctitas vestra...* Desinit: *meliores esse possimus.* Aug. Sermo CLXII. *App.*

Pag. 45 — OMELIA SANCTI IOHANNIS CHRYSOSTOMI. IN OCT. PASCHAE AD NEOPHITOS. Incipit: *Benedictus deus. ecce stellae...* Desinit: *Auxilio oportuno tempore. Gratia et misericordia domini nostri ihesu christi. per quem... Amen.* Chysostomi T. V. pag. 455. ed. Basileae 1539.

Pag. 48 — LECTIO S. EV. S. IOHANNEM. *In illo tempore. Cum sero factum esset.* OMELIA LECTIONIS EIUSDEM S. GREGORII PAPE. DOMINICAE OCT. PASCHAE. Incipit: *Prima lectionis huius evangelicae...* Desinit: *singulariter amatis. qui vivit... Amen.* Greg. Hom. XXVI. T. I. col. 1552 *ed. cit.*

Pag. 52 — IN PASCHA ANNOTINA. LECT. S. EV. S. IOHANNEM. *In illo tempore. Erat homo...* OMELIA VENERABILIS BEADE PRESBYTERI DE EADEM LECTIONE. Incipit: *Sicut ex lectione sancti evangelii...* Desinit: *nomen eius in invicem. Cui... Amen.* Bedae Hom. XII. col. 197. T. V.

Pag. 56 — SERMO BEATI MAXIMI EPISCOPI. DE LAETANIA MAIORE. Incipit: *Legimus in prophetis...* Desinit: *superare possimus. Adiuvante... Amen.* Maximi Hom. XC.

Pag. 57 — ITEM. IN LETANIA MAIORE. SERMO BEATI AUGUSTINI AEPISCOPI. Incipit: *Quoniam ieiuniorum tempus...* Desinit: *regna suscipiat.* Aug. Sermo CLXXV. *App.*

Pag. 58 — ITEM IN LETANIA MAIORE. L. S. EV. S. LUCAM. *In illo... Quis vestrum habet...* ITEM

OMELIA LECTIONIS EIUSDEM VENERABILIS BEDE PRESBITERI. Incipit: *Rogatus a discipulis...* Desinit: *ante saecula paravit. Per ihesum... Amen.* In *Bibl. Laur.* T. I. col. 313. Augustini nomen praefert, at Bedae tributa haec Homilia. in *Bibl.* Combefisii T. IV. pag. 360. extat.

Pag. 62 — DOMINICA. I. POST. OCT. PASCHAE. L. S. EV. S. IOHANNEM. *In illo... Ego sum pastor bonus...* OMELIA LECTIONIS EIUSDEM SANCTI GREGORII PAPE. Incipit: *Audistis fratres karissimi ex lectione evangelica...* Desinit: *in perventione satiemur.* Greg. Hom. XIV. T. I. col. 1484. ed. Ben.

Pag. 65 — DOMINICA. II. POST OCT. PASCHAE. LECT. S. EV. S. IOHANNEM. *In illo... Modicum et iam...* ITEM OMELIA DE EADEM LECTIONE. VENERABILIS BEDE PRESBYTERI. Incipit: *Laeta domini et salvatoris...* Desinit: *remunerator vincentium. Ihesus christus qui vivit... Amen.* Bedae Hom. V. T. V. col. 154. ed. Migne.

Pag. 67 — DOMINICA. III. POST OCT. PASCHAE. LECT. S. EV. S. IOHANNEM. *In illo tempore... Vado ad eum...* ITEM OMELIA LECTIONIS EIUSDEM VENERABILIS BAEDE PRESBYTERI. Incipit: *Sicut ex lectione evangelica fratres karissimi audivimus...* Desinit: *dare consuevit. Ihesu christo domino nostro qui.... Amen.* Ibi col. 158.

Pag. 149 — Incipit: sine titulo, qui forsan exscriptus erat in folio distracto: *Cogitis me o paula et eustochium*... Desinit: *migravit a corpore.* Quae leguntur in Codice ab hac pagina, usque ad pag. 190, reperies in Tomo XI *Operum* D. Hieronymi, Edit. Migne, col. 126, Epistola IX.

Pag. 152 — Lectio sexta. Incipit: *Monstratur autem sepulchrum*... Desinit: *sancta corpore ac mente permansit.*

Pag. 154 — Lectio VII. Incipit: *Quam sane angelus*... Desinit: *deus erat verbum.*

Pag. 155 — Lectio VIII. Incipit: *Hoc quippe verbum*... Desinit: *suavis refectio est animarum.*

Pag. 157 — Sine titulo incipit: *Hodie nanque gloriosa semper virgo*... Desinit: *et vos appareatis in gloria.*

Pag. 190 — Lectio nona. Lectio sancti evangelii secundum lucam. *In illo tempore. Intravit ihesus*... Omelia venerabilis pauli diaconi de eadem lectione. Incipit: *Sacre lectionis series*... Desinit, divisa in quatuor lectiones: *omnibus desiderata concedit. Qui cum patre*... *saeculorum. Amen.* Edita ex Cod. XCVIII in *Florilegio* Tomi II. pag. 52.

Pag. 203 — Octava sancte marie. Sermo domini autperti abbatis. Lectio I. Incipit: *Adest dilectissimi fratres*... Desinit, divisa in VIII lectio-

nes: *expectatis omnibus electis eius. Ipsi gloria... saeculorum. Amen.* Combefis Tomo VII, pag. 659. A quibusdam D. Augustino, ab aliis vero Fulberto Carnotensi tribuitur.

Pag. 216 — Lectio IX. Lectio sancti evangelii secundum lucam. *In illo tempore. Intravit ihesus...* Omelia sancti augustini... Incipit acephale propter detruncationem partis folii:.. *cum legeretur audivimus a femina religiosa...* Et divisa in tres lectiones desinit: *ut possimus non eum timere cum iudicat. Ihesus christus dominus noster. qui... saeculorum Amen.* Est sermo XXVII S. Augustini *de Verbis Domini* (Combefis Tomo VII, pag. 658), si excipias nonnulla ad calcem hujus sermonis, quae edidimus in *Florilegio* Tomi II pag. 97.

Pag. 222 — Lectio XII. Sermo venerabilis pauli diaconi. Incipit: *Licet omnium sanctorum fratres karissimi veneranda...* Desinit: *ponam super sedem meam.* Quae leguntur ab hac pagina usque ad pag. 229 edita sunt a Martene *Veter. Script.* Tom. IX, col. 166.

Pag. 224 — Incipit sine titulo: *Hanc egregiam virginem...* Desinit: *filius et creator.*

Pag. 227. — Incipit sine titulo: *Sed ad hunc tante sublimitatis...* Desinit: *pietate solita intercedit.*

Pag. 229. — Unde supra. Sermo sancti augustini episcopi. Incipit: *Celebritas hodierne diei ammonet...* Desinit: *commendare dignetur in celis. Ad ipsum qui in trinitate perfecta vivit... saeculorum. Amen.* Occurrit inter *Opp.* S. Maximi col. 867 ed. Migne.

Pag. 233 — Sermo sancti augustini episcopi. Incipit: *Adest nobis dilectissimi optatus dies...* Desinit: *quae meruisti benedicta prece* (in margine inferiori legitur: *benedictum pretium*) *proferre mundo. Per eum qui... saeculorum. Amen.* Sermo CXCIV *Appendicis.*

Pag. 239 — Sermo sancti Augustini Episcopi. Incipit: *Scientes fratres dilectissimi auctori nostro...* Desinit incompletus propter recisionem unius folii: *coniugata a virgine matre domini est...* In Combefisio Tomo VII pag. 681 Ildefonso, et in Tomo VIII pag. 44 Maximo tribuitur; nonnulli eum Fulberto Carnotensi adscribunt.

Pag. 243 — In nativitate sancte marie. Sermo sancti ambrosii episcopi. Incipit: *Omnibus nobis dilectissimi utriusque sexus...* Et divisus in VIII. lectiones, desinit: *per quem omnia. et nos per ipsum. Qui vivit... saeculorum. Amen.* Conflatur hic sermo ex fragmentis Capitis II Libri *de Virginibus* et Capitum V, VI, VIII, IX, X Libri *de Institutione Virginis.*

Pag. 253 — Initium sancti evangelii secundum mattheum. *Liber generationis...* Omelia domni petri hostiensis episcopi de eadem lectione. Incipit: *Audistis fratres karissimi dominice incarnationis...* Desinit: *superfluo repetere videamur.* Quae leguntur in Codice ab hac pagina usque ad paginam 280, paucis in fine deficientibus, inter *Opera* B. Petri Damiani occurrunt, Tomo II, pag. 104, Ed. Paris. 1642, Hom. XLVI.

Pag. 560 — Lectio X. Incipit: *Illud autem vinum...* Desinit: *celsitudinem angelorum.*

Pag. 562 — Lectio undecima. Incipit: *Per hanc enim beatissimam...* Desinit: *gaudeamus in nativitate matris christi.*

Pag. 265 — Lectio XII. Incipit: *Hodie nata est regina mundi... chrismatis unctione linimur. Inter cuncta autem...* Desinit incompleta propter abscissionem duorum foliorum: *et fructum fecunditatis edidit...*

Pag. 281 — Eadem de causa incipit acephale:.. *quanta vis sit eius vocabuli...* Desinit: *non est maior iohanne baptista.* Haec lectio cum sequente amplectuntur posteriorem partem Sermonis LI S. Ambrosii *de S. Ioanne Baptista*, Tomo IV, col. 708. Edit. Migne.

Lectio III. Incipit: *Precellit cunctis. eminet universis...* Desinit: *esse eondicionis humanae.*

Pag. 282 — Lectio IIII. Sermo sancti augustini episcopi. Incipit: *Aurum de terra eligere qui noverunt...* Desinit divisus in quatuor lectiones: *sanctitatis dominicae repleat cantilenam.* Sermo CXCIX *Appendicis*, Tomo V, col. 2117 Edit. Migne.

Pag. 286 — Lectio VIII. Sermo sancti augustini episcopi. Incipit: *Prolixa narratio sed compensatur...* Desinit: *bene cogitata plura erunt.* Est sermo CCLXXXVII, ibi col. 1301.

Pag. 289 — Ob recisionem unius folii incipit acephale:... *in filii dei omnipotentis...* Desinit divisus hic sermo in quatuor lectiones: *vitam et veri-*

tatem pervenire mereamur. Ihesum christum deum et dominum nostrum. Qui vivit... saeculorum. Amen. Est Homilia XIV Ven. Bedae, quae incipit: *Praecursoris Domini...* in edit. Migne, Tomo V, col. 210.

Pag. 298 — SERMO SANCTI AUGUSTINI EPISCOPI. In margine recentiori charactere legitur: INFRA OCTAVAM SANCTI IOHANNIS BAPTISTAE. LECTIO PRIMA. Incipit: *Sancti iohannis baptiste ac precursoris...* Desinit: *quem annuntiavit presentem ostendit. Cui gloria et imperium in secula saeculorum. Amen.* Editus a Caillau ex hoc Codice.

Pag. 301 — SERMO SANCTI AUGUSTINI EPISCOPI. Incipit: *Fratres karissimi natalem hodie magni hominis...* Desinit: *et nova religio perficiatur. Per dominum nostrum... saeculorum. Amen.* Editus cura et studio D. Octavii Fraja Frangipane huius Bibliothecae Praefecti.

Pag. 307 — (DOMINICA INFRA OCTAVAM) SANCTI IOHANNIS BAPTISTE. LECTIO PRIMA. SERMO SANCTI AUGUSTINI EPISCOPI. Incipit: *Hodie dilectissimi fratres...* Divisus in quatuor lectiones desinit: *habitabit in nobis. Qui vivit... saeculorum. Amen.* Sermo CXCVIII *Appendicis*, Tomo V col. 2115, Edit. Migne.

Pag. 312 — LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM LUCAM. *In illo tempore. Elisabeth impletum est tempus pariendi...* OMELIA VENERABILIS BEDE PRESBITERI. Incipit: *Mire sanctus evangelista...* Desinit divisa in quatuor lectiones: *et coram ipso. et omnibus diebus.* Ex Commentario Ven. Bedae *in Lucam*, Edit. Migne, Tomo III, col. 324.

Pags 318 — SERMO SANCTI AUGUSTINI EPISCOPI. Incipit: *Sollemnis dies hodie fratres karissimi...* Desinit: *verbum autem domini manet in eternum.* Est Sermo VII editus a nostro Fraja Frangipane; initium sermonis paululum differt ut ibi notatur, pag. 35.

Pag. 322 — OCTAVA SANCTI IOHANNIS BAPTISTE. SERMO SANCTI AUGUSTINI EPISCOPI. Incipit: *Conceptio atque nativitas venerandi...* Et divisus in quatuor lectiones desinit: *recepturum noverat et salutem.* Legitur inter *Opera* S. Maximi Taurinensis, sub numero LXII, col. 657, Edit. Migne; sed perperam ibi citatur Codex CV in quo non occurrit hic sermo; forsitan legendum CXV (numer. antiq. fol. 159) at in hoc Codice S. Aug. tribuitur.

Pag. 327 — SERMO SANCTI LEONIS PAPE. Incipit: *Beatissimorum apostolorum passio...* Desinit divisus in quatuor lectiones: *patrocinio gloriatur. Prestante domino nostro... saeculorum. Amen.* Ibi homilia LXXI, col. 389. Quaedam addita in fine, et in edit. desiderata, in Tomo II huius *Bibliothecae*, pag. 395. invenies.

Pag. 330 — LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM LUCAM. *In illo tempore. Elisabeth inpletum est...* TRACTATUS SANCTI AMAROSII EPISCOPI DE EADEM LECTIONE. Incipit: *Habet sanctorum editio letitiam...* Et divisus in quatuor lectiones desinit: *nequaquam sui penam sermonis evasit.* Expositio S. Ambrosii *in Lucam*, a versu 56 usque ad finem Capitis I, Ed. Migne, Tomo II. col. 1643, num. 30.

Pag. 335 — Incipit sine titulo: *Angelus domini precepit gat ut diceret...* Desinit: *qualem numquam habuit ante eum rex israhel.* Duae priores lectiones excurrunt a versu 18 Capitis XXI *Paralipomenon*, usque ad versum 6 Capitis XXII; tertia Capiti XXVIII respondet, quarta vero Capiti XXIX, omissis quinque ultimis versibus.

Pag. 345 — LECTIO V. SERMO SANCTI AUGUSTINI EPISCOPI. Incipit: *Celebritas hujus congregationis. dedicatio est...* Desinit: *sanctorum martirum reliquiis amplius honorari.* Sermo CCCXXXVI Aug. Tomo V, Ed. Migne, col. 1474.

Pag. 351 — LECTIO VII. SERMO SANCTI AUGUSTINI EPISCOPI. Incipit: *Admoneo vos dilectissimi. ut demus operam...* Desinit: *ille te salubriter audiat orantem. Cui est honor... saeculorum. Amen.* Sermo X editus a nostro Fraja Frangipane, pag. 45.

Pag. 359 — LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM IOHANNEM. *In illo tempore. Facta sunt encenia...* OMELIA VENERABILIS BEDE PRESBYTERI DE EADEM LECTIONE. Incipit: *Audivimus ex lectione evangelica fratres karissimi...* Desinit divisa in quatuor lectiones: *perpetue sue visionis introducat. Ihesus christus dominus noster. qui vivit... saeculorum. Amen.* Legitur inter *Opera* Bedae, edit. Migne, Tomo V. col. 243. Homilia Codicis amplectitur etiam quae in nota A editionis occurrunt.

Pag. 376 — Recentiori charactere inscribitur titulus: SERMO SANCTI AUGUSTINI EPISCOPI IN DEDICATIONE ECCLESIE. Incipit: *Recte festa aecclesie colunt...* Desinit: *non habebit de satietate fastidium. Ad que vos bona perducat qui vivit et regnat*

in secula seculorum. Amen. Est sermo CCXXXI *Appendicis*, Tomo V. edit. Migne, col. 2171.

Pag. 382 — In prosteriori columna huius postremae Codicis paginae legitur recentiori charactere: *In hoc Volumine Continentur Inter ceteras Heae Preclarae Homeliae et Sermones.*

Homelia Origenis In Vigilia Nativitatis Domini. Fol. I.

Sermo Autperti Monachi Casinensis. In Assumptione Virginis Mariae. F. XCVII.

Homelia Pauli Diaconi super eiusdem Festi Evangelium. Fol. XCI.

Sermo eiusdem: de eodem Festo. Fol. CVII.

Homilia Petri Hostiensis: in Nativitate Virginis Mariae. Fol. CXXIII.

CODEX CXVI.

SIGNATUS NUMERIS EXTERIORIBUS 116 ET 82, INTERIORI VERO 1069 PLUTEO GG.

Codex in folio membranaceus, longitudinis metri $44/_0$, latitudinis $27/_0$, paginarum 334, duplici columna, ab amanuensi Casinensi, circa Abbatis Desiderii tempora, nitide exaratus charactere Longobardo, cum pulcherrimis initialibus litteris auro, varioque colore rutilantibus. Continet Homiliarium de tempore ab Adventu usque ad Quinquagesimam. Inter nonnulla tentamina scripturae: « Ponitur, ait Federicius, charactere latino seculi XIII: *Ave maria gratia plena dominus tecum. benedicta tu in mulieribus et benedictus fructus ventris tui ihesus sancta maria ora pro nobis.* Quod sane probat non tantum antiquitatem secundae partis huius Precis ad Mariam Virginem ».

Pag. 1 — In aversa pagina primi folii legitur: LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM LUCAM. *In illo tempore. Dixit ihesus discipulis suis. Erunt signa in sole... appropinquat redemptio vestra. Et reliqua.* OMELIA BEATI GREGORII PAPAE DE EADEM LECTIONE. Aversam vero paginam folii secundi pulcherrima littera initialis occupat. Incipit: *Dominus ac redemptor noster paratos nos invenire desiderans...* Desinit: *timendo praevenitis.* Legitur apud Combefisium Tomo I, pag. 12.

Pag. 13 — DOMINICA II. DE ADVENTU DOMINI. LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM MATHEUM. *In illo tempore. Cum audisset iohannes... expectamus. Et reliqua.* OMELIA BEATI GREGORII PAPAE DE EADEM LECTIONE. Incipit: *Quaerendum nobis est fratres karissimi...* Desinit: *cum iohanne valeatis.* Ibi pag. 44.

Pag. 21 — DOMINICA III. DE ADVENTU DOMINI. LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM IOHANNEM. *In illo tempore. Miserunt iudaei... ego christus. et reliqua.* OMELIA BEATI GREGORII PAPE DE EADEM LECTIONE. Incipit: *Ex huius nobis lectionis...* Desinit: *ex humilitate valeatis.* Ibi pag. 73.

Pag. 30 — DOMINICA QUARTA DE ADVENTU DOMINI. LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM LUCAM. *Anno quintodecimo... in deserto. et Reliqua.* OMELIA BEATI GREGORII PAPAE DE EADEM LECTIONE. Incipit: *Redemptoris nostri precursor...* Desinit: *misericordiae pignus tenemus.* Ibi pag. 89.

Pag. 52 — FERIA IIII. LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM LUCAM. *In illo tempore. Missus est gabrihel... Maria. Et reliqua.* OMELIA VENERABILIS BEDAE PRESBYTERI DE EADEM LECTIONE. Incipit: *Exordium nostrae redemptionis...* Desinit: *descendere dignatus est. ihesus christus... Amen.* Legitur inter *Opera* Bedae Tomo V, col. 9. Edit. Migne.

Pag. 65 — FERIA VI. LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM LUCAM. *In illo tempore. Exurgens Maria... helisabeth. Et reliqua.* TRACTATUS ORIGENIS DE EADEM LECTIONE. Incipit: *Meliores ad deteriores veniunt...* Desinit: *in christo ihesu. Cui est gloria... Amen.* Hic sermo homilias VII et VIII Origenis *in Lucam* complectitur, Tomo III, pag. 939, Edit. Paris. 1740.

Pag. 75 — SABBATO. LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM LUCAM. *Anno quintodecimo... in deserto. Et reliqua.* TRACTATUS SANCTI AMBROSII EPISCOPI DE EADEM LECTIONE. Incipit: *Congregaturus aecclesiam dei...* Desinit: *probitatis accumulet.* Ex libro II Expositionis *in Lucam*, Tomo II, col. 1658, Edit. Migne.

Pag. 88 — IN VIGILIA NATALIS DOMINI. LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM MATHEUM. *In illo*

COD. CXVI

PAGINA CCLXV

Lēc xii
Audientibus autē
A quod accideret
locus regnū
ter in iudea prohe
rode parente suo q
munera illo fuit

COD. CXVII

PAGINA CCCXCI

PASS scōrū. alexandri even
tii & theodoli.

QUINTO LOCO
a beato petro apto.
romane urbis eccle.
cathedram sedit a
lexander. sanctitate
incomparabi
lis iuuenis quidē etate sed fide se
nior. Totius autē populi um. affectum
grā ei diuina contulerat.

LIT. CAS

tempore. Cum esset desponsata... dimittere eam. et reliqua. OMELIA BEATI SEVERIANI EPISCOPI DE EADEM LECTIONE. Incipit: *Audistis fratres quemadmodum nobis hodie...* Desinit incompleta in ipso initio sermonis ob defectum unius folii: *generatio sic erat...* In Combefisio sub nomine S. Petri Chrysologi pag. 114 legitur.

Pag. 89 — Eadem de causa incipit acephale:.. *Ipse enim salvum...* Desinit: incomplete: *nomen ejus ihesum.* Ibi.

Pag. 93 — Ipsaque de causa incipit acephale:.. *Missarum sollemnia ter hodie...* Desinit: *factus est Deus homo.* Ex homilia VIII S. Gregorii *in Evangelia*, quam ibi pag. 231 reperies.

Pag. 96 — IN NATALE SANCTI STEPHANI. LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM MATTHEUM. *In illo tempore. Dicebat ihesus turbis iudeorum... in synagogis vestris. et Reliqua.* EX COMMENTARIO BEATI IERONIMI PRESBYTERI DE EADEM LECTIONE. Incipit: *Hoc quod antea dixeram...* Desinit: *ora conspicient.* Ibi pag. 364.

Pag. 101 — IN OCTAVA (NATALI) SANCTI IOHANNIS APOSTOLI ET EVANGELISTAE. LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM IOHANNEM. *In illo tempore. Dixit ihesus... pectus eius. Et reliqua.* OMELIA VENERABILIS BEDE PRESBYTERI DE EADEM LECTIONE. Incipit: *Lectio Sancti evangelii quae nobis lecta est...* Desinit: *promisit pervenire. Per dominum nostrum... Amen.* Ibi 418.

Pag. 114 — IN NATALE SANCTORUM INNOCENTUM. LECTIO I. Incipit: *Ego iohannes vidi...* Desinit: *et misit in terram.* A primo versu Capitis V usque ad quintum versum Capitis VIII. *Apocal.*

Pag. 121 — SERMO SANCTI AUGUSTINI EPISCOPI. Incipit: *Fratres karissimi ait spiritus sanctus...* Desinit: *gratias referamus. cui est honor... Amen.* Editus in *Florilegio* Tomi II, pag. 171.

Pag. 124 — SERMO BEATI IOHANNIS CONSTANTINOPOLITANI EPISCOPI. LECTIO V. Incipit: *David propheta sanctissimus loquitur...* Desinit: *per interitum comparatur.* Partim editus a Card. Mai in *Patrum nova Bibl.* Tomo I pag. 286 sub nomine S. Augustini, et integre a nobis in Tomo II *Florilegii* pag. 169. ex Codice CVI, in quo etiam S. Ioanni Chrysostomo tribuitur.

Pag. 132 — SERMO BEATI AUGUSTINI EPISCOPI. Incipit: *Dilectissimi fratres. Praecantator propheta...* Desinit: *mereamur regnare.* Editus a Card. Mai loc. cit. pag. 282.

Pag. 135 — LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM MATHEUM. *In illo tempore. Angelus domini apparuit... dicam tibi. et reliqua.* OMELIA VENERABILIS BEDE PRESBYTERI DE EADEM LECTIONE. Incipit: *De morte pretiosa martyrum...* Desinit: *in tabernaculis iustorum. per eum... Amen.* Prior pars hujus sermonis legitur in Combefisio pag. 453, posterior vero, quae incipit: *Unde oportet fratres karissimi, quia primitias martyrum...* ibi pag. 447 occurrit, sed S. Augustino tribuitur.

Pag. 144 — LECTIO XII. SERMO SANCTI AUGUSTINI EPISCOPI. Incipit: *Natalis domini dicitur...* Desinit: *nisi gratiam dei. Per ihesum... Amen.* Ibi pag. 191.

Pag. 147 — INTRA OCTAVAS. SERMO SANCTI AUGUSTINI EPISCOPI. Incipit: *Novit fides vestra...* Desinit: *ex nobis. christus, qui vivit... Amen.* Ibi pag. 185.

Pag. 153 — SERMO SANCTI AUGUSTINI EPISCOPI. (Alia manu. *In sancti thome martyris. Lectio XII.)* Incipit: *Gratias domino deo nostro...* Desinit: *natus utrumque retineret. Ihesus christus... Amen.* Editus a Caillau pag. 36 ex nostro Codice CX.

Pag. 157 — IN SANCTI SILVESTRI. LECTIO XII. SERMO SANCTI AUGUSTINI EPISCOPI. Incipit: *Salvator noster natus de patre...* Desinit: *carne processit. qui vivit... Amen.* Sermo CCCLXIX Augustini.

Pag. 163 — DOMINICA PRIMA POST NATALE DOMINI. TRACTATUS SANCTI HIERONIMI PRESBYTERI. Incipit: *Quia repromissiones ad abraham...* Desinit: *Caput viri christus est.* Ex Commentario in Epistol. *ad Galatas* Tomo VII, col. 395, Edit. Migne.

Pag. 175 — LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM LUCAM. *In illo tempore. Erant ioseph... de illo. Et reliqua.* EX COMMENTARIO ORIGENIS DE EADEM LECTIONE. Incipit: *Congregemus in unum ea quae...* Desinit: *nomine commendans. Qui vivit... Amen.* Amplectitur hic sermo homiliam XIV Origenis *in Lucam* cum majori parte homiliae XV, cui adnectitur fragmentum quod incipit: *Pretermisit hoc loco Lucas...* et legitur in Tomo V, col. 341 *Operum* Ven. Bedae, Edit. Migne inter homelias supposititias.

Pag. 190 — In octava natalis domini. Sermo beati augustini. Incipit: *Incarnationis divinae mysterium*... Desinit: *semper esse possitis*. Legitur in Tomo LXV *Patrologiae Latinae* Migne col. 833, sub nomine S. Fulgentii. Tertiae Lectioni manus recentior addidit: *Octava lectio fiat de sancto basilio*.

Pag. 201 — Sermo sancti augustini episcopi. Lectio VII. (Alia manu: *Dominica post octavam natalis domini*.) Incipit: *Dominus noster ihesus christus qui erat*... Desinit: *aeternitatem. eo opitulante; qui vivit... Amen*. Est sermo CXC Augustini.

Pag. 207 — Lectio sancti evangelii secundum lucam. *In illo tempore. Cum consummati essent... in utero conciperetur*. Omelia venerabilis bedae presbyteri de eadem lectione. Incipit: *Sanctam venerandamque*... Desinit: *vitae ambulemus. Prestante domino... Amen*. Homilia X ven. Bedae, Tomo V, Edit. Migne, col. 53.

Pag. 220 — Octavae innocentum. Tractatus origenis. Incipit: *Angelus domini per somnium... Qualis angelus*.... Desinit: *cohaeredes faceret. Qui vivit.... Amen*. Combefis Tomo I, pag. 434.

Pag. 238 — In vigilia epyphaniae. Tractatus sancti augustini. Incipit: *Bonum est fratres ut textum*... Desinit: *possitis mare transire*. Tractatus II S. Augustini *in Ioannem*.

Pag. 256 — Lectio sancti evangelii secundum matheum. *In illo tempore. Defuncto herode... animam pueri. et reliqua*. (Alia manu: *Omelia dompni Aymonis episcopi*) de eadem lectione. Incipit: *Primo omnium quaerendum est*... Desinit: *esse quod erant*. Legitur in Tomo CXXXI *Patr. Lat*. Migne, col. 895 sub nomine Remigii Antissiodorensis.

Pag. 267 — Lectio sancti evangeli secundum matheum. *Cum natus esset ihesus... cum illo. Et reliqua*. Omelia beati gregorii papae de eadem lectione. Incipit: *Sicut ex lectione evangelica fratres audistis*... Desinit: *amaricati redeamus*. Est Homilia X S. Gregorii *in Evangelia*.

Pag. 278 — (Alia manu: *Infra octavam epyphanie. Lectio I*.) Sermo sancti augustini episcopi. Incipit: *Hodierni diei per universum mundum*... Desinit: *venimus redeamus*. Est sermo CCII S. Augustini.

Pag. 284 — Sermo sancti maximi episcopi. Incipit: *Quamvis dilectissimi fratres christus*... Desinit: *amplectatur in celo*. Combefis Tomo I pag. 559.

Pag. 288 — Sermo Sancti augustini episcopi. Incipit: *Nomen ex greca lingua*... Desinit: *habere communem*. Editus in *Florilegio* Tomi II pag. 172.

Pag. 298 — Sermo sancti augustini episcopi. Incipit: *Aperiatur hodie omne os*... Desinit: *in aeternum custodiat*. Combefis Tomo I, pag. 555.

Pag. 301 — Sermo sancti augustini episcopi. Incipit: *Hodie verus sol ortus est*... Desinit: *salvatore nostro ihesu christo; qui est benedictus... Amen*. Magna consentio est inter eruditos cuius hic sermo sit: Combefisius, in sua *PP. Bibl. Concion*. T. 1. pag. 309, Origeni tribuit; sed ibi est detruncatus. Editor *Operum* S. Maximi inter huius Patris Sermonis retulit, attamen brevior est et discrepat aliquantisper a nostro Codice. Dominicus Vallarsius inter S. Hieronimi *Opp*. conjicit. Bandinius, *Bibl. Laur*. T. I col. 78. Divo Ambrosio tribuit.

Pag. 306 — Sermo sancti Augustini episcopi. Incipit: *Anniversaria caelebratio diei huius*... Desinit: *ihesu christi. qui est benedictus in saecula saeculorum. Amen*. Combefis Tomo I, pag. 556

Pag. 312 — Sermo sancti augustini episcopi. Incipit: *Non explicare possumus fratres*... Desinit: *mundaret. Ipse qui est benedictus... Amen*. Non invenimus.

Pag. 317 — Dominica. I. post epiphania. (*Tractatus*) Origenis. (*Lectio prima*). Incipit: *Cum autem duodecim esset annorum... Quaerunt inter affines*... Desinit: *perveniens, in christo ihesu.... Amen*. Desumptus passim ex homiliis XVIII, XIX et XX Origenis *in Lucam*.

Pag. 328 — Lectio sancti evangelii secundum lucam. *In illo tempore. Cum factus esset ihesus annorum duodecim... parentes eius. Et reliqua*. Omelia venerabilis bedae presbyteri de eadem lectione. Incipit: *Aperta nobis est fratres karissimi*... Desinit: *muneribus aeternis, sit laus et gratiarum actio... Amen*. Combefis Tomo I pag. 607.

Pag. 340 — Octavae epiphaniae. Tractatus sancti augustini episcopi. Incipit: *Sicut dominus*

voluit; ad diem promissionis nostrae... Desinit: *nisi per columbam.* Est fragmentum Tractatus V. (Combefis pag. 653) sed brevior in Codice.

Pag. 352 — LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM MATHEUM. *In illo tempore. Venit ihesus a galilea... dimisit eum. et reliqua.* OMELIA VENERABILIS BEDAE PRESBYTERI DE EADEM LECTIONE. Incipit: *Lectio Sancti evangelii quam modo...* Desinit: *ipse qui dedit. Ihesus christus... Amen.* Est homilia XI Bedae, Tomo V, col. 58, Edit. Migne.

Pag. 367 — DOMINICA. II. LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM IOHANNEM. *In illo tempore. Nuptiae factae sunt... ad nuptias. et Reliqua.* OMELIA VENERABILIS BEDAE PRESBYTERI DE EADEM LECTIONE. Incipit: *Quod dominus noster atque salvator...* Desinit: *gloriam suam in qua vivit... Amen.* Combefis, Tomo I, pag. 717.

Pag. 384 — DOMINICA. III. POST EPYPHANIA. LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM LUCAM. *In illo tempore. Regressus est ihesus... ab omnibus. Et Reliqua.* TRACTATUS SANCTI AMBROSII EPISCOPI DE EADEM LECTIONE. Incipit: *Completur hoc loco prophetia...* Desinit: *pro toto orbe moreretur.* Est fragmentnm illius Expositionis *in Caput IV Lucae*, Tomo II, col. 1709, Edit. Migne.

Pag. 394 — DOMINICA. IIII. POST EPYPHANIA. LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM MATHEUM. *In illo tempore. Cum descendisset... lepra eius. et reliqua.* TRACTATUS ORIGENIS. EX COMMENTARIO SUPER MATHEUM DE EADEM LECTIONE. Incipit: *Docente domino in monte...* Desinit: *fiat tibi. Adiuvante ipso... Amen.* Integre legitur in Tomo III, col. 173, *Operum* Origenis, Praelo Ascensiano, anno 1520.

Pag. 413 — DOMINICA V. LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM IOHANNEM. *In illo tempore. Venit ihesus in cana... filium eius. Et reliqua.* OMELIA BEATI GREGORII PAPE DE EADEM LECTIONE. Incipit: *Lectio Sancti evangelii quam modo...* Desinit: *per fidem tenetis. Per ihesum... Amen.* Ex homilia XXVIII S. Gregorii *in Evangelia*.

Pag. 418. — SERMO SANCTI AUGUSTINI EPISCOPI. LECTIO. X. Incipit: *Audistis fratres karissimi in lectione evangelica...* Desinit: *quam generavit.* Ex Tractatu XVI *in Ioannem*, Tomo III, Edit. Migne, col. 1524, circa initium.

Pag. 426 — DOMINICA. VI. POST EPIPHANIAM. LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM MATHEUM. *In illo tempore. Ascendente ihesu... dormiebat. et reliqua.* TRACTATUS ORIGENIS DE EADEM LECTIONE. Incipit: *Ingrediente domino in naviculam...* Desinit: *ubi vult. ihesus christus dominus noster. qui... Amen.* Combefis, Tomo I, pag. 740.

Pag. 436 — PURIFICATIO SANCTE MARIAE. LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM LUCAM. *In illo tempore. Postquam impleti sunt... domino vocabitur. Et Reliqua.* OMELIA VENERABILIS BEDE PRESBYTERI DE EADEM LECTIONE. Incipit: *Solemnitatem nobis hodiernae...* Desinit: *luce reficit. ihesus christus... Amen.* Homilia genuina XV Bedae, Tomo V, col. 79, Edit. Migne.

Pag. 447 — CONVERSIO SANCTI PAULI APOSTOLI (*Lectio prima.*) Incipit: *Saulus adhuc spirans...* Desinit: *consolatione sancti spiritus replebatur.* A versu primo usque ad versum trigesimum secundum Capitis IX *Actuum Apostolorum*.

Pag. 451 — LECTIO... SERMO SANCTI AUGUSTINI EPISCOPI. Incipit: *Scripturae semper docent nos...* Desinit: *possibilia sunt in Christo... Amen.* Editus ex hoc Codice a Caillau, pag. 70.

Pag. 453 — SERMO SANCTI AUGUSTINI EPISCOPI. LECTIO. V. Incipit: *Videte fratres karissimi omnipotentis dei...* Desinit: *regni caelorum.* Editus ibi ex nostris Codicibus.

Pag. 457 — SERMO SANCTI AUGUSTINI EPISCOPI. LECTIO VII. Incipit: *Hodie dilectissimi nobis...* Desinit: *de peccatis nostris. Largiente ipso domino... Amen.* Est sermo CLXXXIX *Appendicis*, Tomo V, Edit. Migne, col. 2098.

Pag. 463 — LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM LUCAM. *In illo... Homo quidam erat dives... bona illius. et reliqua.* EXPOSITIO SANCTI HIERONIMI PRESBYTERI DE EADEM LECTIONE. LECTIO NONA. Incipit: *Theophilus antiocenae ecclesiae...* Desinit: *ut metamus benedictionem.* Combefis Tomo V col. 287.

Pag. 466 — (Alia manu: *Sermo Sancti gregorii nazanzeni episcopi. Lectio decima.*) Incipit: *Audivimus dilectissimi, quod saulus...* Desinit: *divinitatis demonstraretur.* Editus in *Florilegio* Tomi II, pag. 182.

Pag. 471 — LECTIO UNDECIMA. SERMO SANCTI GREGORII NAZANZENI. Incipit: *Si penitus effugere maculas...* Desinit: *per evangelium nos genuit in Christo iesu domino nostro.* Est pars *Apologet.*

Gregorii Nazianzeni. Orat. prim. edita a Caillau ex Codice nostro pag. 74.

Pag. 473 — Lectio duodecima. Sermo sancti gregorii nazanzeni. (Hic titulus fuit deletus). Incipit: *Ipsius quoque apostoli*... Desinit: *accedentibus facil. ipsi gloria... Amen*. Editus in *Florilegio* Tomi II, pag. 185.

Pag. 477 — Cathedra sancti petri apostoli. Sermo sancti augustini episcopi. Lectio prima. Incipit: *Dixit ihesus simoni petro... Hunc invenit exitum*... Desinit: *ovis est factus*. Ex Tractatu CXXIII *in Ioannem*, Tomo III. col. 1966, Edit. Migne.

Pag. 485 — (Alia manu: *Sermo Sancti Augustini episcopi*). Lectio VI. Incipit: *Apostolum petrum primum omnium apostolorum*... Desinit: *testimonium dilectionis*. Sermo CXLVII Augustini.

Pag. 488 — (Alia manu: *Sermo Sancti Augustini episcopi*). Lectio VIII. Incipit: *Quantum nos recitatae evangelicae lectionis*... Desinit: *et angelis confiteri*. Editus in *Nova Patrum Bibl*. Card. Mai, Tomo I, pag. 102.

Pag. 491 — Lectio sancti evangelii Secundum iohannem. *In illo tempore... Simon iohannis diligis me... Pasce agnos meos. Et reliqua*. Omelia venerabilis bede presbyteri de eadem lectione. Lectio IX. Incipit: *Virtutem nobis perfectae dilectionis*... Desinit: *remunerare polliretur. Ihesu Christo... Amen*. Homilia XV genuina Ven. Bedae, Tomo V, col. 214, Edit. Migne.

Pag. 502 — Dominica in septuagesima. Lectio sancti evangelii secundum matheum. *In illo... Simile est regnum celorum homini patrifamilias... in vineam suam. et reliqua*. Omelia beati gregorii pape. de eadem lectione. Incipit: *In explanatione sua multa*... Desinit: *deus meus misericordia mea*. Homilia XIX S. Gregorii *in Evangelia*.

Pag. 515 — Dominica in sexagesima. Lectio sancti evangelii secundum lucam. Lectio... *In illo tempore. Cum turba plurima... comederunt illud. Et reliqua*. Omelia beati gregorii pape de eadem lectione. Incipit: *Lectio Sancti evangelii quam modo*... Desinit: *consortes esse valeatis*. Homilia XV *in Evangelia*.

Pag. 524 — Dominica in quinquagesima. Lectio sancti evangelii secundum lucam. *In illo tempore. Assumpsit ihesus... resurget. et reliqua*. Omelia beati gregorii pape. de eadem lectione. Incipit: *Redentor noster previdens ex passsione*... Desinit: *dedit laudem deo*. Est Homilia II *in Evangelia*.

CODEX CXVII.

SIGNATUS NUMERIS EXTERIORIBUS 117 ET 26, INTERIORI VERO 1066 PLUTEO GG.

Codex membranaceus in folio maximo, longitudinis metri 56/₀, latitudinis 40/₀, paginis 696 constans, characteribus latinis, iuxta Fridericium, ineuntis saeculi XI, vel etiam saeculi X desinentis, duplici columna exscriptus. De eius initialibus litteris, atque de eius aetate confer etiam Caravita (*I Codici e le Arti a Monte Cassino* tom. I. pag. 84), qui in aliam sententiam abiit, quamvis non desint alii qui ad recentiorem aetatem illum amandent. Exteriori titulo insignitur: *Homiliarium cum vitis Sanctorum, quarum multae non sunt in Vulgatis.* Sub eodem numero recensetur a Montfauconio his verbis: *Vitae Sanctorum et homiliae Sanctorum Patrum.*

Pag. 1 — Incipit prologus sancti ieronimi presbiteri in ysayam prophetam. Incipit: *Nemo cum prophetas viderit esse...* Desinit: *diutius insultaret.* Hier. *Divina Bibl.* T. IX. col. 825. ed. Migne.

Incipit de ortu vel obitu ysaie prophete. Incipit: *Isayas in hierusalem...* Desinit: *obstruxerat pulvere. Explicit prologus.* Non extat in editione.

Incipit Aesaias. Incipit: *Visio ysaie filii amos...* Desinit: *a turbine et pluvia.* Ibi col. 827. a Cap. I, ad Cap. V.

Pag. 3 — Sermo sancti augustini episcopi. Incipit: *Prophitia Divinitate fratres dilectissimi. iam advenit...* Desinit: *pervenire ad eterna premia mereantur. Prestante... seculorum. Amen.* Combef. *Bibl. PP. Concion.* T. I. pag. 10; initio tamen differt.

Pag. 5 — Sermo sancti Augustini episcopi. Incipit: *Ecce ex qua tribu nasciturus esset christus...* Desinit: *sublimitate consolatam.* Maximi Sermo II. *App.* col. 845. ed. Migne.

Pag. 6 — Dominica I. de adventu. Lectio Sancti evangelii secundum Lucam... *Et erunt signa...* Omilia beati gregorii pape. Incipit: *Dominus ac redemptor noster fratres karissimi paratos...* Desinit: *timendo prevenitis.* Greg. T. I. col. 1436 *ed. Bened.*

Pag. 8 — Feria II. Lectio I. Incipit: *Cantabo dilecto meo...* Desinit: *filium tabehel.* Isai. a vers. 1. Cap. V. ad vers. 6. Cap. VII.

Pag. 10 — Feria III. Lectio I. Incipit: *Haec dicit dominus deus...* Desinit: *immutabimus.* Ibi a vers. 7. ad vers. 10. Cap. IX

Pag. 11 — Feria IIII. Incipit: *Elevabit dominus...* Desinit: *crudeliter.* Ibi vers. 11. ad vers. 6. Cap. XIV.

Pag. 12 — Feria V. Lectio I. Incipit: *Conquievit et sciluit...* Desinit: *onus damasci.* Ibi vers. 7. ad vers. 1 Cap. XVII.

Pag. 14 — *Ecce damascus...* Desinit: *et bibentes.* Ibi vers. 1. ad priora verba vers. 5. Cap. XXI.

Pag. 15 — Sabbato. Lectio I. Incipit: *Surgite principes et arripite...* Desinit: *in ruinam.* Ibi vers. 5. ad vers. 13. Cap. XXIII.

Pag. 17 — Ad calcem praecedentis et initio huius paginae est bis scriptum: Dominica II. de adventu. Incipit: *Ululate naves...* Desinit: *fuerit glorificatus.* Ibi vers. 14. ad vers. 23. Cap. XXIV.

Sermo sancti augustini episcopi. Incipit: *Sanctam et desiderabilem gloriosam...* Desinit: *feliciter pervenire. Prestante... seculorum. Amen.* Aug. Sermo CXVI. *App.*

Pag. 19 — Alius sermo. Incipit: *Satis habun-*

deque dixisse me credo... Desinit*: corde mundamur. Prestante.... saeculorum. Amen.* Maximi Sermo I. col. 529. ed. Migne.

Lectio sancti evangelii secundum matheum... *Cum audisset iohannes...* Incipit: *Querendum nobis est fratres karissimi iohannes propheta...* Desinit: *cum iohanne valeatis. Ipso adiuvante... seculorum. Amen.* Greg. Hom. VI. T. I. col. 1452. ed. Bened.

Pag. 22 — Feria II. Incipit: *Domine deus meus es tu...* Desinit: *et capiantur.* Isai. a vers. 1. Cap. XXV. ad vers. 13. Cap. XXVIII; desunt tamen vers. 10. 11. et 12.

Pag. 23 — Feria III. Incipit*: Audite verbum domini...* Desinit*: sanctus israhel.* Ibi a vers. 13. cuius in Cod. duo priora verba desunt, ad vers. 11. Cap. XXX.

Pag. 25 — Feria IIII. Lectio prima. Incipit: *Hec dicit dominus...* Desinit: *duces stabit.* Ibi a vers. 12. Cap. XXX. ad vers. 8. Cap. XXXII. In Cod. deest initio verbum *propterea,* et ibi verbo *sanctus* praepositum est *dominus.*

Pag. 26 — Feria V. Lectio prima. Incipit: *Mulieres opulente...* Desinit: *fuerit de eo.* Ibi a vers. 9. Cap. XXXII. ad vers. 4. Cap. XXXIII.

Lectio II. Incipit: *Magnificatus est...* Desinit: *habitabunt in ea.* Ibi a vers. 5. Cap. XXXIII ad finem Cap. XXXIV.

Pag. 27 — Feria VI. Lectio I. Incipit: *Letabitur deserta...* Desinit: *et elegit eos.* Ibi a vers. 1. Cap. XXXIV. ad dimidium vers. 14. Cap. XXXVII.

Pag. 29 — Sabbato. Incipit: *Et ascendit hezechias...* Desinit: *in diebus meis.* Ibi a dimidio vers. 14. Cap. XXXVII. ad finem Cap. XXXIX.

Pag. 30 — Dominica III. De adventu. Incipit: *Taceant ad me insule...* Desinit: *rex vester.* Ibi a vers. 1. Cap. XLI. ad vers. 15. Cap. XLIII.

Pag. 32 — Sermo sancti Leonis pape. Incipit*: Si fideliter dilectissimi atque sapienter...* Desinit: *dignabitur adiuvare. Per dominum... seculorum. Amen.* S. Leonis Sermo XII. T. I. col. 168. ed. Migne.

Pag. 34 — Sine titulo incipit: *Presidia dilectissimi sanctificandis mentibus nostris...* Desinit: *vigilias celebremus. Per dominum... seculorum. Amen.* Ibi col. 182.

Pag. 35 — Sine titulo incipit: *Cum de adventu regni dei et de fine temporum...* Desinit: *dignabitur adiuvare. Per dominum... seculorum. Amen.* Ibi col. 185.

Pag. 36 — Lectio sancti evangelii secundum Lucam. Dominica. III... *Miserunt iudei...* Omilia beati gregorii pape. Incipit: *Ex huius nobis verbis lectionis fratres karissimi...* Desinit: *ascendere ex humanitate.* Gregorii T. I. col. 1456. ed. Bened.

Pag. 39 — Feria II. Lectio I. Incipit: *Hec dicit dominus deus qui dedit...* Desinit: *dicit dominus deus exercituum.* Isai. a vers. 14. Cap. XLIII. ad vers. 13. Cap. XLV.

Pag. 40 — Feria III. Incipit*: Hec dicit dominus. Lavabor...* Desinit: *et stabunt simul.* Ibi a vers. 14. Cap. XLV. ad vers. 13. Cap. XLVIII.

Pag. 41 — Feria IIII. Lectio I. Incipit: *Congregamini...* Desinit: *ubi erant.* Ibi a vers. 14. Cap. XLVIII. ad vers. 21. Cap. XLIX.

Pag. 42 — Lectio III. Incipit: *Hec dicit dominus deus. Ecce levo...* Desinit: *mea non deficiet.* Ibi a vers. 22. Cap. XLIX. ad vers. 6. Cap. LI.

Pag. 43 — Feria quinta. Lectio. I. Incipit: *Audite me qui scitis...* Desinit: *et pro transgressoribus oravit.* Ibi a vers. 7. ad vers. 8. Cap. LI. et a vers. 1. ad vers. 12. Cap. LIII; quapropter hic omissa fuerunt dimidium Caput LI. et integrum Caput LII.

Pag. 44 — Lectio I. Incipit: *Lauda sterilis..* Desinit: *in iudicio iudicabis.* Ibi a vers. 1. Cap. LIV. ad prope dimidium vers. 17. huius Cap.

Lectio III. Incipit: *Haec est hereditas...* Desinit: *locutum est hec.* Ibi a fere dimidio vers. 17 Cap. LIV. ad finem huius Cap. a vers. 15. ad finem Cap. LVII. a vers. 1. ad finem Cap. LVIII.

Pag. 45 — Feria VI. Incipit: *Ecce non est...* Desinit: *prede patuit.* Ibi a vers. 1. ad dimidium vers. 15. Cap. LIX.

Pag. 46 — Lectio II. Incipit: *Et vidit dominus...* Desinit: *virtutem eorum.* a vers. 16. usque ad finem Cap. LIX. a vers. 8. ad finem Cap. LXII. et denique a vers. 1, ad vers. 6. Cap. LXIII.

Lectio III. Incipit: *Miserationum domini...* Desinit: *iniquitates nostras.* Ibi a vers. 7. Cap. LXIII, ad dimidium vers. 9. Cap. LXIV.

Pag. 47 — Sabbato (sequuntur alia rubro co-

lore exarata, quae omnino deleta sunt). Incipit: *Respice domine populum tuum...* Desinit: *omni carni*. Ibi a dimidio vers. 9, Cap. LXIV. ad finem Cap. LXVI.

Pag. 49 — Sine titulo incipit: *Passionem sancti andreae apostoli quam oculis nostris vidimus...* Desinit: *et ad agnitionem veritatis venire.* Ipsi *honor et gloria in secula seculorum. Amen.* Extat in Surio p. 619.

Pag. 52. — Lectio sancti evangelii secundum matheum... *Ambulans ihesus secus mare...* Omilia eiusdem. Incipit: *Audistis fratres karissimi quia ad unius iussionis...* Desinit: *contempnenda perducatur*. Greg. Hom. V. T. I. col. 1450.

Pag. 54 — Passio. sancti savini martyris. Incipit: *Maximiano augusto die quinta decima kalendarum...* Desinit: *dat palmam victorie. Cui est imperium. honor. et regnum. in secula seculorum. Amen.* Extat in Baluzii *Miscellaneis*, T. II. pag. 47.

Pag. 57 — Sine titulo incipit: *Igitur posito in aministratione perfecture galliarum patre...* Desinit: *peteret a domino commeatum.* Vita S. Ambrosio auctore Paulino, T. I. col. 29. a n. 3. ad fere dimidium n. 13. et deinde a n. 43. ed. n. 45.

Pag. 59 — Lectio sancti evangelii secundum Lucam... *Si quis venit ad me...* Omilia beati gregorii pape. Incipit: *Si consideremus fratres karissimi quae et quanta sunt...* Desinit: *eterne pacis remedia contulit. Ihesus christus... seculorum. Amen.* Greg. Hom. XXXVII. T. I. col. 1626 ed. Bened.

Pag. 63 — Dominica IIII. Incipit: *Vos inquam convenio o iudei...* Desinit: *nichil querere debeatis.* Aug. *Sermo contra Iudaeos, Paganos et alios*, a Cap. XI. usque ad priora verba Cap. XVII. In Cod. omittuntur alii versus Sybillini cum verbis quae eos praecedunt.

Pag. 66 — Dominica IIII. De adventu. Incipit: *Redemptoris precursor quo tempore verbum predicationis...* Desinit: *superne misericordie pignus tenemus.* Hom. XX. T. I. col. 1516.

Pag. 71 — Sermo sancti Leonis pape. Incipit: *Leo episcopus flaviano constantinopolitano episcopo. lectis (di)lectionis tue...* Desinit: *qui erraverat dampnatus. a sensu sui pravitate salvetur.* Leonis *Epistola XXVII*, T. I. col. 755. ed. Migne.

Pag. 75 — Sine titulo incipit: *Legimus sanctum moysen populo dei precepta...* Desinit: *quae in celis sunt. et que in terra.* Aug. Sermo CCXLV. *App.*

Pag. 77 — Feria IIII.ª In IIII.or tempora. Lectio sancti evangelii secundum Lucam... *Missus est angelus gabriel...* Sermo sancti ambrosii episcopi. Incipit: *Latent quidaem divina misteria...* Desinit: *angelus locutus est.* Ambros. *Expositio in Lucam*, a n. 1. ad n. 18. Lib. II. T. II. col. 1633. ed. Migne.

Pag. 90 — Feria VI. Lectio sancti evangelii secundum Lucam.... *Exurgens autem maria....* Omilia lectionis eiusdem. Incipit: *Morale est omnibus...* Desinit: *in generationem iustorum.* Ibi col. 1640 a n. 19. ad n. 29. cui deest tantum ultima periodus ed.

Pag. 92 — Sabbato. Lectio sancti evangelii secundum Lucam... *Anno quintodecimo...* Tractatus sancti ambrosii episcopi. Incipit: *Congregaturus aecclesiam dei...* Desinit: *splendorem probitatis accumulaet.* Ibi col. 1658. a n. 67. ad n. 82.

Pag. 95 — In sancti thomae apostoli. Lectio sancti evangelii secundum iohannem..... *Thomas qui dicitur...* Omilia lectionis eiusdem. Incipit: *Videbat tangebatque...* Desinit: *et beatitudinem non visa credentium.* Conflatur ex diversis frustis S. Augustini foetuum: nam comprehendit fere integrum n. 5. *Tractatus* CXXI. *in Ioannem*, n. 1. et 2. Sermonis XLII. ab Angelo Mai (*Nova PP. Bibliotheca* T. I. pag. 85) editi, ab initio usque ad verba *non visa credentium*, quibus in hoc Codice concluditur. Haec autem verba ibi occurrunt sub finem n. 1. huius Sermonis XLII.

Pag. 96 — In vigilia nativitatis domini nostri ihesu christi. math.... *Cum esset desponsata mater...* omelia remigii episcopi. Incipit:: *Nativitatem domini et salvatoris nostri....* Desinit: *et non desineret esse quod erat.* T. CXXXI. *Patrol. Lat.* Migne, ubi Remigio adscribitur; finis autem Cod. incidit in lin. 28. col. 889. ed. Initium concordat potius cum Homilia Ven. Bedae T. V. col. 31. ed. Migne.

Pag. 99 — Nativitas domini nostri ihesu christi. Incipit: *Primo tempore....* Desinit: *sicut aque maris operientis.* Ex *Isaj.* cap. IX.

Pag. 101 — *Consolamini consolamini....* Desinit: *quod non moveatur.* Ibi cap. XL.

Pag. 103 — *Consurge consurge....* Desinit: *audi quod sequitur.* Ibi cap. LII.

Pag. 105 — Incipit sine titulo: *Audite fratres karissimi quemadmodum nobis beatus evangelista hodie generationis christi retulit sacramentum. christi inquit generatio sic erat. Dominus noster ihesus christus fratres karissimi...* Desinit: *non formationis sed reformationis domini nostri ihesu christi. Qui cum patre... seculorum. Amen.* Aug. Sermo CXXVIII. *App.* In Cod. desunt multa; extant autem pauca de Simeone quae in ed. desiderantur. Verba, quae in Cod. sunt initio Sermonis ad calcem editores retulerunt.

Pag. 107 — Sermo (manu recentissima additum est verbum *Augustini*). Incipit: *Audiat in presenti dilectio...* Desinit: *adoravit interris. Cui honor... seculorum. Amen.* Caillau pag. 21.

Pag. 108 — Sermo unde supra. Incipit: *Nativitas domini nostri ihesu christi...* Desinit: *a peccatis eorum. Qui vivit... saeculorum. Amen.* Fulgentii pag. 335, edit. Venet. 1742, et Augustini serm. CXXIII, Tom. V. col. 1990, edit. Migne.

Pag. 109 — Sine titulo incipit: *Heterni nominis virgineum partum...* Desinit: *revelata est eva. Per christum... seculorum. Amen.* Mai *N. PP. Bibl.* pag. 201. Cod. desinit n. 5. ed.

Pag. 111 — Sine titulo incipit: *Castissimum marie virginis uterum...* Desinit: *pater dicaris salvatoris. Qui vivit... seculorum. Amen.* Aug. Sermo CXCV. *App.*

Pag. 113 — Sermo sancti Augustini episcopi. Incipit: *Et reclinavit eum in presepe...* Desinit: *benedicentes dominum. Cui est... seculorum. Amen.* Combef. *Bibl. PP. Concion.* T. I. pag. 151.

Pag. 115 — Lectio sancti evangelii secundum Lucam... *Exiit edictum...* Omilia Lectionis eiusdem. Incipit: *Quia largiente domino....* Desinit: *factus est deus homo. Qui... seculorum. Amen.* Greg. T. I. col. 1460. ed. Bened.

Pag. 118 — Lectio sancti evangelii secundum Lucam. *Pastores loquebantur...* Omilia venerabilis Bede presbiteri. Incipit: *Nato in Bethleem domino salvatore...* Desinit: *et laudemus ipsum dominum... seculorum. Amen.* Bedae Hom. VI. Lib. I. T. V. col. 34. ed. Migne.

Pag. 120 — Lectio sancti evangelii secundum iohannem. *In principio erat verbum....* Incipit: *Poterat dicere evangelista...* Desinit: *quoniam ipsi deum videbant.* Aug. *Tractatus in Ioannem*, a n. 12. usque ad finem *Tractatus*. T. III. col. 1385.

Pag. 121 — Sine titulo incipit: *Stephanus autem plenus gratia....* Desinit: *evangelizantes verbum dei.* Ex *Act. Apost.* cap. VI.

Pag. 122 — *Iesus filius nave...* Desinit: *oraveris. Conversus ad dominum ihesum christum et spiritum sanctum. Qui vivit.... saeculorum. Amen.* Aug. sermo CCCLXXXII.

Pag. 124 — Sermo sancti stephani. Incipit: *Martir stephanus. beatus et primus...* Desinit: *proximum tuum tamquam te ipsum.* Aug. Sermo CCCXVII, at in fine est brevior.

Pag. 125 — Sine titulo incipit: *Esterno die natalem habuimus...* Desinit: *sibi dominum poterit.* Max. Sermo LXXXV. cui adnectitur Hom. LXIV. eiusdem, usque ad lin. 12. pag. 382. ed. Migne.

Pag. 126. — Incipit: *Temporibus cesaris regis urbis iudeorum cum esset...* Desinit: *inter agmina sanctorum. Qui vivit et regnat in secula seculorum.* Vita fabulosa Sancti Stephani.

Pag. 128 — Lectio sancti evangelii secundum matheum... *Et ego mitto ad vos prophetas...* Omilia Lectionis eiusdem. (recentissima manu: *Ex comment. cap. 23 in Matthaeum Hieronymi*). Incipit: *Ideo ecce ego mitto ad vos... Hoc quod ante...* Desinit: *christi ora conspicient. Qui cum... seculorum. Amen.* Hier. *Commentar. in Matthaeum*, a vers. 34, usque ad finem Cap. XXIII. T. VII. col. 179. ed. Migne.

Pag. 130 — Incipit Prologus. Incipit: *Iohannes hebraice latine dei gratia...* Desinit: *apud Ephesum septimo k. ianuarias.* Apud Lypomanum Par. I. pag. 359. Hoc initium differt ab ed.

Explicit prologus. Incipit passio sancti iohannis evangelistae. Incipit: *Secundam post neronem persecutionem...* Desinit: *consecuntur effectum. Ad laudem domini... seculorum. Amen.* Edita fuit in *Florilegio* II. Vol. huius *Bibliothecae* pag. 67.

Pag. 136 — Incipit: *Audi inquid fabulam. et non fabulam sed rem gestum, de iohanne apostolo...* Desinit: *in eo resurrectionis ostendes.* Ibi pag. 75. Vide quid ibi adnotavimus.

Pag. 138 — Lectio sancti evangelii secundum iohannem... *Dixit dominus ihesus petro. sequere me...* Omilia Lectionis eiusdem. Incipit: *Lectio sancti evangelii que nobis lecta est...* Desinit: *pervenire. Per dominum...saeculorum. Amen.* Bedae Hom. VIII. T. V. col. 44. ed. Migne.

Pag. 141 — In natali. Innocentum. Incipit: *Hodie fratres karissimi natalem illorum...* Desinit: *protectione perducat. Cui est honor... seculorum. Amen.* Aug. Sermo CCXX. *App.*

Pag. 143 — Sine titulo incipit: *Credimus iudeis quia notus...* Desinit: *gemitus compeditorum. Qui vivis...seculorum. Amen.* Aug. Sermo CCXIX. *App.*

Pag. 144 — Incipit sine titulo: *Christo igitur...* Desinit: *querendus est. Qui... seculorum. Amen.* Aug. Sermo CCXVIII. *App.*

Pag. 145 — Incipit: *Cum magno gaudio. letanter ac reverenter fratres karissimi...* Desinit: *heredes constituat. Ihesus christus... seculorum. Amen.* Non invenimus.

Pag. 146 — Incipit: *Quotienscumque fratres sanctorum martyrum...* Desinit: *premiis celestibus honorantur. Amen.* Aug. Sermo CCXXI. In Cod. deest n. 2. n. 3. et finis n. 4. .

Pag. 147 — Lectio sancti evangelii secundum Mattheum. *Angelus domini apparuit...* Omilia lectionis eiusdem. Incipit: *Nato domino et salvatore nostro...* Desinit: *cum illo regnare mereamur. Per dominum nostrum... seculorum.* Non invenimus.

Pag. 148 — *In istis diebus qui festa sequantur. In primo die lectiones tres de Omelia. Exiit edictum.* Incipit: *Audivimus ex lectione. evangelica fratres karissimi qui...* Desinit: *honore praefulgens.* Bedae *Opp.* T. VII. col. 414. ed Basilaeae; finis Cod. incidit in lin. 41. col. 416. ed.

Pag. 149 — *In secundo die legantur tres lectiones de omelia. Pastores loquebantur. Reliqua Ut supra in natali domini.* Incipit: *Exultemus in domino dilectissimi. et spirituali iocunditate letemur...* Desinit: *mereamini videre deum glorie in sua maiestate regnantem cum... seculorum. Amen.* Leonis Sermo XXII. T. I. col. 193; multa passim in Cod. desiderantur.

Pag. 151 — Incipit prologus. *Historiographus noster heusebius. cum historiam...* Desinit: *culpa evasero.* Ap. Mombrit. fol. 279 verso.

Incipit vita sancti silvestri. Incipit: *Silvester in infantia sua cyrino presbitero...* Desinit: *dies quindecim.* Vide supra in *Prologo.*

Pag. 169 — In sancti concordii. martiris. Incipit: *Temporibus antonini imperatoris. gravissima persecutio...* Desinit: *beati concordii martyris. Prestante eo pro cuius nomine passus est. qui... seculorum. Amen.* Bollan. T. I. Ianuarii pag. 9.

Pag. 170 — Natale S. Basilii confessoris. Incipit: *Fratres. Narrationem volo facere de basilio nobili...* Desinit: *dictum fuerat ad illos.* Apud Rosweydum pag. 160.

Pag. 171 — Incipit: *Enarravit autem michi et hoc predictus...* Desinit: *laudantes et benedicentes deum. cui est honor... seculorum.* Ibi 158.

Pag. 172 — Incipit: *Gladius vero quidam bone confessionis...* Desinit: *glorificabant deum et dominum ihesum christum qui... seculorum. Amen.* Differt ab ed. ibi pag. 156. De hac vita in Cod. CXXXIX, pag. 616. agemus.

Pag. 175 — Incipit: *Mulier quedam nobilis genere..* Desinit: *primo die intrante mense ianuario. Cui est... seculorum. Amen.* Ibi pag. 159.

Pag. 177 — In octava domini. Lectio sancti evangelii secundum iohannem... *Postquam consumati sunt...* Omilia Lectionis eiusdem. Incipit: *Sanctam venerandamque presentis diei...* Desinit: *habere circumcisos. Per eundem.... seculorum. Amen.* Combefis, *Bibl. PP. Concion.* T. I. pag. 492. Multis in medio et in fine caret Codex.

Pag. 179 — Lectio sancti evangelii Secundum Lucam. *Erant ioseph...* Incipit: *Lectio sancti evangelii que nunc lecta est...* Desinit: *ille ignoscit. Ihesus... seculorum. Amen.* Non invenimus.

Pag. 180 — In vigilia epihaniae. Lectio sancti ev. secundum mattheum... *Defuncto herode...* Omilia Lectionis eiusdem. Incipit: *Redemptoris nostri domini ihesu in carne ostensionem...* Desinit: *quod placeat coram se per ihesum... seculorum. Amen.* Non invenimus.

In epiphania domini de prophetias. Incipit: *Omnes sitientes venite...* Desinit: *et in pace deducemini.* Isaj. LV.

Pag. 181. — Incipit: *Surge illuminare...* Desinit: *domini sion israhel.* Ibi LX.

Incipit: *Gaudens gaudebo in domino...* Desinit: *redempti a domino.* Ibi LXI.

Pag. 182 — Incipit sine titulo: *Hodierna die per universum mundum...* Desinit: *deo vero et domino vero qui cum... seculorum. Amen.* Augustini Serm. CCII. In Cod. finis intercedit lin. 10. Cap. II.

Incipit: *Nuper celebravimus...* Desinit: *postea negaturi dominum... seculorum. Amen.* Aug. Sermo CXC. In Cod. desinit lin. 6. ante Cap. II.

Pag. 183 — Incipit: *Ad partum virginis...* Desinit: *in magorum longinguitate. Ihesus... seculorum. Amen.* Aug. Sermo CC. In Cod. desunt aliqua in n. 2. integrum n. 3. et fere dimidium n. 4.

Incipit: *Ante paucissimos dies...* Desinit: *per fidem. Ipso ausiliante qui... seculorum. amen.* Aug. Sermo CCI. sed in Cod. desinit lin. 16. col. 1032. ed. Migne.

Pag. 184 — In pascha epiphanie. l. mattei. *Cum natus esset...* Omelia beati Gregorii Papae. Incipit: *Sicut ex lectio(ne) evangelica...* Desinit: *amaricati redeamus.* Apud Combef. *Bibl. PP. Concion.* T. II. pag. 981.

Pag. 186 — Dominica I. post epiphaniam. Sermo sancti augustini episcopi. Incipit: *Intellegere possumus...* Desinit: *custodiat ipse qui... seculorum. Amen.* Non invenimus.

Pag. 188 — Dominica I.ª post epiphaniam. Lectio sancti evangelii Lucae.... *Cum factus esset.... diei festi. Et reliqua.* Omilia lectionis eiusdem. Incipit: *Lectio sancti evangelii quomodo...* Desinit: *Sapientia convertat. Ihesus... saeculorum. Amen.* Non invenimus.

Pag. 189 — In octava epiphaniae. Lectio sancti evangelii secundum matheum... *Venit dominus ihesus...* Omelia. Incipit: *Sancti evangelii lectio quam audistis dilectissimi magnum...* Desinit: *ut nos ad regnum sublevaret aeternum. Cui est honor... saeculorum. Amen.* Non invenimus.

Pag. 190 — Passio Sanctorum. iuliani et Basilissae. Incipit: *Beatus iulianus nobilis familia illustris in saeculo erat...* Desinit: *ut intra tempus promissum omnes migrarent ad dominum.* Apud Bolland. Tom. I. *Ian.* p. 575; sed passim differt.

Pag. 194 — Passio sancti Pontiani martyris. Incipit: *Temporibus denique impiissimi antonini imperatoris. orta est seditio valida populis christianis...* Desinit: *infirmi properant et curantur. Ipso adiuvante... saeculorum. Amen.* Apud Surium, T. I. pag. 305. ubi, ut ipse monet, stylum aliquot locis mutavit; quapropter verbis ex Cod. tantum differt.

Pag. 196 — Passio sancti Felicis martyris. Incipit: *Factum est autem ut...* Desinit: *perrexit ad dominum ihesum christum. Qui vivit... saeculorum. Amen.* Apud Bolland. T. I. *Ian.* p. 951.

Pag. 197 — Passio sancti marcelli papae. Incipit: *Tempore quo maximianus augustus rediens de partibus africe...* Desinit: *Ubi orationes eorum florent nunc et semper et usque mundus steterit. Regnante... saeculorum. Amen.* Ibi T. II. *Ian.* p. 5.

Pag. 202 — Incipit argumentum in epistola ad romanos. Incipit: *Romani sunt in partes italiae...* Desinit: *scribens ei a corintho.* Vide Bibliam de Rivabenis 1487.

Explicit argumentum. Incipit epistola Pauli ad romanos. Incipit: *Paulus servus christi...* Desinit: *gloria saecula saeculorum. Amen.*

Pag. 212 — Incipit: *Corinthii sunt achaici....* Desinit: *discipulum suum.* Ibi.

Explicit argumentum. Incipit epistolas ad corinthios prima. Incipit: *Paulus vocatus...* Desinit: *in christo ihesu. Amen.*

Pag. 223 — Explicit epistola ad corinthios. Incipit argumentum in epistola ad co...thios. Incipit: *Post actam penitentiam...* Desinit: *emendatos ostendens.* Ibi.

Incipit: *Paulus Apostolus.....* Desinit: *vobis. Amen.*

Pag. 228 — Explicit epistola ad corinthios II. Incipit argumentum in epistola ad Galatas. Incipit: *Galathe sunt greci...* Desinit: *scribens eis ab epheso.* Ibi.

Incipit epistola ad Galathas. Incipit: *Paulus apostolus non...* Desinit: *fratres. Amen.*

Explicit epistola ad Galathas. Incipit argumentum in epistola ad hephessios. Incipit: *Ephesi sunt asyani...* Desinit: *diaconem.* Ibi.

Pag. 232 — Explicit argumentum in epistola ad ephessios. Incipit: *Paulus apostolus ihesu christi per voluntatem...* Desinit: *incorruptione. Amen.*

Pag. 235 — Explicit epistola ad ephesios. Incipit prologus. In epistola ad hebreos. Incipit: *In primis dicendum est cur apostolus....* Desinit: *composuit.* Ibi.

Explicit argumentum. Explicit Liber Gene-

sis. Hic titulus perperam ab amanuense exaratus fuit.

Pag. 236 — Incipit: *Multiphariam et multis modis...* Desinit: *omnibus vobis. Amen.* EXPLICIT EPISTOLA AD HEBREOS.

Pag. 243 — DOMINICA II. POST EPYPHANIAM. LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM IOHANNEM... *Nuptie facte sunt...* OMILIA BEATI AUGUSTINI EPISCOPI. Incipit: *Dominus invitatus ad nuptias venit...* Desinit: *responsum est hereticis.* Tractatus VIII. *in Ioannem*, a n. 4. usque ad priora verba n. 10.

Pag, 247 — DOMINICA III. LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM LUCAM... *Cum descendisset...* OMILIA SANCTI AMBROSII EPISCOPI. Incipit: *Et factum est.... Bene ubi leprosus mundatur....* Desinit: *sanum servulum repppererunt.* Continet S. Ambrosii *Expos. in Lucam*, a n. 1. ad 9. et a n. 83. ad 88. Libri V.

Pag. 249 — DOMINICA III. LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM MATHEUM.... *Ascendente ihesu in naviculam...* TRACTATUS SANCTI REMIGII EPISCOPI. Incipit: *In hac quoque navigatione due substantie unius eiusdemque persone...* Desinit: *ad tam optatam pristinam pacem rediret.* Vid. *Patrol. Lat.* Migne, T. CXXXI. col. 913; finis Cod. incidit lin. 20. col. 917. ed.

Pag. 251 — DOM. IIII. LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM MATHEUM... *Simile est regnum celorum homini...* TRACTATUS S. REMIGII EPISCOPI. Incipit: *Hec enim secunda parabola cum...* Desinit: *et in animis credentium.* Non invenimus.

Pag. 253 — IN SANCTI MAURI ABBATIS. *Beatissimus igitur maurus... seculorum. Amen.* Vita S. Mauri, (*Boll.* T. I. Ian. pag. 1039.) auctore S. Fausto, in compendium redacta.

Pag. 259 — IN SANCTI ANTONII. Incipit: *Igitur antonius ex nobilibus religiosisque parentibus egypto fuit oriundus....* Desinit: *eius caro videretur.* Vita S. Antonii, auctore S. Athanasio, interprete Evagrio, concordat cum ed. *Boll.* T. II. Ian. pag. 121. praeter *Prologum* Evagrii interpretis et permulta alia quae passim desiderantur.

Pag. 265 — IN SANCTI SEBASTIANI MARTYRIS. Incipit: *Sebastianus igitur vir christianissimus mediolanensium partium civis...* Desinit: *fecit ipsam ecclesiam heredem in christo. Qui vivit... saeculorum. Amen.* Est vita *Bolland.* auctore S. Ambrosio, edita T. II. Ian. pag. 265. In Cod. desiderantur Capita XVII, XVIII, XIX, XXI, et XXII. ed.

Pag. 277 — PASSIO SANCTE AGNES VIRGINIS. Incipit: *Ambrosius episcopus servus christi virginibus sacris. Diem festum...* Desinit: *perseverantes. perpetue victorie palmam adquirent a domino nostro ihesu christo. Cui... seculorum. Amen. Boll.* T. II. Ian. pag. 351. auctore S. Ambrosio.

Pag. 281 — PASSIO SANCTI VINCENTII MARTYRIS. Incipit: *Cum aput cesaream augustanam civitatem. ut multorum sinceritas....* Desinit: *ipse est potius consecratus. Unde sit nomen domini benedictum in secula seculorum. Amen.* Haec Acta S. Vincentii re eadem sunt ac edita apud *Bolland.* T. II. Ian. pag. 394. ex veteribus Manuscriptis; at verbis, praesertim in fine, non parum differunt.

Pag. 285 — PASSIO SANCTI FELICIANI MARTYRIS. Incipit: *Felicianus nobili prosapia ortus, velut sydus in astris...* Desinit: *usque in hodiernum diem. Qui passus est sub decio impiissimo cesare. Regnante vero domino nostro ihesu christo qui... seculorum. Amen.* Ibi pag. 582.

Pag. 287 — IN CONVERSIO(NE) SANCTI PAULI. Incipit: *Saulus adhuc spirans minarum...* Desinit: *et consolatione spiritus sancti replebatur.* Ex *Act. Apost.*

Pag. 288 — Sine titulo incipit: *Hodie lectio de actibus...* Desinit: *de peccatis nostris largiente... seculorum. Amen.* Concordat cum Sermone Aug. CCLXXIX, exceptis nonnullis variantibus lectionibus haud magni momenti; sed divinis officiis aptandi causa hoc exemplar excerptum potius quam integrum Sermonem exhibet. Ex hoc Sermone dissecto duo in ed. conflati fuerant, quorum unus est Sermo XVI. *de Sanctis*, et alius Sermo XXXVI. *de Diversis.*

Pag. 289 — Incipit: *Sancta scriptura semper docet nos...* Desinit: *possibilia sunt. Ipso adiuvante qui vivit et regnat in secula seculorum. Amen.* Ex hoc Cod. edidit Caillau pag. 70.

Pag. 290 — IN SANCTI PAULI. Incipit: *Apostolus autem paulus fratres karissimi, primo saulus...* Desinit: *quia dei dona sunt merita tua.* Ibi pag. 71.

Pag. 292 — LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM IOHANNEM (recentior manus correxit *Mattheum*)... *Ecce nos reliquimus omnia...* OMILIA LECTIONIS

EIUSDEM. Incipit: *Quia dominus et salvator noster divitias mundi...* Desinit: *cura est de vobis*. In *Bibl. Laur.* T. I. col. 364 anonymus, ut in hoc Cod. habetur; redolet autem commentarium Hier. in eadem verba evangelii S. Matthaei. Migne T. VII. col. 144.

Pag. 295 — VITA SANCTI MILIANI MARTYRIS. Incipit: *Etenim hermenia quidem tradidit. ad correptionem eos...* Desinit: *et sepelierunt eum sub die quinto kalendas februarias. Regnante... seculorum. Amen.* Non extat in Bollan.

Pag. 298 — PASSIO SANCTI CONSTANTII MARTYRIS. Incipit: *Cum esset igitur temporibus antonini imperatoris...* Desinit: *in congregatione iustorum tertio kalendarum februariarum. Regnante domino... seculorum. Amen.* Non concordat cum editis in Boll. T. II. Ian. sub die XXIX.

Pag. 299. — KALENDIS FEBRUARII. S. SEVERI. Incipit: *Post excessum beatissimi apolenaris. beatus severus decimus...* Desinit: *deo gratias agatis. Qui est benedictus in secula seculorum. Amen.* Non extat inter relatas a Bolland. T. I. Febr. 1.ª die.

Pag. 301 — IN PURIFICATIONE SANCTE MARIE VIRGINIS. Incipit: *Homo erat...* Desinit: *Nulla enim ratione extra nostri est corporis veritatem. Qui vivit... seculorum. Amen.* Comprehendit S. Ambrosii *Expositionem in Lucam*, a n. 58 ad n. 64. Libri II. et eiusdem *Epistolam de Fide ad Beatum Hieronymum Presbyterum* (T. IV. col. 1159. ed. Migne). Finis Cod. incidit lin. 12. col. 1162. ed. In *Bibl. Laur.* T. I. col. 433. et *Supp.* I, col. 272 Anonymus extat; in *Suppl.* I, col. 353. Ambrosio tribuitur.

Pag. 303 — AUGUSTINI. Incipit: *Nuper dies natalis domini nostri ihesu christi fratres karissimi. magnum...* Desinit: *hic est qui tollit peccata mundi. Qui cum... seculorum. Amen.* Aug. Sermo CCCLXX. In Cod. amanuensis inseruit aliqua de Simone quae in ed. et in Sermone, quem uti ab ed. diversum nos in *Florilegio* T. II, pag. 76. edidimus, non leguntur ante Cap. III eiusdem Sermonis. In fine differt ab editione.

Pag. 305 — LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM LUCAM... *Postquam impleti sunt...* OMILIA LECTIONIS EIUSDEM. Incipit: *Sollemnitatem nobis hodierne celebritatis...* Desinit: *obumbratione spiritus sancti concepit. et peperit filium dei.* Bedae Hom. XV. T. I. col. 79. Post verba: *illa publicos ecclesie conventus insinuat*, quae in ed. incidunt lin. 10. ante finem col. 80, in Cod. per integram et fere dimidium columnam alia de eodem argumento leguntur.

Pag. 307 — IN SANCTI BLASII. Incipit: *Etenim in sebastia capadocie tradidit quidam ad correttionem...* Desinit: *imperante agricolao. Regnante autem in nobis domino nostro ihesu christo. Cui est... seculorum. Amen.* Bolland. Tom. I. Febr. pag. 336.

Pag. 310 — PASSIO SANCTE AGATHE VIRGINIS Incipit: *Sancta agatha passa est in civitate cathenensium sicilie...* Desinit: *quod a periculo mortis et incendio eos liberat. meritis sancte agathe. Cui est... seculorum. Amen.* Bolland. ibi pag. 615.

Pag. 315 — INCIPIT PASSIO (recentior manus scripsit: *sermo*) SANCTE SCOLASTICE VIRGINIS. Incipit: *Hodierna die fratres karissimi beate scolastice...* Desinit: *nullisque calamitatibus annichilentur. Acta Ordinis S. B. Saec.* I. pag. 36. In fine perstricta est in Cod.

Pag. 319 — XVI. KALENDAS FEBRUARII. PASSIO SANCTI VALENTINI. Incipit: *Propheta loquitur ad dominum...* Desinit: *Collaudantes dominum ihesum christum. qui... seculorum Amen.* Boll. T. III. Febr. pag. 756.

Pag. 321 — XVII. KALENDAS MARTII. INCIPIT PASSIO SANCTI IULIANI. Incipit: *Martyrum perseverantia conprobata...* Desinit: *sub imperatore maximiano. Regnante domino nostro ihesu christo qui... seculorum. Amen.* Bolland. T. II. Febr. pag. 873. paucis, praesertim in fine, discrepantibus.

Pag. 325 — VIIII. KALENDAS MARTII. CATHEDRA SANCTI PETRI. INCIPIT PROLOGUS. Incipit: *Simon petrus filius iohannis provincie galilee...* Desinit: *veneratione celebratur.* Hier. *De Viris Illustribus.* Cap 1. Lib. 2. T. II. col. 637. ed Migne.

INCIPIT SERMO. SANCTI AUGUSTINI. EPISCOPI. Incipit: *Institutio solemnitatis hodierne...* Desinit: *possitis. Quod ipse prestare dignetur.* Aug. Sermo CXC. *App.*

Pag. 326 — Incipit: *Quamvis sollempnitatis festivitatis hodierne...* Desinit: *cum sanctis esse mereatur. Prestante domino... seculorum. Amen.* Aug. Sermo CXCI. *App.*

Pag. 327 — Incipit: *Laudem domini loquetur...*

Desinit: *prestitistis. per christum dominum nostrum. Amen.* Leonis Sermo I.

Incipit: XVII. KALENDAS MARTII. SANCTE TECLE VIRGINIS. ET MARTYRIS. Incipit: *Sub nerone romanorum principe. paulus...* Desinit: *migravit ad dominum. Qui... seculorum. Amen.* S. Theclae *Acta* extant quoque in Cod. CXXXIX. p. 389; de utrisque inter se discrepantibus ibi agemus.

Pag. 329 — VI. KALENDAS MARTII. INCIPIT. PROLOGUS. SANCTI MATHIE. APOSTOLI. Incipit: *Mathias hebraice latine dicitur donatus....* Desinit: *pandere curamus.* Vide infra.

PASSIO SANCTI MATHIAE APOSTOLI. Incipit: *Salvator noster dominus ihesus humani generis conditor...* Desinit: *migravit ad dominum ihesum christum.* Bolland. T. III. Febr. pag. 437.

Pag. 335 — KALENDIS MARTII. IN NATALI SANCTI HERCULANI. Incipit: *Nuper quoque floridus venerabilis vite episcopus...* Desinit: *in eadem basilica sepultus est. Regnante domino nostro ihesu... saeculorum. Amen.* Bolland. T. I. Martii pag. 51. n. 21. In Cod. Decollatio Herculani bis refertur.

Pag. 336 — VI. IDUS MARTII. PASSIO SANCTORUM XL. MARTYRUM. Incipit: *Qui in sebastia civitate martyrio coronati sunt...* Desinit: *Apud nos vero regnante domino nostro ihesu christo. qui... seculorum. Amen.* Non extat in Bolland.

Pag. 339 — IIII. IDUS APRILIS. NATALIS SANCTI GREGORII PAPE. Incipit: *Gregorius genere romanus arte philosophus...* Desinit: *in hodiernum diem. Ad laudem et gloriam... seculorum. Amen.* Ex *Act. SS. Ordinis S. Benedicti,* Saecul. I. pag. 400. auctore Iohanne Diacono. In Cod. desunt quamplurima.

Pag. 345 — III. IDUS APRILIS. IN SANCTI ANSUINI. Incipit: *Ansuinus igitur ut comperimus referentibus plurimis...* Desinit: *requiescit corpus. Ad laudem... seculorum. Amen.* Bolland. T. II. Martii pag. 323. In fine Codex differt, et est brevior.

Pag. 350 — INCIPIT VITALIS TRANSITU(S). Incipit: *Factum est autem in diebus illis...* Desinit: *usque in presentem diem. Prestante domino... seculorum. Amen.* Titulus praedocet nos de Vitale hic agi; at refertur Vita S. Ioannis Episcopi Spoletani, qui est secundus in Spoletana sede. Ipse memoratur a Ferrario in *Cathalogo SS. Italiae*, pag. 156.

Pag. 351 — INCIPIT VITA SANCTI BENEDICTI ABBATIS. Incipit: *Fuit vir vite venerabilis gratia benedictus et nomine...* Desinit: *ara apollinis ipse construxit.* Bolland. T. III. Martii, pag. 277. usque ad n. 37. Cap. VI.

Pag. 361 — PASSIO ELEUTHERII MARTYRIS. Incipit: *Eleutherii nobilissimi viri nos fama delectat...* Desinit: *sub adriano imperatore. Regnante... seculorum. Amen.* Differt aliquantum a Mombritio T. I. pag. 250.

Pag. 364 — III. IDUS MADII. SANCTI YSAAC CONFESSORIS. Incipit: *Prioribus quoque gothorum temporibus. fuit iuxta spoletanam. urbem...* Desinit: *minimo dampno servetur.* Greg. *Dialog.* Lib. III. cap. XIX. T. III. col. 244. ed. Migne.

Pag. 367 — ANNUNTIATIO SANCTE MARIE. Incipit: *Eodem tempore missus est angelus gabriel... Latent quidem divina misteria...* Desinit: *sunt dies impiorum.* S. Ambrosii *Exposit. in Lucam*, lib. II. a n. 1. ad n. 30. In Cod. passim aliqua desiderantur.

Pag. 371 — LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM LUCAM... *Missus est...* OMELIA VENERABILIS. BEDE PRESBITERI. Incipit: *Exordium nostre redemptionis fratres karissimi...* Desinit: *mediatoris ac redemptoris nostri...* Bedae T. VII. col. 467. ed. Basil. Finis Cod. incidit in lin. 9. col. 469.

Pag. 373 — VIIII. KALENDAS MADII. INCIPIT PASSIO SANCTI. BEATI GEORGII MARTYRIS. Incipit: *Postquam dominus et salvator...* Desinit: *qui inscribitur nono kalendas maias. Regnante domino nostro ihesu christo... seculorum... Amen.* Differt a Bollan. et a nobis edita fuit in *Florilegio* T. II. pag. 7.

Pag. 381 — INCIPIT PROLOGUS SANCTI MARCI EVANGELISTE. Incipit: *Marcus evangelista secundus petri discipulus...* Desinit: *Marcus ut alta fremit vox per deserta Leonis. Amen.* Non extat in Bolland. concordat autem initio cum Vita per Isidorum Hispalensem scripta. (Lypoman. Par. I. p. 401.) Codex est prolixior.

Pag. 382 — EXPLICIT PROLOGUS. INCIPIT PASSIO. Incipit: *Tempore quo...* Desinit: *imperante gaio. Regnante autem domino... seculorum. Amen.* Bolland. T. III. Aprilis pag. 347.

Pag. 384 — INCIPIT PROLOGUS IN NATALI S. PHILIPPI. Incipit: *Philippus ebraice qui interpretatur hos lampadis...* Desinit: *celebratur.* Breve

elogium ad instar Prologi hic relatum est Isidori Hispalensis, ibi pag. 383.

EXPLICIT PROLOGUS. INCIPIT PASSIO. Incipit: *Cum in ipsis initiis asque ullo obstaculo*... Desinit: *omnibus qui credunt regnum patris et filii... seculorum. Amen.* Bolland. T. I. Maii. pag. 11.

Pag. 385. — INCIPIT PROLOGUS SANCTI IACOBI APOSTOLI. Incipit: *Iacobus alphei ob distinctione prioris*... Desinit: *creditur.* Concordat aliquantum cum elogio Isidori Hispalensis, ibi pag. 363 relati.

Pag. 386 — EXPLICIT PROLOGUS. INCIPIT PASSIO. *Igitur iudaei postquam paulus ad cesarem quem*... Desinit: *hic est christus filius dei. Qui... seculorum. Amen.* Eusebii Caesariensis *Hist. Eccles.* Lib. II. cap. 23.

Pag. 389 — LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM IOHANNEM... *Non turbetur*... OMILIA SANCTI AUGUSTINI EPISCOPI. Incipit: *Erigenda est nobis*... Desinit: *ipsi sunt.* Aug. Tractatus LXVII. In fine huius *Tractatus* amanuensis adiunxit alia ex *Tractatu* LXIX desumpta.

Pag. 391 — PASSIO SANCTORUM ALEXANDRI EVENTII ET THEODOLI. Incipit: *Quinto loco a beato petro apostolo romane urbis*... Desinit: *usque in odiernum diem. Praestante domino... seculorum. Amen.* Bolland. T. I. Maii, pag. 371.

Pag. 396 — LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM IOHANNEM. *Erat homo ex pharisehis nicodemus*... SERMO SANCTI AUGUSTINI EPISCOPI. Incipit: *Ihesus autem*... Desinit: *domini in cruce.* Haec desumpta sunt ex Tractatu XII. Aug. n. 11.

INVENTIO SANCTE CRUCIS. Incipit: *Perrexit autem helena ad hierosolimam*... Desinit: *Haec cum orasset iudas commotus est locus*... Desunt folia. Initio concordat cum Rufino Presbytero Aquileiensi, Lib. X. cap. 7. *Histor. Eccles.* at deinceps fabulosam narrationem, quae a Bolland. reicitur, T. I. Maii, pag. 363, prodit.

Pag. 399 — INCIPIT LIBER BRESITH IDEST GENESIS. DOMINICA IN SEPTUAGESIMA. Incipit: *In principio creavit deus celum et terram*... Desinit: *creavit deus ut faceret.*

Pag. 400 — Incipit sine titulo: *Si diligenter his que ex evangelio*... Desinit: *sed in domino delectemur.* Non invenimus.

Pag. 401 — LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM MATHEUM. *Simile factum est regnum celorum homini*... OMILIA SANCTI GREGORII PAPE. Incipit: *In explanatione sua multa ad loquendum*... Desinit: *divitias ignorat.* Greg. Hom. XIX. Codex desinit n. 7. ed.

Pag. 404 — Incipit: *Formavit igitur dominus*... Desinit: *cunctorum viventium.* Ex *Gen.*

Pag. 405 — Incipit: *Fecitque dominus deus ade et uxori*... Desinit: *ad orientalem.* Ibi.

Incipit: *Noe vero cum quingentorum*... Desinit: *que in terra sunt consumantur.* Ibi.

Pag. 406 — Incipit: *Et ponam foedus meum*... Desinit: *sub universo celo.* Ibi.

Incipit: *Recordatus autem deus noe*... Desinit: *non comedetis.* Ibi.

Pag. 407 — DOMINICA IN SEXAGESIMA. Incipit: *Dignitas humane originis*... Desinit: *equare non posse.* Codex nomen auctoris non praefert, at in *Bibl. Laur.* T. I. col. 79. et *Suppl.* I. col. 334. Chrysostomo tribuitur; et revera in ed. Basil. *Opp.* eiusdem, T. I pag. 350. extat; hic autem multa desunt in fine.

Pag. 408 — Incipit: *Nemo est qui nesciat principio*... Desinit: *filios parare meruit.* Ibi pag. 367. In Cod. fere dimidia pars deest.

Pag. 409 — LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM LUCAM. *Cum turba plurima*... OMILIA LECTIONIS EIUSDEM. *Lectio sancti evangelii quam modo fratres karissimi audistis expositione non indiget*... Desinit: *tribulatione purgat.* Greg. Hom. XV. Cod. desinit n. 5. ed.

Pag. 410 — Incipit: *Dixit dominus ad noe*... Desinit: *in nationibus suis.* Ex *Gen.*

Pag. 411 — Incipit: *He sunt generationes*... Desinit: *ibi nomen domini.* Ibi.

Incipit: *Sed et loth qui erat*... Desinit: *decimas ex omnibus.* Ibi.

Pag. 412 — Incipit: *Dixit autem rex*... Desinit: *usque ad presens tempus.* Ibi.

Pag. 413 — Incipit: *Fides est*... Desinit: *cunctis gentibus innotescit.* Chrysostomi Sermo *de Fide Abraham et de Immolatione Isaac.* T. I. pag. 361. ed. Basil. In Codice est mutilus, nam desinit lin. 10. pag. 362.

Incipit: *Audivimus fratres karissimi scripturam dicentem. locutus est*... Desinit: *eriguntur in celum.* Aug. Sermo IV. *App.* In Cod. est mutilus, nam desinit lin. 2. col. 1746.

Pag. 414 — Lectio sancti evangelii secundum Lucam... *Assumpsit dominus*... Omilia sancti gregorii pape. Incipit: *Redemptor noster previdens ex passione sua*... Desinit: *laudem deo.* Greg. Hom. II.

Pag. 416 — Incipit: *Igitur sara uxor*... Desinit: *habitare ceperunt in terra*... (In Cod. abscissum fuit folium). Gen. Cap. XVI. a vers. 1. ad vers. 3.

Pag. 417 — Incipit... *illos huc ut cognoscamus eos*... Desinit: *pater ammonitarum usque hodie.* Gen. Cap. XIX. incipit a vers. 6.

Incipit: *Profectus inde abraham in terram*... Desinit: *saraa uxorem abraham.* Cap. XX.

Pag. 418 — Incipit: *Visitavit autem.* Desinit: *diebus multis.* Gen. Cap. XXI.

Pag. 419 — Incipit: *Hec postquam*... Desinit: *et maacha.* Gen. Cap. XXII.

Incipit: *Dixit* (amanuensis litteram *d* pro *v.* exaravit) *autem saraa*... Desinit: *ad dominum suum.* Gen. Cap. XXIII. et Cap. XXIV. usque ad vers. 61.

Pag. 420 — Incipit: *Eo autem tempore*... Desinit: *videntis et viventis.* Gen. a vers. 62. Cap. XXIV. usque ad vers. 11. Cap. XXV.

Incipit: *Haec sunt generationes.* Desinit: *sororem laban.* Cap. XXV. a vers. 12. ad vers. 20.

Feria IIII.ª caput ieiunii... *Cum ieiunatis*... Incipit: *Clemens et pius dominus deus noster humanum genus*... Desinit: *habet in terra.* Combef. T. II. *Bibl. PP. Concion.* pag. 65. ubi Bedae tribuitur. In Cod. fere dimidia pars deest.

Pag. 422 — Feria V. Lectio sancti evangelii secundum matheum... *Cum introisset dominus ihesus capharnaum*... Omelia sancti severiani. Incipit: *Christus in corpore nostro manens*... Desinit: *contumacis est non fecisse.* Chrysologi Sermo CII. In medio et fine Codex pluribus caret.

Pag. 424 — Feria VI. Lectio sancti evangelii secundum matheum... *Audistis quia dictum est*... Omilia domini origenis. Incipit: *Sicut illa alia precepta data*... Desinit: *calumpniantibus vobis.* A nobis editus in *Florilegio* Vol. II. pag. 131. sed hic est mutilus.

Pag. 425 — Sabbato. Lectio sancti evangelii secundum marcum. *Cum sero esset factum*... Omilia sancti hieronimi presbiteri. Incipit: *Et dimissa turba*... *Si fuissent cum eo discipuli*... Desinit: *salvi fiebant.* A vers. 23. ad 27. est *Commentar.* Heronymi *in Mattheum*, reliqua sunt Bedae *Exposit. in Marcum.*

Pag. 426 — Dominica in XL. Sermo sancti augustini episcopi. Incipit: *Rogo et ammoneo*... Desinit: *pascha celebrabitur.* Comprehendit Aug. Sermonem CLXII. *App.* usque ad n. 5. et Sermonem XL. Leonis, paucis in fine relictis.

Pag. 428 — Lectio sancti evangelii secundum matheum... *Ductus est ihesus*... Omilia beati gregorii pape. Incipit: *Dubitari a quibusdam solet*... Desinit: *relaxemus.* Greg. Hom. XVI.

Pag. 430 — Incipit: *Ecce nunc tempus acceptabile. ecce nunc dies salutis. Adsunt*... Desinit: *labores requiescat.* A nobis editus in *Florilegio* Vol. I. huius *Bibliothecae*, pag. 159.

Pag. 431 — Incipit: *Moyses quadraginta diebus*... Desinit: *domino vivere debeamus.* Augustini *Suppl.* p. 1142.

Pag. 432 — Incipit: *Hos sancte quadragesime dies fratres karissimi*... Desinit: *operibus credite.* Max. Sermo XX. col. 573. ed. Migne.

Pag. 433 — *Non usque adeo contristari debemus*... Desinit: *inferatur oblivio. Qui*... *seculorum. Amen.* Ibi col. 563.

Pag. 434 — Feria II. Lectio sancti evangelii secundum matheum... *Cum venerit filius*... Omilia Lectionis eiusdem. Incipit: *Post biduum dominus passurus tradendus*... Desinit: *ministrabit eis.* Videtur haec Homilia ex sententiis a diversis Patribus desumptis conflata. Initium est Hieronymi (T. VII. col. 196), et in fine Cod. haec verba leguntur: *Set dicit beatus hieronimus non videtur dominus*... ex quibus argui potest auctorem huius Homiliae alium esse ac Hieronymum, cuius verba initio referuntur.

Pag. 436 — Feria IIII. Lectio sancti evangelii secundum Lucam... *Cum appropinquasset dominus*... Sermo sancti remigii episcopi. Incipit: *Introeunte domino ihesu hierosolymam*... Desinit: *quasi testes incredulorum*... Desunt in fine aliqua, quae exaranda erant in spatio albo relicto. Non invenimus inter Remigii Homilias; plurimas Hieronimi sententias (*Comment. in Matthaeum* Cap. 21. vers. 10.) continet.

Pag. 438 — Feria IIII. Lectio sancti evangelii secundum matheum... *Accesserunt*... Omi-

LIA BEATI ORIGENIS. Incipit: *O impietas o duritia*... Desinit: *finis et defectio*. In *Floril*. Vol. II. p. 149. huius *Bibliothecae*. In hoc Cod. mutila est.

Pag. 439 — FERIA V. LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM MATHEUM... *Egressus dominus ihesus recessit*... OMILIA SANCTI IOHANNIS OSAURI. Incipit: *Miram rem evangelista loquitur*... Desinit: *exauditus iam recedis a domino*. Est alia et brevior versio Hom. XVI. S. Chrysostomi, T. II. p. 784, ed. Basil.

Pag. 441 — FERIA V. LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM IOHANNEM... *Erat dies festus iudeorum*... OMILIA LECTIONIS EIUSDEM. Incipit: *De hoc languido sanato magnum signum*... Desinit: *commendatur oriente et occidente*. Aug. *Tractatus XVII*. a lin. 2. col. 1528, ad lin. 18. col. 1530.

Pag. 442 — SABBATO. LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM MATHEUM... *Assumpsit dominus ihesus petrum*... OMILIA SANCTI REMIGII EPISCOPI. Incipit: *Claritatem sue visionis quam promiserat*... Desinit: *clarificatam domini humanitatem contemplari*. Non extat inter editas Remigii Homilias, at pleraque de ea leguntur in *Catena Aurea* Combefisii T. II. pag. 345. sub nomine Remigii.

Pag. 444 — Incipit: *Senuit autem ysaach*... Desinit: *benedictionibus repleatur*. Gen. Cap. XXVII. usque ad vers. 29.

Pag. 445 — Incipit: *Vix ysaac sermonem*... Desinit: *sororem nabaioth*. Gen. a vers. 30. Cap. XXVII. ad vers. 9. Cap. XXVIII.

Incipit: *Igitur egressus iacob*... Desinit: *et iacob filii sui*. Gen. a vers. 10. Cap. XXVIII. ad vers. 29. Cap. XXXV.

Pag. 452 — Incipit: *He sunt generationes*... Desinit: *peperit ei amalech*. Gen. a vers. 1. Cap. XXVI. ad vers. 12.

Incipit sine titulo: *Non usque adeo contristari debemus*... Desinit: *ei inferatur oblivio*. Max. Sermo XVI. col. 563. *ed. cit*. hic iterum in hoc Codice legitur; nam ante pag. 438. extat.

Pag. 453 — DOMINICA II. DE XL. LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM MATHEUM... *Assumpsit dominus*... OMILIA LECTIONIS EIUSDEM. Incipit: *Assumpsit ihesus petrum et fratrem eius iohannem. et conscenso cum eis seorsum monte. precelso. claritatem illius*... Desinit: *et auditus accepit*. Leonis Sermo LI. T. I. col. 308. In Cod. incipit lin. 14. col. 310. et desinit lin. 13. col. 313. ed.

Pag. 455 — Incipit sine titulo: *Virtus dilectissimi sapientie fidei*... Desinit: *beatitudo suscipiet. Per dominum nostrum ihesum christum. qui cum patre*. Leonis Sermo XLV. T. I. col. 288.

Pag. 457 — *Dixit dominus ihesus turbis iudeorum. Ego vado*... Incipit: *Christo enim domino mors profectio fuit*... Desinit: *in peccatis vestris*. Aug. *Tractatus XXXVIII. in Ioannem*, T. III. col. 1676, a lin. 3. n. 2. ad lin. 9. col. 1679.

Pag. 459 — LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM MATHEUM... *Super cathedram moysi*... Incipit: *Postquam dominus impios sacerdotes*... Desinit: *et de lege tua docueris eum*. Combefisii *Bibl. PP. Concion*. T. II. pag. 448. sub nomine Auctoris Imperfecti. Codex desint in fine primae col. pag. 450.

Pag. 462 — FERIA IIII. LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM MATHEUM... *Ascendit ihesus herosolimam*... TRACTATUS SANCTI REMIGII. Incipit: *Previdens namque dominus noster animos*. . Desinit: *non paravit torpentibus set victoribus et triumphantibus*. Remigii Hom. XI. T. CXXXI. *Patrol. Lat*. Migne col. 922. Finis Codicis incidit in lin. 30. col. 925. ed.

Pag. 464 — FERIA V. LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM IOHANNEM... *Non possum ego a me ipso*... OMILIA BEATI AUGUSTINI. Incipit: *Sicut audis iudicas. a quo audis? si a patre*... Desinit: *sensum multa cogitantem*. Compraehendit n. 14. et 15. *Tractatus XXII*. Aug. *in Ioannem*, et partem *Tractatus XXIII*. eiusdem, a lin. 4. n. 2, ad lin. 16. n. 5.

Pag. 467 — FERIA VI. LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM LUCAM... *Homo quidam erat pater*... OMILIA SANCTI IOHANNIS OSAURI. Incipit: *Homo erat paterfamilias. homo nomine*... Desinit: *et occideret eum ut iam licenter peccaret*. Combef. *Bibl. PP. Concion*. T. II. pag. 544. In fine pleraque passim desunt.

Pag. 469 — SABBATO. LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM LUCAM... *Homo quidam habuit duos filios*... OMELIA LECTIONIS EIUSDEM. Incipit: *Omnium quidem scripturarum questionum*... Desinit: *mensuram boni sui accipit gloriam*. Ibi pag. 559. In Cod. mutila est, et in fine amanuensis inseruit aliqua *de Sacerdotibus*, quae ad superiorem Homiliam attinent.

Pag. 471 — Incipit: *Ioseph cum sedecim...* Desinit: *repositus in loculo in egypto.* EXPLICIT LIBER GENESIS.

Pag. 484 — DOMINICA III. LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM IOHANNEM... *Erat ihesu eiciens...* Incipit: *Creberrime quippe in evangelio...* Desinit: *gratis accepistis. gratis date.* Passim sententias Hom. XLII. Haymonis, T. III. col. 253. ed. Migne, et Hom. Bedae T. V. col. 380. quae vicissim nimis non differunt inter se, continet.

Pag. 488 — FERIA III. LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM IOHANNEM... *Respiciens ihesus in discipulos...* OMILIA VENERABILIS BEDE PRESBYTERI. Incipit: *Ammonet nos dominus noster non neglegere...* Desinit: *et spiritus sanctus habitat in vobis.* Aug. Sermo LXXXII. usque ad lin. 3. Cap. X.

Pag. 491 — FERIA IIII. LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM IOHANNEM... *Accesserunt ad ihesum scribe et pharisei...* OMILIA SANCTI HIERONIMI PRESBYTERI. Incipit: *Quare discipuli... Mire(a) phariseorum scribarumque stultitia...* Desinit: *ego te plantavi vinea.* Hier. *Comment. in Matthaeum,* Cap. XV. a vers. 1. ad finem vers. 13.

Pag. 493 — FERIA V. LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM IOHANNEM... *Dum cognovisset...* SERMO SANCTI AUGUSTINI EPISCOPI. Incipit: *Datur ergo intelligi quod et dominus...* Desinit: *hic salvus erit.* Aug. *Tractatus XXV. in Ioannem,* a lin. 8. Cap. 1. ad lin. 11. Cap. 6.

Pag. 494 — FERIA VI. LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM IOHANNEM... *Venit ihesus in civitatem samarie...* OMILIA LECTIONIS EIUSDEM. Incipit: *Fons iacob puteus set omnis puteus..* Desinit: *typum gerebat ecclesie.* Eiusdem *Tractatus XV.* a lin. 7. Cap. 5. ad lin. 17. Cap. 10.

Pag. 495 — SABBATO. LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM IOHANNEM... *Perrexit ihesus in montem...* OMILIA BEATI AUGUSTINI. Incipit: *Montem oliveti in montem fructuosum...* Desinit: *iniquitates eius obliviscar.* Eiusdem *Tractatus XXXIII.* a Cap. 3. usque ad finem, paucis demptis.

Pag. 498 — Incipit: *Hec sunt nomina...* Desinit: *reservate.* Ex Cap. 1. *Exodi.*

Pag. 499 — Incipit: *Egressus est post...* Desinit: *tuli eum.*

Incipit: *In diebus illis postquam creaverat...* Desinit: *pharaonis.*

Incipit: *Post multum vero temporis...* Desinit: *et deus iacob.*

Pag. 500 — Incipit: *Absconditque moyses...* Desinit: *super montem istum.*

Incipit: *Ait moyses ad dominum...* Desinit: *immolemus deo nostro.*

Incipit: *Set ego scio quod...* Desinit: *vertetur in sanguinem.*

Incipit: *Ait moyses. Obsecro...* Desinit: *Vade in pace.*

Pag. 501 — Incipit: *Dixit ergo dominus ad moysem in madian...* Desinit: *filiorum israel.*

Incipit: *Locutusque est aaron...* Desinit: *verbis mendacibus.*

Incipit: *Igitur egressi...* Desinit: *eiciet eos.*

Pag. 502 — Incipit: *Locutusque est dominus ad moysen dicens. Ego dominus...* Desinit: *durissimum.*

Incipit: *Locutusque est dominus ad moysen dicens. Ingredere...* Desinit: *preceperat dominus.*

Pag. 504 — Incipit: *Dixit dominus ad moysen. Loquere...* Desinit: *dimittere populum.*

Incipit: *Dixit autem dominus ad moysen. Ingredere...* Desinit: *et non dimisit populum.*

Incipit: *Et dixit dominus ad moysen et aaron. Tollite...* Desinit: *per manum moysi.*

Pag. 505 — Incipit: *Et dixit dominus ad moysen. Ingredere...* Desinit: *de conspectu pharaonis.*

Pag. 506 — Incipit: *Dixit autem dominus ad moysen. Extende...* Desinit: *de terra sua.*

Incipit: *Dixit quoque dominus ad moysen. et aaron in terra egypti...* Desinit: *preceperat dominus moysi et aaron.*

Pag. 507 — Incipit: *Factum est autem in medio percussit...* Desinit: *occurrerant preparare.*

Pag. 508 — Incipit: *Habitatio autem filiorum...* Desinit: *in generationibus suis.*

Incipit: *Dixitque dominus ad moysen et aaron. Hec est religio...* Desinit: *per manus suas.*

Incipit: *Locutusque est dominus ad moysen dicens. Sanctifica mihi...* Desinit: *eduxerit nos dominus de aegipto.*

Pag. 509 — Incipit: *Igitur cum emisset...* Desinit: *per noctem coram populo.*

Incipit: *Locutus est autem dominus ad moysen dicens. loquere filiis israel. Reversi...* Desinit: *et vos tacebitis.*

Incipit: *Dixitque dominus ad moysen. Quid clamas...* Desinit: *pugnat contra nos.*

Pag. 510 — Incipit: *Et ait dominus ad moysen. Extende...* Desinit: *et dixerunt.*

Incipit: *Cantemus domino...* Desinit: *per siccum in medio maris.*

Incipit: *Sumpsit ergo maria...* Desinit: *proiecit in mare.*

Incipit: *Tulit autem moyses et aaron israel...* Desinit: *sanator tuus.*

Incipit: *Venerunt autem in helim...* Desinit: *omnem multitudinem.*

Pag. 511 — Incipit: *Dixit autem dominus ad moysen. Ecce ego...* Desinit: *apparuit in nube.*

Incipit: *Locutusque est dominus ad moysen dicens. Audivi...* Desinit: *non invenietur.*

Incipit: *Dixit autem dominus ad moysen. Usque quo non vultis...* Desinit: *reservandum.*

Pag. 512 — Incipit: *Filii autem israel...* Desinit: *Estne dominus in vobis an non?*

Incipit: *Venit autem amalech...* Desinit: *in ore gladii.*

Incipit: *Dixit autem dominus ad moysen. Scribe...* Desinit: *in generatione.*

Incipit: *Cum audisset iethro...* Desinit: *abiit in terra sua.*

Pag. 513 — Incipit: *Mense tertio egressionis...* Desinit: *et omnia narravit eis.*

Incipit: *Locutusque est dominus cunctos sermones...* Desinit: *in qua erat deus.*

Pag. 514 — Incipit: *Dixit preterea dominus ad moysen. Hec dies...* Desinit: *turpitudo tua.*

Incipit: *Hec sunt iudicia...* Desinit: *et pones eos in quattuor.* Diversa et frequenti partitione hic continentur Cap. XXI. XXII. XXIII. XXIV. et XXV. usque ad vers. 26.

Pag. 518 — Dominica IIII. Lectio sancti evangelii secundum iohannem. *Abiit ihesus trans mare...* Omilia Lectionis eiusdem. Incipit: *Miracula que fecit dominus noster ihesus christus. sunt quidem...* Desinit: *venturus est in mundum.* Aug. *Tractatus XXIV. in Ioannem*; at finis Cod. incidit initio n. 7. ed.

Pag. 521 — Feria II. Lectio sancti evangelii secundum iohannem... *Prope erat pascha iudeorum...* Sermo sancti augustini episcopi. Incipit: *Quid audivimus fratres karissimi. Ecce templum...* Desinit: *intras. propter requiem sempiternam.* Aug. *Tractatus X. in Ioannem*, a n. 4. ad dimidium n. 9.

Pag. 522 — Feria III. Lectio sancti evangelii secundum. iohannem... *Iam autem die festo...* Sermo sancti augustini episcopi. Incipit: *Esterna die tunc usque lectum erat...* Desinit: *doctrina patris non est ex ipso set filius.* Aug. *Tractatus XXIX. in Iohannem*, usque ad finem n. 7. ed.

Pag. 524 — Feria IIII. Lectio sancti evangelii secundum iohannem... *Preteriens ihesus vidit hominem cecum...* Sermo sancti augustini episcopi. Incipit: *De homine quem dominus...* Desinit: *syloe et lava. Et abii et lavi. et vidi.* Aug. *Tractatus XL in Ioannem*, usque ad fere dimidium n. 8.

Pag. 526 — Feria V. Lectio sancti evangelii secundum iohannem... *Pater meus usque modo...* Omilia beati augustini episcopi. Incipit: *Turbantur ergo iudei. Quid est hoc...* Desinit: *Benedictus dominus et gloria ipsius.* Aug. Sermo CXXV. a n. 4, ad fere dimidium n. 8.

Pag. 528 — Feria VI. Lectio sancti evangelii secundum iohannem... *Erat quidam languens...* Omelia sancti augustini episcopi. Incipit: *Inter omnia miracula que fecit...* Desinit: *et vitarent veram mortem.* Aug. *Tractatus XLIX. in Ioannem*, ab initio usque ad lin. 7. n. 6.

Pag. 530 — Sabbato. Lectio sancti evangelii secundum iohannem... *Ego sum lux...* Omelia sancti augustini episcopi. Incipit: *Quomodo audivimus et intenti accepimus...* Desinit: *futuri temporis verbo significavit.* Aug. *Tractatus XXXIV. in Ioannem*, ab initio usque ad lin. 7. n. 7.

Pag. 532 — Dominica. In passione. Incipit: *Verba iheremie...* Desinit: *usque ad animam.* Hierem. vers. 1. Cap. I. usque ad vers. 10. Cap. IV.

Pag. 535 — Sermo de passione. Incipit: *Sacramentum dilectissimi dominice passionis in salutem...* Desinit: *in supplicio non timeret.* Leonis Sermo LX. T. I. col. 342. ed Migne.

Pag. 537 — Incipit: *Decursis dilectissimi sermone que ad comprehensionem...* Desinit: *mereamur esse participes. Qui vivit... seculorum. Amen.* Ibi col. 337.

Pag. 539 — Incipit: *Sacra dilectissimi dominice passionis...* Desinit: *auxilio compleatur. Qui vi-*

vit... seculorum. Amen. Ibi col. 379. Ad calcem pag. 541 adest inscriptio, cuius, ob obtruncationem marginis, haec verba tantum legi possunt: *Massaia pelegrina Bilia attonis scribere fecit... et filii et parentibus suis.* Sequebantur alia verba rubro colore scripta, quae compactoris ferro perierunt.

Pag. 541. — Incipit: *Sermone proximo dilectissimi non incongrue...* Desinit: *pervenire mereamur. In christo... seculorum. Amen.* Ibi col. 385.

Pag. 543 — DOMINICA DE PASSIONE. LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM IOHANNEM... *Quis ex vobis arguet me de peccato...* OMILIA BEATI GREGORII PAPE. Incipit: *Pensate fratres karissimi mansuetudinem dei...* Desinit: *nequaquam possit.* Greg. Hom. XVIII. T. I. col. 1506. ed. Bened.

Pag. 545 — FERIA II. LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM IOHANNEM... *Miserunt pontifices...* OMILIA BEATI AUGUSTINI EPISCOPI. Incipit: *Principes vero illi audita multitudinis fide...* Desinit: *similis autem alter futuris ad dexteram.* Aug. *Tractatus XXXI. in Ioannem,* a n. 8. usque ad finem, ubi pauca verba desunt.

Pag. 547 — Incipit: *Inter dissensiones et dubitationes...* Desinit: *sed in resurrectionem speremus.* Aug. *Tractatus XXXII. in Ioannem.*

Pag. 550 — FERIA III. LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM IOHANNEM... *Ambulabat ihesus in galileam...* Incipit: *In isto evangelii capitulo fratres dominus...* Desinit: *et clarius personet bonum est.* Eiusdem *Tractatus XXVIII.*

Pag. 555 — FERIA IIII. LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM IOHANNEM... *Facta sunt encenia...* OMILIA BEATI AUGUSTINI EPISCOPI. Incipit: *Ut iam commendavi dilectioni vestre stabiliter meminisse...* Desinit: *et multi crediderunt in eum.* Eiusdem *Tractatus XLVIII.*

Pag. 558 — FERIA V. LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM LUCAM... *Rogabat ihesum...* OMILIA BEATI GREGORII PAPE. Incipit: *Cogitanti michi de marie penitentia flere magis libet...* Desinit: *que fletibus lavatur. In christo... seculorum. Amen.* Greg. Hom. XXXIII. T. I. col. 1592. *ed. cit.*

Pag. 562 — Incipit: *Evangelica lectio dilectissimi. que sacratissimam...* Desinit: *Credimus quia simul etiam vivemus cum illo. Qui regnat... seculorum. Amen.* Leonis Sermo LXVI.

Pag. 564 — FERIA VI. LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM IOHANNEM... *Collegerunt pontifices...* OMILIA SANCTI AUGUSTINI EPISCOPI. Incipit: *Collegerunt... Haec tamen dicebant credamus...* Desinit: *offerendo magis accederent.* Aug. *Tractatus XLIX.* a n. 26. usque ad finem.

Pag. 565 — Incipit: *Sermo proximus dilectissimi. cuius vobis...* Desinit: *duriore nulla proditur.* Leonis Sermo LXVIII. Codex desinit paulo ante Cap. IV. ed.

Pag. 566 — SABBATO. LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM IOHANNEM... *Nisi manducaveritis...* SERMO SANCTI AUGUSTINI EPISCOPI. Incipit: *Quomodo quidem detur (edatur)...* Desinit: *caro autem non potest.* Aug. *Tractatus XXVI.* a n. 15 ad finem, et *Tractatus XXVII.* a n. 1. usque ad initium n. 4.

Pag. 570 — PASSIO SANCTE CATERINE VIRGINIS. Incipit: *Temporibus maxentii impiissimi...* Desinit: *gloriam dixerunt.* Differt ab edita in Surio.

Pag. 571 — SERMO SANCTI HIERONIMI PRESBYTERI IN VIGILIA OSANNA. Incipit: *Postquam dominus quatriduanum mortuum suscitavit...* Desinit: *in celis gentes fuerant credilure.* Aug. *Tractatus LI. in Ioannem,* usque ad n. 8.

Pag. 572 — Incipit: *Scriptura quidem hebraice exitus...* Desinit: *ascendit ad excelsa celorum et vivit et regnat in secula seculorum. Amen.* Leonis Sermo, T. I, pag. 345. ed. 1753, et ab Angelo Mai in sua *Nova PP. Bibl.* T. I. pag. 371. editus.

Pag. 573 — LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM MATHEUM... *Cum appropinquasset...* OMILIA SANCTI IHERONIMI PRESBYTERI. Incipit: *Factum est autem...* Desinit: *quod adventus christi salus mundi sit.* Hier. *Comm. in Mattheum,* Cap. XXI. a vers. 1. ad vers. 9. prope finem.

Pag. 575 — SERMO SANCTI PAPE LEONIS. DE PASSIONIS. Incipit: *Semper quidem dilectissimi fidelium mentes...* Desinit: *amitteris non videris.* Leonis Sermo LXVII. usque ad fere dimidium Cap. IV.

Pag. 577 — FERIA II. LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM IOHANNEM... *Ante sex dies pasche...* SERMO SANCTI AUGUSTINI EPISCOPI. Incipit: *Ne putarent homines fantasma esse factum...* Desinit: *mecum eris in paradyso.* Aug. *Tractatus L.* a n. 5. ad finem n. 12.

Pag. 578 — Incipit: *Predixerat enim sic sanctus iheremias...* Desinit: *clavis in ligno confixus est.* Non invenimus.

Pag. 581 — Incipit: *Temporibus claudii cesaris ac summorum pontificum...* Desinit: *et pro nobis mori. benedicat nos.* Consule Sixtum Senensem (*Bibl. Sanct.* T. I. pag. 161.) qui de *Actis Pilati* ibi disseruit.

Pag. 590 — Feria III. Lectio sancti evangelii secundum marcum... *Erat pascha et azyma...* Omilia beati hieronimi presbiteri. De eadem lectione. Incipit: *Nunc ergo aspergamus...* Desinit: *spes extinguatur.* Apud Combef. T. III. *Bibl. PP. Concion.* pag. 613. usque ad expositionem super verba: *omnes vos scandalum...*

Pag. 592 — Feria IIII. Passio secundum Lucam... *Ecce introeuntibus vobis...* Tractatus Sancti Amrosii episcopi. Incipit: *Bonum est considerare fratres karissimi ubi...* Desinit: *meror aboleret.* Ambr. *Expos. in Lucam,* Cap. XXII. a n. 26. ad finem n. 58.

Pag. 594 — Feria V. in cena domini. lectio prima. Incipit: *Incipit lamentatio...* Desinit: *est inimicus.* Ex *Ierem.*

lectio II. *Ioth.* Incipit: *Manum suam...* Desinit: *inter eos.* Ibi.

Pag. 595 — Lectio III. Sade. Incipit: *Iustus est dominus...* Desinit: *et humiliatam.* Ibi.

Expositio in psalmos. In secundo nocturno. Incipit: *Exaudi deus orationem meam...* Desinit: *non permittat.* Aug. *Enarratio in Psalmum LXIII.* a Cap. II. ad fere integrum Cap. IV.

Pag. 596 — *Convenientibus vobis...* Desinit: *sanguinis domini.* Ex S. Pauli *Epist. ad Corinthios.*

Pag. 599 — *Pascha non sicut quidam...* Desinit: *salvemini.* Aug. *Tractatus LV. et LVI. in Ioannem.*

Pag. 602 — Feria VI. in parasceve. Lectio I. Vau. Incipit: *Et dissipavit...* Desiuit: *falsas et eiectiones.* Ex *Ierem.*

Lectio II. Samech. Incipit: *Plauserunt...* Desinit: *consumpsit eos.* Ibi.

Pag. 603 — Lectio III. Aleph. Incipit: *Ego vir videns...* Desinit: *salutare domini.* Ibi.

Expositio psalmi aurelii augustini episcopi. Lectio IIII. In secundo nocturno. Incipit: *Deus deus meus respice... Istud verbum...* Desinit: *passionem honorificantur.* Enarr. in Psalmum XXI.

Pag. 605 — Incipit: *Hodierna die dominus noster pependit in cruce...* Desinit: *in regno tuo.* Aug. Sermo CLV, *App.* usque ad lin. 16. n. 6.

Pag. 606 — In sabbato sancto. lectio prima. Teth. Incipit. *Bonum est viro...* Desinit: *sub celis domine.* Ex *Ierem.*

Pag. 607 — Lectio II. Aleph. Incipit: *Quomodo obscuratum...* Desinit: *peccata tua.* Ibi.

Pag. 608 — Lectio III. Oratio hieremie prophete. Aleph. Incipit: *Recordare domine...* Desinit: *nos vehementer.* Explicit. oratio hieremie prophete. Ibi.

Expositio aurelii augustini. Incipit: *Deus laudem meam ne tacueris... Unde apparet...* Desinit: *et nos dimittimus debitoribus nostris.* Aug. *Enarrat. in Ps. CVIII.*

Pag. 609 — Sermo sancti iohannis osaurei. Incipit: *Iudei ergo quoniam parasceve erat...* Desinit: *esse non debet.* Aug. *Tractatus CXX. in Ioannem,* sed differt in fine ab ed.

Pag. 610 — Incipit: *Audiens diabolus...* Desinit: *ad dexteram patris. Ipsi gloria... seculorum. Amen.* Greg. *Hom. XXI.*

Pag. 615 — In resurrectione domini. Lectio sancti evangelii secundum marcum. *Maria magdalene...* Omelia beati gregorii pape de eadem lectione. Incipit: *Multis vobis lectionibus...* Desinit: *unicum filium suum. Per eundem... seculorum. Amen.* Greg. Homil. 21 in *Evang.*

Pag. 616 — Sermo sancti Augustini episcopi. Incipit: *Passionem vel resurrectionem...* Desinit: *cicatrices corporis sui...* Aug. Sermo CIX. *App.* Desunt quae in ed. ausulis inclusa sunt.

Pag. 617 — In natali omnium sanctorum. Incipit: *Legimus in ecclesiasticis hystoriis...* Desinit: *tranquillitas in diuturna pace.* Vide Cod. CXI. pag. 310.

Pag. 620 — Passio sancti cesarii. Incipit: *Tempore quo claudius...* Desinit: *in hodiernum diem. ad laudem domini...seculorum. Amen.* Apud Mombritium, T. I. pag. 195.

Pag. 623 — In sancti leonardi. Incipit: *Beatus igitur leonardus. temporibus anastasii...* Desinit: *ibidem fugantur.* Ibi T. II. pag. 56.

Pag. 629 — In sanctorum quatuor coronatorum. Incipit: *Tempore quo dioclitianus...* Desinit: *recolantur dies eorum. Regnante domino... seculorum. Amen.* Ibi T. I. pag. 162.

Pag. 633 — Passio sancti theodori. Incipit: *Temporibus illis cum maximianus et maximinus...* Desinit: *et magnificentia. et magnitudo in secula seculorum. Amen.* Differt tam a Mombritio, T. II. fol. 324, quam a Surio, T. VI. pag. 220.

Pag. 635 — Incipit omilia edita a beato anastasio archiepiscopo. de ymago domini nostri ihesu christi. Incipit: *Levate oculos sensui vestro et videte novam ammirationem...* Desinit: *nos et in scientia eius in christo ihesu domino nostro. Qui cum patre... seculorum. Amen.* Ex diversis Imaginis D. N. Iesu Christi *Historiis*, allatis in ed. Benedictina *Opp.* S. Athanasii (T. II. pag. 354.) postrema fere cum hac concordat.

Pag. 637 — In sancti martini confessoris. Incipit: *Igitur martinus sabaria pannoniorum oppido...* Desinit: *duodecim computantur. Cui est honor... seculorum. Amen.* Apud Surium T. VI. pag. 249.

Pag. 644 — Passio sancte cecilie virginis. Incipit: *Humanas laudes et mortalium infulas...* Desinit: *usque in hodiernum diem. ad laudem et honorem domini nostri ihesu christi. Cui est... seculorum. Amen.* Apud Mombritium, T. II pag. 188.

Pag. 654 — Passio sancti clementis pape. Incipit: *Tertius romane ecclesiae prefuit clemens...* Desinit: *atque pontificem. huius alme rome. Cui est honor... seculorum. Amen.* Ibi pag. 193.

Pag. 659 — Incipit epistola augustini directa ad discipulum suum petrum causa predicationis hierusalem ire volenti. Incipit: *Epistolam fili petre tue karitatis...* Desinit: *sine fine cum Christo.* Aug, *Liber de Fide*, T. VI. pag. 763. ed. Migne. In Cod. dimidio Capiti II. annectuntur Capita IV. V. VI. VII. VIII. XLI. XLII.

Pag. 662 — Sine titulo incipit: *Nullus igitur qui sanum...* Desinit: *ac spiritum ejus sanctum substantialiter.* Ambrosii *Tractatus de Trinitate*, a Cap. I. T. IV. col. 509. ed. Migne, ad Cap. VI. Caetera desunt, fortasse abscissione foliorum.

Pag. 665 — Passio sancte illuminate virginis et martyris. Incipit: *Passionem sancte illuminate virginis...* Desinit: *tertio kalendas decembris. Ad laudem... seculorum. Amen.* De S. Illuminata hanc Baronii notam tantum invenimus. « Claruit temporibus Maximiani Imperatoris, ut constat ex rebus gestis ipsius, quas manuscriptas ab Ecclesia Tudertina missas accepimus ». Eandem memorat in suis *Annalibus*. Ferrarius *in Catalogo Sanctorum Italiae*, pag. 738, ex Officio Eccles Tudertinae brevissima *Acta* prodidit.

Pag. 667 — Passio sancte barbare virginis. Incipit: *Regnante impio maximiano imperatore et marciano preside. fuit quidam vir in nicomedia civitate dioscorus nomine...* Desinit: *in monumento modico. Cui est honor... seculorum. Amen.* Apud Mombritium, T. I. pag. 74.

Pag. 670 — In sancti nicolai confessoris. Incipit: *Nicolaus itaque ex illustri prosapia ortus...* Desinit: *magnificantes dominum nostrum ihesum christum qui vivit... seculorum. Amen.* Ibi T. II. pag. 162.

Pag. 680 — Idus decembris. Passio sancte Lucie virginis. Incipit: *Cum per universam provinciam beatissime virginis agathe...* Desinit: *agente paschasio consulari. Regnante domino... seculorum. Amen.* Ibi pag. 58.

Pag. 683. — Incipit prologus sancti thome apostoli. Incipit: *Thomas hebraice latine abyssus...* Desinit: *duodecimo kalendas ianuarias.* Ibi pag. 333.

Passio sancti thome apostoli. Incipit: *Cum apostolus thomas. qui et didymus dicitur...* Desinit: *ad apostolorum gaudia pervenire. Ipso... seculorum.* Ibidem.

Pag. 691 — X. kalendas ianuarias. Sancti gregorii spoletani. Incipit: *Temporibus diocletiani et maximiani imperatorum. talis furor...* Desinit: *et benedi... seculorum. Amen.* Apud Surium, T. VI. pag. 951.

Pag. 694 — Miraculum que fuit factum rome. sancti Gregorii Martiris. sancti gregorii spoletani. Incipit: *Cum miracula que...* Desinit incomplete: *enixe rogo ut...* Cetera desiderantur. Nullum S. Gregorii *Miraculum* in Surio recensetur. Baronius autem in suo *Martyrologio Romano*, sub die XXIV. Decembris adnotat: *Actis* a Mombritio et Surio editis, in quodam Manuscripto addi miraculum Gregorii virtute gestum. At eius initium aliter se habet.

CODEX CXVIII.

SIGNATUS NUMERIS EXTERIORIBUS 118 ET 47, INTERIORI VERO 305 PLUTEO KK.

Huius Codicis, qui habet longitudinis metri $35/_0$, latitudinis $25/_0$, et 97 foliis constat membranaceis, partes differunt cum materia, tum scriptura. Prior enim litteris gothicis minutioris formae XV Saec. exarata, et excurrens a pag. 1, usque ad pag. 39, continet *Flores vel Flosculos sententiarum de libris Moralium B. Gregorii Papae, collectos per fratrem Ignatium monachum Casinensem*, necnon et *Elucidarium Moralium* eiusdem Sancti ab eodem auctore redactum. Citatur haec pars Codicis ab Arnoldo Wion in *Ligno Vitae*, Libro II, Cap. LXX. De hoc Ignatio et de eius *Opera* nonnulla leguntur apud Gattulam, qui, Tomo II. *Histor. Cas.* pag. 606, Saec. X Benedictino, autumat eum esse auctorem Vitae S. Bertharii a nobis editae ex Cod. XXXIV. Posterior vero pars, XV. Saec. in Indice Codicum Bibliothecae Casinensis anni 1532, edito in *Appendice Prologi* T. I, huius *Bibl. Cas.* ex Cod. Vatic. 3961, his verbis memoratur: *Quidam liber valde utilis et generalis super scriptura divina incipit Tanta pollet.* Eadem continet Cod. XXXVII. Saec. circiter XIV, *Latinae et Italicae D. Marci Bibliothecae* (1746): « Exempla ex Sacris Scripturis excerpta, ad Sacrorum Oratorum commodum, et utilitatem, ut auctor ipse, quicunque sit, in praefatione declarat. Initium praefationis est: *Tanta pollet excellentia praedicationis officium* ». Haec exempla sub 134 leguntur titulis, ab amanuensi Codicis in initio exaratis, et ab alia manu in ultima pagina ordine alphabetico digestis. Hoc repertorium est inter *Opera* S. Bonaventurae sub titulo: *Biblia Pauperum*. Variae manus alios titulos sive notas addiderunt. In pag. 56, verbi gratia, legitur: *De regibus suspensis. vidi in sermone arpini... Ioanne(?) quodam episcopi bivini*; in pag. 168, ad haec verba textus: *Testimonio domini iustam rem postulaverunt filie salphaad quando in hereditate paterna succedere a moyse pecierunt. num. 27.* haec nota occurrit in margine: *pro regina anglie in pape clementis consistorio allegatum et contra regem francie;* in pagina 124 ad titulum *de ypocrisi et simulatione*, sub quo veniunt exempla in vituperationem horum vitiorum, adnonator quidam, simplicitati columbae prudentiam conjungens, haec in margine addenda censuit: *Utilem simulationem iehu rex israel nos docuit qui finxit se ydolum baal velle colere ut congregaret sacerdotes eius et occideret eos. IV Reg. cap. X. 229. 2. utilem. Utilem simulationem fecit david quando mutavit faciem suam coram achis rege ieth et dimisit eum et abiit. 22. q. 2. C. utilem et I Reg. C. 27. De utili simulatione petri simulantis se iudaizare ut iudaeos lucrifaceret. ad gal. cap. (II). Da utili simulatione pauli quando circumcidit timotheum propter iudeos qui erant in illis locis. de alia simulatione pauli quando totondit sibi capud in ceneris.* Recenset hunc Codicem Montfauconius, sub eodem numero CXVIII, et cum imperfecto titulo quo exterius notatur: *Flores sententiarum desumti ex libris Moralium S. Gregorii Papae ab Ignatio monacho casinati. Elucidarium eorumdem Moralium eiusdem auctoris.* In margine superiori primae paginae haec leguntur charactere recentiori scripta: *Haec omnia per sanctum paterium secretarium sancti Gregorii, de eius consensu, fuerunt excerpta et bis... impressioni tradita: prout habetur a Rmo Epo Bitontino etc. De 2000bus materiis sub Alphabetico.*

Pag. 1 — INCIPIUNT FLORES VEL FLOSCULI SEN-

COD. CXVIII.

PAGINA CLXV.

de opp͂ssione bonor͂

Uarias adiuuenit p̃secutiões · 106 ·
maliciās pharao' ut possꝫ extin
guere uel adnichil̃ari' filios
israel. exo. i. in principio enim duris
laborib; eos p̃cepit affligi · deinde
masculos occidi. postea mandauit
eos nutrire p̃ui ' et feminas res
uari

COD. CXIX.

PAGINA CLXVIII.

Cum filium suum fa · & sine adi
ectione acquirent hereditate his i
quor͂ sunt potestate ut puta si ne
pos ex filio exheredato heres sit insti
tutus. patrem enim se suum sine a
dientie facit heredem. & quidē necess
sarium. sꝫ & si quis heres instituit
ad optetur a filio exheredato.

COD. CXX.

PAGINA CLVI.

Si pater naturalis filie sue extitit mā
ritus fiū. g. obitum ei ea mulier ab in
testato ... mulieris ... mari
to ... sibi modo ei ... filii
ne liberis filia ... mulie
filiā ... quemtum ... anfidi ...
a patre exigere possit.

COD. CXXI.

PAGINA CLXXV.

De ferijs.

Omnis dies dn̄icos · quintaꝫ h̃ · c · dicit loquū'
9 filio uel ee locale uel abrogatuꝫ ꝑ tacitū cō
sensū · alij dicūt q obs̃uande ē · ē · c ōmis · xv ·
· q · iiij · placuit · xxiiij · q · iiij · nō op;

COD. CXXII.

PAGINA CCCVII.

Q's dicatr dux m̃ac bro
cc'r sui capitane l'ual
q Via p̃ricipe de uasso.
ducatu aliquo iue
stit' ē · dux soluto m̃c uo
cat'.

LIT. CAS.

TENTIARUM DE LIBRIS MORALIUM BEATI GREGORII PAPE. COLLECTI PER FRATREM IGNATIUM MONACHUM CASSINENSEM AD HONOREM DEI ET UTILITATEM LEGENTIUM.

Incipit: *Abyssus corda hominum lapsu fluida libro XVIII. Capitulo XXX...* Desinit: *Avis ascendens ad ethera l. XVIII. c. XXIIII.*

Pag. 2 — Incipit: *Baalim l. VII. C.XXV...* Desinit: *Brachia opera. l. XIIII. c.*

Incipit: *Cayn primus civitatem in terra construxisse dicitur l. VI. c. II...* Desinit: *Custos virtutis est infirmitas l. XIX. c. IIII.*

Pag. 4 — Incipit: *Danielis vita ad imitandum proponitur l. XXIX...* Desinit: *Duobus modis ira fracta desuescit. l. V. c. XXXII.*

Pag. 6 — Incipit: *Ebibit spiritum hominis sagittis domini. l. VII. c. II...* Desinit: *Extendit nubes dominus l. XXVII. c. VI.*

Incipit: *Facies sine macula. facile inimico resistitur l. XIII. c. VIII...* Desinit: *Fumi globus cum alii superius inanescunt alii surgunt superius l. XXXIII. c. XXXII.*

Pag. 7 — Incipit: *Gallus succinctus lumbos l. XXX. c. III...* Desinit: *Germinet terra fructum iuxta genus suum l. XIX.*

Incipit: *Habundant tabernacula predonum. l. XI. c. II...* Desinit: *Humilitas magistra rectitudinis l. XXV. c. XXVIII. et l. XXVI. c. XXXVII.*

Pag. 8 — Incipit: *Iacob dormiens vidit scalam l. V. c. XVII...* Desinit: *Iuvenes nulla consilii gravitate deprimuntur. l. XIX. c. XVII.*

Pag. 9 — Incipit: *Karitas christi urget nos l. XXVII. c. XXV...* Desinit: *Karitatem. dei et proximi deserunt. l. XX. c. XIII*

Incipit: *Laban exactoris typum sonet l. XXX. c. XXXVI...* Desinit: *Luxurie diffinitio eradicantis omnia bona. libro XXI. c. XII. et XIII.*

Pag. 11 — Incipit: *Macula faciem inquinat l. X. c. XIII. l. XIII. c. IIII...* Desinit: *Multa mundi impedimenta. l. XXVII. c. X.*

Pag. 12 — Incipit: *Naaman cum equis et curribus. l. VII. c. XXXV.* Desinit: *Nunquam impleri iustitia propter timorem potest. l. XI c. XVI.*

Pag. 13 — Incipit: *Obedientia victimis proponitur. l. XXXV. c. VIII et IX...* Desinit: *O vos omnes qui transitis per viam l. XV c. XXIX.*

Pag. 14 — Incipit: *Paupertatis nomine humilitas significatur. l. XVI. c. XIX...* Desinit: *Pulchra erit universitas. l. XXXIII c. XIII.*

Pag. 16 — Incipit: *Quatuor ictibus antiqus hostis fregit rectitudinem hominis. l. VII c. XIII...* Desinit: *Qui se ipsum prius non iudicat quid in alio rectum iudicet ignorat. l. IIII. c. XVIII.*

Incipit: *Racha l. XXI. c...* Desinit: *Rugiet onager.*

Pag. 17 — Incipit: *Sancti ludibria l. XXV. c. X...* Desinit: *Stultorum verba. l. VII. c. V.*

Pag. 19 — Incipit: *Tabernacula dei omnes qui divina precepta metuunt fiunt...* Desinit: *Tumor.*

Incipit: *Vach brutum animal dicere non potest. l. XXXI. c. XXV. l. XXXI. c. XXV...* Desinit: *Vota pre infirmitate solvere non valentes. l. XVI. c. VII. et libro IX. c. VIII.*

Pag. 21 — Incipit: *Kristus l. XXIX c. V...* Desinit: *Christianus. l. XXIX. c. V.*

Incipit: *Yudei a pluvia nomen acceperunt. l. IX. c. I...* Desinit: *ypocrisis aperte describitur. l. XXXIII. c. XXXI.*

Incipit: *Zacheus siccomorum subiit. l. XXVII. c. XXVIII...* Desinit: *Zeli sancti. l. III. c. ultimo.*

Pag. 23 — INCIPIT ELUCIDARIUS MORALIUM BEATI GREGORII PAPE DEMONSTRATIVUS EXPOSITIONIS ORDINIS ET MODI QUEM TENUIT IDEM DOCTOR EGREGIUS IN EXPLANATIONE LIBRI IOB COLLECTUS ET IN UNUM REDACTUS PER FRATREM IGNATIUM MONACHUM SACRI MONASTERII CASINENSIS. Incipit: *In libris moralium beati Gregorii pape inveniuntur quatuor prefationes...* Desinit: *distinguendo et dividendo sensum a sensu percurramus.*

INCIPIT EPISTOLA BEATI GREGORII PAPE AD LEANDRUM EPISCOPUM. Incipit: *Reverentissimo atque sanctissimo quasi lamentando recitat...* Desinit: *et reddit rationem.*

INCIPIT PREPHATIO SEU PROLOGUS BEATI GREGORII IN LIBRUM BEATI IOB DISTINCTUS SEU DIVISUS PER CAPITULA. Incipit: *Inter multos sepe queritur...* Desinit: *addens quem modum in sequentibus tenere intendat.*

Pag. 24 — (Alia manu: *Incipit liber primus*). *Primus liber moralium beati Gregorii. Incipit primo capitulo A. et dividitur in capitula XXVI.* Incipit: *Vir erat in terra hus...* Desinit: *virtuosis operibus sit necessaria.*

Pag. 25 — LIBER SECUNDUS. *Incipit a primo...*

Incipit: *Quadam die cum venissent filii...* Desinit: *et mox solvit.*

Pag. 28 — Incipit liber Tertius. *Liber tertius Moralium beati gregorii pape. Incipit secundo A.* Incipit: *Factum est cum quadam die...* Desinit: *processu in tribus libris precedentibus.*

Pag. 32 — *Incipiunt capitula quarti libri moralium.* Incipit: *Quartus liber... Qui textum considerat...* Desinit: *duas questiones incidentes ex fine precedentis capituli.*

Pag. 36 — *Incipit liber quintus Moralium beati gregorii. Qintus liber...* Desinit: *Quia vero quisquis hic docet quod filius est ymago patris per quam etiam pater cognoscitur.* In margine inferiori eadem manus haec verba exaravit: *Bene autem subditur et vocem quasi hic...*

Pag. 39 — Invenitur opusculum de Praedicatoribus, cum 122 locis communibus ex S. Scriptura excerptis. Praefatio, quam integram referimus, haec est: *Tanta pollet excellentia predicationis officium quod salvator noster dominus ihesus christus non confunditur asserere se fuisse missum ad id salubriter exercendum. Predicator igitur assumpto tante dignitatis opere totis studiis laborare conetur ut id sicut oportet et expedit exequatur. Quod profecto fieri poterit si honorem dei et utilitatem proximi directe intendat ibi querere non commodum temporale vel propter inanem gloriam subtilia magna et quasi inutilia coriosius exquirendo ac sermonibus imperitis ac sententias involvendo sciolus apparere. Manifestum est autem antiquorum exempla gestorum valde edificatoria esse. Quoniam sunt decenter indicta et inter sacra verba congruenter inserta. Siquidem et casto timorem incutiunt et sanctum alliciunt ad amorem dum id quod boni factum fuisse narratur homini sibimet posse similiter fieri arbitratur sive speciali gratia actum fuerit cum quibusdam sive aliis sua diligenti doctrina sive etiam terribili disciplina. Intellectum insuper hominis faciliter instruunt et congnitionem generant planiorem. Quia cum facta precedentium memorabilia describantur. quasi quedam sensibiles species in auditoris ymaginativa pingunt a qua sine difficultate ad intellectivam postea transcendunt. apprehensis quam mirabiliter precedentium factis quanto auditorem contingit fortiori admiratione percuti. et tanto eius memoriam certum est tenacius insigniri. Sicque minus cito poterit quod avide auditum et valde inpressum fuerit de ipsa in memorativa deleri. Quia vero ait beatus augustinus XI. de civitate dei. sacra scriptura supra omnium gentium literas omnia sibi genera ingeniorum humanorum divina excellens auctoritate subiecit ibi omnino solida et indubitabilis veritas continetur. Ideoque exempla que hauriuntur in ea eo magis sunt ponderis et valoris quo sublimiori auctoritate et certiori veritate nituntur. Unde predicator verba scripture sacre evidentius exponendo et testimoniis in eternum fundatis utendo potest morose sermonem tutius dilatare quam si verba cujuscumque alterius ystorie pertractaret plurimas igitur utilitates de exemplorum in sacra pagina contentorum narratione veridica provenire perpendens. Ad honorem dei et aliqualem proximorum edificationem exempla in variis locis scripturae dispersa faciliter, breviterque secundum quod teneritas paupertatis mee excerpere laboravi. nullus autem ita me presumptuosum existimet ut putem hic cuncta ipsius scripture exempla notabilia coartasse. Scio enim quod tanta est christianorum profunditas literarum ut non possit paucis voluminibus apprehendi. quare si dicat lector quod ad hanc vel ad illam materiam. tale vel tale exemplum potuissem adduci. hoc ommissum vel etiam tale ad hoc positum ad quod purius ac congruentius debuisset aptari nolo vobis contendere nec ei contradicere in hac parte. In hoc solum mihi sufficiat quod de bonis et notabilibus exemplis aliqua utilia sunt hic sub brevi stillitate recisa. etiam quia non tamquam unum valet adduci ad diversas virtutum aut vitiorum materias non miretur aliquis vel turbetur si interdum sub diversis titulis idem factum vel exemplum invenies collocatum verbi gratia quando narratur quod joseph procaci mulieri ipsum sollicitanti. et acquiescere recusavit quamquam factum fuerit unum. potest tamen inde sumi exemplum pro castitate iuvenum et pro fidelitate servorum. Item contra nimiam crudelitatem dominorum et contra fallacias mulierum. Item de occultis judiciis et providentia dei qui hujuscemodi cause ipsum joseph inoppinabiliter sublimavit. Porroque brevitati studens sensum posui non ipsa verba prout in textu omnino jacebant. Ut autem exempla possint promptius et actius proposito predicatoris occurrere titulos subse-*

quentis opusculi in ipso libri capite prenotavi. Deinde sequitur index capitum. Incipit: *De miraculis divina potestate factis*... Desinit: *De pretiosa morte iustorum.*

Pag. 41 — De miraculis divina potestate factis. Incipit: *Creatio rerum fuit ita mirabilis quod eius notitia non nisi per revelationem venire potuit ad hominem*... Desinit: *qui in insula illa habebant infirmitates concurrebant et curabantur. actus XXVIII.*

Pag. 45 — De providentia dei et occultis eius iudiciis. Incipit: *Sciebat dominus hominem peccaturum et tamen ipsum peccabilem fecit cum impeccabilem facere potuisset*... Desinit: *Romam venit, quam sua doctrina vel predicatione salubriter illustravit. et sua passione feliciter decoravit.*

Pag. 48 — De benignitate dei ad servos suos. Incipit: *Abraham loquens cum domino et petens ne perderet sodomitas*... Desinit: *angelum suum, qui cum multiplici revelatione consolatus est. apocalypsis. I. et deinceps per totum.*

Pag. 50 — De consolatione divina. Incipit: *Post quam abraham exivit de terra sua*... Desinit: *divina revelatione fuit multipliciter consolatus. apo. I. et deinceps.*

Pag. 51 — De benedictione quam dat deus homini. Incipit: *Creavit deus hominem ad ymaginem et similitudinem suam*... Desinit: *illa benedictio quam dabit dominus electis in die iudicii quando dicturus est venite et cetera. Mat. XXV.*

De maledictione qua deus maledicit. Incipit: *Serpens primo legitur a deo maledictus fuisse*... Desinit: *ite maledicti in ignem eternum.*

De benedictione qua homo benedicit deo. Incipit: *Melchisedech ierusalem accurens abraham revertenti a cede*... Desinit: *benedictio honor et gloria.*

Pag. 52 — De benedictione qua homo benedicit homini. Incipit: *Melchisedech ierusalem occurit abraham revertenti*... Desinit: *benedicta tu inter mulieres et benedictus fructus ventris tui. luc. I.*

Pag. 53 — De maledictione qua homo homini maledicit. Incipit: *Primus inter homines noe legitur maledixisse canaham nepoti suo*... Desinit: *quia princeps est sacerdotum. act. XXIIII.*

Pag. 54 — De severitate dei erga delinquentes. Incipit: *Graviter punivit deus peccatum priorum parentum*... Desinit: *quod non dedisset honorem deo et consumptus a vermibus expiravit. act. XII.* Manus posterioris aevi addidit in margine ad exemplum hominis lapidati eo quod in sabbato ligna collegisset: *De sabbati observatione.*

Pag. 55 — De ira dei et furore. Incipit: *Attende quod secundum augustinum*... Desinit: *abscondite nos a facie sedentis in trono et ab ira agni.*

Pag. 57 — Quod dominus attendit ad operantem et non ad opus. Incipit: *Caym optulit de fructibus terre munera domino. Abel quoque*... Desinit: *pietas vel caritas. luc. XXIII.*

Quod dominus interdum probat homines sive temptat. Incipit: *Temptavit deus abraam*... Desinit: *dicebat temptans eum. Ioan. VI.*

Quod homo non debet temptare deum. Incipit: *Abraam ingrediens egyptum*... Desinit: *appellavit. act. XXV.*

Pag. 58 — De voto. Incipit: *Iacob vadens ad domum laban*... Desinit: *donec occidamus paulum.*

Pag. 59 — De oratione. Incipit: *Humiliter discrete instanter et pie oravit abraam*... Desinit: *vigilate et orate ne intretis in temptationem.*

Pag. 61 — De lacrimis sive fletu. Incipit: *Quando maria magdalena*... Desinit: *ut oblivisceretur peccati in eum commissi. Genes. L.* In hoc paragrapho iterum redit titulus *de lacrimis;* et tituli *de Iuramento*, et *de Sabbati observatione*, qui in indice praevio leguntur, hic non occurrunt. Notandum quod amanuensis in priore parte huius Tractatus omisit rubricas, quas diversae manus addiderunt, ex quo et in numeris et in materiae divisione interdum ortus est error.

Pag. 62 — De reverentia templo exhibenda. Incipit: *Vulgus promiscuum quod ascenderat*... Desinit: *extra templum ut foris occiderent eum.*

Pag. 63 — De oratione et cultu dei. Incipit: *Factum est ut offerret chaym de fructibus*... Desinit: *adora et cetera. apoc. XXII.*

Pag. 64 — De ydolatria. Incipit: *Videns populus quod moram faceret*... Desinit: *videns ydolatrie deditam civitatem. act. XVII.*

Pag. 65 — De blasphemia contra deum. Incipit: *Filius mulieris israelitidis precepto divino lapidatus fuit*... Desinit: *dicebantur blasphemantes. act. XIII. et XVIII.*

De preceptis domini et servatione ipsorum.

Incipit: *Preceptum leve ad implendum et breve ad retinendum...* Desinit: *nix glacies et cetera.*

Pag. 66 — De obedientia. Incipit: *Hominem deus volens sub obedientia...* Desinit: *apostolorum et seniorum. act. XV.*

Pag. 67 — De scriptura sacra. Incipit: *Magnam reverentiam habere debemus. ad scripturam...* Desinit: *per scripturas christum esse ihesum. act. XVII.*

Pag. 68 — De exhortatione bona et predicatione verbi. Incipit: *Caym admonitus exteriori voce dei...* Desinit: *in modico suades mihi christianum fieri act. XXVI.*

Pag. 70 — De consiliis et persuasionibus malis. Incipit: *Eva de ligno vetito dedit viro...* Desinit: *paulum et silam virgis cedi et in carcerem milti. act. 26.*

Pag. 71 — De audiendo verbum dei. Ab hinc rubricae scriptae fuerunt ab amanuensi Codicis. Incipit: *Aaron locutus fuit omnia verba...* Desinit: *in modico suades mihi christianum fieri. act. XXVI.*

Pag. 73 — De apparitionibus factis patribus antiquis. 30. Incipit: *Ante peccatum locutus est dominus ad adam...* Desinit: *revelationibus totus liber plenus est.*

Pag. 75—de angelis bonis. 31. Incipit: *Angeli apparuerunt...* Desinit: *liber ille plenus est angelicis revelationibus.*

Pag. 77 — De spiritibus malis. Incipit: *Spiritus mali...* Desinit: *recederent de domo illa. ac. 19.*

De immortalitate anime rationalis. 33. Incipit: *Per hoc quod dicitur gen. XXV. de abraam...* Desinit: *talia non diceret nisi de vita alia certus esset.*

Pag. 78 — De fide quam debet homo habere ad deum. 34. Incipit: *Credidit abraham...* Desinit: *dyonisius ariopagita et multi alii. ac. XVII.*

Pag. 80 — De fidelitate hominum servanda. 35. Incipit: *Servo abrahe...* Desinit: *rogantes ne se daret in theatrum. ac. XIX.*

Pag. 81 — De contemplatione et mentis illustratione. Incipit: *Postquam exivit abraham de ur...* Desinit: *revelavit ei dominus secreta celestia apo. deinceps per totum.*

Pag. 82 — De spe et benignitate. 37. (Legendum ex titulo praevio et ex contextu: *longanimitate*). Incipit: *Multis annis espectavit abraam...* Desinit: *laboris et patientie prophetas. etc. Iac. V.*

Pag. 83 — De timore dei. 38. Incipit: *Usque ad beatitudinem confirmatis non potest esse securitas...* Desinit: *operatur iustitiam.*

Pag. 84 — De timore quo mali timent bonos. 39. Incipit: *Dixit abimelech ad abraam...* Desinit: *me oportet facere ut salvus fiam. ac. XVI.*

De dilectione dei. 40. Incipit: *Daturus legem moysi dominus...* Desinit: *quia ipse prior dilexit nos. I. Ioh. IIII.*

Pag. 85 — De dilectione proximi. Incipit: *Reprehensus est caym a domino...* Desinit: *sicut apparet precipue in prima. ca. IIII. capituli.*

Pag. 87 — De invidia. Rubrica. Incipit: *Invidia diaboli mors intravit orbem terrarum...* Desinit: *zelantes autem iudei concitaverunt civitatem. ac. XVII.*

Pag. 88 — De correctione fraterna. 43. Incipit: *Corripere proximum et reprehendere est opus...* Desinit: *corrigi tales mandavit. Thess. V.*

Pag. 90 — De compassione habenda ad proximos libenter. 44. Incipit: *Videns abraam captum esse loth...* Desinit: *sunt cognati mei. quos iterum parturio.*

Pag. 91 — de hospitalitate. 44. (sic). Non indicatur in indice generali. Incipit: *Nota de abraam...* Desinit: *in fratres et hoc in peregrinis. etc.*

Pag. 92 — De amicitia. 95 (sic). Incipit: *Vocatis multis amicorum turbis ad convivium laban fecit...* Desinit: *eum rogantes ne se daret in teatrum ac. XIX.*

Pag. 93 — de inimicitia et odio. 36. Incipit: *Post peccatum priorum parentum...* Desinit: *sunt amici qui prius fuerunt inimici. Luc. 23.*

Pag. 94 — De pace et concordia. 47. Incipit: *Alia animalia fecit deus dupplicia...* Desinit: *non est pax impiis dicit dominus deus.*

Pag. 95 — De unitate et communi consensu. 48. Incipit: *Ex uno homine deus humanum genus...* Desinit: *sed erant omnia comunia. ac. III.*

Pag. 96 — De discordia lite vel rixa. 49. Incipit: *Primam discordiam inter homines movit invidia...* Desinit: *facta est dissentio inter phariseos et saduceos et soluta est multitudo. ac. XXIII.*

Pag. 97 — De bono zelo contra peccatores.

65 (*sic*). Incipit: *Seviebant filii iacob ob stuprum dine sororis...* Desinit: *secunda ad cor. XI. ad hebreos quasi per totum.*

Pag. 98 — De zelo indiscreto. 51. Incipit: *Videns iosue famulus moysi...* Desinit: *emulationem quidem dei habent sed non secundum scientiam.*

Pag. 99 — De astutia et caliditate bona. 52. Incipit: *Abraham veniens in egyptum...* Desinit: *cesarem appellavit. ac. 26.* Hic titulus in indice Codicis desideratur.

Pag. 101 — De astutia et caliditate mala. 53. Incipit: *Primum magistrum caliditatis et astutie patet...* Desinit: *se obligaverant. per votum. ac. 32.* Manus posterioris aevi hoc caput subdivisit cum alio titulo: *De mala simulatione.*

Pag. 103 — De eruditione puerorum. 54. Incipit: *Videns iacob...* Desinit: *singulos hortabatur propria voce dicens nescio qualiter in utero et cetera. mac. VII.*

Pag. 104 — De bonis consiliis non acquiescere periculosum. 55. Incipit: *Angeli qui apparuerunt...* Desinit: *quam iustum sanguinem contempnare. Mat. 27. Ioan. 19.*

Pag. 105 — De suspicione et falsa credulitate. 56. Incipit: *Cogitavit abraham...* Desinit: *subito casurum et mori. ac. XXVIII.*

Quod sancti viri permittunt aliqua fieri. non libenter. 57. Incipit: *Iacob permisit abduci filium...* Desinit: *inimicitiam concitarent.*

Pag. 106 — De iustitia et equitate. 58. Incipit: *Abraam volens separari a loth...* Desinit: *debitum quod liberaliter dimiserat prius illi. Mat. Ioan.*

De iudiciis hominum rectis ac pravis. 59. Incipit: *Causam quam nescit iudex debet diligentissime investigare...* Desinit: *si non appellasset ad cesarem ac. 26.*

Pag. 108 — De penitentia. 60. Incipit: *Quamdiu mansit maria extra castra...* Desinit: *deus ad penitentiam vitam dedit. ac. XII.*

Pag. 109 — De honore parentum. 61. Incipit: *Sem et japhet...* Desinit: *qui in tali articulo existens de ea taliter cogitabat.*

Pag. 110 — De gratiis agendis pro beneficiis dei. 62. Incipit: *Sollicite gratias agebat deo iacob...* Desinit: *sine intermissione orate.*

Pag. 111 — De gratitudine in beneficiis ab homine receptis. 63. Incipit: *Cum percussisset abraam quatuor reges...* Desinit: *scribi eidem phylemoni et efficaces literas.*

Pag. 112 — De ingratitudine. 64. Incipit: *Prepositus pincernarum...* Desinit: *gavisi sunt de demone expulso. ac. XV.*

Pag. 113 — Quod veritas odium parit. 65. Incipit: *Balaach rex moab...* Desinit: *ego inimicus sum vobis verum dicens.*

Pag. 114 — De mendatio. 66. Incipit: *Primum mendatium fuit a serpente...* Desinit: *presentia autem corporis infirma sermo contemptibilis etc.*

Pag. 115 — De proditione. 67. Incipit: *Paciente saule vexationem...* Desinit: *parati erant interficere illum. ac. 23.*

Pag. 116 — De adulatione. 68. Incipit: *Chore et complices eius...* Desinit: *adulatus est felici presidi. ac. 24.*

Pag. 117 — De derisione et convitiis. Incipit: *Viri socht et phanuel deriserunt...* Desinit: *audiemus te hoc unum. ac. XVII.*

(De detractoribus et maledicis). Incipit: *Impie detraxit ioseph innocenti...* Desinit: *cito postea mutaverunt oppinionem.*

Pag. 119 — De liberalitate misericordia et largitate. Incipit: *Rebecca filia baruelis...* Desinit: *aut debet hic. mihi imputa. etc.*

Pag. 121 — De avaritia. Incipit: *Multa possunt notari...* Desinit: *festo successsori suo vinctum.*

Pag. 123 — De paupertate. Incipit: *Patriarcha recedens a parentibus suis...* Desinit: *frigore et nuditate.*

Pag. 124 — De ypocrisi et simulatione. Incipit: *Amon filius...* Desinit: *non desinis vias domini rectas pervertere etc. ac. XIII.*

De munerum acceptione. Incipit: *Abraam noluit accipere multa...* Desinit: *paulum dimisit vinctum. act. 24.*

Pag. 126 — De fortitudine et strenuitate. 67. Incipit: *Videns abraam nepotem suum loth esse raptum...* Desinit: *in laboribus plurimis.*

Pag. 127 — De fiducia et magnanimitate. Incipit: *Moyses stetit coram pharaone...* Desinit: *habentes pugnas inter timores etc.*

Pag. 129 — De patientia et mansuetudine in iniuriis et tormentis. Incipit: *Mansuete fere-*

bat cum pater suus... Desinit: *adorabant dominum et laudabant. ac. XIX.*

Pag. 132 — De perseverantia et constantia. Incipit: *Non est respiciendum retro post egressum...* Desinit: *cursum meum etc. ac. XX.*

Pag. 133 — De impatientia et murmure. 80. Incipit: *Agar ancilla sarre...* Desinit: *ministerio cotidiano vidue eorum etc. ac. VI.*

Pag. 134 — De bello corporali et victoria ut plurimum divinitus optenta. 81. Incipit: *Abraam cum paucis sociis debellavit...* Desinit: *ipse in prelio occidit et ceteri fugerunt. mac. IX.*

Pag. 137. — De pusillanimitate. 82. Incipit: *Cum dixissent angeli loth...* Desinit: *timebant extra synagogam fieri. Io. 9.*

Pag. 138 — De fortitudine ad operandum malum. 83. Incipit: *Caym fuit fortior quam abel quando...* Desinit: *statim cum impetu occiderent eum. ac. 23.*

Pag. 139 — De homicidiis. 84. Incipit: *Nota quam graviter homicidium a caym commissum punivit...* Desinit: *et cum inebriati essent proditorie occidit eos. mat. XV.*

De stragibus hominum diversis. 85. Incipit: *Terribilis hominum et aliorum animalium strages fuit...* Desinit: *iudas occidit et ceteri fugerunt. mac. 9.*

Pag. 140 — De abstinentia et sobrietate. 86. Incipit: *Precepit dominus adam dicens...* Desinit: *dixit spiritus sanctus segregate mihi barnabam et paulum. ac. XIII.*

Pag. 143 — De gula et ebrietate. 87. Incipit: *Primum hominis peccatum vitio gule fuit...* Desinit: *non potuerunt una hora vigilare cum eo. mat. 26. mar. 14. luc. 22.*

Pag. 144 — De castitate. 88. Incipit: *Quod uxor debebat viro suo esse savia...* Desinit: *sed ambo gravissime sunt puniti. ac. V.*

Pag. 145 — De matrimonio. 89. Incipit: *Quamdiu primi parentes in paradiso fuerunt...* Desinit: *deputatus fuit ad ministerium custodie mulierum. ac. 6.*

De luxuria et incontinentia. 90. Incipit: *Peccatum carnis precipua videtur fuisse causa...* Desinit: *cupiebat implere ventrem suum de siliquis quas porci manducabant etc.*

Pag. 146 — De incauto aspectu. 91. Incipit: *Prima mulier viso ligni vetiti fructu...* Desinit: *ei stulte promisit quod crudeliter implevit. Mat. XIIII. Marc. VI.*

Pag. 147 — De silentio et loquacitate. 92. Incipit: *Preceptum dedit dominus ade et non eve...* Desinit: *non est auditus quod sepe in scriptura probatur.*

Pag. 148 — De affectu naturali. 93. Incipit: *Moyses distribuit XII boves...* Desinit: *continuo non acquievi carni et sanguini etc.*

De ira hominis per zelum. 94. Incipit: *Cum loqueretur moyses pharaoni...* Desinit: *et contristatus est super cecitatem cordis eorum. Marc. III.*

Pag. 149 — De ira hominis per vitium. 95. Incipit: *Respexit dominus ad abel...* Desinit: *his autem auditis repleti sunt ira etc. ac. 19.*

Pag. 150 — De humilitate. 96. Incipit: *Dixit angelus ad agar...* Desinit: *invicem arbitrantes.*

Pag. 153 — De superbia. 97. Incipit: *Quia propter appetitum excellentie...* Desinit: *consumptus a vermibus exspiravit. ac. XII.*

Pag. 154 — De iactantia. 98. Incipit: *Cael filius ebed dicebat...* Desinit: *et potestatem habeo dimmittere te. Io. XIX.*

Pag. 155 — De electionibus. 99. Incipit: *Consilio iethero sacerdotis madian...* Desinit: *segregate mihi paulum et barnabam in opus ad quod assumpsi eos. ac. XIII.*

Pag. 156 — De bonis prelatis. 100. Incipit: *Bonus prelatus moyses multotiens...* Desinit: *fieri omnium observationes et orationes. etc.*

Pag. 159 — De malis prelatis. 101. Incipit: *Precepit dominus moysi dicens...* Desinit: *et idcirco compulsus est cesarem appellare. ac. XXV.*

Pag. 161 — De ambitiosis. 102. Incipit: *Locuta est maria et aaron...* Desinit: *et pecunia tua tecum sit in perditione. ac. VIII.*

Pag. 162 — De temptatione dyaboli. 103. Incipit: *Serpens calidus ad temptandum...* Desinit: *cur temptavit sathanas cor tuum mentiri te spiritui sancto et fraudare de pretio agri. ac. V.*

De peccato in generali et variis penis. que ex peccato oriuntur. 104. Incipit: *Quod peccatum causet in homine erubescentiam...* Desinit: *vade iam amplius noli peccare. Io. 8.*

Pag. 163 — De confessione peccati. 105. In-

cipit: *Monebat dominus adam post peccatum..* Desinit: *confitentes annuntiantes actus suos. ac.* 19.

De duritia ed obstinatione malorum. 106. Incipit: *Cham post increpationem...* Desinit: *vos semper spiritui sancto restitistis. etc. ac. VI.*

Pag. 164 — De perversione quorumdam. 107. Incipit: *Prima mulier ordinem nature pervertit...* Desinit: *XXX argenteis tradidit salvatorem. math. XXIII.*

Pag. 165 — De oppressione bonorum per malos. 108. Incipit: *Varias adinvenit malicias pharao...* Desinit: *conpulsus est cesarem appellare. ac. 24. et 25.*

Pag. 167 — De tribulationibus bonorum. 109. Incipit: *Caym nequam prevaluit adversus abel iustum...* Desinit: *in carcerem mitti et pedes eorum in ligno stringi. ac. XVI.*

Pag. 168 — Quod boni proficiunt ex tribulationibus. 110. Hic titulus non legitur in indice generali. Incipit: *Plus crevit ioseph in exilio...* Desinit: *tribulationem exilii perpessus est sicut apparet. Io. I. et deinceps per totum.*

Pag. 171 — De multitudine malorum. 111. Incipit: *Cum factum fuit diluvium acto homines tantum salvati sunt...* Desinit: *notum est nobis quia ubicumque est contradicitur. ac.* 28.

De bonis latentibus inter malos. 112. Incipit: *Quamvis scriptum sit gen. VI...* Desinit: *et deprecans dominum semper. ac.* X.

Pag. 172 — De mobilitate populi. 113. Incipit: *Rediens moyses de terra madian...* Desinit: *cito mutaverunt opinionem. ac. XXVIII.*

Pag. 174 — De operatione bona. 114. Incipit: *Posuit dominus hominem in paradiso...* Desinit: *priscilla que eiusdem artis erat. et operabatur. act. 18.*

Pag. 175 — De recta intentione habenda in opere. 115. Incipit: *Occidit chaim abel...* Desinit: *nichil ei profuit videre ihesum. Luc. 29.*

Pag. 176 — De accidia vel negligentia. 116. Incipit: *Audiens yacob...* Desinit: *vigilare continuo dormiebant. Mat. 26. Marc. 14. luc. 22.*

De pueris bone indolis. 117. Incipit: *Non legitur ysaac murmurasse...* Desinit: *et erat subditus illis. luc. II.*

Pag. 177 — De societate bonorum. 118. Incipit: *Considerandum est valde quod si inventi fuissent. X. viri iusti...* Desinit: *donavit tibi deus omnes qui navigant tecum. ac. XXV.* Index Codici praevius hunc titulum non habet.

Pag 178 — De societate malorum. 119. Incipit: *Salubriter exivit abraam de caldea...* Desinit: *seditionem contra paulum concitavit. ac. XIX.*

Pag. 179 — De prosperitate mundana. 120. Incipit: *Habundantia rerum temporalium sepe fit multorum occasio...* Desinit: *consumptus vermibus exspiravit. ac. XII.*

Pag. 181 — De curiositate humana. 121. Incipit: *Primarie trasgressionis occasio...* Desinit: *frequenter vage et otiose verbose et curiose. timot. V.*

De bona fide mulierum. 123 (sic). Incipit: *Commendat apostolus. ebr. XI...* Desinit: *et baptizata est et domus eius. ac. XVI.*

Pag. 182 — De sapientia mulierum. 134 (sic). Incipit: *Sarra prudenter intellexit...* Desinit: *bene locuta est ei si credidisset prudenter egisset. Mat. XXVII.*

Pag. 183 — De pietate mulierum. 125. Incipit: *Rebecca videns servum abrae...* Desinit: *et devote audivit verbum dei.*

Pag. 184 — De fortitudine mulierum. 126. Incipit: *Barach filius abrae voluit ducere exercitum...* Desinit: *domine si tu sustulisti eum dicito michi. Io. XX.*

De aviditate mulierum. 127. Index Codici praevius hunc titulum non habet. Incipit: *Prima mulier vidit lignum pulcrum...* Desinit: *cucurrit et introstantibus nuntiavit. ac. XII.*

Pag. 185 — De fallaciis mulierum. 128. *Occasione eve deceptus est adam...* Desinit: *per petrum gravissime punitum. ac. V.*

Pag. 186 — De stultiloquio mulierum. 129. Incipit: *Eva legitur primo locuta fuisse cum serpente...* Desinit: *samaritana antequam impigeret in veritatem. Io. IIII.*

De ornatu superfluo mulierum. 130. Incipit: *Thamar nurus iude...* Desinit: *auri aut vestimentorum cultus. I. petr. III.*

Pag. 187 — De morte in generali. 131. Incipit: *Quia vera est sententia dei qua dixit...* Desinit: *quia furori malorum cedens pluribus se utilem reservabat.*

Pag. 188 — De sepultura. 132. Incipit: *Cum*

magna diligentia emit abraam... Desinit: *fecerunt planctum magnum super eum. ac. VIII.*

De horrenda morte malorum. 133. Incipit: *Chaym qui occidit abel...* Desinit: *consumptus a vermibus exspiravit etc. ac. XII.*

Pag. 190 — De pretiosa morte iustorum. 134. Incipit: *Cum essent in agro caym et abel...* Desinit: *Cui morti* (*S. Stephani*) *nostram faciat similem redemptor, et salvator noster dominus ihesus christus, qui secundum augustinum* X. *de trinitate per unam simplam mortem suam nostram destruxit dupplicem qui ut ait idem augustinus de civitate dei tantam fidei contulit gratiam, ut mors quam vite constat esse contrariam instrumentum fieret quo transiretur ad vitam. quam nobis concedat ipse verus auctor salutis eterne qui est via, veritas, et vita. qui vite, et mortis habet imperium. Qui cum patre et spiritu sancto vivit et regnat deus per internumerabilia secula seculorum. Amen. Deo gratias. Amen.*

CODEX CXIX.

SIGNATUS NUMERIS EXTERIORIBUS 119 ET 74, INTERIORI VERO 974 PLUTEO XX.

Codex membranaceus, longitudinis metri $41/_{0}$, latitudinis vero $26/_{0}$, in folio, characteribus XVI Saeculi, vulgo Gothicis dictis, exarati, paginarum 530. Titulo exteriori notatur: *Infortiati pars prima cum glossa*, eodemque titulo ac numero a Montfauconio citatur. Continet Infortiati Digestum cum Commentariis Accursii Florentini legum Doctoris. Praeter ista commentaria frequenter in margine foliorum leguntur postillae, quae saepe nomen Dyonisii exhibent. In capite cuiusque libri pictura, tabellis quadratis inclusa, materiam de qua agitur praesignat. In principio manus posterioris aevi addidit versus quosdam in honorem S. Nicolai; in quibus conficiendis multum desudavit poeta, ut litterae initiales cuiuscumque versus simul iunctae nomen NICOLAI exprimerent, finalesque in cadendo eumdem redderent sonum. In fine duas *Sequentias* invenies, quarum prior Virginis gaudia, posterior Verba Christi in Cruce pendentis exprimit. Occurrit etiam stemma, ut videtur, familiae de Giusto, ab imperita manu delineatum; et legitur nomen Dominici de Cardulis de Narnia qui esserit Codicem esse suum. Assutum est in compactione folium Saeculi XIV, quod continet nonnullas decretales quae occurrunt in Libro I Decretalium Gregorii, Titulo III. *De rescriptis*. In margine superiori huius paginae leguntur hi versus:

Sperne deos, fugito periuria, sabbata serva.
Sit tibi patris amor, sit tibi matris honor
Non sis occisor fur mecus testis iniqus
Vicinique torum resque caveto suas.

In inferiori margine occurrunt pariter sequentes versus cum hac nota: *Infrascripti versus sunt ad laudem Beati Nicolay cuius gloriosum nomen in primis litteris versus denotatur.*

Nos defensare digneris namque parentem
Iuvisti natas mestrum prostrare volentem
Cuius prima dies nituit miracula vite
Hinc matri proprie nascuntur gaudia rite
O mirum sesculo replesti presul egentes
Luminis eterni concitas undique gentes
Angelicos cetus vidisti in morte suprema
Ex quibus in celum satus es cum luce serena.

Nobis laudande subcurras et venerande
In mundo mundi quo simus atque iucundi
Cui prelatura non clepsit regna futura
Hic dum vixisti decoro munere christi.
Omnia mundana sprevisti gaudia vana
Letari nati norunt seculo reparati
Aurum iactasti genitori quo reparasti
Eius tres natas ad sordida lucra paratas.

In aversa pagina alia manus rubricas librorum et titulorum Infortiati scripsit.

Codicem contulimus cum editione Veneta Infortiati anni 1584.

Pag. 1—Rubrica cum littera initiali desideratur in Codice ob recisionem membranae. Incipit: *Dotium causa semper et ubique precipua est. nam et reipublice interest dotes mulieribus conservari cum dotatas esse feminas ad sobolem procreandam. replendamque liberis civitatem maxime sit necessarium.*

Ulpian. lib. Soluto matrimonio solvi mulieri dos debet... Desinit: *ad maritum pertinebunt*. Ibi a col. 66. Incipit commentarium Accursii: Soluto ma-

trimo. *dixit supra de iure dot. per quos constituitur dos. nunc e contra per quos repetatur vel dixit supra tit. I. de matrimoniis dirimendis...* et concordat cum editione si excipias scholia posterius addita.

Pag. 16 — EXPLICIT LIBER. XXIIII. INCIPIT. XXV. DE INPENSIS IN REBUS DOTALIBUS FACTIS. RUBRICA. Incipit: *Inpensarum quedam sunt necessarie. quedam utiles quedam vero volumptarie...* Desinit: *administrat. habere potest.* Ibi a col. 66. ad col. 111.

Pag. 30 — DOMINI IUSTINIANI. SACRATISSIMI PRINCIPIS PERPETUI. AUGUSTI IURIS ENUCLEATI EX OMNI VETERI IURE COLLECTI. LIBER XXV. EXPLICIT. INCIPIT. XXVI. DE TUTELIS. RUBRICA. Incipit: *Tutela est ut servius diffinit...* Desinit: *clementis gerendam compellatur.* Ibi a col. 111, ad col. 245. Dantur in Codice rubricae titulorum, sed rubricae Bartoli desunt.

Pag. 70 — EXPLICIT LIBER. XXVI. INCIPIT LIBER. XXVII. DE EXCUSATIONIBUS ET TEMPORIBUS EARUM. RUBRICA. Incipit: *Herennius modestinus ignatio dextro. conscribens librum...* Desinit: *cognitione iudicis faciat.* Ibi a col. 245, ad col. 363. Praeter glossam Accursii, et notulas Dyonisii, quae etiam in margine ab alia manu fuerunt additae, occurrunt insuper in hoc libro notulae Argentini.

Pag. 105 — DOMINI IUSTINIANI SACRATISSIMI PRINCIPIS PERPETUI AUGUSTI. IURIS ENUCLEATI EX OMNI VETERI IURE COLLECTI. DIGESTORUM SEU PANDECTARUM. LIBER. XXVII. EXPLICIT. INCIPIT XXVIII. QUI TESTAMENTA FACERE POSSUNT. ET QUEMADMODUM TESTAMENTA FIANT. RUBRICA. Incipit: *Testamentum est voluntatis nostre...* Desinit: *locutum esse apparet.* Ibi a col. 363, ad col. 592. Inter nomina sub quibus occurrunt glossulae marginales leguntur: Franciscus, Petrus, Bartholus etc.

Pag. 159 — DOMINI IUSTINIANI SACRATISSIMI PRINCIPIS PERPETUI AUGUSTI. IURIS ENUCLEATI EX OMNI VETERI IURE. COLLECTI. DIGESTORUM. SEU PANDECTARUM. LIBER. XXVIII. EXPLICIT. INCIPIT. XXIX. DE MILITARI TESTAMENTO. RUBRICA. Incipit: *Militibus liberam testamenti...* Desinit: *et hoc puto rectius dici.* Ibi a col. 593. ad col. 752.

Pag. 204 — DOMINI IUSTINIANI SACRATISSIMI PRINCIPIS PERPETUI AUGUSTI. IURIS ENUCLEATI EX OMNI VETERI IURE COLLECTI. DIGESTORUM SEU PANDECTARUM. EXPLICIT LIBER. XXIX. INCIPIT. XXX. DE LEGATIS ET FIDEICOMMISSIS. PRIMO. RUBRICA. Incipit: *Per omnia exequata sunt...* Desinit: *a tutore decepta est.* Ibi a col. 752, ad col. 865.

Pag. 235 — DOMINI IUSTINIANI SACRATISSIMI PRINCIPIS PERPETUI AUGUSTI. IURIS ENUCLEATI EX OMNI VETERI IURE COLLECTI. DIGESTORUM SEU PANDECTARUM. EXPLICIT LIBER. XXX. INCIPIT. XXXI. DE LEGATIS ET FIDEICONMISSIS. SECUNDO. Incipit: *In arbitrium alterius conferri legatum...* Desinit: *precium dare debere.* Ibi a col. 865, ad col. 972.

Pag. 264 — DOMINI IUSTINIANI SACRATISSIMI PRINCIPIS. DIGESTORUM SEU PANDECTARUM. LIBER. XXXI. EXPLICIT. INCIPIT. XXXII. DE LEGATIS ET FIDEICOMMISSIS. TERTIO. RUBRICA. Incipit: *Ulp. lib. Si incertus quis sit...* Desinit: *minus est. deducitur.* Ibi a Col. 973, ad col. 1081.

Pag. 293 — DOMINI IUSTINIANI SACRATISSIMI PRINCIPIS. PERPETUI AUGUSTI. IURIS ENUCLEATI. EX OMNI VETERI IURE DIGESTORUM SEU PANDECTARUM. LIBER. XXXII. EXPLICIT. INCIPIT. XXXIII. DE ANNUIS LEGATIS ET FIDEICONMISSIS. Incipit: *Ulpian. lib. Cum in annos singulos...* Desinit: *Paulus. Fundo legato. instrumentum eius non aliter legato cedit. nisi specialiter id expressum sit. nam et domo legata. neque instrumentum eius. neque suppellex aliter legato cedunt. quam si idipsum nominatim expressum a testatore fuerit. — verum est id dotis legato inesse quod in actione de dote inerat. et ideo si inter virum et uxorem convenerant. ut mortis causa soluto. matrimonio. filios filiasve relinquerent. nichil alienationem de dote fieret constituendo iure curs de aliis eligendis potestas non fieret quod dotalia predia contra legem iul. vendidit. et uxori legata dedit. et emptoris fideiconmisit. ut in predium melius ei restitueret. Emptorem fideiconmisso teneri constat. set tamen accepto legato. filie vendictionem irritam faceret quia quo mulieres per dotis copulas hoc filie tenent. pro hereditate unacuit (ut vacuit). nusquam conparat. et* quem (sic) *iustum est quod compelet matri hoc et filiis quia semper filii matres succedant.* — Super verba, quae inter lineolas includuntur, manus posterioris aevi scripsit: *Vacat.* Ibi a col. 1881, ad col. 1228,

Pag. 331 — EXPLICIT LIBER XXXIII. INCIPIT. XXXIIII. DE ALIMENTIS ET CIBARIIS LEGATIS. RU-

BRICA. Incipit: *Si alimenta fuerint legata...* Desinit: *a quo relictum est remanet.* Ibi a col. 1228. ad col. 1384.

Pag. 366 — EXPLICIT LIBER XXXV. INCIPIT XXXVI. DE CONDITIONIBUS. ET DEMONSTRATIONIBUS. ET CAUSIS. ET MODIS. ET EORUM QUE IN TESTAMENTO SCRIBUNTUR. Incipit: *Legatis que relinquuntur...* Desinit: *in quatuor partes dividantur.* Ibi a col. 1385, ad columnae 1542 lineam vigesimam septimam. Desinit vero commentarium: *quod statim aperit. sic fiet. etc.*

Pag 399 — Cum littera initiali variis ornata coloribus, sine titulo incipit: *Tres partes ferant legatarii...* Desinit: *proprietatem reversuram.* Ibi a col. 1542, ad col. 1574. Incipit commentarium ut in editione: Tres partes. *nec caput libri. nec § est hic. set est pars legis superioris ..*

Pag. 406 — EXPLICIT LIBER. XXXV. INCIPIT. XXXVI. AD SENATUSCONSULTUM TREBELLIANUM ET PEGASIANUM. RUBRICA. Incipit: *Ulp. lib. Explicito tractatu qui ad fideiconmissa...* Desinit: *creditoris manumisserit.* Ibi a col. 1575, ad col. 1778.

Pag. 450 — EXPLICIT LIBER. XXXVI. INCIPIT LIBER. XXXVII. DE BONORUM POSSESSIONIBUS. RUBRICA. Incipit: *Bonorum possessione admissa...* Desinit: *contra patrone voluntatem utitur.* Ibi a col. 1779 ad col. 1913.

Pag. 487 — EXPLICIT LIBER. XXXVII. INCIPIT. XXXVIII. DE OPERIS LIBERTORUM. RUBRICA. Incipit: *Opere sunt diuturnum officium...* Desinit: *post liminio non sit reversus.* Ibi a col. 1914, ad col. 2020. Desinit commentarium: *ut supra eodem libro in suspenso. et no. supra si pars hered. pe. illud in principio. Accurs.* Deinde legitur: *Expleto libro referamus gratiam christo.*

Pag. 529 — Alter amanuensis in hac pagina, sequentia scripsit, quae non integre leguntur ob recisionem membranae:

Virgo temp. . . . . et misericordie.
Qui tue humili . . . . et fragrantie.
De te nasci nuntiatur cum . . . . . . tibi salus gratie.
Modum queris demiratur, dum con . . . confestim rex glorie.
Per hoc gaudium queramus rogamus quod hunc regem m(ereamur) *habere propitium*
Et ab eo protegamur, protecti recipiamur in terra viventium.

. . . .
. . . . *gaudium* . . . .

Gestio gratulari stella monet quam morari vides super filio.
Cum a magis adorari ipsum cernis et ditari munere tam vario.
Stella notat veritatem, tresque reges trinitatem in predicto filio.
Aurum mentis puritatem, mirra carnis castitatem et thus est in auro.
O maria stella mundi, a pecchatis simus mundi per te virgo purissima.
Et virtutibus fecundi, leti tecum et iocundi lectemur in patria.

Quartum virg . . . . suscitatur christus die tercia.
Per hoc fides roboratur, spes redit et mors fugatur in te plena gratia.
Homo captus liberatur, et ab ymis sublevatur sursum ad celestia.
Hostis victus captivatur, dolet, gemit, anxiatur, amissa potentia.
Ergo mater creatoris, funde preces cunctis horis, ut per istud gaudium.
Post huius cursum laboris, beatis iungamur choris, supernorum civium.

Quintum virgo accepisti, adscendentem cum vidisti Filium in gloria.
Tunc aperte cognovisti, quod tu mater extitisti cuius eras filia.
In ascensu demiratur, via per quam ascendatur ad celi palatia.
Ergo surgat et sequatur, istam viam qui moratur in mundi miseria.
Per hoc gaudium rogamus, ne subici valeamus demonis imperio.
Set ad celos ascendamus, ut semper tecum gaudeamus simul et cum filio.

Sextum gaudium ostendit de supernis qui descendit ex signis paraclitus.
Dum comfirmat, et defendit, replet, mundat et accendit apostolos, penitus.

In linguis est ignis datus, ut per linguas sit sanatus, homo linguis perditus.

Et per ignem emundatus, qui fuerat maculatus per pecchatum primitus.

Per hoc gaudium beatum, ora virgo tuum natum ut in hoc exilio.

Deleat nostrum reatum. ne sit nobis impulatum in magno iudicio.

Ad septimum invitavit, cum de mundo te vocavit christus ad celestia.

Super tronos exaltavit, exaltatam honoravit spetiali gratia.

Tibi sic honor prestatur qui nemini reservatur nisi, per te domina.

Nec virtutibus ditatur, nisi per te cui datur virtutum custodia.

Virgo mater pietatis sentiamus bonitatis, tue beneficium.

Et nos serves a pecchatis, et adducas cum beatis ad eternum gaudium.

O maria tota munda et pecchatis nos emunda per hec septem gaudia.

Et fecunda nos fecunda, perduc tecum ad iocunda paradisi gaudia. Amen.

INFRASCRIPTA VERBA LOCUTUS EST CHRISTUS IN CRUCE CUIDAM SANCTO ORATORI.

Et ego quid demerui, pendens inter latrones.
Oravi nec optinui, carnis petitiones.
Calicem mortis sorbui, patri placere studui.
Per carnis passiones.

Ergo non murmur exeat, si non fit quod oratis.
Nec orasse peniteat, quamvis non impetrasti.
Dum fraudat desiderium ad maius beneficium.
Datorem obligasti.

Ad me si levas oculum, vides argento vendi.
Tradi quoque per obsculum et dure comprehendi.
Et alligari fuhibus, et confici verberibus.
Sine lege parcendi.

Relinquor ab amantibus, velud iam desperatus,
Presentor pontificibus, quasi latro ligatus.
Si quos amavi fortius, ab illis inquam citius.
Sum spretus et negatus.

Ibi clamor derisio, severitas minarum.
Et capitis velatio, et ictus maxillarum.
Omnes impune feriunt, et quicquid mihi faciunt.
Videtur esse parum.

Obscuratus obprobriis, deducor ad pilatum.
Renovatis iniuriis, ruunt in accusatum.
Hinc omicidam liberant et me cruenter verberant.
Ad crucem iudicatum.

Ibi nil valet veritas, sive ius allegando.
Set emula clamositas prevalet insultando.
Nec preses dat presidia, nec curam gerit curia.
De iusto liberando.

Quasi vile mancipium, dant in herodis manus.
Mox producor in medium, deludor ut insanus.
Tandem remissus pontio dire mortis suplicio.
Comdempnor ut prophanus.

Extra muros eicior et ipse crucem fero.
Matre vidente spolior, vestimentis que gero.
Tandem clavis confodior, et cum in cruce morior.
De vita non despero.

Tu ergo vermis non turberis si statim non consequeris quicquid a patre queris. Amen.

Alia manu: *Salve crux spes unica, Hoc passionis tempore, dona piis iustitiam, reisque dona veniam.*

In aversa pagina alia manus haec scripsit:... *Tu qui es salutis portus...*

Et in lecto mee mortis libera me deus fortis.

A leone rugiente Et a dracone furente.

Da mihi sedes iustorum deus per omnia secula seculorum. Amen.

Solvitur quaestio de quodam accusato de homicidio, qui confitetur se aliquem ad defensionem sui occidisse; sed hanc occisionis causam probare non potest. Deinde legitur: *Iste liber est mei Dominici de Cardulis de Narnia.* Sequuntur quaedam charactere rabbinico scripta, cum hac nota: *MCCCCXVIII a di VII. dottobre chonpero Messer benedetto di iannozzo(?) da volterra scudi di ciera di filippo de Ramanato e debe da me franciesco di paghola merciaio chosi ne one iscritto antrata all quaderno della bottegha charte* (8) *che ne one ricieuto questo di sopra detto scudi dieci in oro.*

Infra legitur: *Pietro di Giusto di francisco Marcantonio di Giovanni di Giusto frantonio di Michele de giusto.* Deinde ocurrit haec data: *die prima decembris 1462.*

CODEX CXX.

SIGNATUS NUMERIS EXTERIORIBUS 120 ET 208, INTERIORI VERO 370 PLUTEO XX.

Codex conflatus ex 117 foliis membranaceis, minuto charactere XIV Saeculi exaratis, metri usque ad centesimam partem divisi 35 in longitudine, 23 vero partes in latitudine habet. Exteriori titulo notatur: *Pars prima Infortiati cum glossa*, et recensetur a Montfauconio sub eodem numero et cum titulo: *Secunda pars Infortiati cum glossa*. Continet secundum Pandectarum Tomum, ab ultimo Titulo libri XXIV (qui est ultimus Digesti veteris) usque ad XXXV librum, qui non integre legitur ob recisionem paginarum in fine. Habet pro compactura folium Codicis XI Saec. Libri Tobiae fragmentum exhibens. In hoc folio Iohannes Abbas Sancti Georgii, propria manu sequentia scripsit: † *yhc. Liber quem Iohannes Abbas monasterii sancti Georgii Maioris de Venetiis optabat sibi scribi in honorem dei seu monasterio prefato et hoc scripsit die VII. Iulii 1430. optimus enim est dictus liber et valde convenientissimus.* Similis huius Abbatis nota eodem die scripta in Codice I occurrit.

Pag. 1 — Soluto matrimonio quemadmodum dos spectatur. Incipit: *Pomponius. Dotis causa semper et ubique precipua est... ut solus agat... libro XLVIII. descripsit... cavendumque a patre ratam rem filiam habituram... Paulus. Non solum... nec alter alius... set et si pecunia... tollitur... Pomponius. Si pater... eius nomine dedisset.... agat.... Ulpianus. De divisione... tradita possessione.* (Alia manu, quae passim Codicem emendavit: *tradita possessio est*). *Paulus. Si ante nuptias... Item in ceteris annis servatur...* Desinit liber XXIV: *quomodo cuiuslibet rei dotalis ad maritum pertinebunt.* Edit. Venet. anni 1584, a columna prima ad col. 66.

Pag. 9 — Digestorum. seu pandectarum. liber. XXIIII. Explicit. Incipit. XXV. De impensis in res dotales factis. Rubrica. Incipit: *Impensarum quedam sunt necessarie quedam utiles...* Desinit: *ex dote deductionem.* Ibi col. 66.

Pag. 10 — De actione rerum amotarum. Incipit: *Paulus. Rerum amotarum iudicium...* Desinit: *solvitur iudicium.* Ibi col. 73.

Pag. 12 — De agnoscendis liberis et alendis vel parentibus vel patronis vel libertis. Incipit: *Ulpianus. Senatusconsultum quod factum est...* Desinit: *constitutionibus manifestatur.* Ibi col. 85.

Pag. 14 — De ventre inspiciendo custodiendoque pariter. Incipit: *Ulpianus. Temporibus divorum fratrum...* Desinit: *causa cognita statuendum.* Ibi col. 98.

Pag. 16 — Si ventris nomine. muliere missa in possessionem eadem possessio dolo malo. ad alium translata esse dicetur. Incipit: *Ulpianus. Hoc edicto rectissime...* Desinit: *hec actio.* Ibi col. 104.

Si mulier ventris nomine. in possessione calumnie causa fuisse dicatur. Incipit: *Ulpianus. Si de possessione...* Desinit: *suo nomine tenebitur.* Ibi col. 107.

De concubinis. Incipit: *Ulpianus. Que in concubinatu est...* Desinit: *habere potest.* Ibi col. 109.

Pag. 17 — Domni iustiniani. sacerdotissimi (sacratissimi) principis perpetui. Augusti. iuris enucleati ex omni vetere iure collecti. digestorum seu pandectarum. liber XXV. explicit. Incipit. XXVI. de tutelis. Rubrica. Incipit: *Paulus. Tutela est ut servius...* Desinit: *specialiter postulent.* Ibi col. 111.

Pag. 18 — De testamentaria tutela. Incipit: *Gaius. lege XII. tabularum...* Desinit: *cur non permanerent.* Ibi col. 120.

Pag. 20 — De confirmando tutore vel curatore lex greca. Rubrica. Incipit:... *rebatius. Mulier liberis non recte...* Desinit: *satis dare debere.* Ibi col. 134.

Pag. 21 — De legitimis tutoribus. *Ulpianus. Legitime tutele...* Desinit: *audiens potest.* Ibi col. 139.

Pag. 22 — De tutoribus et curatoribus datis ab his qui ius dandi habent et qui et in quibus causis specialiter dari possunt. Rubrica. Incipit: *Ulpianus. Sive proconsul....* Desinit: *marcus rescripsit.* Ibi col. 146.

Pag. 24 — Qui petent tutores vel curatores et ubi petantur. Incipit: *Modestinus. Matris sollicitudo...* Desinit: *tutores dederit.* Ibi col. 155.

Pag. 25 — De aministratione et periculo tutorum seu curatorum. qui gesserint. vel non. et de agentibus et conveniendis uno vel pluribus. Rubrica. Incipit: *Ulpianus. Gerere atque...*. Desinit: *id accidisset.* Ibi col. 158.

Pag. 35 — De auctoritate et consensu tutorum vel curatorum. Incipit: *Ulpianus. Quamquam regula est...* Desinit: *agi recte non potest.* Ibi col. 222.

Pag. 37 — Quando ex facto tutorum vel curatorum minores agere vel convenire possunt. Incipit: *Pomponius. Ob dolum malum vel...* Desinit: *accio. Respondit dandam.* Ibi col. 232.

De suspectis tutoribus et curatoribus. Rubrica. Incipit: *Ulpianus. Hec clausula et frequens...* Desinit: *gerendam compellatur.* Ibi col. 235.

Pag. 39 — Explicit liber XX.VI. Incipit XXVII. de excusationibus et temporalibus earum. Imcipit: *Herennius modestinus ignatio dextro. Conscribens librum...* Desinit: *antoninus cum divo patre significavit.* Ibi col. 245.

Pag. 46 — Ubi pupillus morari vel educari debeat et de alimentis prestandis. Incipit: *Ulpianus. Solet pretor frequentissime...* Desinit: *alimenta expediat.* Ibi col. 300.

Pag. 47 — De tutela et rationibus distrahendis. et utilis curationis causa actione. Rubrica. Incipit: *Ulpianus. In omnibus que fecit tutor...* Desinit: *nomine cautum non sit.* Ibi col. 305.

Pag. 50 — De contraria tutele et utili actione. Rubrica. Incipit: *Ulpianus. Contrariam tutele...* Desinit: *antequam solvat.* Ibi col. 320.

Pag. 51 — De eo qui pro tutore vel curatore negotia gessit. Incipit: *Ulpianus. Pro tutele actionem...* Desinit: *contrarium iudicium competit.* Ibi col. 325.

Quod falso tutore. Incipit: *Ulpianus. Huius edicti equitas...* Desinit: *adversus eum dandam.* Ibi col. 327.

Pag. 52 — De fideiussoribus tutorum. Incipit: *Pomponius. Quamvis heres tutoris...* Desinit: *et temporales perpetuantur.* Ibi col. 334.

Pag. 53 — De magistratibus conveniendis vel heredibus eorum. Rubrica. Incipit: *Ulpianus. In ordinem subsidiaria actio...* Desinit: *que conpetit in tutores.* Ibi col. 338.

Pag. 54 — De rebus eorum qui sub tutela vel cura sunt sine decreto non alienandis vel subponendis. Rubrica. Incipit: *Ulpianus... Imperatoris severi oratione...* Desinit: *rusticum pupillare vendiderunt.* Ibi col. 344.

Pag. 57 — De curatoribus furioso vel aliis extra minores dandis. Rubrica. Incipit: *Ulpianus. lege XII tabularum...* Desinit: *cogitationis iudicem faciat.* Ibi col. 356.

Pag. 58 — Domini iustiniani sacratissimi principis perpetui augusti. iuris enucleati ex omni veteri iure collecti. digestorum seu pandectarum. de ordine. Liber XXVII. Explicit. Incipit liber XXVIII. qui testamenta facere possunt. et quemadmodum testamenta fiant. Rubrica. Incipit: *Modestinus. Testamentum est voluntatis nostre...* Desinit: *testamentum signaverint.* Ibi col. 363.

Pag. 60 — De liberis et postumis heredibus instituendis. vel exheredandis. vel preteritis. Rubrica. Incipit: *Ulpianus. Quid sit nominatim...* Desinit: *emancipatus eveniet.* Ibi col. 380.

Pag. 64 — De iniusto. rupto irrito facto testamento. Rubrica. Incipit: *Ulpianus. Testamentum. autem...* Desinit: *minus adiri posse.* Ibi col. 421.

Pag. 66 — De is que in testamento delentur. vel scribantur. vel educuntur. Incipit: *Ul-*

pianus. Que in testamento legi... Desinit: *avocabitur hereditatis.* Ibi col. 439.

Pag. 67 — DE HEREDIBUS INSTITUENDIS. RUBRICA. Incipit: *Ulpianus. Qui testatur ab heredis...* Desinit: *ipsa fuisset heres scripta.* Ibi col. 455.

Pag. 78 — DE VULGARI ET PUPILLARI SUBSTITUTIONE. Incipit: *Modestinus. Heredes autem...* Desinit: *voluntarius heres extiterit.* Ibi col. 519.

Pag. 85 — DE CONDITIONIBUS INSTITUTIONUM. RUBRICA. Incipit: *Sub inpossibili conditione...* Desinit: *defuissent instituti.* Ibi col. 570.

Pag. 87 — DE IURE DELIBERANDI. RUBRICA. Incipit: *Ulpianus. Si servus fuerit...* Desinit: *locutum esse apparet.* Ibi col. 589.

Pag. 89 — EXPLICIT. LIBER XXVIII. INCIPIT XXVIIII. DE TESTAMENTO MILITIS. RUBRICA. Incipit. *Ulpianus libro. Militibus liberam testamenti...* Desinit: *testari non potest.* Ibi col. 593.

Pag. 93 — DE ADQUIRENDA HEREDITATE VEL ADMITTENDA. RUBRICA. Incipit: *Paulus. Qui totam hereditatem...* Desinit: *que se abstinuerat.* Ibi col. 619.

Pag. 102 — QUEMADMODUM TESTAMENTA APERIANTUR. ET INSPITIANTUR ET DESCRIBANTUR. Incipit: *Gaius. Omnibus quicumque desiderant...* Desinit: *totum apertum est.* Ibi col. 690.

Pag. 103 — SI OMISSA CAUSA TESTAMENTI AB INTESTATO VEL ALIO MODO POSSIDEAT HEREDITATEM. Incipit: *Ulpianus. Pretor voluntates...* Desinit: *non convenitur.* Ibi col. 696.

Pag. 106 — DE SILLANIANUM SENATUSCONSULTUM ET CLAUDIANO QUORUM TESTAMENTA NE APERIANTUR. Incipit: *Cum aliter nulla domus...* Desinit: *qui culpa carent.* Ibi col. 716.

Pag. 110 — SI QUIS ALIQUEM TESTARI PROHIBUERIT. Incipit: *Ulpianus. Qui dum captat hereditatem...* Desinit: *fuerat datum auferendum.* Ibi col. 738.

Pag. 111 — DE IURE CODICILLORUM. Incipit: *Ulpianus. Sepissime rescriptum est...* Desinit: *rectius dici.* Ibi col. 739.

Pag. 113 — EXPLICIT. LIBER. XXVIIII. INCIPIT XXX. EX ORDINE DE LEGATIS ET FIDEICOMISSIS. RUBRICA. Incipit: *Per omnia exequata sunt...* Desinit: *que auctore decepta est.* Ibi col. 752.

Pag. 131 — EXPLICIT. LIBER. XXX. INCIPIT. XXXI. DE LEGATIS ET FIDEICOMMISSIS. II. RUBRICA. Incipit: *Ulpianus libro. In arbitrium alterius conferri...* Desinit: *pretium dare debere.* Ibi pag. 865. In pag. 135, ad articulum editionis XLV. legitur in margine Codicis: *Ar. pro stephano nepote domni egidii.*

Pag. 147 — EXPLICIT EX ORDINE. XXXI. INCIPIT. EX ORDINE. XXXII. DE LEGATIS ET FIDEICOMISSIS III. RUBRICA. Incipit: *Ulpianus libro. Si incertus quis sit...* Desinit: *minus est deducitur.* Ibi col. 973.

Pag. 166 — EXPLICIT EX ORDINE. XXXII. LIBER. INCIPIT EX ORDINE. XXXIII. DE LEGATIS ANNUIS. ET FIDEICOMMISSIS. IIII. RUBRICA. Incipit: *Ulpianus libro. Cum in singulos annos...* Desinit: *singulos dena dari.* Ibi pag. 181.

Pag. 170 — DE USUFRUCTU LEGATO. Incipit: *Paulus. libro. Nec ususfructus itineris...* Desinit: *non id observabitur.* Ibi col. 1104.

Pag. 174 — DE SERVITUTE LEGATA. Incipit: *Paulus libro. Qui duas tabernas...* Desinit: *vendicari potest.* Ibi col. 1130.

Pag. 175 — DE DOTE PRELEGATA. Incipit: *Ulpianus. l. Cum dos prelegatur...* Desinit: *cur non possit.* Ibi col. 1134.

Pag. 177 — DE OBTIONE LEGATA. Incipit: *Ulpianus. lib. Divus pius...* Desinit: *Respondit posse.* Ibi col. 1151.

Pag. 179 — DE VINO ET TRITICO LEGATO. Incipit: *Ulp. lib. Vino legato...* Desinit: *quod non probo.* Ibi col. 1161.

Pag. 180 — DE INSTRUCTO VEL INSTRUMENTO LEGATO. Incipit: *Paulus lib. Sive cum instrumento...* Desinit: *epistolarum placuit.* Ibi col. 1168.

Pag. 186 — DE PECULIO LEGATO. Incipit: *Paulus lib. Servo legato...* Desinit: *legato deberi.* Ibi col. 1197.

Pag. 189 — DE PENU LEGATA. Incipit: *Ulpianus. Uxori sue...* Desinit: *habuisset deberi.* Ibi col. 1214.

Pag. 190 — DE SUPELLECTILI LEGATA. RUBRICA. Incipit: *Pomponius. Suppellex est domesticum...* Desinit: *Fundo legato... a testatore fuerit. Si verum est id dotis legato inesse.... filii matres* (alia manu: *matribus*) *succedant.* Ibi col. 1222. Confer Cod. CXIX.

Pag. 191 — DIGESTORUM SEU PANDECTARUM. LIBER XXXIII. EXPLICIT. INCIPIT. XXXIIII. DE

ALIMENTIS ET CIBARIIS. Incipit: *Si alimenta legata...* Desinit: *exequenda sunt.* Ibi col. 1228.

Pag. 195 — DE AURO ET ARGENTO MUNDO ET ORNAMENTIS INIUGENDIS (unguentis?) VESTIBUS ET VESTIMENTIS ET STATUIS LEGATIS. RUBRICA. Incipit: *Pomponius. Si alii vestimenta....* Desinit: *ad legatariam pertinere.* Ibi col. 1252. In pag. 197, ad numerum editionis XIX, col. 1263, in margine legitur: *Contra dominum. P. facit.*

Pag. 201 — DE LIBERATIONE LEGATA. Incipit: *Ulpianus. Omnibus debitoribus...* Desinit: *que tunc fuisset.* Ibi col. 1284.

Pag. 206 — DE ADIMENDIS. VEL TRANSFERENDIS LEGATIS FIDEICOMMISSIS. RUBRICA. Incipit: *Paulus. Qui actu legato...* Desinit: *attinet adimi.* Ibi col. 1315.

Pag. 209 — DE REBUS DUBIIS. *Paulus. Fundum mevianum...* Desinit: *alimenta legata.* Ibi col. 1337.

Pag. 212 — DE HIS QUE PENE CAUSE RELINQUUNTUR. Incipit: *Effricanus. Filio familias vel servo...* Desinit: *antoninus rescriserunt.* Ibi col. 1358.

DE REGULA CATONIANA. Incipit: *Celsus. Catoniana regula...* Desinit: *non pertinet.* Ibi col. 1359.

DE IS QUE PRO NON SCRIPTIS HABENTUR. Incipit: *Ul. Si quis hereditatem...* Desinit: *in testamento militis.* Ibi col. 1362.

Pag. 213 — DE IS QUE UT INDIGNIS PROFERUNTUR. Incipit: *Martianus. Divi severus et antoninus...* Desinit: *quo relictum remanet.* Ibi col. 1364.

Pag. 215 — DIGESTORUM SEU PANDECTARUM. LIBER. XXX.IIII. EXPLICIT. INCIPIT. XXX.V. DE CONDITIONIBUS ET DEMONSTRATIONIBUS ET CAUSIS EORUM ET MODIS QUI IN TESTAMENTO SCRIBUNTUR. RUBRICA. Incipit: *Pomponius. Legatis que relinquuntur...* Desinit: *fideicommissum deberi.* Ibi col. 1385. In pag. 216, ad numerum IX editionis, col. 1391, legitur in Codicis margine: *ar. pro stephano nepote egidii.*

Pag. 226 — AD LEGEM FALCIDIAM. Incipit: *Paulus. Ex falcidia lata est...* Desinit incompletus: *Terentius clemens libro quarto decimo ad legem iuliam et papiam. Quotiens cuidam amplius legatum sit quam ei capere liceret...* Ibi a col. 1458, ad col. 1531, Titulo II. num. LXVI.

In pag. 232 Codicis, haec in margine leguntur: *De censu in festo sancti clementis habui a Ioanna de laboteleria. II de ioannes arbert... unum de pulcra mulier II de... duobus... petronilla de campis IIII. de Willelmus richart IIII de girandus... stephanus de vinceais filii reginaudi ganner IIII de... clarioia II de ammericus germanus Ioannes germanus... amarici...*

CODEX CXXI.

SIGNATUS NUMERIS EXTERIORIBUS 121 ET INTERIORI 423, LIT. Z.

Codex membranaceus in folio, paginarum 476, longitudinis metri 39/₀, latitudinis 26/₀, characteribus saeculi XIV ineuntis, vulgo Gothicis, exscriptus duplici columna. Continet *Apparatum* Innocentii Pp. IV in Decretale. Quasdam notas posterioris aevi, sed eiusdem saeculi, leguntur in margine ipsius, quarum specimen in excussione Codicis dabimus, si in ipsis depraehendatur aliquid utilitatis.

Codicem contulimus cum editione Decretalium Innocentii IV. Venet. 1570.

Pag. 1 — Absque ullo titulo incipit: *Legitur in ezechiele. venter tuus comedet...* Desinit: *de prebenda et canonica sanctione ecclesie.* Ibi pag. 1.

Sine titulo etiam incipit ℟. I. *Gregorius episcopus servus servorum dei etc. Rex pacificus etc. Firmiter credimus* etc. *De fide teneas...* Desinit: *ut fecit Silvester.* Ibi pag. 2.

De constitutionibus. Incipit: Canonum statuta *non abrogatorum...* Desinit: *de legibus leges.* Ibi pag. 2.

Pag. 5 — De Rescriptis. ℟ca. Incipit: Sicut Ro. *et i. indultum. ista indulgentia...* Desinit: *et in expensis condempnabitur.* Ibi pag. 8.

Pag. 22 — De consuetudine. Incipit: De consuetudine. *Consuetudo est...* Desinit: *cum dilectus.* Ibi pag. 39.

Pag. 25 — De postulatione. Incipit: Ad hec in beato petro. *secundum antiqua...* Desinit: *si postuletur ad episcopatum.* Ibi pag. 44.

Pag. 29 — De electione et electi potestate. Incipit: Nullus duo. *congregationem faciunt...* Desinit: *consentiet decanus.* Ibi a pag. 50, usque ad 15 lin. posterioris col. pag. 105.

Pag. 67 — De translatione episcopi vel electi. ℟. Incipit: Cum ex illo privilegio *tu es petrus etc...* Desinit: *de postul. cap. I.* Ibi pag. 106.

Pag. 68 — De auctoritate et usu pallii. Incipit: Cum super provincie. *i. de verb. signif...* Desinit: *cum non sit sollempnitas.* Ibi pag. 107.

De renunctiatione. Incipit: Cum inter. p. benefitio *i. iure ratione...* Desinit: *si quis obierit.* Ibi pag. 108.

Pag. 74 — De suplenda negligentia prelatorum. Incipit: Statuimus. substitutos. *confirmatos...* Desinit: *Iul. scribit.* Ibi pag. 117.

Pag. 75 — De temporibus ordinationum. Incipit: Subdiaconos. deo dedicatis. *XX. q. I. devotis...* Desinit: *et mu. vestra.* Ibi pag. 118.

Pag. 78 — De scrutinio in ordine faciendo. Incipit: Ex parte tua. dic. *XXIIII. di. quando...* Desinit: *crimen fratris.* Ibi pag. 123.

Pag. 79 — Deficiente titulo Rubricae: *De ordinatis etc.* incipit: *Requisivit.* dignitatis a nobis. *Idem quod hic...* Desinit: *proxime decretalis.* Ibi.

De etate et qualitate et ordine preficiendorum. Incipit: Ut abbates. *hoc est hodie regulare...* Desinit: *omnes psallentes.* Ibi pag. 124.

Pag. 81 — Deest titulus: *De sacra unctione,* qui posteriori manu additus est in margine. Incipit: Cum venisset. P. apud nos. *grecos scribit...* Desinit: *etc. quamvis.* Ibi pag. 128.

Pag. 82 — De sacramentis iterandis vel non. Incipit: Pastoralis *et infra* consulere *licet non respondeat...* Desinit: *cum devotione.* Ibi pag. 129.

Pag. 83 — De filiis presbiterorum ordinan-

DIS. Incipit: Ut filii presbiterorum. *statuimus...* Desinit: *quoniam sacris. si est notorium.* Ibi pag. 130.

Pag. 84 — DE SERVIS ORDINANDIS VEL NON. Incipit: Instruendi. §. ingenuitatis. *i. libertatis...* Desinit: *qui autem.* Ibi pag. 133.

Pag. 86 — Sine ulla distinctione vel titulo sequitur Rubrica: *De obligatis* etc. Incipit: Obligatis. *pone aliquem obligatum...* Desinit: *non prohibentur.* Ibi pag. 135.

Sine titulo, qui suffectus est a manu posteriori in margine: *De corpore vitiatis* ℟*ca*, incipit: De presbitero. campanie. *si dubitatur....* Desinit: Thomas. policem. *e. s. c. I. determinatur.* Ibi pag. 136.

Pag. 87 — Deficiente etiam titulo, qui in margine recentiori aevo scriptus est: *De Bigamis.* ℟*ca*, incipit: Ut bigami *penitentes...* Desideratur cap. III. edit. (pag. 137), et prima pars Rubricae sequentis unitur praesenti. Desinit: *dimissorias concederent.* Ibi pag. 137 et 138.

Pag. 88 — DE CLERICIS PEREGRINIS. Incipit: Tua nos duxit. statuta. *XCVIII. di. per totum...* Desinit: *ut s. notatur e. c. I.* Ibi pag. 138 col. 2. cap. 1.

Pag. 89 — DE OFFITIO ARCHIDIACONI. ℟. Incipit: Ut archidiaconus. vicarium. *Dec. huius tit. concedunt...* Desinit: eisdem *i. consimilibus.* Ibi pag. 139.

Pag. 92 — DE OFFITIO ARCHIPRESBITERI. Incipit: Ut archipresbiter. *et i. VII. qa.* volumus subesse. *ubi est...* Desinit: *of. or. cum ab ecclesiarum.* Ibi pag. 144.

DE OFFITIO PRIMICERII. Incipit: Ut primicerius. *de officio sinon bene noverit...* Desinit: *de of. or. cum ab ecclesiarum.* Ibi.

DE OFFITIO SACRISTE. Incipit: Ut sciat sacrista. *Custos ecclesie...* Desinit: *de iure iurando querelam.* Ibi Rubr. XXVI et XXVII ad medium.

DE OFFITIO CUSTODIS. Custos sollicitus etc.

DE OFFITIO VICARII. Incipit: Ad audientiam nostram. *adeptus...* Desinit: *commictere possunt.* Ibi.

DE OFFITIO ET POTESTATE IUDICIS DELEGATI. Incipit: Quia quesitum. minis. *idem est...* Desinit: *eum absolvet.* Ibi pag. 145.

Pag. 115 — DE OFFITIO LEGATI. Incipit: Cum non ignoretis et per appellationem. *etiam in aliis...* Desinit: *de aliis secus.* Ibi pag. 177.

Pag. 116 — DE OFFITIO ORDINARII IUDICIS. ℟. Incipit: Pernitiosam *et infra* inquirere *fama precedente...* Desinit: *Ibi notatur.* Ibi pag. 178.

Pag. 123 — DE OFFITIO IUDICIS. Incipit: Ex litteris nostri monasterii. *quod immediate...* Desinit: *post inchoatam.* Ibi pag. 188.

Pag. 124 — DE MAIORITATE ET OBEDIENTIA. Incipit: Cum certum. *et infra* prior. *in sessione...* Desinit: *qui solidum.* Ibi pag. 681.

Pag. 128 — DE TREUGUA ET PACE. Incipit: Treugas. *hoc est treugua...* Desinit: *que res pignor. ob pos.* Ibi pag. 195.

DE PACTIS. Incipit: Antigonus episcopus conventus *coram ecclesiastico...* Desinit: *ascendet.* Ibi.

Pag. 129 — DE TRANSACTIONIBUS. Incipit: Sicut grave. *et infra* de taxationibus. *transactio...* Desinit: *vel non est compos.* Ibi pag. 196.

Pag. 131 — DE POSTULANDO. Incipit: Clerici in subdiaconatu substententur. *si autem non sunt...* Desinit: *advocet.* Ibi pag. 200.

Pag. 132 — DE PROCURATORIBUS. Incipit: Alia. *et infra* quidem non miseris. *i. procuratores...* Desinit: *esset excommunicatus.* Ibi.

Pag. 138 — DE SINDICO. Incipit: Sicut studii. de sindico. *si sindicus est...* Desinit: *qui vere.* Ibi pag. 209.

DE HIIS QUE VI METUSVE CAUSA FIUNT. Incipit: *Actio quod metus...* Desinit: *si quando.* Ibi.

Pag. 140 — DE RESTITUTIONE IN INTEGRUM. Incipit: Requisivit t. f. concessis. *ab episcopo...* Desinit: *probet.* Ibi pag. 212.

Pag. 148 — Desideratur Rubrica *De alienatione* etc. Incipit: Ex quorumdam relatione citentur. *hec decretalis...* Desinit: *non solum. §. I.* Ibi pag. 222.

Pag. 149 — DE ARBITRIS. Incipit: Sane. *et infra* eligantur. *sanum est...* Desinit: *si ab altera.* EXPLICIT LIBER PRIMUS. Ibi pag. 223.

Inter notas hujus libri leguntur infrascriptae. In Rubrica De offitio et potestate Iudicis delegati: *Nota contra opinionem sir luce de Civitate penne*: et in Rubrica De procuratoribus: *Nota pro causa domini mei.*

Pag. 155 — INCIPIT SECUNDUS. Desideratur

Rubrica *De Iuditiis*, quae rescripta est in margine recentiori manu. Incipit: De quovultdeo *suple ita*... Desinit: *de iur. ca. c. I.* Ibi pag. 230.

Pag. 159 — De foro competenti. Incipit: Si quis clericum proprium. *et si fecit*... Desinit: *de iurisdictione episcoporum.* Ibi pag. 237.

Pag. 164 — De libelli oblatione. Incipit: *De tali libello*... Desinit: *ex parte.* Ibi pag. 244.

Pag. 165 — De mutuis petitionibus. Incipit: Ex literis. *et infra.* proponunt. *in modum*... Desinit: *provideri potest.* Ibi pag. 245.

Pag. 166 — De litis contestatione. Incipit: Prudentiam inter episcopum. Olim. inter episcopum novien. propositiones. *s. de elect*... Desinit: *poterit excipere.* Ibi pag. 246.

Pag. 167 — Ut lite non cont. ad testium recept. Incipit: Ad hec deus *et infra. licet hic*... Desinit: §. *divi. in fi.* Ibi pag. 247.

Pag. 171 — ℟. De iuramento calumpnie. Incipit: Inherentes. vestigiis cautum. *C. de epi*... Desinit: *cadat a lite.* Ibi pag. 253.

Pag. 173 — Deficiente Rubrica: *De dilationibus*, quae addita est in margine posteriori aevo, incipit: Dilecti. brevem et peremptorium *hoc fecit*... Desinit: *publico offitio finito.* Ibi pag. 255.

Pag. 175 — De feriis. Incipit: Omnes dies dominicos. *quidam hoc*... Desinit: *ff. de fer. l. I. ff. et l. II.* Ibi pag. 258.

Pag. 176 — De ordine cognitionum. Incipit: Intelleximus. peteret. *intentas*... Desinit: §. *pacta.* Ibi pag. 259.

Pag. 180 — Absque Rubrica: *De plus petitionibus*, incipit: Consilium. providentie. persistendum. *quousque*... Desinit: *multis aliis casibus.* Ibi pag. 263.

De causa possessionis et proprietatis. Incipit: Susceptis. momenti. *i. possessionis*... Desinit: *super L. solidos.* Ibi pag. 164.

Pag. 186 — De restutione spoliatorum. Incipit: Licet multum. *et infra.* tamen. *duo sint*... Desinit: *in criminali.* Ibi pag. 271.

Pag. 197 — De dolo et contumacia. Incipit: Ad hec nancisci. *Debet enim*... Desinit: *cum pena.* Ibi pag. 285.

Pag. 201 — De eo qui mictitur in possessione causa rei serv. Incipit: Constituti possessione. *forte petebat*... Desinit: *constitutio.* Ibi pag. 290.

Pag. 203 — Ut lite pendente nichil penitus innovetur. Incipit: A memoria. *hoc verbum*.... Desinit: *valeret privilegium.* Ibi pag. 294. usque ad 11 lin. cap. V.

Pag. 204 — Deficiente Rubrica: *De sequestratione* etc. incipit: Ad hec asserens. *et male*... Desinit: *divus.* Ibi pag. 295.

De confessis. Incipit: Cum monasterium. pene. *Nisi quia*... Desinit: *presentium.* Ibi pag. 296.

Pag. 205 — De probationibus. Incipit: Ex epistole. teneat ipsum. *omixis*... Desinit: *habere acta.* Ibi pag. 297.

Pag. 211 — De testibus et attestationibus. Incipit: In nomine. domini. viliximi. *conditiò*... Desinit: *q. III. si habes.* Ibi pag. 305.

Pag. 225 — De testibus cogendis vel non. Incipit: Causam matrimonii occultent. *subtrahendo*... Desinit: *pertinaces tu facias.* Ibi pag. 326.

Pag. 226 — De fide instrumentorum. Incipit: Scriptura autentica. *auctentica scriptura*... Desinit: *c. abbate.* Ibi pag. 328.

Pag. 232 — De presumptionibus. Incipit: Sicut noxius mittit. *manifeste*... Desinit: *s. de scruti. c. I.* Ibi pag. 337.

Pag. 234 — De iureiurando. ℟. Incipit: Ex administrationis. cogatis *s. de te*... Desinit: *theopompus.* Ibi pag. 340.

Pag. 240 — De exceptionibus. ℟. Incipit: Denique actenus. *repete quod*... Desinit: *mandandam.* Ibi pag. 348.

Pag. 246 — De prescriptionibus. ℟. Incipit: Placuit. triennium. *XVI. q. III*... Desinit: *prescribet.* Ibi pag. 357.

Pag. 252 — De sententia et re iudicata. Incipit: *De sententia et re iudicata. quia sepe contingit dubitari*... Desinit: *vult.* §. *fin.* Ibi pag. 365, at desunt in Cod. duo ultima capita.

Pag. 262 — De appellationibus recusationibus et relationibus. Incipit: *Dilecti filii ap. se. repete*... Desinit: *in originali.* Ibi pag. 381.

Pag. 285 — De peregrinationibus. Incipit: Conquerente accedunt. *nam cum omnes*... Desinit: *iubemus.* Ibi pag. 413.

De confirmatione utili vel inutili. Incipit: Si quis litigiose. *que res dicatur...* Desinit: *ad illam dictionem quidam.* Explicit liber secundus. Ibi pag. 414.

Inter notas, sequentes sunt scitu digniores in hoc secundo libro. In Rubrica De foro competenti: *Nota quod Laici clericis oppido sunt infesti.* In alia Ut lite non cont. etc. *Nota de contumacia procuratoris numquid noceat domino. — Nota pro Abatello de Manuppello.* In alia tandem De fide instrumentorum: *Nota contra Notarium Benedictum qui confecit testamentum Britio de Turri.*

Pag. 287 — Alia manus eiusdem temporis in hac pagina, ab amanuensi ab scripto vacua relicta, sequentem De quaestione tractatum scripsit: *De questionibus sumus tractaturi. Videndum est quid sit questio et que persone possunt torqueri et que et qualiter inquisitio fieri debeat sive cum quo moderamine sint habenda tormenta et quo ordine sint homines torquendi et quibus causis et que oporteat procedere questionem et quid sit questionis effectus. De* (sic) *quam formabo quasdam et utiles questiones super predictis et ut iudicibus sevientibus aliqua freni temperies inponatur prenotabo V magistralia ad hunc tractatum primo quod intendunt questionem habere ante omnia hanc iuris et humanitatis considerationem ut non facile ad tormenta prosileant nec repente quantumcumque adsint verisimilia argumenta si aliqua alia leviori via potest obiecti criminis veritas reperiri. ff. e. divus. I. et II. ℣. et l. edictam. et C. e. l. quotiens. Secundo nota quod non pro qualibet levi causa nec pro quolibet crimine nec indifferenter de quibusdam personis habenda est questio ut dictam l. edictam. Tertio nota quod non quelibet inditia sunt sufficientia ad tormenta habenda tunc enim torquendus est quis cum suspectus est et iuditia processerunt verisimilia et talia que sola quasi confexio videatur.* (sic) *ff. e. l. I. II. ℣. Quarto nota quod in questionibus non est quis repetendus nisi duo concurrant quod nova supervenerint indicia et quod tortus in fortitudine cordis animique duraverit. ff. e. l. unius. §. I. Quinto nota quod iudices hoc temperamentum tenere debeant ut tormenta de aliquo in imensum non sumant ut quemadmodum postulaverit accusator secundum prout moderate rationis desiderat quod tortus innocentia vel suplicio quis servetur. ff. de iniur. l. Item apud. §. tormenta. et §. questionis modo. et ff. e. l. questionis. alias tenentur ut dicta. l. Item apud. §. questionis. et quod quaestio est inquisitio ad sciendum veritatem cum dolore cordis nam nuda territio non est quaestio ut dicta. l. Item apud. Que persone possunt torqueri et que non est videndum et certe torqueri possunt tam liberi quam servi tam libertini quam statu liberi. ff. e. l. edicto. et l. ex libero. et l. divus. et tam masculi quam femine nisi dum sunt pregnantes. ut ff. de penis. l. pregnante. et quamquam alii dixerint contrarium tamen dic quod indubitanter homines liberos tam in seipsos quam in alios posse torqueri ut. ff. e. ex libero. et l. unius. §. testes. C. ad l. cor. de falsis l. si quis decurio. et de re. mili. l. proditiones. et in ant. ut. Iudi. secundum quoque infra §. oportet. coll. II. et C. e. milites. ubi indistincte loquitur et quo ad crimina et quo ad personas. cuiuscumque conditionis excepti in dignitate positi torqueri non permittit. C. de infan. l. nulla. et C. de ass. l. nullus. ad fi.* (sic) *alia iura supradicta locuntur de questionibus habendis et de liberis hominibus excipiuntur quedam persone quas ius torqueri non sinit quedam propter etatem ut minores. XIIII. an. que torqueri non possunt ferula cedi possunt ut ff. ad sill. l. I. §. inpubes. et l. excipiunt. de questionibus. l. de minore. et l. ex libero. §. de minore. Item subvenitur etati decrepite ut non torqueatur sed que dicitur. etas decrepita subveniri dicit ff. ad sill. l. III. §. ergo. Item in dignitate positi non torquentur ut iudices milites decuriones. Item filii et nepotes ipsorum nisi in eis aliqua pudoris macula aspergat ut C. e. l. milites. et l. decuriones. ff. de decuri. l. fi. Sed in quibusdam criminibus dignitas non prebet excusationem nec minor etas quin non torqueantur ut in crimine lese maiestatis. et proditionis et quibusdam aliis. ff. de minori. l. ex libero. §. primo. et de re militari. l. desertores. §. is qui et l. proditores. Item decuriones in alio casu torquentur quando queritur de fide instrumentorum tempore decurionatus que ante decurionatum fecerunt ut in l. si quis. C. ad l. corne. de falsis. Qualiter debeat inquisitio fieri seu questio haberi et cum quo moderamine dic ut supra dixi quia non immensum sed ut moderate rationis etc. ff. de questionibus. l. de*

minore. §. tormenta. et circa hoc non potest certa doctrina dari sed iudex consideret cuius sit fortitudinis torquendus vel debilitatus cuius etatis cuius valitudinis ut secundum necessitatem personarumque varietatis et criminis seu cuiuslibet negotii qualitatem maioribus et minoribus tormentis torqueantur et quod hec sint consideranda arguitur per iura. ff. de re mili. l. III. §. fi. et ad sill. si quis in gravi. in prin. et §. subvenitur. et l. I. §. impuberes. Quo ordine sint habenda tormenta posito quod plura sint habenda et certe debet iudex considerare a quo veritas facilius erui possit ut ab illo questio incipiat et a magis timido magisque suspecto et a minori debiliori non fortiori. ff. e. l. I. et l. unius. sed si torquendi sunt pater et filius a filio incipiendum est in patris conspectu quia per hoc citius dicet pater quia magis ipse terretur. ut l. isti quod. §. fi. et ff. quod me. causa. I. et femine prius torquentur quam masculi quia homo tamquam maioris constantie tardius confitetur et mulier citius quia cor habet instabile. C. de inof. l. filia. extra de v. sig. for. ff. de iure. fa. de fer. in prin. Ex quibus casibus torti et torte ex causa civili et criminali et tunc cum veritas aliter sciri non potest. ut ff. e. divus. et l. ex libero. et l. quociens. C. e. t. et in summa eiusdem tituli. §. torquetur. non tamen ex omni causa quis torquendus est nec quelibet persona indifferenter ut l. edictum.

Pag. 289 — Incipit liber tertius. DE VITA ET HONESTATE CLERICORUM. ℟. Incipit: Ut laici *suple* statuimus *de con. di. III...* Desinit: *privilegio clericali.* Ibi pag. 416.

DE COHABITATIONE CLERICORUM ET MULIERUM. ℟. Incipit: Inhibendum. canones. *XXXII. di. nullus...* Desinit: *vel quia filios habet.* Ibi pag. 417.

Pag. 292 — DE CLERICIS CONIUGATIS. ℟. Incipit: Si quis relinquenda. *XXXII. di. si qui vero...* Desinit: *LXXXI. di. dictum.* Ibi pag. 421.

DE CLERICIS NON RESIDENTIBUS IN ECCLESIA VEL PREBENDA. Incipit: Non liceat transire *nisi cum auctoritate...* Desinit: *hoc consuetudo non habeat.* Ibi pag. 422.

Pag. 294 — DE PREBENDIS ET DIGNITATIBUS. ℟. Incipit: Ut nullus consanguinitas. *VIII. q. I. apostolica...* Desinit: *provideas tali ecclesie.* Ibi pag. 425.

Pag. 305—DE CLERICO EGROTANTE VEL DEBILITANTE. Incipit: Cum percussio hortamur. *forte talis...* Desinit: *s. c. prox.* Ibi pag. 440.

DE INSTITUTIONIBUS. Incipit: Non amplius reges. *et hospitalitatem...* Desinit: *ff. de ac. tu. l. I.* Ibi.

Pag. 307 — DE CONCESSIONE PREBENDE ET ECCLESIE NON VACANTE. ℟. Incipit: Qui in minorum ponuntur. *scienter alias...* Desinit: *aliqui tamen contradicunt.* Ibi pag. 443.

Pag. 316 — NE SEDE VACANTE NIHIL INNOVETUR. Incipit: Novit uniendo. *fit unio primo...* Desinit: *quoniam §. I.* Ibi pag. 457.

Pag. 317 — DE HIS QUE FIUNT A PRELATO SINE CONSENSU CAPITULI. Incipit: Irrita episcoporum. *Sed licet irrita sit...* Desinit: *de prebendis grave.* Ibi pag. 458.

Pag. 318 — DE HIS QUE FIUNT A MAIORI PARTE CAPITULI. ℟. Incipit: Cum in pluribus et sanioribus. *LXIIII. di. extra...* Desinit: *cum omnes.* Ibi pag. 460.

Pag. 319 — UT ECCLESIASTICA BENEFICIA SINE DIMINUTIONE CONFERANTUR. Incipit: Ut nostrum. *archiepiscopo mediolanensi...* Desinit: *sed percuntare.* Ibi pag. 462, usque ad Cap. I sequentis Rubricae.

Pag. 321 — DE REBUS ECCLESIE ALIENANDIS VEL NON. Incipit: Qui res egentium. *XVI. q. I. quicquid...* Desinit: *ubi no.* Ibi pag. 464, a cap. II huius Rubricae.

Pag. 323 — DE PRECARIIS. Incipit: Precarie de quinquennio *loquitur...* Desinit: *loquitur s. e. c. I.* Ibi pag. 467.

Deficiente titulo Rubricae: *De commodato,* incipit: Cum gratia. *si autem.....* Desinit: *et l. ult.* Ibi.

DE DEPOSITO. ℟. Incipit: Gravis illa conversa. *C. quod cum eo.....* Desinit: *de compensa. l. ult.* Ibi.

Pag. 324 — DE EMPTIONE ET VENDITIONE. Incipit: Placuit moneant. *et si necesse...* Desinit: *vel inprudentia.* Ibi pag. 468.

Pag. 325 — DE LOCATO ET CONDUCTO. Incipit: Ex rescripto magistrorum *hic non comprehenduntur...* Desinit: *emphi. l. II.* Ibi pag. 479.

Pag. 326 — DE RERUM PERMUTATIONE. Incipit: Si princeps pragmatica. *i. confirmatio-*

ne... Desinit: Exhibita ipse cappellanus salium *certa mensura salis hic sal notatur*. Ibi pag. 471.

De feudis ℟. Incipit: Insinuatione. gageriam. *villam.....* Desinit: *ubi de hoc no.* Ibi pag. 472.

Pag. 327 — De pignoribus et aliis cautionibus. Incipit: Nullus presbiter librum. *licet prohibetur...* Desinit: *de usuf.* §. *I. et II.* Ibi.

De fideiussoribus. ℟. Incipit: Clericus inserviens. *hoc verbum....* Desinit: *si pro ea contempnatus.* Ibi pag. 473.

Pag. 329 — De solutionibus. Incipit: Ad hoc sui predecessoris. *XII. q. V. quia....* Desinit: *cum indebito.* Prudentes etc. Ibi pag. 475.

De donationibus. ℟. Incipit: Fraternitatem deteriorem *hanc regulam....* Desinit: *l. ult.* Ibi pag. 476.

Pag. 331 — De peculio clericorum. Incipit: Investigandum ecclesia. *presumitur....* Desinit: *al. ad aures.* Ibi pag. 478.

De testamentis et ultimis voluntatibus. Incipit: Quorumdam in octo. *i. in duabus...* Desinit: *c. I. per totum.* Ibi pag. 479, usque ad sextam lin. cap. XX (pag. 487).

Pag. 337 — De successionibus ab intestato. Incipit: Set hoc donare. *sive inter vivos...* Desinit: *relinquerint. s. e. c. I.* Ibi pag. 488.

De sepulturis. ℟. Incipit: Nos instituta parrochiarum. *qui in principio...* Desinit: *cogendi sunt.* Ibi pag. 488.

Pag. 341 — De parrochiis et alienis parrochianis. Incipit: Ius parrochiale consistit. *ut diebus...* Desinit: *producit humus.* Ibi pag. 493.

Pag. 342 — De decimis primitiis et oblationibus. Incipit: Decima traditionem. *ar. pro opinionibus....* Desinit: *et conduc. nostram.* Ibi pag. 495.

Pag. 347 — De regularibus. ℟ca. Incipit: Nullus tondeatur. *ut sit verus monachus...* Desinit: *in quo morantur.* Ibi pag. 501.

Pag. 352 — De conversione coniugatorum. Incipit: Propterea. presentibus. *hec sollempnitates...* Desinit: *de divortiis. de illo.* Ibi pag. 507.

Pag. 355 — Deficiente titulo: *De conversione infidelium*, incipit: Laudabilem. dapnum. *XIIII. di. quod ait...* Desinit: *facit.* Ibi pag. 512.

Pariter desiderato titulo sequenti: *De voto et voti redemptione*, qui in margine legitur scriptus recentiori aevo, incipit: De peregrinationis. alexander III. exon. episcopo. *quia exon...* Desinit: *ecclesie accipiet.* Ibi.

Pag. 358 — De statu monachorum et canonicorum regularium. Incipit: Theodosius discipline. *preter visitationem...* Desinit: *a diocesano vel papa.* Ibi pag. 515.

Pag. 360 — De religiosis domibus. Incipit: Nunc autem ad basilicam. *si vis scire...* Desinit: *prevalet consuetudo.* Ibi pag. 521.

Pag. 363 — De cappellis monachorum. Incipit: In ecclesiis. *quia pleno iure...* Desinit: *XVI. q. VII. pie.* Ibi pag. 523.

Pag. 364 — De iure patronatus. Incipit: *Ius patronatus est ius...* Desinit: *presentant. S. R.* Ibi pag. 525.

Pag. 369 — De censibus exactionibus et procur. Incipit: Sanctitum. mansus. *mansus quippe...* Desinit: *et c. itaque.* Ibi pag. 532.

Pag. 376 — De consecratione ecclesie vel altaris. Incipit: Ad hoc si altare. §. de consecratione. *De hac materia...* Desinit: *consecratum est.* Tua fraternitas. Quod in dubiis proposuisti. *Cum sis. l. I.* Ibi pag. 540, usque a cap. 1. inclus.

Pag. 377 — De consecratione altaris. Incipit: Ligneis edifficiis. Consuluisti in dedicationibus. *i. sic aspergatur... per episcopum benedicta* (Ibi pag. 540). *Nota triplicem opinionem... caracterem infusum.* (Ibi pag. 542, a penultima linea posterioris columnae, usque ad finem capitis I.). Si quis in nomine *et in tantum servanda.... licet non in actu.* (Ibi pag. 543, cap. I, usque ad undecimam ultimam lineam inferiorem prioris columnae pag. 544). Licet. §. *I. diversas rationes...* Desinit: *non crederem eum baptizatum.* Ibi pag. 545. cap. VI. Amanuensis, ut cuique patet, male consarcinavit Rubricam hanc ex XL. et XLII. editionis.

Pag. 378. — De celebratione missarum et sacramento eucharistiae. Incipit: Presbiter mane. §. persolvat. *quisque clericus...* Desinit: *archiepiscopi. XII. di. de hiis.* Ibi pag. 541.

Pag. 379 — De baptismo et eius effectu. ℟. Incipit: Litteras tuas. si quis puerum ter.

idem est si semel. de con. di. IIII. §. *baptizatus.* baptismus. *a sacerdote debet conferri... si diaconus* (Ibi pag. 542 cap. I.) *sic exacte servatur... non vero credentes* (Ibi pag. 544, ab undecima inferiori linea prioris columnae, usque ad vigesimam inferiorem posterioris). Debitum et infra. §. se ipsum immersit. *oportet...* Desinit: *sit tutius,* Non ut oppiniones. Licet grecos. Ibi pag. 545, cap. IIII.

Pag. 380 — De presbitero non baptizato. Incipit: Si quis presbiter. §. baptizatum. *Si autem aliquis....* Desinit: *etiam de iure.* Ibi pag. 545.

De custodia eucharistie et aliorum sacramentorum. Incipit: Statuimus. *ut.* §. *statuimus quid dèbeat...* Desinit: Delinqui volumus. Ibi.

De reliquiis et veneratione sanctorum. Incipit: Audivimus. *quod venerandi sunt....* Desinit: *vel preces solempnes.* Ibi pag. 546.

De observatione ieiuniorum. Incipit: Cum ex eo quod. §. de observancia ieiuniorum. *Ieiunium est parsymonia...* Desinit: *que sic obtinet.* Ibi.

Pag. 381 — De purificatione post partum. R/. Ex parte vestra. Consilium vestrum. *et infra explicari.* Quicumque. Volens *et. i.* Ibi pag. 547.

De ecclesiis reparandis vel œdificandis. Incipit: Cum dicat apostolus *et i. tot....* Desinit: *di. communis.* Ibi.

De immunitate ecclesiarum et rerum ad eas pertinentium. Incipit: Tua nos duxit. §. *de immunitate. ecclesie dicuntur emunes. i. extra munia. i. officia vel munera.* Ut in domibus ecclesiarum. §. consuetudinem. *consuetudo...* Desinit: *pauperibus erogandum.* Ecclesie in qua. §. Immunitatem ecclesiasticam. Ibi pag. 548.

Pag. 384 — Ne clerici vel monachi secularibus negotiis se immisceant. Incipit: Multa sunt. §. negotia. *tribus modis dicitur...* Desinit: *quod sint excommunicati.* Explicit liber tertius. Ibi pag. 551.

Pag. 385 — Incipit quartus. De sponsalibus. Incipit: De francia quidam. *et i.* lege. *i. consuetudine...* Desinit: *continebatur.* Ibi pag. 552.

Pag. 387 — De sponsatione impuberum. Incipit: Tua fraternitas. adulto. *i. pubere...* Desinit: *contrahere matrimonium.* Ibi pag. 557.

Pag. 389 — De clandèstina desponsatione. Incipit: *Clandestinum matrimonium...* Desinit: *ex tenore. Nota quod si aliquis petat... contra diximus. Tua dudum etc.* Ibi pag. 560, et 561; nam ex duabus unam conflavit Rubricam amanuensis.

Pag. 390 — De conditionibus appositis. Incipit: Quicumque sub conditionis. *etiam inhoneste...* Desinit: *s. c. prox.* Ibi pag. 561.

Pag. 391 — Sine titulo, qui ita suppletur in margine a recentiori manu: *Quid sit votum,* incipit: Voventes. *votum...* Desinit: *vidua porrectum.* Ibi pag. 562, usque ad finem *Expositionis ad Rubricam.*

Qui clerici vel voventes matrimonium contrahere possunt. Incipit: *De diacono...* Desinit: *in fine. contra. so. ibi.* Ibi pag. 563. cap. I.

Pag. 392. — De eo qui duxit in matrimonium quam polluit per adulterium. Incipit: Propositum. mulier. *que cum non...* Desinit: *et hoc placet.* Ibi pag. 563.

De coniugio leprosorum. Incipit: Pervenit. *de consuetudine...* Desinit: *ubi nota.* Ibi pag. 565.

Pag. 393 — De coniugio servorum. Incipit: Dignum servitia. *sed et si...* Desinit: *qui. duxit. in m. c. I.* Ibi.

De natis ex libero ventre. Indecens est. *ad servitium. i. in servitutem. C. de natura ex libero ventre. l. I.* Ibi.

De cognatione spirituali. Incipit: *Cognatio spiritualis...* Desinit: *compaternitas.* Tua nos. Ex licteris. Ibi.

De congnatione legali. Incipit: Si qua. per adoptionem. *legalis...* Desinit: §. *penultimo.* Ibi pag. 566.

De eo qui congnovit consanguineam uxoris suae. Incipit: Si quis cum filiastra. nec a matre. *ipsa autem...* Desinit: *discretionem. i. cap. prox.* Iordane. mulieris. Tue fraternitati. Ibi.

Pag. 394 — De consanguinitate et affinitate. Incipit: Ex litteris. subarrasset. *per avuncillum...* Desinit: *quod dilectio.* Ibi pag. 567.

De frigidis et maleficiatis. Incipit: Accepisti mulierem. *per mensem idem est...* Desinit: *quomodocumque simul triennio cohabitavit propter impedimentum aliud a frigiditate separari non debet.* Ibi pag. 568.

Pag. 397 — De matrimonio contracto contra interdictum ecclesie. Incipit: Lictere quas consentiente. expresse *nam tunc...* Desinit: *et non delegatus*. Ibi pag. 571.

Qui filii sunt legitimi vel non. Incipit: Conquestus nomine *uxoris sue...* Desinit: *despon. c. III.* Ibi.

Pag. 399 — Qui matrimonium accusare possunt vel non. Incipit: Gaudemus. *Quilibet potest accusare...* Desinit: *item dicunt in teste.* Ibi pag. 575.

Pag. 400 — De divortiis. Incipit: Si qua mulier. Quesivit. *Hoc enim non excipit...* Desinit: *et corpore vitiatus*. Ibi pag. 576.

Pag. 401 — De donatione inter virum et uxorem. Incipit: Deus qui ecclesiam suam. Significavit divisionem. *hic non habet...* Desinit: *et in lucris*. Cappellanum. Ibi pag. 577.

Pag. 402 — De secundis nuptiis. Incipit: Dominus. *et i.* certitudinem. *et infallibili...* Desinit: *sin autem tutela*. Ibi pag. 579.

Inter notas, sequens legitur in Rubrica De clandestina desponsatione: *Nota presbiterum de guardia contrarium fecisse.*

Pag. 403 — Sine titulo sequitur tractatus *De successione*, et pauca super quaestione utrum iudex saecularis possit procedere contra eum qui lite pendente factus est clericus. Incipit: *Quia successionum materia tum propter novitatem iurium, tum propter defectum canonum secundum iura canonica est obscura, ideo ut tantum in iure canonico infundans ex quoddam quasi brevi pomerio quid utile de successionibus colligere debeant presens opusculum regentis quasi primis cunabilis iurium tam ex aliorum doctrinis quam glosis ac intellectu proprio compilavi. Sciendum est quod tres sunt gradus sive species succedendi descendentium, ascendentium, et collateralium ut in cor. aut. de heredi. ab intesta. ve. §. I. coll. IX. Et quia prima successio est descendentium scilicet filiorum ut in dicto §. I. primo videndum est de succedentibus ex linea paterna ut filiis, filiabus et nepotibus ex filio ex filia, et deinceps, Filii enim qui erant in potestate tantum secundum ius. XII. tabularum succedebant et nepotes ex filio, una cum patruo in stipite et non in capite ut instit. de her. quali. et diff. §. sui. C. de legit. he. l. II. Nepotes vero ex filia cum diminutione tertie partis cum materteris et avunculis suis ut in l. maximum vitium. cap. de lib. prete. vel ex her. et. c. de suis et legi. heredi. l. si defunctus. Emancipati vero erant incogniti set pretor admisit eos sola equitate motus dando eis bonorum portionem unde liberi contra tabulas ut instit. de here. que ab intestat. defe. §. emanavit. Item edictum de coniungendis liberis in eadem parte vocavit filium emancipatum et nepotem receptum in potestate ff. de coniug. liber. cum emancipati. et l. I. in principio. secundum ius novum iustiniani tam filios emancipatos quam filios ex eis tantum vocat tamquam legitimos. C. ad orfici. lege finali. Ius autem novissimum usque ad infinitum inter descendentes substulit differentiam patrie potestatis et emancipat. C. ad senatus consultum tertull. aut. defuncta. ius constitutionis regni admisit tantum masculos ad successionem. set sorores debent de paragio matrimonio maritari ut in constitutione regni que incipit in aliquibus. quod verbum de paragio exponitur ut tantum habeat femina quantum masculus prout in dicta constitutione notatur. Item nepotes ex filia succedunt avo cum avunculis ut. C. de coll. illa. et aut. ibi. sig. De adoptivis. Si vero sunt legitimi tantum sicut adoptivi de iure novo, si dati sunt in adoptione extraneo quia non desinunt esse in potestate patris naturalis et adoptivo non contra voluntatem set secundum voluntatem. scilicet ex testamento vel ab intestato. Si vero dati sunt in adoptione avi materni, vel paterni, soli patri succedunt adoptivo. C. de adopt. lege. penult. De naturalibus. Si vero sint naturales tantum succedunt patri ab intestato in duabus unc. paterne substantie si alii filii non extent nec coniux legitima. C. de naturali. liber. aut. licet patri in corpore. aut. quibus mo. natura. ef. sui. §. si quis aut. coll. VII. Ex testamento et inter vivos si alii filii naturales et legitimi neque parentes sunt totam substantiam capiunt ut in pre. aut. licet patri. Sed si sunt legitimi et naturales capiunt ex testamento unam unc. ut pre. aut. qui mo. nat. ef. sui. §. discretis. §. ne igitur. et hoc si habet unam concupinam tantum seu filios ex una concupina, nam si ex diversis in nullo succedunt ab intestato ut in pre. §. si quis autem. et quod dictum est de filiis naturalibus tantum hoc intelligendum est de nepotibus hoc est de filiis filiorum naturalium ut in §. si quis igitur*

habens filios. Contra voluntatem vero non succedunt neque per querelam cum sit extranei patri ut. C. uxor. act. lege una. §. extraneum. set bene sunt alendi ut. ff. de alend. liber. lege penultima. et extra. de eo qui duxit in matrimonium quam polluit per adulterium. cum haberet not.

De spuriis vero cum non habeat certum patrem non querimus de successione patris ut. ff. de statu ho. lege. vulgo. Set matri nisi sit illustris succedunt et ipsa eis ut. C. ad senatus consultum orfi. lege. si qua illustris. et ff. Unde congna. hac parte. et lege. si spuriis. et hoc verum est cum mater nequid de incestu vel adulterio accusari quia tunc non succedunt matri ad hoc. ff. de inof. testa. si supecta. §. differentie. et ff. unde congna. l. spurius. et l. hac parte. sed si sunt spurii ex duabus concupinis non succedunt. ad invicem ut no. in dicta l. hac parte. et spurius est quicumque non est natus de concupina ut in p. l. si qua. sed secundum ius canonicum omnis qui non est natus de legitimo matrimonio est spurius, et sic potest allegari ad hoc. ff. de cap. et p. li. l. divus. cum concupinatus secundum ius canonicum non permictatur quia clerici cum fornicantur adulterantur. VII. q. I. sicut alterius.

Incestuosi vero nulli succedunt ab intestato in aut. qui. mo. na. et. sui. §. fi. sed bene possunt ab alio institui ut no. in p. §. fi. et si incestuosi possunt institui ut dictum est multo magis et spurii licet specu. teneat quod non possunt institui ut in ti. de iudic. §. universalia. iuxta fi. p. l. C. de naturali lib. l. I. ut ponit exemplum in filio sacerdotis et idem ipse notat quod possit talibus relinqui ut in ti. de successione. v. an natis. sed si habens filium legitimum et ille legitimus habet spurium nunquid anus potest ipsum spurium instituere et est dictum quod non nam tales ab omni paterno beneficio excluduntur ut in p. aut. licet. in fi. et appellatione parentis nepotis etc. ff. in ius. vet. quicumque. §. I. ff. de verbo. si. appellatione. Sed si habens filium spurium et ex illo nepotem non potest ipsum nepotem heredem instituere si erat in potestate patris quia non erat emancipatus. ff. de bonis. liberto. quoto. secundum gofr. nec potest tali nepoti facere donationem. universitatis propter affectionem quam habet filium. §. de coll. limo. dedit. et si pater non potest instituere spurium ut dictum est. sic non potest ei vendere quia presumitur fraus ut no. ff. de probat. qui testam. et que differentia sit inter spurios et inlegitimos et natos de dampnato coitu no. ex. de renunc. nisi. §. persone. et qualiter adoptivi succedant no. ac. in summa in titulo de adoptio. Sed duo naturales nati ex uno patre et duabus concupinis inter se succedunt instit. de servili. congna. sed quia non sunt legitimi non succedunt congnati patris in aut. quibus. na. effi. siri. §. filium. de hoc not. in dicta l. si spurius. §. un. congna.

In successione vero locationum sic distingue quia aut dat in emphiteosim ecclesia aut privatus dicendo do tibi et heredibus suis, si ecclesia succedit filius ei et filia, nepos ex filia, nepos ex filio et ex filia, sed non frater vel heres extraneus institutus ut in cor. aut. de non ali. aut permu. rebus ec. §. emphiteosim. coll. II. et ff. ad trebell. ex facto. §. ult. quod loquitur in pheudo ut ibi no. et no. de hoc extraordinarie. ex. de probat. inra. si vero detur in emphiteosim a privato vel a republica cuiuslibet civitatis quia civitas loco privatorum utitur. §. de verbo. sig. eum qui vectigal. tunc frater seu extraneus heres institutus succedit in conductione. §. de verbo. sig. in conductionibus. C. loca. aut conduc. viam veritatis maxime cum omne ius quod competit defuncto conpetit heredi. quia una est persona defuncti et heredis in cor. aut. de iur. iur. qui an. prat. coll. V.

De ascendentibus vero sic est dictum si filius est emancipatus qui moritur ab intestato et habeat patrem sororem et fratrem. pater habet secundum iura eductionem in totum usufructum soror et frater proprietatem et hoc si sunt utrique coniuncti. Si vero non sunt coniuncti omnes utrique sed aliquis sit ex parte matris in bonisque matris ipse solus quantum ad proprietatem succedit. sed si nullus est utrique coniunctus, tunc coniunctus ex uno latere succedit in proprietatem. C. de legitimis heredibus. l. de emancipatis. et quod dictum est in patre intelligatur in avo, proavo, matre, avia, et sic de ceteris salva gradum prerogativa ut C. ad sena. consul. tertull. l. ult. aut. defuncta. sed pater hodie succedit cum fratre seu sorore defuncti seu nepote vel nepte defuncti per aut. defuncta. non habet usufructum nisi in parte sua in cor. aut. de heredi. ab inte. vei. §. si no. coll. IX. et in cor.

aut. ut matris et avie. in fi. calump coll. VIII. in aliis vero bonis quantum ad proprietatem prefertur utrique coniunctus ut no. C. comunia de succes. l. ult. aut. itaque. nam due rationes vincunt unam. C. de legi. heredi. aut. cessante. cum similibus. hoc considerato quod filii fratris seu sororis tenent locum patris seu sororis et in stirpe succedunt instit. de legi. agna. suc. §. hoc in adeundo et idem si succedunt cum filiis patrui vel patruorum seu sororum ut in p. §. sed filii. filii vero succedunt in capite dic de hoc ut no. in aut. de heredi. ab intesta. §. reliqua coll. IX. et succedunt praedicti contra voluntatem predicti per contra tabulas exheredati per querelam. ff. de inof. testa. cum pat. et l. nam si parentibus. sed si filius sit in potestate et habeat peculium castrese vel quasi contra voluntatem patris non succedit ut. C. de inof. testa. l. fi. sed hodie habet legitimam. C. de episcopis et clericis. aut. presbiteros ab intestato aut. tam castrensia quam adventitia occupat iure peculii. ff. de castre. pe. l. II. unde tamquam heres ubi non habeat descendentes sive fratres ut in aut. de here. ab intestato. §. I. profectitia vero invito filio habet pleno iure.

De collateralibus vero est dictum quod secundum ius antiquum. XII. tabularum per quod soli congnati seu masculini sive feminini admictuntur ut in lombarda de succ. l. plt. usque ad X. gradum. secundum gradus sui prerogativam ut proximus precedat alios instit. de succe. congn. §. fi. et qui dicuntur agnati patet instit. de ammi. succe. et qui proximi patet instit. de succe. congn. §. pluries. et ff. de seris. et legi. heredi. l. II. et secundum ius predictum Iustiniani pari iure vocat agnatos et congnatos. C. de legit. here. aut. cessante. et seq. sed de iure lombardo nullus congnatus succedit tam in legittima collaterali quam ascendenti. Unde mater non succedit filio ut in lombar. de succ. l. I. sed in linea descendenti secus nam filius matri succedit ut e. t. l. fi. fratres. et l. si sorores. et no. hoc in l. si quis logobardus sorores in fi. sed de naturali equitate non scripta per illud ius potest admicti mater ad luctuosam hereditatem filii. ut no. in dicta. l. si sorores. Item secundum illud longobar. mortuo aliquo relicto fratre et nepote ex fratre premortuo non succedit nepos cum patruo quia secundum illud ius qui potior est in gradu agnationis potior est in successione ut e. t. l. I. et sic corrigit aut. cessante. Item filia femina excludi a successione matris et patris ubi superest frater, frater tamen debet eam maritare et sic quod est de constitutione regni ut dictum est supra. c. de iure longobardorum, immo si decedit derelicta filia et nepte vel nepote ex filio nepos vel neptis que representat personam patris excludit amitam sed eam maritare tenetur ut e. t. l. et si quicumque lombard. ubi etiam no. hoc dictum.

De collateralibus vero quod dictum est quod mater et superiores ex eo succedunt iux. est de iure pretorio perinde congnati. ff. un. congnati. l. I. sed iure novo tertulliano succedit filio mater legitimo si non sit pater et fratres vel sorores defuncto alioquin servatur l. C. ad tertull. l. II. in fi. ut patet in aut. defuncto. nam succedit in capite ut ibi.

(UTRUM IUDEX SAECULARIS POSSIT PROCEDERE CONTRA EUM, QUI, LITE PENDENTE, FACTUS EST CLERICUS).

Set pone quod quis conveniatur coram iudice seculari lite pendente factus est clericus. Queritur utrum iudex secularis possit procedere scripsit ala. goff. et b. quod sic. ex. de obliga. ad ratioci. c. I. et vic. sentit. ex. de iudic. at si clerici. et hoc per l. ff. de iudic. si quis postea. ex. de fo. conpe. proposuisti. ubi host. sequitur hanc sententiam per quam dec. bar. brix. idem sentiebat ut patet in questione generali que incipit aliquis litigabat. Sed Io. de deo dicebat istam sententiam esse veram ubi est causa civilis nam ubi cepit iudicium ibi debet finem accipere. ff. de iudic. et i. Si vero esset causa criminalis tunc ista sententia non esset vera quia tunc coram iudice ecclesiastico conveniri debet. XI. q. I. de persona. cum similibus. cum secularis iudex non possit eum punire et hoc ita scripsit in suis cavillationibus. ℞ca. de privilegiis creditorum. in fi. Alii autem indistincte contrarium per l. ff. de ar. non distingue. §. de sacerdotio et videtur hoc exprexum ff. de re mili. qui non uno. §. reus. ad idem ff. de accusat. lege. hos accusare. §. hoc beneficio. quod teneas, nam iste per susceptionem ordinis clericalis omnino forum mutavit. et sic non obstant illa iura que continet in quibus si bene videantur quis non mutat forum sed addit forum foro ad hoc LIII. di. c. I. ibi seculum fugere set mutare et cetera. LX. di. quid proderit ibi in aliud

et cetera. nam aliud est fori aditio aliud fori mutatio. ff. de senat. senatores, et licet ubi bona fide et non in fraude est factus clericus, nam si in fraudem tunc non videtur quod possit declinare cognitionem iudicis secularis ar. ff. de adulter. simatic. §. I. nam ibi dicitur quod absens causa rei publice bona fide dum est absens non potest accusari. Si autem abesset in fraudem et data opera ut evitaret congnitionem iudicis tunc illud contentum sibi non prodesset ut ibi dicitur.

Pag. 405 — Sine titulo sequitur liber quintus, et Rubrica *de Accusationibus* posteriori aevo addita fuit. Incipit: *Si legitimus.* Non fatigetur. *ut probet*... Desinit: *prohiberet lex mortua.* Ibi pag. 579.

Pag. 414 — De calumpniatoribus. Incipit: Cum fortius *etc. i. quantum*... Desinit: *extraordinaria pena.* Ibi pag. 594.

De simonia. Incipit: In ordinando. minister. *diaconus*... Desinit: *sibi servivit.* Ibi.

Pag. 418 — Ne praelati vices suas sub alio (sic). Incipit: *Preterea.* episcopalem. *isti episcopi*...Desinit: *de probatione. C. Tertio.* Ibi pag. 601.

De magistris et ne aliquid pro licentia docendi. etc. Incipit: Quoniam ecclesiam cathedralem. *idem in aliis*... Desinit: *l.cum quidem.* Ibi pag. 602.

De iudeis et Sarracenis et eorum servis. Incipit: Super specula. *Presenti concilio*... Desinit: *per ecclesiam.* Ex speciali. Nulli. Ibi.

Pag. 419 — De hereticis. Incipit: Qui alios. dubius in fide. *XXIIII. q. I. aperte*... Desinit: *solvi possit.* Ibi pag. 603.

Pag. 420 — De scismaticis. ℟. Incipit: Quod a predecessore. *large dicuntur*... Desinit: *presentium.* Ibi pag. 605.

Pag. 421 — De apostatis et iterantibus baptisma. Incipit: Preterea clerici. *triplex est*... Desinit: *remaneret.* Ibi pag. 607.

Pag. 422 — De hiis qui filios suos occidunt. ℟. Veniens de c. intelleximus. Ibi pag. 608.

De infantibus et languidis expositis. Incipit: De infantibus. Si a patre. *nam si in aliquo*... Desinit: *patrem.* Ibi.

De homicidio voluntario vel casuali. Incipit: Si quis per industriam. et per insidias. *et pro. i. qualis*... Desinit: *presbiterum.* Ibi.

Pag. 425 — De torneamentis. ℟. Incipit: Quidam ut asseris. Felicis memorie. *secundum. l*... Desinit: §. *si quis.* Ibi pag. 612.

De clericis peregrinantibus (sic) in duello. Incipit: Ad audientiam. Porro si clericis. sponte. *idem si coacte*... Desinit: *significasti.* Ibi.

De saggitariis. ℟. Artem illam. Ibi pag. 613.

De adulteriis et strupo. Incipit: Si seduxerit. ad accusationem adulterii *que fit ad separationem*... Desinit: *contradicunt.* Ibi.

Pag. 426 — De raptoribus et incendiariis et violatoribus ecclesiarum. Incipit: Tue fraternitatis. De illis autem illius *quia hic profugus*... Desinit: *de frigidis c. I.* Ibi pag. 614.

Pag. 427 — De furtis. Incipit: Accedens. Qui furatur. hominem. *liberum*... Desinit: *laici.* Ibi pag. 615.

In margine manus posterior scripsit: *Hic ponuntur cause quare fuit prohibita usura*; titulus vero inferius habetur. Incipit: *Usura prohibita est*... *non sunt prohibita.* De usuris. Plures clericorum. *Usura est vicium*... Desinit: *et etiam mutuum est.* Ibi.

Pag. 430 — De crimine falsi. Incipit: Falsidicus testis iudicii. *hunc iudex*... Desinit: *se obligavit.* Ibi pag. 619.

De sortilegiis. ℟. Incipit: Ex tuarum tenore. astrolay. *aliqui dicunt*... Desinit: *si christus.* §. *I.* Ibi.

De collusione detegenda. Incipit: Sripta. f. t. dissimulare. *cum esset*... Desinit: *pa.* §. *ult.* Ibi.

De delictis puerorum. Incipit: Pueris grandis. *genitalibus*... Desinit: *exigere potest.* Ibi pag. 620.

Pag. 431 — De clerico venatore. Incipit: Episcopum presbiterum. voluntate. *secus*... Desinit: *qui venatoribus.* Ibi.

De clerico percussore. Incipit: Omnibus *si quis*... Desinit: *contraxisse.* Ibi pag. 621.

De clericis maledicis. Incipit: Innotuit *de processione*... Desinit: *per subiectas ecclesias. statuimus.* Ibi.

De clerico excommunicato vel interdicto ministrante. Incipit: Si quis episcopus *iuste*... Desinit: *per sententiam.* Ibi.

Pag. 432 — Deficiente Rubrica: *De clerico non ordinato ministrante*, incipit: Si quis *baptizaverit...* Desinit: *studeat.* Ibi pag. 623.

De clerico per saltum promoto. *Ut litere. pretermisso. LIIII. di. c. I.* Ibi.

De clerico qui furtive recepit. Incipit: Venientes. anathematis. *licet...* Desinit: §. *cum queritur.* Ibi.

Pag. 433 — De excessibus praelatorum. Incipit: Pervenit. exactiones. *omnes autem...* Desinit: *hoc quippe.* Ibi pag. 624.

Pag. 437 — De novi operis nunctiatione. Incipit: Intelleximus *iniuriam...* Desinit: *l. ult. is cuius optus.* Ibi pag. 631.

Pag. 438. — De privilegiis et excessibus privilegiorum. Incipit: Episcopalia *gubernacula etc.* vilescat *de facto...* Desinit: *monasterii vocentur.* Ibi pag. 632.

Pag. 445 — Deficiente Rubrica: *De purgatione canonica*, incipit: Nobilis homo *negaverit...* Desinit: *di. IIII. factum.* Ibi pag. 641.

Pag. 447 — De purgatione vulgari. Incipit: Cum suscepti. *II. q. V. monachiam...* Desinit: *C. de re mi. l. I.* Ibi pag. 644.

De iniuriis et dapno dato. Incipit: Dilectus filius. *Actio iniuriarum...* Desinit: *petrus. in fi. Ea que frequenti. etc.* Ibi.

Pag. 448 — De penis. ℞ca. Incipit: Presbiteri interfecti. *hoc capitulum...* Desinit: *qui vero*, deficiente ultimo capitulo *Romana....* Ibi pag. 645.

Pag. 449 — De penitentiis et remissionibus. Incipit: Manifesta. *de pe. con. di. I....* Desinit: *cum ex eo. in fi.* Ibi pag. 647.

Pag. 452 — De sententia excommunicationis. Incipit: Super eo *maior excommunicatio...* Desinit: *iuvet eum supra de appellatione predicta*, deficientibus duobus ultimis capitulis. Ibi pag. 651.

Pag. 468 — De verborum significatione. Incipit: In nova re. Nam et rex nabuchodonosor proavus. *ff. I. si appellatum...* Desinit: *olim tibi.* Ibi pag. 673.

Pag. 476 — Deficiente Rubrica: *De regulis iuris*, incipit: Omnis res. dissolvitur. *fallit.....* Desinit: *de consuetu. in princi.* Explicit Apparatus domini Innocentii IIIIti. cuius anima in perpetuum benedicatur et vivat cum deo in sempiterna secula. Amen. Amen. Deo gratias. Ibi pag. 683.

CODEX CXXII.

SIGNATUS NUMERIS EXTERIORIBUS 122 ET 139, INTERIORI VERO 411 PLUTEO XX.

Codex membranaceus in folio, longitudinis metri 36/₀, latitudinis 23/₀, characteribus Gothicis saeculi XIV. exaratus, 776 paginis constat. Habet pro titulo exteriori: *Institutiones Iuris civilis. Libri Feudorum cum Glossa;* et citatur a Montfauconio sub eodem numero, eodemque titulo. Variis manibus exscriptus, a pagina 1 ad paginam 278, Institutiones Iuris civilis continet, cum commentario aliisque glossulis; a pag. 279, usque ad pag. 360, alia manus scripsit: *Consuetudines Feudorum*, cum Constitutione Frederici II, et glossa quae excurrit tantum usque ad Titulum LVIII Libri secundi; tertia pars, cuius scriptura differt, habet *Novellas Iustiniani*, in IX divisas collationes, in quibus multi desiderantur tituli.

Pag. 1 — In nomine domini nostri ihesu christi. Imperator cesar flavius. Iustinianus Alamanicus francus guandalicus. goticus atticus africanus. pius felix Inclitus victor ac triumphator semper augustus cuius piissimi augusti per tribuniani magistrum et questorem sacri palatii iuventuti cupide legum. Inperator. Incipit: *Imperatoriam maiestatem non solum armis decoratam set etiam legibus.... victor existat non solum in hostilibus preliis... iniquitatem expellens. Et fiat... triumphator. Quorum... et summa... deducte cognoscunt... et tam africa quam alie innumerose... vel compositis... prudentie veteris... antecessoribus quorum.... componant institutiones.... anime vestre. nichil inutile nichil perperam.... in quos omne ius atiquum collatum est.... necnon et ceteros... elementa quibus... nobis contulerunt et legimus et cognovimus.... opere perfecto...* Desinit: *credendis gubernari*; et immediate sequitur titulus *De iustitia et iure.* Primus vero liber, concordantibus titulis cum editione Veneta 1583 *Institutionum*, desinit: *removendus non est quasi suspectus.* Explicit. liber. primus. Ibi a col. 1 ad col. 118. Commentarius vero, qui concordat cum edito, si excipias additiones et casus, incipit: In nomine domini nostri ihesu christi. *ex hoc nota quod christianus fuit alias non posset inperare...* Desinit: *ut supra de cur. §. interdum. et c. eo. l. pietatis. et C. de periculo. tut. l. I. Ac.* Praeter hunc commentarium, aliae notae diversarum manuum additae sunt in marginibus foliorum, quarum quasdam suis locis dabimus.

Pag. 22 — Incipit. II. de rerum divisione. Incipit: *Superiore libro...* Desinit: *sollempnitatem ordinationis desiderant.* Explicit liber secundus. Ibi a col. 118 ad col. 281. Tituli concordant cum edito exceptis infra notatis: (XII) *Quibus non est permissum testamenta facere.* (XIII) *De exheredatione liberorum.* (XVII) *Quibus modis testamenta infirmantur.* (XXIII) *De fideicommissariis heredibus.* Commentarius pariter concordat cum edito. In tit. VI *De usucapionibus* etc. leguntur hi versus posteriori manu exarati:

Non usu capias nisi sint talia quinque
Recta fides iustus titulus res non vitiosa
Quod res tradatur et tenpus continetur.

Pag. 65 — Incipit tertius de hereditatibus que ab intestato deseruntur. Incipit: *Intestatus decedit...* Desinit: *siculi iam dictum est.* Explicit liber tertius. Ibi a col. 282, ad 415. Tituli concordant cum edito, exceptis: (III) *De senatus consulto tertulliano.* (VI) *De gradibus cognationis.* (XIII) *De successionbus que fiebant. per bonorum vendica-*

tionem et ex senatus consulto claudiano. (XVI) *De verborum obligatione.* (XXII) *De literarum obligatione.* (XXIII) *De consensus obligatione.* (XXVIII) *De obligationibus quasi ex contractu.* (XXIX) *De hiis personis per quas nobis obligatio tollitur.* (XXX) *De his modis quibus obligatio tollitur.* Commentarii concordant cum editis. In I.° tit. legitur posteriori manu: *Nota bonum casum pro nepotibus domni Petri de Argello.* Ad notam *h* tituli III. (col. 299. edit.) haec addita sant: *filii enim non sunt in potestate patris ut notat domnus Karolus in lombarda in tit. de adopt. et de prescritionibus. l. si inter fratres et hoc secundum ius longobardorum.*

Pag. 101 — Incipit quartus de obligationibus que ex delicto nascuntur. Incipit: *Cum expositus sit...* Desinit: *adventura est. Finito libro sit laus et gloria christo. Qui scripsit hunc librum suo fine locetur in paradiso.* Ibi a col. 415 ad 454. Tituli omnes Codicis concordant cum editis. Excipe: (VI) *De actionibus et quid sit actio.* (VII) *De eo negotio quod cum eo qui in aliena potestate est gestum esse dicitur.* (IX) *Si quadrupes pauperiem fecisse dicitur.* (XII) *De perpetuis et temporalibus actionibus et que ad heredem vel in heredem transeunt.*

Pag. 143 — Duabus antecedentibus paginis ab scripto vacuis relictis, in hac legitur: Codicis Iustiniani imperatoris repetitae praelectionis liber X. Incipit de iure fisci. Incipit: Imperator Iustinianus. *Si priusquam fisci...* Desinit: *quinos solidos inferat.* Contulimus cum edit. Veneta 1583, cui titulus: *Volumen legum parvum, quod vocant,* a col. 1 ad 118. Tituli Codicis cum editis concordant si excipias: (II) *Constitutio greca de conveniendis fisci debitoribus.* (IV) *Constitutio greca de conditione rerum fiscalium privatis communium.* (V) *Ne fiscus rem quam vendidit cumittat.* (VII) *Penis fiscalibus creditores praefecti.* (XII) *Constitutio greca de petitis bonorum sublatis ame.* (XVI) *De anona et tributis.* (XVII) *Constitutio greca de indictionibus.* (XX) *Constitutio greca desuper exactionibus.* (XXII) *De apochis publicis et de scriptionibus curialibus.* Incipit: *Ad inferiorum...* Desinit: *assertione patefecerit.* Sequitur constitutio greca. Incipit: *Securitatibus...* Desinit: *opponi concedimus.* (XXIV) *De immunitate nemini concedenda.* (XXV) *Ne opere a collatoribus exigantur.* (XXVII) *Ut nemini liceat in coemptionem specierum se excusare et de munere.* (XXVIII) *III. Constitutio greca de collatione donatorum vel relevatorum aut translatorum seu aderatorum curatorum.* (XXXI) *De decurionibus et filiis eorum et qui decuriones quibus modis a fortuna liberantur.* (XXXIII) *De prediis curialium sine decreto non alienandis.* (XXXIV) *Constitutio greca quando et quibus quarta pars debetur ex bonis decurionum et de modis distributionis eorum.* (XXXV) *Constitutio greca de inponenda lucrativis descriptione.* Tituli XXXVI et XXXVII unum efformant in Codice. (XL) *De honoribus vel muneribus non continuandis inter patrem et filium et de intervallis.* (XLII) *Quemadmodum munera civilia inducuntur.* (XLIII) *De his qui sponte munera susceperunt.* (XLV) *De vacatione muneris publici.* (XLVI) *De decretis decurionum et de immunitate quibusdam concedenda.* (XLVIII) *Ex quibus muneribus vel prestationibus nemini liceat excusare.* (XLIX) *Qui etate se excusant.* (L) *De morbo.* (LI) *De his qui munerum vel paucitate excusationem meruerint.* (LII) *De professionibus et medicis.* (LV) *Constitutio greca quibus muneribus... vectigalium fisci.* (LVIII) *De reis postulandis.* (LX) *De filiis familias quemadmodum pater pro eis tenetur.* (LX) *De mulieribus... et honores.* (LXX) *De susceptoribus prepositis et archadiis.* (LXXIV) *De auro coronarie.* Commentaria concordant cum editis. Inter notas posterioris aevi legitur sequens: *Per l. istam fuit determinata quedam questio qualiter citatur ille qui est ordinatus per magistrum masarium et ff. de neg. ge. l. ex facto. et fuit inventa hec per demonem*; et haec alia. *Nota quod Civitates debent dare salarium bonis medicis sive bonis licteratis. Item nota quod durante infirmitate medicus non debet aliquid recipere ab infirmo.*

Pag. 187 — Incipit XI. de tollenda lustralis auri collectione constitutio greca de naviclariis seu naucleriis publicas species transportantibus. Incipit: *Nullam vim oportet...* Desinit: *temeratore plectendo.* Explicit liber XI. Ibi a col. 119, ad 222. Tituli qui ab editis differunt sunt: (II) *De portis et omnibus rebus naviculariorum.* (III) *Ne quid honeris publico inponatur.* (VII) *De murilegulis et ginetiariis et procuratoribus ginegii et de monetariis et bastaariis.* (VIII) *De vestibus olevetis et deauratis et de tinctione sacri*

muricis. (XI) *Nulli licere in frenis et equestribus sellis et in balteis margaritas et smaragdos et iacinthos et aptare et de artificibus palatinis*. (XIII) *De curialibus urbis rome*. (XVII) *De collegiis et catopretis et nummulariis*. (XXI) *De metropoli berico*. (XXII) *De canone frumentario urbis rome*. (XXVIII) *De alexandrine primatibus*. (XXXIV) *De periculo eorum qui magistratibus intervenerunt*. (XXXV) *Quo quisque ordine conveniatur*. (XXXVI) *Ne quis liber munus actum rei. publice gerere cogatur*. (XXXVIII) *De his qui ex officio quod administraverunt conveniuntur*. (XL) *De spectaculis scenicis et lenonibus*. (XLI) *Constitutio greca de expensis ludorum*. Inscriptio Tituli XLII *De aquaeductibus* desideratur, sed adsunt leges, sicut etiam inscriptio Tit. XLV. *De maiuma*. (XLVII) *De agricolis censitis vel colonis*. (XLIX) *In quibus causis coloni censiti dominos accusare possunt*. (LIII) *Ut nemo ad suum patrocinium suscipiat vicos vel rusticos eorum*. (LIV) *Ut rusticani ad nullum obsequium revocentur*. (LV) *Non licere habitatoribus metrocomie loca sua ad alium transferre*. (LVI) *Ut nullus ex vicariis pro alienis vicariorum debitis teneatur*. (LXII) *De mancipiis et colonis patrimonialium et saltuensium et enphiteoticariorum fundorum*. (LXIII) *De fugravis colonis patrimonialibus et enphiteoticis vel saltuensibus*. (LXVII) *De agricolis mancipiis dominicis vel fiscalibus sive rei private*. (LXVIII) *De prediis civitatis et de his qui ex colonis dominicis aliisque libere conditionis procreantur*. (LXXI) *De conductoribus et procuratoribus sive actoribus prediorum fiscalium et domus auguste*. (LXXII) *Quibus ad conductionem rerum fiscalium aspirare non licet*. (LXXIII) *De collatione fundorum fiscalium vel rei private vel dominice civitatum vel templorum*. (LXXVII) *De cupressis ex luco dapnensi... non incidendis vel vendendis*. Commentaria concordant cum editis.

Pag. 230 — Incipit XII. de dignitatibus. Incipit: *Si ut proponitis*... Desinit: *vexatione quatietur*. Ibi a col. 222, ad 324. Sequentes tituli aliter se habent in editione: (II) *De pretoribus et honore preture et glebe et folli et .VII. sollidorum functione sublata*. (III) *De consulibus et non spargendis ab his pecuniis et de prefectis et magistratibus militum et patritii*. Inscriptio Tit. IV. desideratur in Cod. (VI) *De questoribus magistris officiorum et comitibus largitionum rei privale*. Desideratur in Cod. inscriptio Tit. IX. (XI) *De prepositis ac tribunis scolarium*. (XIII) *De comitibus et archanis palatii*. (XIV) *De comitibus et qui etiam in provinciis degunt*. (XV) *De professoribus qui in urbe constantinopolitana degentes ex lege comitivam meruerunt*. ℣. (XVIII) *De prepositis labarum*. ℣. (XIX) *De prepositis sacrarum scriniorum et ceteris qui in scriniis militant*. (XX) *De agentis in rebus*. (XXVII) *De decanis*. ℣. (XXIX) *De privilegiis eorum qui in sacro palatio militant*. (XXXI) *Qui militare... et ut nemo vel duplici... et militia simulantur*. (XXXVII) *De castrensi peculio militum et prefectioriorum*. Incriptio Titulorum XXXIX et XL deest in Codice. (XLII) *De salgamo hospitibus non prebendo*. (XLV) *De lictorum itinerum custodia*. (XLVI) *De desertoribus et occultatoribus eorum*. (XLVIII) *De filiis offitialium et militantium qui in bello moriuntur*. (L) *De numerariis... scriniariis exceptoribus... iudicum tam civilium quam militantium*. (LII) *De tractatoribus et statuis*. (LIII) *De apparibus prefectorum pretorio et privilegiis eorum*. (LVIII) *De cohortalibus principibus cornicularìis ac primipilaribus*. (LX) *De diversis offitiis et apparitoribus iudicum eorum*. Post verba: *esse plectendos*, legis X. Tit. LX, legitur in Codice alius Titulus, qui desideratur in editione scilicet: Item notitia scrinii memorie vel probatorie. (LXII) *De lucris... sive apparitorum*. (LXIV) *Publice letitie vel consulum nuntiatores vel insinuatores constitutionis... ex descriptione ab invitis*. Commentaria concordant cum editis.

Pag. 279 — Incipiunt consuetudines feudorum. primo de hiis qui feudum dare fossunt. et qualiter acquiratur et retineatur. ℣. Incipit: *Quia de feudis*... Desinit: *de l. I. si contigerit*. Ibi *Feudorum*, a col. 1. ad 120.

Omnes inscriptiones titulorum concordant cum editis, si excipias: (II) *De feudo guardie vel castaldie*. (III) *Qui successores teneatur*. (IV) *De controversia investiture*. (VI) *Episcopum vel abbatem vel abbatissam feudum dare non posse*. ℣. *(IX) Hic potest esse titulus qui successores teneatur*. (X) *De contentione inter dominum et vassallum de investitura feudi*. ℣. Inscriptio Tit. VI non legitur. (XII) *De contentione... fratris mei*. ℣. (XIV) *De feudo*

marchie ducatus et comitatus. ℟. (XV) *An maritus... in beneficium.* ℟. (XVI) *De feudis datis minimis valvassoribus.* (XVII) *Quibus... amictitur.* ℟. (XVIII) *Apud quem vel quos controversia feudi diffiniri. debeat.* (XX) *De beneficio fratris et qualiter frater fratri succedat in feudum.* ℟. Inscriptio Tituli XXVIII non legitur in Cod. nec etiam adest divisio inter primum et secundum librum. (I) *De feudi cognitione diversa.* ℟. (IV) *An precedere debeat investitura an fidelitas.* (V) *Qualiter vassallus iurare debeat fidelitatem.* (VII) *De nova fidelitatis forma.* (XI) *De gradibus succedendi in feudum.* (XIV) *De vassallo decrepite etatis qui beneficium refutavit ut filii investirentur.* ℟. (XVII) *De eo qui sibi heredibus... accepit.* (XIX) *An remorari... desierint.* ℟. (XX) *De controversia inter vassallum et episcopum.* ℟*ca.* (*XXIII*) *Ex quibus causis feudum amictatur.* (XXVI) *Si de feudo fuerit controversia.* ℟*ca.* (XXIX) *De filiis natis de matrimonio ad morgauticam contracto.* ℟. (XXX) *De beneficio femine.* ℟*ca.* (XXXI) *Si vassallus... defertur.* (XXXII) *Quod testes sint necessarii ad probandam novam investituram.* (XXXVIII) *De vassallo qui contra constitutionem lotharii beneficium alienavit.* (XXXIX) *De alienatione feudi paterni.* (XLI) *De controversia inter masculum et feminam.* (XLIV) *Quid iuris... id recuperet.* (*XLV*) *An agnatus vel filius defuncti repudiata hereditate possit pheudum retinere.* ℟. (*XLVI*) *An apud... terminari.* ℟ca. (XLVII) *Qualiter dominus proprietate privetur.* (XLV) *De eo qui fidem... paterno.* (LIII) *De pace iuramento humana tuenda et indicam. et de pena... qui eam vendicare et iustitiam facere neglexerint.* ℟. Inscriptio Tit. LIV desideratur in Cod. (LVI) *Que sunt regalie.* ℟. (LVII) *Quot testes sunt necessarii ad probandam novam ingratitudinem.* Inter commentaria recentiora, sequentia notatu digna apparent: *Tene menti hanc glossam*: *alias mihi fecit magnum honorem cum essem in inritatione*(?) *cum gubernatore curie. Nota pro iohanna uxore quondam Antonii Palmerani. Nota contra Notarium Benedictum de Guardia. Nota contra dominum Abbatem de Arabona pro mascio de preturo.*

Pag. 354 — Sine titulo sequuntur Constitutiones Friderici secundi Imperatoris. (Tit. I.) DE STATUTIS ET CONSUETUDINIBUS CONTRA LIBERTATEM ECCLESIE EDITIS. Incipit*: Ad decus et honorem....* Desinit: *nichilominus puniendus.* Ibi a col. 120, ad 123.

Pag. 358 — Sequitur sine titulo lex incipiens: *Fridericus dei gratiam imperatorem re universis sui regni fidelibus habita super hoc diligenti episcoporum et marchionum...* Desinit: *In secunda precipimus ante.* Haec lex est Friderici I. Imperatoris, et promulgata fuit mense Novembrio MCLVIII. in Dieta Roncalliae, et postea eius iussu in Cod. inserta, sub Tit. *Ne filius pro Patre* etc. et effecit authenticam *Habita* (Cod. IV. 13). De hac lege disserte loquitur Savigny in sua historia iuris Romani tom. I, pag. 553, edit. Taurin.

Pag. 363 — Paginis 360, 361, 362, et posteriori columna 359 ab scripto vacuis relictis, in hac legitur: IN NOMINE DOMINI NOSTRI IHESU CHRISTI. DE HEREDIBUS ET FALCIDIA CONSTITUTIO PRIMA. SI HERES LEGATA SOLVERE NOLUERIT. IMPERATOR IUSTINIANUS AUGUSTUS IOHANNI PREFECTO PRETORIO SECUNDO. Incipit: *Occupatis nobis circa totius reipublice...* Desinit: *adiectione dominica.* Ibi *Authenticorum*, a col. 1. ad 62. Inscriptiones titulorum respondent editis, exceptis: (II) *De non eligendo secundo nubentes mulieres et alienationes lucro ante nuptialis donationis et de cessionibus earum filiis suis costitutio.* (III) *Ut determinatus sit numerus clericorum sanctissime maioris ecclescie et ceterarum Sanctarum ecclesiarum.* (IV) *De fideiussoribus et mandatoribus et solutionibus. Constitutio IIII.* Haec in Cod. excurrit usque ad verba: *pauci consistentes*, quae leguntur in cap. I. (Ibi col. 34 lin. 2.). (VI) *Quomodo oporteat episcopos et reliquos clericos ad ordinationem adduci et de expensis earum.*

Pag. 403 — Sine speciali titulo incipit Collatio Secunda. (Tit. I) *De non alienandis... generalem ypothecam.* Incipit: *Imperator Iustinianus Augustus Epiphanio archiepiscopo. et patriarche constantinopolitano. Unam intentionem...* Desinit: *adversamus copulationes.* Ibi a col. 63 ad 114. In II. Tit. post verba: *felicitate parcentes*, legitur charactere rubro: HEC CONSTITUTIO NON LEGITUR IN SCOLIS. *Scriptum est exemplar...* (III) *Iusiurandum quidem prestatur... accipiunt.* (V) *Ut ecclesia romana C. a. habeat prescriptionem.* (VI) *De referendarii palatii.* Inscriptio Tit. VII. desideratur, et Tit. VIII legitur infra in Coll. IX.

Pag. 444 — Sequitur etiam sine speciali divi-

sione Collatio tertia. Incipit: (I) Lenonibus. *imperator... Et antiquis...* Desinit: *nobis sunt placita*, deficiente hic novella *de Armeniis*, quae legitur inferius in Coll. IX. (Ibi a col. 117, ad 159). Inscriptiones titulorum Codicis concordant cum editis, exceptis: (V) *De triente et semisse et successionibus filiorum et nepotum et naturalium vel collationibus aut distributionibus nec non litterarum aut amministrationum adque rerum ex quibus detinent et inficiationibus*. (VIII) *De administrantibus offitiis in sacris appellationibus*. Primo titulo huius collationis apposita legitur haec nota: *Nota totum istum titulum contra dominam Antoniam siculam et dominam florem.. convicinas meas lenocinia exercentes*.

Pag. 475 — Pariter sine titulo nec divisione sequitur Collatio IV. quae incipit: (I) De nuptiis. *Imperator iustinianus. augustus. Iohanni pape. Plurime quidem...* Desinit: *operi effectuique tradere festinet*. Ibi a 160, col. ad 264. Desiderantur Tituli III. IV. V. VI. VII. VIII. X. et XI, quorum loco legitur in Codice Titulus De consulibus. Incipit: *Idem. augustus stratigio Comiti. sacrorum largitionum. Consulatus nomen et causa priscis quidem romanis...* Desinit: *continetur virtutem. Legitur scripta appari iohanni prefecto orientis scripta appari longino prefecto felicissime urbis*, qui est VI Collationis VIII. (Ibi col. 462). Postea legitur haec nota posterioris aevi: *Nota quod imperator est lex animata in terris ut hic vides et bene*. Pariter in tit. I invenitur haec alia nota: *Nota pro Magistro valentino*. Tituli XII, et XIII concordant cum editis; XIV, XV, XVI, et XVII pariter desiderantur; XVIII ita se habet: *De restitutionibus et ea quae parit in decimo mense post viri mortem*. Tituli XIX, XX, XXI, et XXII non leguntur in Codice. Inscriptio tit. XXIII sic legitur: *De tabellionibus et ubi protocolla dimictant in cartis*; etiam deficiente XXIV Titulo.

Pag. 523 — De ecclesiarum immobilium rerum alienatione et solutione collatio V. Incipit: *Imperator iustinianus augustus Iohanni prefecto secundo. Et circa leges studium...* Desinit: *eorum utilitatem proponimus*. Ibi col. 265.

In Codice desunt Tituli V. XIV. XVII. XIX. XX. XXIII. Titulus vero XVIII huius Collationis legitur inferius ad calcem Coll. IX. Tit. III ita se habet: *De iureiurando a moriente propter mensuram sue substantie*. Huic sequitur alius titulus qui est II Edit. *Ut preponatur nomen imperatoris documentis et latinis licteris apertius reponatur scribatur*. (VI) *Scenicas non solum fideiussorem prestent sed etiam si iusiurandum dent sine periculo discedere*. (VII) *Ut non fiant pignorationes pro aliis personis monumentorum sic neque et si est principium donationis non egent gestis monumentorum sic neque a privatis imperatoribus facte donationes indigent*. (VII) *De exibendis reis et ut qui conveniuntur post XXmam diem dum presententur iudicibus. et de his qui iuratoriam cautionem exponunt et ante litis contestationem et absentes fiunt et de ypothecis que appellantur ex casu et de indotatibus mulieribus ut habeant quandam partem in substantia viri et ipse in substantia uxoris que inobs est*. (IX) *Constitutio que ex ascriptitio natos liberos esse vult non his qui ante constitutionem nati sed qui post constitutionem prodesse et ut venerabiles domus commutationem faciant ad invicem immobilium rerum decreto prius interposito. exepta hac Maiori ecclesia*. (X) *Ut de cetero ecclesiarum rerum commutationes non fiant ad piissimum imperium et ad alias personas transeant res sed non tantum modo fiant ad imperialem domum et ut liceat perpetue emphytheusis agi ab oratoriis in oratoria decreto videlicet interposito exepta hac maiore ecclesia ne tamen in imprivatam personam transeat in emphitheusim*. (XI) *Ut ea que vocantur insinuativa super clericis in maiori ecclesia dentur. in aliis autem ecclesiis non dentur*. Tantummodo priora verba inscriptionis XII Tituli leguntur, post quem titulum alius legitur: *De hiis qui ingrediuntur ad appellandum*, qui est IV Edit. (XIII) *Ut in privatis domibus sacra non fiant misteria*. (XIIII) *Ut defuncti... non suscipiant cogitationes absque iudicibus*. (XV) *Ut immobilia ante nuptialis donationis nec ypothece... hec vero in dotem valere*. (XXI) *Ut sacre nove costitutiones post insinuationem*. (XXII) *Ut nullus fabricet domos preter voluntatem episcopi et ut deputet prius que circa diligentiam et statum fabricationis oratorii sufficiant. et ut episcopi non desin suis ecclesiis et de alienatione rerum ecclesiasticarum*. (XXVI) *Ut ab illustribus... sed iniuriarum... procuratorem et dicantur... eis per procuratorem et per se litigare*. (XXV) *Ut ordinarie prefecture*

urbane due et pretoriam prefecture que cingulo et que actu sunt sole non etiam honorarie liberent a curiali fortuna. (XXIIII) *Ut omnes obediant.... quempiam iusserit.* Huic titulo subsequitur sequens: QUIBUS MODIS NATURALES EFFICIUNTUR LEGITIMI ET SUI ET SUPER ALIOS MODOS QUI SUPERIORIBUS CONSTITUTIONIBUS CONTINENTUR. Incipit: *Idem augustus Johanni prefecto secundo ex compatricio. Recte dictum a predecessoribus nostris...* Desinit: *eorum utilitatem proponimus,* qui in editis est III Collationis sextae (Ibi col. 349).

Pag. 571 — Sequitur sine distinctione Collatio sexta: (I) UT HIIS QUI OBLIGATAS SE HABERE PERHIBENT RES MINORUM AUT... Incipit: *Idem Augustus Iohanni prefecto secundo. Omnia quidem legislatori...* Desinit: *effectuique tradere festinet et in perpetuum observet.* Ibi a col. 331, ad 398. (II). *De instrumentorum... et primum de posito de mutuo... et collationibus... et depositis instrumentis... et de ex non scriptis... auri. vel de contractibus qui in agris.* Huic titulo adest haec nota: *Nota pro notariis senibus.* III. Titulus hic deest, nam fuit positus in fine Collationis V. et etiam desideratur Tit. IV. (V) *Haec constitutio... in monasterium... eas valere.* (VI) *Ut non luxurientur contra naturam neque iurent per capillos. aut aliquid huiusmodi neque blasphementur in deum.* (VII) *Liberti de cetero non egeant anulo aureo... natalis et celebratione dotalium instrumentorum et libertis et mulieribus facta ex hoc... suos et si nuper... legitimas fieri et qui ex eis processerunt suos.* (VIII) *Apud quos oporteat causam dicere monachos et asisteros.* (IX) *Constitutio que de dignitatibus et episcopatu liberat a patria potestate.* (X) *De iudicibus et nullatenus cum iureiurando eligatur aliquis iudex.* (XI) *Ut clerici apud proprios primum conveniantur et post hoc apud civiles iudices.* Deest Titulus XVI; XV vero legitur in Collatione IX. in Cod. (XVII) *De posito et numerationibus inquilinorum et de suspendenda amministratione.*

Pag. 609 — Sine aliqua distinctione sequitur Collatio VII. (I) QUIBUS MODIS NATURALES EFFICIUNTUR ET DE EORUM TESTATO SEU AB INTESTATO SUCCESSIONE. Incipit: *Naturalium nomen...* Desinit: *effectuique tradere festinet.* Ibi a col. 398, ad 452. Titulus III. deest hoc loco in Codice, sed habetur inferius. (IV) *De immensis donationibus.* Tit. V. desideratur. (VI) *Ut sine prohibitione matres et debitrices et creditrices tutelam gerant minorum et nec iusiurandum prebeant quod non veniant ad secunda vota.* Huic titulo subsequitur alius: *Ut exactione instante prime et secunde dotis viro ad secunda vota migrante prima uxor preponatur vel ex priore matrimonio filii ut si noluerit uxor dare viro que scripta sunt distulerit aut vir suscipere soluto. matrimonio. exigi et eam ab ea etiam cum scriptura ante donationem nuptialem,* qui est III. editionis, ut supra diximus. (VII) *De amministrantibus.* (VIII) *De executoribus qui conveniuntur et conveniuntur.* (IX) *De equalitate dotis et propter nuptias donatione et augmento dotis et propter nuptias donant, de privilegio dotis quod aliis proponatur privilegiis et ut accipiant hoc privilegium creditores in emtione militie, de dote remeante ad patrem et rursum data pro eadem filia secundo viro et de dotis collatione inope marito moriente. ℞ca.* Tit. X. in Codice legitur post VII. Collationis VIII. (IX) *De reis promictendi.*

Pag. 645 — Sequitur etiam absque ulla distinctione Collatio VIII. (I) DE TEMPORE NON SOLUTE PECUNIE PROPTER DOTEM. Incipit: *Imperator..... Omnes pecunie...* Desinit: *fiat insinuatio.* Ibi a col. 452, ad 510. — Codex caret Titulo II, III, IV, et V; VI. legitur in Collatione quarta, et VII, qui etiam desideratur, invenies infra in collatione IX. Subsequitur alius titulus: *Neque virum quod ex dote est nec mulierem quod ex... et ut ex repudio... lucrantes autem aut dotem aut donationem propter nuptias... servare filii usum habentem personam cogendam filium alere... dampnum detineri quedam et hac parte perimenda que detinentur filiis. s.* (Ibi col. 447) qui est X. Collationis VII. in editis. Post quem adest alius titulus: *De appellationibus.* (VIII) *De testamentis... et eius facultatibus facta constitutio et subscripta. ℞ca.* Codex caret XI Titulo. (XII) *Constitutio que innovat... C. annorum dederat. ℞ca.* (XVII) *Ut nec miles nec federatus observetur.* (XV) *Ut divine iussiones subscriptionem habeant.* (XIV) *In medio litis non fieri sacras formas. aut sacras iussiones secundum quod generales. l.* (XVI) *Ut cum... debebit iudicari... date sententie... capitulis. ℞ca.* (XVIII) *Ut liceat... facultatem disponere et alia plura capitula.*

Pag. 691 — Sequitur demum sine ulla distin-

ctione ultima collatio, nempe IX. (I.) DE HEREDITATIBUS QUE AB INTESTATO DESERUNTUR. Incipit: *Idem augustus. petro. prefecto. Plurimas et diversas leges*... Desinit: *per omnia custodiri provideat*. Ibi col. 510. (II) *Ut sponsalitia largitas specialis contractus*. (VII) *Ut litigantes iurent quia nec promiserunt dare iudicibus nec dabunt et de sportulis ut referendarii compellant et non misceant semetipsos omne et per semetipsos cause*. (III) *De alienatione et emphyteosis et locatione et ypothecis et aliis diversis contractibus*. (XIIII) *De ecclesiasticis titulis*. (X) *Ut fratrum filii succedant patruis*. (XLI) *De restitutione fideicommissi. et nomine filii usque ad quartum gradum locum habet et quia familie nomine nurus continetur*. (XVII) *Ut nulli iudicum liceat habere loci servatorem nisi in certis casibus divina concessit iussio*. Huic titulo succedit alius: *Ut differentes iudices... episcopum agere*, qui in editis est XV Titulus Collationis VI. (Ibi col. 392), et postea Titulus: *De usuris nauticis*, qui est VII Collationis VIII in editis (Ibi col. 466). (XV) *De interdictis collectis hereticorum*. (XXV) *De raptis mulieribus que raptoribus nubent*. (XI) DE COLLATORIBUS ET ALIIS CAPITULIS. Incipit: *Id. Aug.,petro prefecto. Quecumque*... Desinit: *manifesta fiant. latina est*. Sequentibus Titulis inscriptiones desiderantur: (DE PRETORIBUS POPULI) *Idem Augustus constantinopolitanis. Clarissimorum... civibus nostris*, qui est VIII Collationis secundae (Ibi col. 114). (DE ARMENIIS) *Imperator Augustus. Armeniorum... festinet*. Haec novella adest ad calcem Coll. III. (Ibi col. 159). (DE NOVI OPERIS NUNCIATIONE MARITIMI ASPECTUS) *Idem Augustus. Causam que dolose... prevaricari sinentes*, qui est XVIII Tit. Coll. V. (Ibi col. 312). (UT IUDICES NON EXPECTENT SACRAS IUSSIONES, SED QUAE VIDENTUR EIS, DECERNANT.) *Idem Augustus. Gabriello prefecto. Quoniam quidam iudicantium... presentis legis fiat*, et est VIII Titulus huius nonae Collationis. (VI) *De sanctissimis episcopis et deo amabilibus et reverentissimis clericis et Monachis*. Reliqui Tituli huius Collationis desiderantur in Codice.

Initio Codicis adest folium, in quo legitur index titulorum, qui in ultima pagina continuatur. Praeterea quaedam adnotationes, vel potius tentamina scripturarum inveniuntur. Insuper *Libellus Iniuriarum*, et alia, inter quae: *Iste liber est nicolai rogerii de civitate theatina. — Homo anulatus aut stultus aut prelatus. — Dominus petrus de tartaris de Urbe studens in lege*. Hic Petrus de Tartaris, antea Congregationis Montis Oliveti Monachus, fuit Abbas Casinensis ab anno 1374, ad 1395.

CODEX CXXIII.

SIGNATUS NUMERIS EXTERIORIBUS 123 ET 97, INTERIORI VERO 581 PLUTEO HH.

Codex membranaceus in folio, longitudinis metri 42/₀, latitudinis vero 32/₀, 320 paginis, duplici columna exaratis, constat. Variis consarcinatus est Codicibus, proindeque diverso genere Characterum scriptus. A pag. 1. usque ad 193, charactere longobardo saeculi X; usque ad pag. 241 scriptura longobardica saeculi XI, quae tamen aliquid Latinitatis sapit; usque ad pag. 255 charactere omnino longobardo eiusdem saeculi XI; usque ad pag. 271 pariter charactere longobardo minutiori XII saeculi; ab hac tandem pagina usque ad finem charactere Romano saeculi IX, vel ad minus X. exscriptus. Initio Codicis desideratur primum folium quaternionis. Eumdem recenset Montfauconius sic: *Iosephus hebraeus de Bello Iudaico. Passio S. Urbani et sociorum. Sermones SS. PP. Vitae Sanctorum.*

Pag. 1 — Acephalus Codex incipit: (*prae*)*ter legem historiae. dolori veniam tribuat...* Desinit: prologus: *quo capitula sunt digesta* (Flav. Ioseph. tom. III pag. 5. edit. Lugdun. 1557).

Pag. 4 — Nulla distinctione inter prologum et primum librum facta, incipit: *Cum potentes iudeorum inter se dissiderent...* Desinit: *et herodis quidem hic finis fuit* (Ib. pag. 10).

Pag. 91 — EXPLICIT LIBER PRIMUS. INCIPIT LIBER SECUNDUS. Incipit: *Turbarum autem novarum principium fuit...* Desinit: *et dimee* (sic) *quidem res ita se habebant* (Ib. pag. 152).

Pag. 161 — EXPLICIT LIBER SECUNDUS. INCIPIT LIBER TERTIUS. Incipit: *Neronem autem ubi res apud iudaeam...* Desinit: *nunc me autem colligato arctius tibique asservato...* (Ib. a pag. 272, ad 324 v. 11). Desunt reliqua.

Pag. 193 — INCIPIT PASSIO SANCTORUM URBANI ET SOCIORUM EIUS. Incipit: *Urbanus episcopus natione romanus ex nobilissima prosapia ortus...* Desinit: *Corpus denique sancti urbani pape ibidem in superiori cenaculo condierunt cantantes et funerea exequia psallentes domino persolvebant.* Passim in marginibus notae non nihili faciendae occurrunt. Hanc sancti Urbani passionem inter editas non invenimus; quae autem ss. Marmeniae, Lucinae et aliorum conversio et martyrium sequuntur, et unum corpus in Codice cum eadem S. Urbani passione efficiunt, lucem, ut mox sumus dicturi, aspexerunt.

Pag. 229 — Incipit: *His ita peractis. abiit carpasius vicarius ut tura diis suis cremaret...* Desinit: *multa patrantur mirabilia usque in praesentem diem. Ad honorem salvatoris nostri ihesu christi. qui cum patre ac flamine sancto* etc. (Acta Sanctorum, Maii, tom. VI, pag. 13).

Pag. 232 — Incipit: *Pervenerunt haec tandem aliquando ad aures almachii...* Desinit: *Passi sunt autem sancti martires christi die kalendarum iuniarum. Regnante domino nostro ihesu christo. qui cum* etc. (Ibid. pag. 14).

Pag. 236 — IN NOMINE DOMINI INCHOAT QUIDAM CUIUSDAM. Incipit: *Sciendum dilectissimi est plures beatorum martyrum...* Desinit: *et bene patrantibus a deo floriferum eden polumque optandum.* Cuius sit, et utrum inter edita extet, an non, nos omnino fugit.

Pag. 239 — EXPLICIT PROLOGUS. INCIPIUNT VERSUS PRECIS AD SANCTOS FACIENDAE. Incipit: *Laudibus o cunctis nimium celebraris in ista. Urbane clara. urbe beate papa...* Desinit: *Atque suis*

COD. CXXIII.

PAGINA CIX.

Regno archelai inordine loc̄
principis decedente. reliqui.
idest philippus et herodes q
cognominatur antippas
et tetrarchias suas regebant.
salome enim moriens.

PAGINA CCIII.

Almachius pfectus ni
mio furore accensus dix
ad beatum maximilianum
pbrm.

PAGINA CCLV.

ATHANASIO
gra di uenerabilissimo xpi fa
mulo Gregorius diaconus in dm;
ppetuam in xpo salutem.

PAGINA CCLXXXIII.

FILIOLI MEI AUDITE NOS
ET LIBERATE VOS Currite pro uobis
et nobis pre stans et uobis.

COD. CXXIV.

PAGINA CCCXLV.

Quidu phuacauseet. dmo tua. uas si per se rex. omia
diu accesse quae natura bebis longe inueni fenestra. ad templu
hierusolimitanum ... permissa;

LIT. CAS.



sanctis. Martyribusque piis. Non mediocri adhibita diligentia, hos versus inveniendi facultas nobis non fuit data.

INCIPIT INVENTIO CORPORIS SANCTAE CAECILIAE. Incipit: *Cum summae apostolicae dignitatis apex*... Desinit: *Et hoc dicens ab oculis eius abscessit. Tunc hisdem vene*... Deest finis (Baronius, tom. IX. pag. 689 E).

Pag. 241 — PROLOGUS DE FESTA SANCTORUM MARTYRUM ABBACYRI ET IOHANNIS. Incipit: *Inclitas victorias. et gloriosas palmas sanctorum martyrum*... Desinit: *Christo duce. fida relatione pandere curamus*. (Mai, *Spicilegium Romanum*, tom. IV, pag. 268).

PRIDIE KALENDAS FEBRUARII. NATALE SANCTORUM MARTYRUM ABBACYRI ET IOHANNIS. Incipit: *Anno igitur ab incarnatione domini nostri ihesu christi fere ducentesimo nonagesimo Diocletianus cesar*... Desinit: *In qua beneficia se petentibus prestare non cessant usque in hodiernnm diem. Ad laudem et gloriam domini nostri ihesu christi. Qui cum patre etc*. (Ibi pag. 269, sed non parum differt, et luce in *Florilegio* donabitur).

Pag. 255 — Sine titulo incipit: *Athanasio gratia dei venerabilissimo christi famulo Gregorius clericorum infimus perpetuam in christo salutem. Vestrae benignitatis excellentia nos admodum*... Desinit: *pro nobis intercedat dominum nostrum ihesum christum. cui cum patre* etc. Mai, *Spicil. Rom.* IV. 283.

Sine titulo incipit: *Beatus itaque anastasius de quadam regione persidis quae zacech nuncupatur*... Desinit: *a demoniaca infestatione liberatum fuisse. Prestante domino nostro ihesu christo. cui cum patre et spiritu sancto. una est essentia. maiestas eadem. aeternum imperium. et nunc et semper et in saecula saeculorum. amen*. Non invenimus; sed in Mai loc. cit. legitur tantum initium huius vitae.

Pag. 261 — INCIPIT PROLOGUS IN PASSIONEM S. URBANI PAPAE ET SOCIORUM EIUS. Incipit: *Sanctorum martyrum gesta vel passiones*... Desinit: *prout ipse donaverit exequi studeamus*.

EXPLICIT PROLOGUS. Passio incipit: *Urbanus igitur romanae urbis nobilissima familia oriundus*... Desinit: *Quorum omnium orationes et merita nos commendent christo. Qui cum patre etc*. Haec S. Urbani passionis expositio non convenit cum actis eiusdem a Bollando editis.

Pag. 264 — PASSIO S. IGNATII EPISCOPI ET MARTYRIS. Incipit: *Tempore quo traianus domitiani successit imperio. maxime persecutionis pondere*... Desinit: *Ubi plurima fiunt miracula ad laudem et gloriam domini nostri ihesu christi. qui cum patre et spiritu sancto etc*. Differt ab gestis eiusdem martyris a Bollando editis, die 1. Februarii.

PASSIO SANCTORUM LUCIAE ET GEMINIANI. Incipit: *Imperantibus diocletiano et maximiano tyrannis. persecutio in christianos*... Desinit: *dignae ut martyres decebat tradidit sepulturae. Ad laudem et gloriam domini nostri ihesu christi. qui cum patre etc*. Vide Vitas SS. a F. Laurentio Surio editas, mens. Sept. pag. 256; sed haec martyrii expositio non parum differt.

Pag. 265. — EODEM DIE PASSIO SANCTE EUPHIMIE VIRGINIS. Incipit: *Temporibus dioclitiani imperatoris cum fervor impietatis eius ubique seviret*..... Desinit : *Completum est autem gloriosum martyrium sanctae hac beatissimae virginis christi euphimiae XVI Kalendas octobris. In gloriam et laudem dei et salvatoris nostri ihesu christi. qui cum patre etc*. Inedita nobis visa est, et summatim excerpta ex vita eiusdem sanctae martyris graece scripta, quae legitur in Bollando, mense Sept. tom. V. pag. 266.

Pag. 266 — PASSIO SANCTARUM VIRGINUM PISTIS. ELPIS. AGAPIS. ET SOPHIAE MATRIS EARUM. Incipit: *Regnante adriano imperatore cum idolorum cultus ubique*... Desinit: *Ad memoriam autem sanctarum magnas dominus usque in hodiernum diem virtutes ostendit. Ad laudem et gloriam nominis sui. qui etc*. Vide Cod. CXLII, pag. 417.

Pag. 271 — SERMO SANCTI IOHANNIS CHRISOSTOMI. SABBATO SANCTO. Incipit: *Quid dicam? Quid loquar? quid vobis nomen imponam? Oves? An pastores?*... Desinit: *Pro his autem omnibus gratias agamus domino deo nostro ihesu christo. cui est honor et gloria in saecula saeculorum. Amen*. (Ioann. Chrysost. Edit. Basil. tom. III. pag. 548).

Pag. 272 — SERMO SANCTI AUGUSTINI EPISCOPI IN DIE RESURRECTIONIS DOMINI. Incipit: *Passionem vel resurrectionem domini et Salvatoris nostri*.... Desinit: *et hominem quem fecerat liberavit. Cui est*

honor et gloria cum patre et spiritu sancto etc. (Aug. tom. V. 2059. Migne. Desunt in Codice omnia quae parentheses in editione complectunt).

Pag. 273 — SERMO UNDE SUPRA. Incipit: *Lux hodie clara refulsit. Quia latro paradisum*... Desinit: *dicentes atque respondentes. Iste est dies quem fecit Dominus. exultemus et iocundemus in eo.* (Caillau pag. 39).

Pag. 274 — SERMO UNDE SUPRA SANCTI AUGUSTINI EPISCOPI. Incipit: *Fratres karissimi. Quam speciosa et gratuita hodie aecclesia*... Desinit: *Et idcirco propter diei laetitiam. convertamur ad christi clementiam.* (Mai, *Nova PP. Bibl.* tom. I, 344).

Pag. 275 — ITEM UNDE SUPRA SANCTI AUGUSTINI EPISCOPI. Incipit: *Domini resurrectio induxit mundo laetitiam*.... Desinit: *Sufficiat caritati vestrae quae pro eruditionibus animarum dedit dominus deus.* (Mai *Nova PP. Bibliot.* tom I. 79).

SERMO UNDE SUPRA. Incipit: *Sicut Domino deo nostro cantabimus. ita illo adiuvante faciamus*... Desinit: *quae nunquam occasum faciat in cordibus vestris* (Augustinus tom. V, 1103, Migne).

Pag. 276 — UNDE SUPRA S. AUGUSTINI EPISCOPI. Incipit: *Licet omnes sollempnitates dilectissimi quae in ecclesiis pro dei amore*... Desinit: *sed nox a luce separata est.* (Leo tom. I. 495, Migne).

UNDE SUPRA SANCTI AUGUSTINI. Incipit: *Sicut audistis predicavi dominum christum quia in principio*... Desinit: *hodie infantibus disputandum est.* (Augustinus tom. V. 1098).

UNDE SUPRA. Incipit: *Letemur ergo dilectissimi. et exultemus in domino. Hodie enim nobis*... Desinit: *custodiat corda vestra et corpora vestra. Per dominum nostrum etc.* (Tom. I nostrae *Bibl. Floriteg.* pag. 132).

Pag. 277 — SERMO BEATI MAXIMI EPISCOPI. Incipit: *Non inmerito fratres hodierna die psalmus hic legitur*... Desinit: *sicut ipsi scitis leta victoria. quam addicta captivitas.* (Cumdius, tom. II, pars 2.ª 1403, et 1444).

SERMO UNDE SUPRA. Incipit: *Non queo karissimi quod mente concipio. ore proferre*... Desinit: *iusti intrabunt per eam. Quod ipse prestare dignetur. qui vivit etc.* (Ibi 1428).

Pag. 278 — FERIA IIII. SERMO SANCTI SEVERIANI EPISCOPI. Incipit: *Post illam terris inexpertam tremendam coelis*... Desinit: *sequenti sermone domino iuvante tractavimus.* (Ibi 1517).

Pag. 279 — FERIA V. SERMO AUGUSTINI (alia manus *Ambros.* superaddidit) EPISCOPI. Incipit: *Heret adhuc sensibus vestris patres. hoc nos ante dies*... Desinit: *Stephanus inter iudeos dominum vidit absentem. Qui cum patre* etc. (Maximus, 359, Migne).

Pag. 280 — SERMO SANCTI AUGUSTINI DE OCTAVA PASCHAE. Incipit: *Post dies octo iterum erant discipuli*... Desinit: *Si non desit fides. potest adesse martyrium.* (Mai, *Nova PP. Bibl.* tom. I. 85).

Pag. 281 — SERMO SANCTI LEONIS PAPAE DE ASCENSIONE DOMINI. Incipit: *Post beatam et gloriosam resurrectionem domini nostri*... Desinit: *eos concorporatos dei filius ad patris dexteram conlocavit. Qui vivit et regnat cum deo patre omnipotente etc.* (Leo, tom. I. 394, Migne).

Pag. 282 — Sine titulo incipit: *Apostolum petrum primum omnium apostolorum fratres karissimi. meministis in domini passione*... Desinit: *Trinitas confessionis. testimonium dilectionis* (Augustinus tom. V. 798).

Pag. 283 — Sine titulo incipit: *Filioli mei. audite nos et liberate vos*... Desinit: *Qui adiuvavit certantes. et coronavit vincentes* (Augustinus tom. V. 2124; sed in Codice est uberior et in *Florilegio* lucem aspiciet).

Pag. 284 — ITEM UNDE SUPRA. AUGUSTINI EPISCOPI. Incipit: *Fratres karissimi. Gubernator in tempestate dinoscitur*... Desinit: *festa sollempnia in laude divina. Praestante domino nostro ihesu christo qui vivit etc.* (Mai *Nova PP. Bibl.* tom. I. 208).

Pag. 285 — IN PURIFICATIONE S. MARIAE. SERMO SANCTI AUGUSTINI EPISCOPI. In margine inferiori legitur: HOC MINUS EST IN PRINCIPIO SERMO QUI DICITUR SIC NAMQUE OLIM PROPHETATUM EST. Incipit: *Dominus Deus Noster Ihesus Christus Fratres karissimi*... Desinit: *et ipse fundavit eam altissimus.* (Augustinus, tom. V. 1997, usque ad num. 3).

Pag. 286 — Sine titulo incipit: *Iterum gaudii evangelia. iterum libertatis nuntia*... Desinit: *qui omnium angelorum vir(tutum)*... Abscissione folii finis deest. Est sermo S. Ioannis Chrysostomi in die Annunciationis B. M. Virginis, tom. II, 797,

edit. Benedict. sed est alia versio, quam in *Florilegio* dabimus.

Pag. 287 — Acephalus incipit:... *in diebus suis. O mysterium...* Desinit: *praesentem ostendit. Cui gloria et imperium in saecula saeculorum. Amen.* (Caillau. 76). In summo margine Codicis legitur manu posteriori exaratum: *Incipit sermo Sancti augustini aepiscopi in nativitate S. Iohannis baptistae.*

S. IOHANNIS BAPTISTE. INCIPIT SERMO S. AUGUSTINI EPISCOPI IN NATIVITATE. Incipit: *Gratias agimus domino deo nostro fratres karissimi qui nos ad videndum...* Desinit: *Ut honor hominis. inveniatur in honorem dei.* (Mai, *Nova PP. Bibl.* tom. I. 90).

Pag. 288 — SERMO UNDE SUPRA. Incipit: *Fratres karissimi natalem magni hominis caelebramus...* Desinit: *et nova religio perficiatur. Per dominum nostrum etc.* (Augustinus, tom. XI, 994, Migne).

Pag. 290 — SERMO UNDE SUPRA. Incipit: *Hodie dilectissimi fratres. iohannis qui domini praecurrit adventum...* Desinit: *in illo habitabit in vobis. Qui vivit et regnat in saecula saeculorum. Amen.* (Augustinus, tom. V. 2115, Migne).

Pag. 291 — SERMO UNDE SUPRA. Incipit: *Beati iohannis merita exordia nativitatis ostendunt....* Desinit: *iratum eum cum venerit sentiamus.* (Fulgentius Ruspensis, sermo LIII, col. 922, Migne; sed caret prima periodo).

Pag. 292 — SERMO UNDE SUPRA. Incipit: *Vox domini in virtute. vox domini in magnificentia. Vox domini humanae sapientiae...* Desinit: *et nox victa in sua permaneat cecitate.* (Mai, *Nova PP. Bibl.* tom. I. 79).

Pag. 293 — UNDE SUPRA. Incipit: *Sancti iohannis cuius nativitatem evangelium cum legeretur audistis...* Desinit: *super ipsum autem florebit sanctificatio mea.* (Augustinus, tom. V. 1327, usque ad finem columnae 1329, Migne).

Pag. 295. — ITEM UNDE SUPRA SERMO S. AUGUSTINI EPISCOPI. Incipit: *Persuasum habet ac tenet error dubiae vetustatis...* Desinit: *qui ignoratis quod verum sit facili simplicitate peccatis.* (Mai, *Nova PP. Bibl.* tom. I. 98).

Pag. 296 — SERMO SANCTI AUGUSTINI EPISCOPI. UNDE SUPRA. Incipit: *Imperator caeli et terrae...* Desinit: *praestet etiam prospera vita nobis. Qui vivit et regnat etc.* (Augustinus, tom. V. 2118, Migne).

Pag. 297 — IN DECOLLATIONE SANCTI IOHANNIS. SERMO S. AUGUSTINI EPISCOPI. Incipit: *Ita placuit redemptori ac salvatori nostro...* Desinit: *Rogemus deum ut ab omni (nos) illecebra custodire dignetur. amen.* Non invenimus.

Pag. 298 — Absolute incipit: *Natale autem facto Herodis. saltavit filia herodiadis in medio...* Desinit: *ad exolvenda martiri(b)us supplicia iudicium dei vivus incurrit.* Non invenimus.

Pag. 300 — Absolute incipit: *Hodie nobis iohannis virtus haerodis feritas...* Desinit: *et de natale suo herodes mortuus est* (Petro Chrysologo tribuitur a Combefisio, tom. VII. pag. 801).

Pag. 301 — SERMO IN NATALE SANCTI LAURENTII MARTYRIS. *Augustini.* Incipit: *Quando natalicia sanctorum martyrum...* Desinit: *Ipsum omni nos virtute...* Alia manu additum est: *teneamus. ut cum omnibus sanctis ad praemia regni coelestis pervenire mereamur.* Augustinus, tom. V. 2351, Migne.

Pag. 303 — *Leonis papae S. laurentii.* Incipit: *Cum omnium dilectissimi summa virtutum et totius plenitudo...* Desinit: *constantis fidei perseverantia muniamur. Per dominum nostrum* etc. (S. Leo, tom. I, 435, Migne).

Pag. 304 — Sine titulo incipit: *In illo tempore. Intravit ihesus in quoddam castellum... in domum suam. Et reliqua. Sanctum evangelium cum legeretur...* Desinit: *sed deus qui incrementum dat.* (Augustinus, tom. V. 616, Migne.

Pag. 304 — Adnexum praecedenti sermoni legitur: *Sequitur. Extollens vocem quaedam mulier... quae suxisti.* Vere *beata maria quia tamquam...* Desinit: *ut possimus non eum timere cum iudicat. Ihesus christus dominus noster. qui cum patre* etc. Cuius sit et utrum editum an non, nobis compertum non est.

Pag. 305 — Sine titulo incipit: *Recte festa ecclesiae colunt...* Desinit: *Ad quae nos bona perducat qui vivit et regnat etc.* (Augustinus, tom. V. 2171, Migne).

Pag. 307 — Sine titulo incipit: *Hodie nobis terra factum est coelum...* Desinit: *Ideoque pro his gratias agamus deo per christum dominum no-*

strum. Cui est gloria et potestas etc. A Combefisio, tom. IV. pag. 501, Ioanni Chrisostomo tribuitur.

Pag. 310 — Absque titulo incipit: *Rogo vos fratres karissimi ut libenti animo....* Desinit: *misericors dominus intromittat. Qui vivit et regnat etc.* Augustinus, tom. V. 1977, Migne).

Pag. 313 — Sine titulo incipit: *Et reclinavit eum in presepio quia non erat eis locus in diversorio. Et reclinavit eum mater. Ioseph enim non audebat...* Desinit: *intentis auribus audiamus. Benedicentes dominum cui est gloria in saecula saeculorum. Amen.* (Cumdius, tom. I. 132).

Pag. 316 — Sine titulo incipit: *Castissimum mariae virginis uterum sponsae virginis...* Desinit: *ut pater dicaris salvatoris. Qui vivit et regnat in saecula saeculorum. Amen.* (Augustinus, tom. V. 2107, Migne).

Pag. 319—Sine titulo incipit: *Martyr stephanus beatus primus post apostolos...* Desinit: *quod pendens insanissimos tolerant et sanguinem quem...* Desunt reliqua in manco Codice. Augustinus tom. V. 1435, Migne. Non parum tamen differt etiam ab edito in *Florilegio* tomi I nostrae *Bibliothecae*, pag. 144, et abundantior videtur.

CODEX CXXIV.

SIGNATUS NUMERIS EXTERIORIBUS 124 ET 15, INTERIORI VERO 675 PLUTEO QQ.

Codex in folio maximo, membranaceus, longitudinis Metri 49/₀, latitudinis 35/₀, paginarum 640, foliorum scilicet 320, characteribus Longobardicis XI Saeculi ineuntis, circa an. 1030, duplici columna exscriptus. Continet Fl. Iosephi *Antiquitatum Iudaicarum* libros XX, Ruffino Aquileiensi interprete. Codicem contulimus cum editione Basileae *in officina Frobeniana* MDXL, cum qua eius lectio adamussim concordat. Confer Reifferscheid *Biblioth. PP. Latin. Ital.* II. 404.

Pag. 1 exorditur: *Haec sunt in primo volumine ioseppi ystoriarum antiquitatis iudaicae. Proemium totius operis incipit.* HISTORIAM *Conscribere disponentibus non unam nec eandem video eius studii causam. Non quidam eorum sui sermonis pandere volentes ornatum et ex hoc gloriam aucupantes, ad partem disciplinae huius accedunt....* Desinit: *Haec autem sacris libris comperi ita conscripta.* In editione supra commemorata pag. 1.

Pag. 3 — EXPLICIT PRAEFATIO. INCIPIUNT CAPITULA LIBRI PRIMI.

I. Constitutio mundi et ordo elementorum.

II. De genere adami et decem generationibus usque ad diluvium.

III. Quem ad modum diluvium factum est. Et quomodo noe liberatus in arca cum suis cognatis habitaverit in campo sennaar.

IIII. Quem ad modum ab eius filiis turris aedificata sit ad iniuriam dei. Et quomodo voces eorum mutatae sint. Et locus in quo hoc factum est vocatum sit babilon.

V. Qomodo idem filii proles noe. cunctam habitaverint terram.

VI. Quia singulae gentes a suis habitatoribus appellatae sunt.

VII. Quomodo abraham pater noster egressus de terra chaldeorum possedit regionem quae tunc aequidem chananea. nunc vero iudea vocitatur.

VIII. Quia dum famis chananeam comprehendisset. in egyptum abiit. ubi aliquanto tempore commoratus. illic iterum est reversus.

VIIII. Quomodo victi sint sodomitae dum adversus eos assirii dimicassent.

X. Quomodo abraham contra assirios pugnans vicit. et sodomitarum captivos eripuit. et praedam quam tulerant liberavit.

XI. Quomodo gentes sodomitarum quae valde deliquerant. deus iratus everterit.

XII. De hismahele filio abrahe. et arabis qui ex eius prole descendunt.

XIII. De Isaac legitimo filio abrahe.

XIIII. De sara abrahe uxore. et qualis fuerit eius vita et conversatio.

XV. Quomodo de cethura ex abrahe complexibus genus tragoditarum sit ortum.

XVI. De fine abrahe.

XVII. De filiis Isaac esau et iacob et nativitate eorum atque conversatione eorum.

XVIII. De fuga iacob in mesopotamiam propter timorem fratris et quemadmodum ibi duxerit uxorem. et cum duodecim filios generasset. ad chananeam denuo remeavit.

XVIIII. Quomodo isaac defunctus sit. et sepultus in ebron.

EXPLICIUNT CAPITULA. INCIPIT LIBER PRIMUS. CONTINET AUTEM HIC LIBER TEMPUS ANNORUM DUUM

MILIUM TRAGINTA TRIUM. Incipit: IN PRINCIPIO *Creavit deus celum et terram. Sed dum terra ad aspectum non veniret. et profunditate tenebris celaretur et spiritus dei desuper portaretur. deus fieri lumen iussit*... Desinit: *cumque vixisset annis centum octoginta quinque. cum virtute defunctus est.* Ibi pag. 3.

Pag. 35 — FLAVII IOSEPPI. ANTIQUITATUM IUDAICAE. LIBRI I. EXPLICIT. INCIPIT EIUSDEM LIBRI II. BREBIS LIBRI SECUNDI.

I. Quomodo esau et iacob isaac filii habitacula diviserunt. esau quidem idumeam tenuit. iacob autem chananeam.

II. Quomodo ioseph iunior filiorum iacob somniis demonstrantibus felicitatem futuram. invidia sustinuit fratrum.

III. Quomodo idem ipse in aegyptum venundatus a fratribus propter odium quod habebant in eum. factusque insignis ivi fratres habuit subiectos.

EXPLICIT BREVES. INCIPIT LIBER SECUNDUS. Incipit: *Post mortem vero isahac. filii eius invicem habitacula diviserunt*... Desinit: *Moyses et hoc pro visione dei factum arbitratus ut neque armis egerent. colligens haec et aebreos muniens. eos ducebat ad montem syna. illic immolaturus deo. et pro salute multitudinis sicut eis praedictum fuerat. munera rediturus.* Ibi pag. 29.

Pag. 68 — IUDAICE LIBRI II EXPLICIT. HEC SUNT IN TERTIO LIBRO IOSEPPI HISTORIARUM IUDAICE ANTIQUITATIS. INCIPIT. CAPITULA.

I. Quomodo moyses populum ex egypto sumens. deduxit ad montem syna multum itinere fatigatum.

II. Quomodo pugnantes cum haebreis amalechitae et quia circa eos erant devicti sunt. et hisrahelite predam hostium perceperant.

III. Quia socerum suum iethrin moyses ad se venientem ad monte syna libenter excepit.

IIII. Quomodo persuasit et ut distribueret populum per millenarios et centenarios qui prius in artus (incertus?) erat.

V. Quomodo haec singula fecit moyses socero in monte.

VI. Quomodo ascendit moyses in syna monte acceptas a deo leges haebreis dedit.

VII. De tabernaculo quod fecit in deserto moyses ad honorem dei. ut templum esse videretur.

VIII. Que sint vestimenta sacerdotum et pontificis. et que purificationis. et ad modum de festivitatibus singulis diebus fuerit constitutum.

VIIII. Quomodo moyses exinde eduxit populum ad fines chananeorum. et exploratores qui considerarent eorum regiones et civitatum magnitudines destinavit.

X. *Quia his qui missi fuerant post quadraginta dies reversis et dicentibus quia ipsi inbelles essent et chananeorum extollentibus virtutem multitudo turbata sit. et ad desperationem veniens inpetum fecit. ut paulatim moysen desereret et iterum in egyptum veniret et servitium sustineret.*

(XI) *Quomodo moyses furens deum eis iratum et quadraginta annis eos in deserto moraturos esse predixit. et neque in aegyptum reversuros neque chananeam esse potituros.*

Incipit: *Igitur inopinabiliter haebreos tali salute donatos graviter iterum contristabat*... Desinit: *Sed de his quidem ut placuerit unicuique consideret.* Ibi pag. 56.

Pag. 103 — INCIPIT EIUSDEM LIBER IIII. HAEC SUNT IN QUARTO LIBRO IOSEPPI IUDAICE ANTIQUITATIS. INCIPIUNT CAPITULA.

Bellum hebreorum absque notitia moyseos. contra chananeos gestum. atque devictio. I.

Seditio chore et plebis contra moysen. et fratrem eius de sacerdotio. II.

Ea quae provenerunt hebreis in haeremo annis triginta octo. III.

Quemadmodum eum sich. et og. amorreorum reges vicisset moyses. et eorum exercitum peremisset. divisit regionem eorum duabus et dimidie tribubus haebreorum. IIII.

Vita moyseos. et quemadmodum ex hominibus est ablatus. V.

EXPLICIUNT CAPITULA. CONTINET TEMPUS HIC LIBER ANNORUM XXX. Incipit: *Haebreos itaque vita deserti molesta atque difficilis cogebat etiam prohibente deo ad chananeos accedere*.... Desinit: *finis itaque moyseos declaratus a nobis. hoc modo sufficiat.* Ibi pag. 81

Pag. 131 — INCIPIT EIUSDEM LIBER QUINTUS. HAEC SUNT IN QUINTO IOSEPPI HISTORIARUM IUDAICE ANTIQUITATIS.

I. Quomodo ihesus dux hebreorum. dum pugnasset contra chananeos et devicisset eos. alios quidem

interfecit. terram vero ipsorum per sortes tribus est partitus.

II. Quomodo moriente duce transcendente israhelite patrias leges ad grandes erumnas adducti et seditione facta tribus beniamin interempta sit. preter sescentos viros.

III. Quomodo post afflictionem impie agentes deus in servitutem dedit assiriorum.

IIII. Quemadmodum eis libertas per cenizeni heli filium sit collata principiant annis LX qui aput grecos et phenicas dicitur iudex.

V. Quia rursus populus noster annis XVIII. servierit moabitis et a quodam hiud nomine. servitute pribatus sit. eo principatum annis LXXX. detinente.

VI. Quomodo chananeis eos in servitutem redigentibus per annos XX. liberati sunt. per barachum et dabora qui eorum principes fuerunt annis XL.

VII. Quia pugnantes amalechite contra israhelitas. vicerunt eorumque provinciam afflixerunt annis septem.

VIII. Quomodo eos ab amalechitis liberaverit gedeon. et supra populum fuerit annos XL.

VIIII. Quia post eum multi successores cum gentibus in circuitu positis. plurimo tempore pugnaverunt.

X. Fortitudo samson. et quantorum malorum auctor fuerit palestinis.

XI. Quomodo filii heli sacerdotis in pugna contra palestinos occisi sunt.

XII. Quomodo pater eorum audiens calamitatem factam. proiiciens semedipsum de sella defunctus est.

XIII. Quomodo hoc bello palestini vincentes hebreos. etiam arcam eorum abstulere captivam.

EXPLICIT BREVES. INCIPIT LIBER QUINTUS. CONTINET HIC LIBER TEMPUS ANNORUM QUADRINGENTOS SEPTUAGINTA SEX. Incipit: *Moyseos itaque predicto modo ab ominibus abeunte. hiesus omnibus iam in eo legitimis finem habentibus et luctu quiescente. precaepit ut populus esset...* Desinit: *Tunc enim sacerdotium ex domo eleazari denuo receperunt.* Ibi 106.

Pag. 168 — FLAVII IOSEPPI IUDAICE ANTIQUITATIS LIBER V EXPLICIT. INCIPIT EIUSDEM LIBER VI. HAEC SUNT IN VI.° IOSEPPI LIBRO IUDAICE ANTIQUITATIS.

I. Interitus palestinorum et terre eorum per iram dei propter arcam quae ab eis fuerat capta. et quemadmodum eam remiserint ad hebreos.

II. Quemadmodum palestinorum exercitus super eos venerit. de victoria hebreorum. quam ducatu prophete samuhelis adepti sunt.

III. Quia cum samuhel propter senectutem esset infirmus. suis filiis res dispendas iniunxit.

IIII. Quia dum illi principatum bene non regerent. populus per iram petivit regem.

V. Indignatio samuhel propter hec. et saul regis ordinatio deo iubente facta.

VI. Praelium saul super ammanitarum gentem, et victoria hostiumque vastatio.

VII. Quemadmodum denuo palestini pugnantes devicti sunt ab hebreis.

VIII. Bellum et victoria saul cum amalechitis.

VIIII. Quia prevaricans saul mandata prophete samuhel. alius rex david iuvente deo latenter est factus.

X. Quemadmodum denuo pugnaverunt palestini adversus hebreos. adhuc regnante saul.

XI. Nonomachia david cum golia. qui palestinorum erat eximius. eiusque peremptio. et de victoria palestinorum.

XII. Quemadmodum ammiratus saul fortitudinem david. ei suam filiam copulavit.

XIII. Quia post hec suspectum sibi david. rex saul perhimere festinavit.

XIIII. Quia sepius david per saul periculum mortis passus effugiit. et secundo eum super se venientem. habens potestatem noluit interficere.

XV. Quia castrametantibus palestinis iterum hebrei bello devicti sunt et rex eorum saul pugnando mortuus est una cum filiis.

Incipit: *Tenentes igitur palestini captivam suorum hostium arcam sicut prediximus...* Desinit: *Regnavit itaque saul samuhel quidem vivente. annis decem et octo. moriente autem alios duos. qui huius modi habita conversatione defunctus est.* Ibi pag. 133.

Pag. 207 — FLAVII IOSEPPI ANTIQUITATIS IUDAICE LIBER SEXTUS EXPLICIT. INCIPIT EIUSDEM LIBER SEPTIMUS.

I. Quomodo david quidem super unam tribum in

hebron civitate regnavit. et super aliam multitudinem filius saul.

II. Quia eo interfecto dolo amicorum omne regnum david accepit.

III. Quia obsidens hierusolimam david. et capiens civitatem. expulit quidem ex ea chananeos et iudaeos in ea constituit.

IIII. Quia secundo pugnantes contra se palestinos in hierusolimis vicit.

V. Amicitiae factae inter iram regem tyri et david.

VI. Quomodo contra gentes in circuitu constitutas pugnasset david easque subdens eis imposuit tributa persolvere.

VII. Pugnam quam habuit contra damascenos david atque victoria.

VIII. Quomodo contra mesopotamenos pugnaverit atque prevaluerit.

VIIII. Quomodo domesticis contra eum seditionem facientibus a filio trans iordanem sit expulsus e regno.

X. Quomodo dum pugnaret abessalon contra suum patrem david cum exercitu suo proprio deperierit.

XI. Quomodo ad regnum reversus david dum vixisset feliciter. in vita sua salomonem suum filium imperare constituit.

XII. Finis david et quomodo reliquerit filio multam materiam argenti et auri lapidumque pretiosorum ad aedificationem templi.

Expliciunt tituli. Continet hic liber tempus annorum quadraginta. Liber incipit: *Predictum itaque prelium gestum est...* Desinit: *Sed de his quidem hec nos indicasse sufficiat.* Flavii ioseppi iudaice antiquitatis liber VII. explicit. Ibi pag. 165.

Pag. 246 — Incipit eiusdem liber VIII. Incipiunt tituli.

I. Quomodo salomon suscepto regno peremit inimicos.

II. De sapientia eius. et intellectu atque divitiis.

III. Quomodo primitus in hierosolymis edificavit templum.

IIII. Quomodo moriente salomon recedens ab eius filio roboam populus decem tribus subiectorum quendam hieroboam fecerunt regem. et in duabus eius filius regnavit.

V. Quia susac egyptiorum rex castrametatus est contra hierusolymam et civitate devicta. divitias eius transmigravit in aegyptum.

VI. Bellum hieroboam bellum israhelitarum contra filium roboam. abiam atque devictio.

VII. Quia generationem omnem hieroboam quidam nomine baas perimens ipse tenuit principatum.

VIII. Bellum egyptiorum contra hierusolymitas regnante super eos asaph filio abia et cedes exercitus.

VIIII. Quia generatione basan perempta, regnavit super israhelitas bereth eius filius asaph (aeahb).

X. Quia adadus damasci et syriae rex secundo contra achab pugnavit et perdidit.

XI. Ammanitarum et moabitarum contra iosaphat regem hierosolimorum pugna atque devictio.

(XII). Quomodo achab contra Syros pugnando devictus est. et ipse disperiit.

Expliciunt tituli. continet hic liber tempus annorum centum viginti. Incipit: *De david itaque eiusque virtute. quantorumque...* Desinit: *Cui ochozias filius successit in regno.* Ibi pag. 199.

Pag. 287 — Flavii ioseppi liber incipit VIIII. Item tituli.

I. Quemadmodum castrametatus (est) ioram filius achab contra moabitas et vicerit.

II. Quomodo equivocus eius ioram rex hierusolimorum rerum potitus. et fratres et paternos amicos occiderit.

III. Quia recedente (ab eo) idumea et arabia venientibus super eum (hostibus.) mortuus est (ipse). et filii preter unum qui erat adhuc infans. et super haec etiam ipse impie et pessime in sua vita fuerit conversatus.

IIII. Castra syrorum et damasci regum. contra ioram regem israelitarum. et quomodo ipse quoque possessus in samaria periculum inopinabiliter evitaverat.

V. Quia ipse ioram mortuus est a principe equitatus hieu interfectus. et generatio eius. et hierusolimorum rex achozias.

VI. Quia post huius mortem hieus regnaverit super israhelitas. et habitaverit in samaria et filius (filii) usque ad quartam (generationem).

VII. Quia mulier quaedam nomine gotholia in hierusolimis imperaverit annis sex. quam interfi-

ciens pontifex ioadas (ioiada) filium ochotiae ioas constituit regem.

VIII. Castra azahel regis super israhelitas. et quem admodum vastata eorum provincia et civitate samaria. rursus post breve tempus castrametatus contra hierusolimitas. multasque pecunias ab eorum rege percipiens remeavit in damasco (damascum).

VIIII. Quia amasias hierosolimorum ex (rex) castrametatus contra idumeos et amalechitas evicit.

X. Quomodo idem ipse pugnando contra regem israhelitarum ioas devictus quidem et captus et datis multis pecuniis denuo ad regnum proprium sit dimissus. et quomodo filius eius ozias gentes in circuitu positas subiugaverit.

XI. Bellum hieroboam regis israhelitarum contra syriam atque victoria.

XII. Quomodo rex assyriorum castrametatus in samaria. et multas pecunias a rege eorum fachala percipiens ad propria remeavit.

XIII. Quia castrametatus rasin damasci rex contra hierusolimitas coegit regem aagin mittere multas pecunias ad regem assyriorum eique satisfacere per haec ut pugnaret in damasco.

XIIII. Quomodo rex assyriorum deviceril damascum. eiusque perimeril regem. et homines exinde migrans in mediam. alias posuit gentes in damasco.

XV. Quomodo salmanassar rex assyriorum castrametatus contra samariam et obsidens annis II. regem israhelitarum capta civitate perimerit.

XVI. Quomodo assyrius decem tribus israhelitarum migraverat in mediam. et de persida gentem gottorum in illorum regionem transposuit quos greci samaritas appellant.

EXPLICIUNT TITULI. INCIPIT LIBER. CONTINET HIC LIBER TEMPUS ANNORUM. C.XXXI. MENSES. VI. Incipit: *Iosaphat itaque*... Desinit: *et de his oportunius edicimus.* FLAVII IOSEPPI EXLPICIT LIBER VIIII. Ibi pag. 235.

Pag. 317 — INCIPIT EIUSDEM LIBER X.

I. Bellum regis assyriorum sennacherib contra hierusolimam. et ezechie regis obsessio.

II. Quem ad modum deperiit assyriorum exercitus una nocte. et rex eorum reversus est: filiorum insidiis interemptus.

III. Quomodo medio tempore cum pace degens ezechias defunctus est. relinquens successorem regni manassen.

IIII. Quia castrametati contra eum chaldei et babilonii reges. et captivum agentes deduxerunt in babiloniam et multo tempore ibidem retinentes remiserunt eum rursum in regnum.

V. Quomodo egyptiorum regem nechaon agente exercitum contra babylonios. per iudeam iter facientem prohibuit rex ozias. pugnamque commissa vulneratus reductus in hierusolymam defunctus est. cuius filius iohachim regem hierusolymite fecerunt.

VI. Quemadmodum nechaon contra babyloniae regem circa eufraten fluvium et revertens in aegyptum. venit in hierusolymam. et ioachim quidem duxit in aegyptum. fratrem vero eius ioachim hierusolymis constituit regem.

VII. Bellum nabuchodonosor regis babyloniorum in syria quomodo omnia vastata usque ad fines aegyptiorum ascendit in hierusolymam et regem eorum ioachim amicum esse coegit et socium.

VIII. Quomodo post discessum babylonii regis ioachim denuo egyptios est secutus. contra quem nabuchodonosor castrametatus et obsidens civitatem. tradita ea post tempus ioachim quidem peremit. ioachim eius filium constituit regem. et quomodo mul(sic).

VIIII. Quia penitentia ductus eo quod ioachim fecisset regem denuo castrametatus contra hierusolymam ioachim regi prevaluit. tradente se eum cum matre pariter et amicis. et quomodo sublatis captivis multis babylonie rex et ministeriis templi in babylonia reversis sedeciam iechonie thium in hierusolymis fecit regem.

X. Quomodo etiam hunc audiens velle aegyptiis prebere solacia. et amicitias cum eis habere. castrametatus contra hierusolymam forti eam obsessione cepit. et incenso templo sedeciam et populum migravit in babyloniam.

XI. Quomodo nabuchodonosor defunctus. successorem regni filium dereliquid. et quomodo eorum regnum desolatum est a cyro persarum.

XII. Quaecumque illo tempore iudeis per babylonios provenerunt.

EXPLICIUNT CAPITULA. CONTINET HIC LIBER TEMPUS ANNORUM CENTUM. XXXII. MENSE SEXTO. DIERUM X. Incipit: *Cum ezechias*... Desinit: *pro*

diversa sententia non habebit. FLAVII IOSEPPI IUDAICE ANTIQUITATIS LIBER. X. EXPLICIT FELICITER. GLORIA INDIVIDUE TRINITATI. AMEN. Ibi pag. 258.

Pag. 342 — *I. Haec continetur in undecimo libro historiarum ioseppi antiquitatis iudaice* (sic).

II. Qualiter cyrus rex personarum iudeos a babylonia ad propriam redire terram. et templum edificare precepit. dans eis pecunias.

III. Quomodo prohibuerunt eos presides regis. templum rehedificare impedientes operibus.

IIII. Qualiter defuncto cyro filius eius cambises accipiens regnum. interdixit omnino iudaeis templum reconstruere.

V. Qualiter darius persarum hystespeos filius honoraberit gentem iudeorum templumque edificavit.

VI. Quia post ipsum filius eius xerses familiariter iudeos tractavit.

VII. Quomodo regnante artaxerse gens iudaica pene cuncta deleta est.

VIII. Qualiter vagos eos artaxerse. iunioris. multa in iudeos iniuriosa commisit.

IX. Quanta iudeis rex macedonum alexander bona fecit postquam iudeam optinuit.

CONTINET HIC LIBER TEMPUS ANNORUM DUCENTI QUINQUAGINTA TRIUM MENSES QUINQUE. Incipit: *Primo imperii anno...* Desinit: *constituti hierusolymitae degebant.* EXPLICIT FLAVII IOSEPPI ANTIQUITATIS IUDAICE LIBER UNDECIMUS. Ibi, pag. 280.

Pag. 367 — INCIPIT EIUSDEM LIBER DUODECIMUS. HAEC CONTINENTUR IN DUODECIMO LIBRO HISTORIARUM IOSEPPI ANTIQUITATIS IUDAICE.

I. Ut ptolomeus filius lagi fraude vel dolis capiens hierusolymam vel iudeam multos migravit ad egyptum.

II. Qualiter filius eius ptolomeus. qui filadelfus appellatus est. leges iudaeorum in graecam transtulit linguam. multosque captivos eleazaro principi sacerdotum donavit. et ornamenta deo devovit.

III. Quemadmodum ignoraverunt reges asie gentem iudaeorum. civesque multos ex ipsis in subiectis suis civitatibus statuerunt.

IIII. De infelicitate iudeorum. quam postea emendavit ioseppus filius tobiae. componens amicitias cum ptolomeo cognomento epiphanem.

V. De amicitiis lacedemoniorum factis cum onia principe sacerdotum gentis iudeae.

VI. Seditio potentium in invicem iudaeorum. et quemadmodum advocaverunt antiochum cognomine epiphanem. qui exercitum ducens ad hierusolymam civitatem templum vastavit.

VII. Qualiter vetante antiocho iudaeos patriis uti legibus filius samonei mattheus. regem contempsit. et duces antiochi devicit.

VIII. De morte matthei qui valde senex defunctus. filiis suis rerum guberna'ione reliquid. ex quibus iudas cum ducibus antiochi conflixit. et post victoriam ad patriam religionem iudeos restituit. ac princeps sacerdotum a popolo constitutus est.

IX. Quemadmodum dux antiochi apollonius iudaeam percurrens victus interiit.

X. Quemadmodum gostiae vel lisiae exercitus contra iudeam veniens victus periit.

XI. Ut iudas exercitum ducens contra ammanitas galaditis subiecit eam.

XII. Qualiter simon frater militans contra tyrios ac ptolomade domuit eos.

XIII. De malitia timothei ducis antiochi. qui contra iudaeos veniens victus est.

XIIII Qualiter antiochus nomine epiphanes apud persas defunctus est.

XV. Quemadmodum antiochus qui eupator appellabatur militiam contra iudaeos cum lisia producens. vicit iudam et in templo conclusit. multoque obsidionis tempore transacto. amicitias cum iuda fecit et ita decentius ab iud'a discessit.

XVI. Ut bachides dux demetrii contra iudaeos exercitum ducens ad regem cum deformitate reversus est.

XVII. Qualiter dux nicanor post bachidem destinatus cum exercitu periit.

XVIII. Quod rursus ad iudeam bachidem transmissus triumphavit.

XIX. Quemadmodum iuda pugnans prostratus est.

CONTINET HIC LIBER GESTA CENTUM SEPTUAGINTA ANNORUM. Incipit: *Alexander rex macedonum...* Desinit: *defunctus est.* EXPLICIT FLAVII IOSEPPI ANTIQUITATIS IUDAICE LIBER XII. Ibi pag. 304.

Pag. 400 — INCIPIT EIUSDEM LIBER XIII. HAEC CONTINENTUR IN TERTIODECIMO LIBRO HISTORIARUM IOSEPPI ANTIQUITATIS IUDAICE.

I. Qualiter ionathas frater iudae defuncto eo ducatum suscepit.

II. Quemadmodum bacchidem debellans faceret amicitias secum. et a provincia coegit abscedere.

III. De alexandro epyphane antiochi filio. veniente a syria. et educente bellum contra demetrium.

IIII. Qualiter demetrium legationem ad ionatham transmittens. composuit cum eo amicitias donaque multa ei prebuit.

V. Quomodo alexander hec audiens et vincens demetrium. principem sacerdotum ionatham ordinavit.

VI. De amicitiis oniae cum filinitorem ptolomeo per idem tempus factis. et ut edificavit templum quod hierusolymis erat.

VII. Quemadmodum alexander defuncto. demetrius nimis ionatham honoravit.

VIII. Ut demetrii filius navigans in syriam a creta et expugnans alexandri regna et amicitias cum ionatha faciens.

IX. De trifone appameno, qui bellans contra demetrium. antiocho filio alexandri tradidit principatum. componens amicitias cum ionathan.

X. Quemadmodum trifon demetrio a parthis capto contra fedus. fraudibus ionathan conprehendens interfecit. et bellum contra fratrem eius symonem eduxit.

XI. Qualiter genus iudaeorum symoni ducatum tradidit.

XII. Quomodo obsedit trifonem in doris. auxilium prebens antiocho fratri. demetrii cognomento pio.

XIII. Quemadmodum trifone interepto antiochus expugnavit symonem et cendebeum ducem eius vincens a iudea fugavit.

XIIII. Quod a genero ptolomei in convivio dolo symon pereptus est. ptolomeus autem vincens uxorem et filios eius. principatum tenere conatus est.

XV. Ut novissimus symonis hyrcanus ducatum accipiens. obsedit multo tempore ptolomeum in aliquo castello. quod dacon vocatur.

XVI. Quemadmodum antiochus exercitum ducens contra hyrcanum castra solvit. accipiens ab hyrcano talenta trecenta et amicitias cum eo composuit.

XVII. De hircani militia post mortem antiochi apud medos defuncti contra syriam. et quod multas potenter civitates optinuit.

XVIII. De amicitiis alexandri zabinne cognomine cum hyrcano.

XIX. Quomodo devinctus ab hyrcano antiochus cizicon. amisit iudam.

XX. Quod suscipiens aristobolus principatum. primus sibi diadema imposuit.

XXI. Quemadmodum defuncto aristobolo. frater eius alexander succedens in principatum contra samariam et phenicem et arabiam exercitum ducens. multas subegit.

XXII. De ptolomei lathiri contra alexandrum pugne victoria.

XXIII. Quomodo pugnans demetrius severus contra alexandrum vicit eum.

XXIIII. Antiochi qui liber pater dicebantur militiam contra iudaeam. et qualiter eam optinuit.

XXV. Quemadmodum post alexandri mortem. uxor eius alexandria imperium per novem annos rexit. et vivens cum pace gloriaque defuncta est.

Continet hic liber tempus octoginta duo annorum. Incipit: *Quibus modis gens iudaeorum...* Desinit: *finem invenit huiusmodi.* Explicit liber XIII. Ibi pag. 333.

Pag. 435 — Incipit liber XIIII. Hec continentur in quartodecimo libro historiarum ioseppi antiquitatis iudaicae.

I. Quemadmodum post mortem alexandrae novissimus eius aristobolus contra hyrcanum fratrem pro regno bellavit. quem cum vidisset ex arce hierusolymorum fugasset. decretum est aristobolum quidem regnum tenere. hyrcanum vero privatum videre.

II. De antipatro et genere eius. quemadmodum per parvam occasionem. ad claritatem et gloriam et magnitudinem pervenisset cum filiis. et quod hyrcanum flexisset. ab hierusolymis ad aretam arabum regem fugerat. quem petiit venire pro sui regni vindicta. pollicitus terram multasque peccunias offerre.

III. Ut aretas cum suscepisset hyrcanum et exercitum contra aristobolum produxisset in pugna vicisset. ad hierusolyma eum persecutus est. ubi cum exercitu civitatem obsidebat.

IIII. Qualiter scaurum ab armenia magnus pompeius ad partes syriae transmisisset. quo legati venientes hyrcani et aristoboli auxilia petiverunt. et acceptis quadringentis talentis. scaurus aristobulo subvenit.

V. De pompeio qui cum ab armaenia venisset in damascum. apud eum aristobolus et hyrcanus de regno altercati sunt. et pompeius dilatione pronuntiata. dixit nullatenus se posse decernere de illatis invicem criminibus. quousque ad illorum provinciam veniret.

VI. Quemadmodum aristobolus cum intellexisset pompegi consilium. ad sua discessit. adversus quem indignatus pompeius exercitum producens. aristobolum in alexandrum castellum fugavit. qui cum descenderet ad pompeium promittentem regnum se ei tradere. sepius cum fratre altercans. coactus est primativus custodum uniuscuiusque castelli propria manu scribere. ut pompeio castello contraderet.

VII. Quemadmodum aristobolus cum hoc timore fecisset. graviter ferebat. quod spem sivi a pompeio venisset. qui cum ad hierusolymam discessisse. statim pompeio cum exercitu secuto. paenitentia ductus est. et processit ad hiericuntem occurrere ei. quatenus veniam pro peccatis petens. civitatem cum pecuniis traderet. Dum pompeius. gavinium postulavit cum electis militibus pro civitatibus et pecuniarum susceptionem.

VIII. Hierusolymite vero aristobolum cum in custodia depositum vidisset obstructis portis romanos excluserunt.

VIIII. Qualiter irritatus pompeius. aristobolum ligavit. et ad civitatem obsidendam accessit. quem dum hyrcani socii ad superiora civitatis suscepissent aristoboli pars ad templum confugiit. quod pompeius cum inferiore porte civitatis tertio mense fortiter expugnavit.

X. De modestia eius et religiositate. qui nullatenus passus est. tangere templi pecunias. licet multae fuissent. quae cum egissed et fecisset iudaeam tributariam. hyrcanum genti principem ordinavit. aristobolum autem vinctum cum gnatione romam deduxit. scaurum vero curatorem syriae reliquid.

XI. De scauro qui cum militiam contra urbem produxisset. Tunc regnum arabum habentem obsedit. sed inopia tenti eius militibus. antipater flectit arabum danda scauro talenta trecenta. ut amicitias cum eo componeret.

XII. Quemadmodum aristoboli filius alexander fugiens. pompeio ad iudeam pervenit. ubi multo exercitu congregato. bellum contra hyrcanum et antipatrum produxit. qui cum a gabinio victus in prelio. in castellum alexandrae. desiderabantur.

XIII. Quemadmodum cum flexisset. alexandrum mater sua tradere se cum castello. gabinius alexandrum quidem dimisit. scripsit vero senatui. ut fratres eius solverentur. qui cum aristobolo patre rome ligati fuissent. matrique mittentur quod fidelis romanis existens hanc gratiam miseretur.

XIIII. De aristobolo qui cum romana civitate ad iudaeam fugisset. tempus a gabinio. rursus captivus transmissus est.

XV. De crassi contra parthos expeditione. et ascensu eius in iudaeam. pecuniarumque templi depopulatione.

XVI. Ut cesar aristobolum solvere cupiens. et cum duobus agminibus in iudaeam transmittere. ille a pompeiano veneno necatus est.

XVII. Qualiter pompeio in epyrum fugiente scipio destinatus ab eo. in syriam pervenisset. habens mandata. ut alexandrum interficeret.

XVIII. De expeditione cesaris ad aegiptum. et quemadmodum auxilium ei hyrcanus et antipater dederunt. iudeosque auxiliatores ei fecisset.

XVIIII. Quemadmodum antipater cum prove pugnaret. amicitiam cesaris acquisivit. et hyrcanum caesar pro victoria gaudens. magnifice honoravit. praecipiens ut patriae muros restitueret.

XX. Ut cesar antipatro tutelam iudaeae credidit. et aepistole senatus consulatum de amicitiis iudaeorum derectae sunt.

XXI. Qualiter antipater filiis suis hyrcano et herodi gubernationem habendam permisit.

XXII. Quemadmodum caesar cum dona caepisset ab herode duce syriae. maximum eum inferioris syriae principem ordinavit.

XXIII. Ut cassius defunctu cesare. cum contra iudam ascendisset. provinciam devastasset. octoginta talenta eos exegit.

XXIIII. Qualiter herodes. per excationem pecuniarum cassio studiosus apparuisset. mors malchi qui contra herodem seditionem concitavit.

XXV. De morte legatorum iudeae. qui cum ad antonium post victoriam macedonicam profecti in syriam venissent. indignantem invenerunt. quod herodem accusarent. sed hoc antonius fecerat pecuniis ab herode corruptus.

XXVI. De expeditione parthorum contra syriam. per quam aristoboli filius antigonus regno restituitur.

XXVII. Quemadmodum herodes cum romam venisset. multasque pecunias promisisset a senatu vel cesare rex iudeae pronuntiatus est.

XXVIII. De navigio herodis ab italia in iudeam pugna quae contra antigonum militiaque romana et silone duce.

XXVIIII. Quemadmodum hieruso'yma. sossio vel herode de obsidentibus antigonus interiit.

Continet hic liber annorum tempora triginta trium. Incipit: *Alexandre regine morte*... Desinit: *terminum cognationis asamoneorum accepimus*. Explicit liber quartus decimus. Ibi pag. 362.

Pag. 473 — Incipit liber quintus decimus.

I. Qualiter capta civitate per sossium et herodem antonius quidem antigonum in antiochiam interemisset. herodes autem quadraginta quinque ex amicis illius primates hierusolymorum reversus extinxerit.

II. Quomodo hyrcanus primus rex iudaeorum et princeps sacerdotum a parthorum rege arsace dimissus ad herodem reversus est.

III. Quemadmodum herodes aristobolum uxori suae mariannae fratrem principem sacerdotum ordinavit. et paulo post. occidi paravit.

IIII. De cleopatra. ut iudaeorum et arabum regni insidiata. partem eorum ab antonio postulavit et ad iudaeam pervenit.

V. Quemadmodum herodes debellasset aretam tempore quo antonius cesar in actiaca pugna devictus est.

VI. De terremotu in iudaea factu. et de internicione hominum vel iumentorum.

VII. De sermonibus herodis quem ad iudaeos de doloribus et facta perditione anxius ait.

VIII. Quemadmodum herodes necessario profecturus ad cesarem victorem hyrcanum extinxisse.

VIIII. Qualiter a cesare regnum accepisse. et missus ab eo in aegyptum fuissi.

X. Quemadmodum herodes cum alexandriam pervenit a cesare honoratur.

XI. De fame per iudaeam et syriam factam. ut servasset populos et civitates herodis.

XII. Grecarum civitatum edificatio. quas herodes condiderat.

XIII. Qualiter vetus templum post sexcentos annos deposuit: et aliud duplum condidit.

Continet hic liber tempus annorum decem et octo. Incipit: *Sossius et herodes*... Desinit: *finitum est*. Explicit liber quintus decimus. Ibi pag. 394.

Pag. 503 — Incipit liber sextus decimus. Hec continentur in sexto decimo historiarum iosepi libri antiquitatis iudaicae.

I. Quemadmodum alexander et aristobolus reversi de roma ad suum patrem et ad salomi vel feroram regis fratres accusabant eos.

II. Qualiter herodes alexandro vel aristobolo uxoribus datis ad agripam in miletene navigavit invitans eum ad iudaeam venire. et profectio agrippe didoniam.

III. Ut herodes secundo navigavit ad agrippam in bosforo.

IIII. Interpellatio iudaeorum ad agrippam in ioniam praesente herode. quibus grecos accusabant.

V. Quemadmodum confirmavit eis leges. herodes ad propria rediit.

VI. Qualiter allocutus est herodes hierusolymitas. et quartam partem eis fiscalium preteriti anni concessit.

VII. Ut perturbatio domus herodis facta est per honorem antipatri prioris filii. moleste ferente alexandro.

VIII. Quemadmodum antipatro rome commorante alexandrum herodes ad caesarem ducens accusavit.

VIIII. De alexandri satisfactione coram caesare. et reconciliatione cum patre.

X. Quemadmodum celebravit quinquennale certamen herodes in ore caesaris. et legatio cyrenensium et asianorum iudaeorum ad caesarem. de his quae iudaeos accusabant.

XI. Exemp(l)ar caesaris aepistolae et agrippe quas pro ipsis civitatibus scripserunt.

XII. Quemadmodum egens herodes pecuniis descendit ad sepulcrum david. et terrore imaginum territus tumulum desuper statuit.

XIII. Archelaus rex cappadociam reconciliavit. alexandrum patri ligatum hab eo. et ipse cappadociam. herodes autem romae profectus est.

XIIII. Discessio habitantium traconem a regno herodis et vastatio per duces eius.

XV. Qualiter herodes a roma reversus in arabia transfugans. postulabat. cumque non optinuisset exercitum contra eum produxit. reverso saturnio duce.

XVI. Quemadmodum silleus accusavit coram caesarem. herodem de incursione quam in arabiam fecerat.

XVII. Ut per nicolaum accusatione liberatus herodes est irato cesare.

XVIII. Criminationem euriclei. contra filios ad patrem herodem. et quia ligasset eos pater et ad cesarem scripsisset.

XVIIII. Qualiter caesare potestate prestante concilio in byrito accusavit filios herades.

XX. Mors iuvenum et sepulturam corporum eorum in alexandria.

Incipit liber sextus decimus. Continet hic liber tempus annorum duodecim. Incipit: *In administratione rerum...* Desinit: *positi esse videbantur.* Explicit liber sextus decimus Iosephi. Ibi pag. 420.

Pag. 531 — Incipiunt capitula libri septimi decimi.

I. Qualiter antipater odio habitus est ab omni gente propter interfectionem fratrum suorum. et qualiter propter hec romanos plurimis accusabat pecuniis. atque etiam saturninum cui fuerat siria commissa vel duces alios qui cum illo erant.

II. Qualiter herodes videns regionem traconitidem non posse quiescere propter incursum arabum. zamarim iudeum qui de babylone discesserat et antiochie degebat evocans. ibi constituit. et utebatur illo oppositione adversus arabas. Et qualiter herodes filios alexandri et aristoboli filiorum suorum adoptante. filias ferore illis desponsante. antipater persuasit patri desponsationem in suos transferre filios.

III. Qualiter antipater obiectabat eos qui circa feroram erant. volens per illos insidiari patri. Et qualiter agnoscens soror regis salome clanculo denuntiaverit fratri. Qualiter etiam interdixerit antipatro ne ad feroram conveniret. neque secretum ei aliquod denuntiaret. ille vero palam quidem nihil faciebat. sed secretim. et hec quidem non latebant herodem.

IIII. Qualiter antipater persuasit ferore ut interimeret fratrem suum herodem. Et qualiter rex herodes precepit fratri suo ferorae ut excluderet uxorem suam. aut ex eius regno discederet. ille vero gratanter et discessit ad propriam tetrarchiam. et post non multum temporis defunctus est.

V. Qualiter antipater scribebat amicis. petens eos ut scriberent patri eius. ac persuaderent ut mitteret eum ad caesarem cum pecuniis plurimis. quod persuasum est herodi. filiumque transmisit.

VI. Accusatio uxoris ferorae a fratribus ferorae quod veneno periisset. Et qualiter inventum est venenum ab antipatro contra patrem preparatum.

VII. Qualiter herodes exquirens repperit venenum contra se paratum a filio antipatro. et perscrutatus antipatri cognovit insidias.

VIII. Navigatio antipatri de roma ad patrem. et qualiter a nycolao damasceno fuerit excusatus. et condemnatus morte a patre. et a quintillo varo cui tunc fuerat siria commissa vinctus est usque ad futuram cesaris agnitionem.

VIIII. Legatio missa ab herode ad cesarem de antipatro. et qualiter cesar audiens eius accusationes. eum in morte damnaverit.

X. De egritudine herodis et seditione iudeorum et supplicio seditionum.

XI. Qualiter antipater putans herodem defunctum locutus fuerit custodi carceris de dimissione sua. et propter hec antipatri peremptio.

XII. Testamentum herodis ad caesarem. et distributio inter filios eius. et qualiter archelaum praefecit in iudea.

XIII. Herodis mors.

XIIII. Epistola herodis ad exercitum. et unicuique eorum donum. et admonitio fidei servandae ad filium eius archelaum.

XV. Sepultura herodis in herodio castello. et qualiter populus seditionem movit adversus filium eius archelaum.

XVI. Qualiter archelaus tria milia ex eis peremit. ipse vero ad caesarem navigavit cum fratre suo herode. credens regnum suum philippo fratri.

XVII. Qualiter Sabinus qui erat in siria cesaris procurator ascendit ierusolymam violenter expetens herodis pecunias et castella a procuratoribus archelai.

XVIII. Qualiter persuaserint curatores populo arripere arma. et obsidere sabinum vel romanum exercitum in antonio constitutum. et qualiter hec audiens varus cum magna manu ascendit ierusolimam. et eripiens sabinum de obsidione. eos qui seditionem moverant suppliciis affecit. et bene disponens omnia in iudea. scripsit cesari cuncta significans.

XVIIII. Qualiter cesar testamentum herodis affirmavit servans filiis eius testamentum. Et qualiter accusatur archelaus a cognatis suis apud caesarem. et superans accepit regnum. et regnans decem annis. iterum accusatur et exilio relegatus in biennam. regnum autem eius transtulit caesar in praesidatum.

Expliciunt capitula. Incipit liber XVII. Incipit: *Antipatro autem postquam...* Desinit: *et domum archelai redditurus.* Explicit liber XVII. Ibi pag. 442.

Pag. 566 — Incipiunt capitula libri XVIII.

I. Qualiter cirinus a cesare destinatur. ut siriam iudeamque censiret. redditurus etiam archelai substantiam postquam translata est iudea ex regio habitu ad presidalem dispositionem.

II. Qualiter copinus ex equestri ordine missus est in iudeam.

III. Qualiter iudas galileus quidam alter persuaserunt multitudine suas describi substantias paterentur.

IIII. Qualiter plurimi quoque eorum consilia consecuti sunt. donec iozarus pontifex persuasisset eis obedire magis romanis ut descriptionem fieri non resisterent.

V. Quae et quanta sint hereses philosophorum apud iudeos vel qualibus teneantur legibus.

VI. Qualiter herodes philippus et arche civitatis in honorem cesaris fabricaverunt.

VII. Qualiter samaria ei ossa mortuorum in templo spasmi lactantes cum festivitas immineret populum per VII dies reddere pollutum.

VIII. Qualiter salome soror herodis moriens iamniam et omnem regionem suam et phaselidam et archalaidam iulie uxori cesaris dereliquit.

VIIII. Qualiter pontius voluit latenter intromittere ierusolimam statuas cesaris. cognoscens autem populus seditiones adversus illum commovit. donec illas ab ierusolimis in cesaream transmitteret. et de ihesu christo.

X. Que iudeis per illud tempus rome provenerint per corruptelam samarritici populi. et qualiter pilatus plurimos interemit.

XI. Accusatio samaraorum adversus pilatum apud vitellium.

XII. Qualiter vitellius romam eum ad cesarem ire compulit. ut ibi rationem eorum que contigerant redderet.

XIII. Vitellius ascendens in ierusolimam honoratur a populo. et qualiter ob id concessit eis saterra tollam que a romanis in antonia servabatur in sue potestatis iussu suscipere. pugna herodis tetrarche adversus aream araborum regem et qualiter superatus extiterit.

XIIII. Qualiter tyberius cesar scripsit vitellio et artabani partho persuaderet mittere adversus aretum vero pugnare.

XV. Qualiter tyberius cesar scripsit morte philippi tetrarchias et qualiter tetrarchia eius in presidalem dispositionem redacta sit. et de iohanne baptista.

XVI. Navigatio agrippe regis romam ad tyberium. et qualiter accusatus a proprio liberto devictus est.

XVII. Qualiter herodes tetrarche veniens romam accusatus fuerit ab agrippa et in exilium missus. vel qualiter tetrarchiam eius marcus agrippe donaverit.

XVIII. Seditio iudeorum et legatio utrorumque agavimus accusatio iudeorum ab apimone ceterisque cum illo legatis propter quod statuam cesaris non haberet.

XVIIII. Qualiter iratus gaius. mittit petronum ducem ad syriam cum huiusmodi mandatis ut congregati manu pugnarent cum iudeis si nollent eius suscipere symulacrum.

XX. Pestis que contigit iudeis in babylonia constitutum per obsineum et anileum fratres.

EXPLICIUNT CAPITULA. INCIPIT LIBER. Incipit: *Cyrinus unus de his...* Desinit: *ab hominibus bellicosis.* F. I. Io. A. LIBER XVIII. EXPLICIT. Ibi pag. 473.

Pag. 598 — INCIPIT CAPITULA LIBRI XVIIII.

I. Qualiter gaius cesar insidias a casio cerea extinctus est.

II. Qualiter claudius patruelis eius coactus a militibus suscepit imperium seditio senatum et populi ad invicem et utriusque partis.

III. Legatio regis agrippae ad senatum et qualiter consedentes milites qui erant cum senatu ad claudium transire et rerum cum dominum postulabant claudio ut ei reconciliaretur.

IIII. Qualiter claudius cesar reddit agrippe omne regnum paternum adiciens etiam illi lisaniae tetrarchiam pro gratia matha claudii cesaris in alexandria super iudeos in eo constitutis.

V. Navigatio agrippae regis in iudeam.

VI. Epistola publii petronii rectoris syriae ad doritas pro iudaeis.

VII. Qualiter rex agrippa hierosolimorum maenia locupletius construens studium suum imperfectum dereliquit morte incedente.

VIII. Quanta vel qualia gesserit in tribus annis usque ad mortem et quali modo vitam finierit.

VIIII. Et ea quidem circa iudeos babylonia constitutos acta sunt huiusmodi fuere.

EXPLICIUNT CAPITULA. Incipit: *Gaius autem non in solos...* Desinit: *ex illa regione migravit.* FLAVII IOSEPHI. HISTORIAE ANTIQUITATIS LIBER XVIII. EXPLICIT. Ibi pag. 504.

Pag. 621 — INCIPIUNT CAPITULA LIBRI XX.

I. Quemadmodum claudius cesar post agrippe mortem factum presidem miserit in iudeam et dicto filadelfinorum et quia fadus indignatus iudeis qui trans fluvium erant positi primos tres viros comprehendens occidit.

II. Quomodo ptholomeus princeps latronum arabis latrocinia inferens captus est et deductus ad fadum noscitur interemptus.

III. Quia fadus et casius longimus sirie preses ascendens in hierosolimam preceperunt primatibus iudeorum ut talarem et pontificalem vestem in antonia constituerent sub potestate romanorum sicut et prius erat. et quia rogatus fadum iudei et longinum eis concedentibus legationem ad cesarem claudium destinarent.

IIII. Quomodo claudius cesar rogatus ab agrippa iuvene concessit iudeis petitiones suas et fado rescripsit.

V. Quemadmodum elena adiabeniorum regni et eius filii monabazus et iozatus et omne genus eorum sollempnitates zelati sunt iudeorum.

VI. De fame quae in provincia contigit.

(sic) *Quomodo tiberius alexander in iudeam directus amministrator filios iude galilea et populum seducentes occidit.*

VII. Quia herode moriente calcidis rege agrippa iuvenis hunc habuit principatum cesare sibi claudio conferente.

VIII. Quia adventu cumani presidis in iudeam cesare destinatus sub eo multi sacerdotum perierunt in templo.

VIIII. Seditio iudaeorum contra samaritas et quia multi samaritanorum extincti sunt.

X. Quia modius quadratus siriae preses audiens haec et ascendens in iudeam primates iudeorum atque samaritanorum romam iussit ascendere pariter et cumanum ac celere ut claudio cesari deberent ex his que fuerant gesta reddere rationem et quia quosdam iudeorum ipse punivit.

XI. Quia claudius audiens inter eos iudeos quidem absolvit a culpa rogatus ab agrippa rege. cumanum vero exilio deportavit celerem autem millenarium et samaritanorum primates asperrime castigavit.

XII. Quia felix missus iudex et inveniens provinciam latronibus nimis afflictam. prospexit ut illis interemptis pacem tribueret religioni principem vero latronum eleazarum vinctum direxit ad cesarem.

XIII. Quemadmodum claudio moriente nero successit.

XIIII. Quia veniente egiptio malefico et multis iudaeorum ab eo reductis felix adgressus eorum multos occidit.

XV. Quemadmodum primos iudeorum et siros in cesarem concertantes felix ab intentione segregavit.

XVI. Quomodo portio festo in iudeam misso contigit provinciam sidiarum commoveri.

XVII. De porticu interiore templi et quemadmodum eam exaltavere iudei et quia festus ob hoc indignatus primates iudaeorum rome destinavit ad neronem ut ei ex his quae gesserant satisfacerent et quia moriente in iudea festo successor venit albinus.

XVIII. Quia sub eo a nece provincialium securi cessaverunt.

XVIIII. Quia flores veniens successor tantis malis iudeos affecit. ut eo(s) ad arma venire compelleret.

Expliciunt capitula. Incipit: *Moriente siquidem agrippa rege...* Desinit: *aliud facere permittitur aliud prohibemur.* Amen. Explicit flavii. Iosephi. Antiquitatis iudaice ad gloriam individue trinitatis. Amen. Ibi pag. 528.

Pag. 639 — In inferiori ora huis paginae legitur manu recentiori: *Omnis vita sapientis est cogitatio mortis et omnis dies est velud ultimum. Iudicandus Carnis a carcere solutus spiritus non parva letitia sed gaudet perfrui cum iocunda dei perfruitur visione.* Et in sequenti ultima:

Nam quotiens miserum probus expugnare laborat.
Se misero similem nititur esse probus
Dum sumus in mundo vivamus corpore mundo.
Carmina quae quondam studio florente peregi.
Thomas decanus Casinensis salutem.
Maiori numero debetur tertius ordo.
Et quando minor sequitur maior continuatur.
Fortis. es. adleta diro certamine gaudes.
Anno bis seno defensor... gregis audens.

CODEX CXXV.

SIGNATUS NUMERIS EXTERIORIBUS 125 ET 24, INTERIORI VERO 629 PLUTEO ZZ.


Codex membranaceus in folio, longitudinis metri 47/₀, latitudinis 32/₀, paginarum 368, duplici columna, characteribus longobardis saeculi XI. exaratus. De eo ita I. B. Fridericius: « Saeculi X. » Codex, quem si Saeculo XI. malles tribuere, ille » dicendus erit, quem exscribendum curavit Theo» baldus Abbas Casinensis anno 1023, sub titulo » *Libri Canonum*, ut narrat *Chron. Casin.* lib 2. » cap. 52, et notatur in Codicibus MSS. Casinens. » sign. num. XXVIII, pag. 585, et sign. num. » LVII, pag. 587. »

Et in *Indice MSS. Bibl. Cas.* haec addidit: « Theobaldus Abbas Casinensis, ex Chron. Casin. » lib. 2, cap. 52, inter libros nonnullos quos exscri» bere curavit anno 1023, ut patet quoque ex Co» dicibus Mss. Casin. sign. num. XXVIII. pag. » 585, et Cod. num. LVII. pag. 587, *Concordiam* » *Canonum*, et *Librum Canonum* exscribi curavit. » Hunc Codicem *Librum Canonum* facile arbitror » continere, adeoque ad illum annum amandanda » Codicis aetas esset, nisi forma characterum ve» tustiorem aetatem innueret, nempe saecu» lum X. »

Citatur in Indice Vaticano Codicum Casinensium a nobis in *Appendice* I. Tomi huius *Bibliothecae* edito (pag. LXXXIV) inter Canones Apostolorum his verbis *Alius incipit: in christi nomine vel oportuni*. Ibi etiam inter Codices Theobaldinos annumerantur: *Liber concordiae Kanonum*, *Liber Kanonum* et *Decretale pontificum*; agiturne de hoc Codice? Exteriori titulo insignitur: *Isidori episcopi hispalensis benedictini Summa Canonum*. Montfauconius de eo agit sub eodem numero his verbis: *Summa Canonum Hisidori Hispalensis Episcopi. Epistola Bernardi Abbatis ad Ioannem Lectorem Casinatem.*

In excussione huius Codicis haec notat Placidus Fridericius: « Isidoro in exteriori Codicis titulo tri» buitur haec Canonum Summa; de eo agit post » Baronium *in notis ad Martyrologium Romanum* » *die 4. Aprilis*, Bonus Merbesius *Tom. 2. Summae* » *Christianae, par. 3. quest. 29, pag. 445*, quem » consule, uti etiam Nicolaum Antonium Hispa» lensem in *Biblioth. Hispana veteri par. I. lib. 5.* » *cap. 4.* et Constantinum Caietanum in vita, » quam de S. Isidoro elucubravit *pag. 35*, et seqq. » At in opere saepissime inter reliquos Patres Isi» dorus laudatur: an vero tanti esse faciendam » suimet auctoritatem putabat humillimus Isido» rus, ut quae in aliis libris docuerat, vel alibi de» creverat pro sua Dioecesi, tamquam sanctiones » Iuris haberet in hac Summa? Praeterea citatur » quoque passim Beda, qui etiam Bedanus vocatur » in codice; item Reges laudantur Longobardi, » quos post Isidori tempora vixisse nemo est qui » ignoret. Non negaverim tamen, Isidorum no» strum etiam supra Canones scripsisse: id enim » ratum et certum apud eruditos est, quos supra » citatos vide: at opus in hoc contentum Codice » eius esse Iudaeus Apella credet, non ego. Hanc » vero Summam Canonum omnino diversam esse, » sciant omnes ab famosa Canonum Pseudo-Isido» riana collectione, illamque esse fortasse credi» mus, quam Trithemius meminit, transcribitque » Eisengremius sub nomine *Decretum Canonum*, » cuius significatione collectionem Pseudo-Isido-

De damnatione dandi et accipiendi pro pecunia
ordinationis lecto. Kar. Rex.
Sciatis non oportere episcopos aut quemlibet ex clero
pro pecunia ordinationis quae vel ... deponendi sunt. et qui ordinant. et qui ordinantur. nec
non et qui mediator est in ea. sicut in canonibus
apostolorum legitur. Quia sicut haec haeresis iam
ab ipso principe apostolorum in Symone mago
est damnata. Ut nullum pretium
pro ordinatione episcopi exigatur. G G.
Antiquam patrum regulam sequentes. nihil
umquam de ordinationibus accipi
endum esse constituimus. neque ex datione palli. [·i· lavamentum ... ad ... tu]
[super capsulam positum] neque ex traditione cartarum. neque ex ea
quam nova ambitione simulatio invenit
[·i· xeniis] appellatione pastelli. Quia enim
ordinando episcopo pontifex manum ponit.
evangelicam vero lectionem minister legit.
confirmationis autem epistolam notarius scribit.



» rianam venire *Epistolarum Decretalium* (ut pu-» tat Nicolaus Antonius Hispan. *Bibl. veter.* par. 1. » lib. 4. cap. 4. num. 178.) nusquam crediderim ».

Caeterum praesens Summa differt ab edita apud Migne inter *Opp.* Isidori Tom. VIII, et legitur in Cod. Vat. 1339, saec. XI. qui forsan olim Bibliothecae Casinensi adscriptus erat, et exemplatus fuit a nostro Codice.

De auctore huius compilationis haec notare iuvat. In praefatione quae legitur in prima Codicis pagina dicitur auctorem esse quemdam fratrem, qui haec: « ex diversis colligere doctrinis studuit pro videlicet amore cuiusdam Luponis sacerdotis valde amabilis »; in pagina vero 65, ipse auctor lectorem in hunc modum alloquitur: « Ipsum vero semper apud iudicem aeternum commendantes cuius astutia vel desiderio tam vastum munus mille post pericula; tam ex urbibus vicis et castellis. Quam et de plebibus ubique per italiam dicatis. dispersa depravataque colligere et in hoc corpore studuit exarata corrigendo componere. » Tandem in pagina 347, occurrit haec nota cuius scriptura non differt a scriptura Codicis: « Quidam peregrinus frater devictus flagitatione multorum christi famulantium; ad utilitatem vulneratarum animarum et recuperationem lapsorum omnium; perscrutari hunc studuit librum enixius etc. » Quis est vero monachus iste Peregrinus nomine, linguae graecae peritus, ut ex praefationibus et ex nova versione legum iustinianearum, quibus collectionem suam adauxit, qui amore Luponis, mille post pericula totam Italiam perlustravit, dispersa, depravataque colligens, corrigens, pescrutansque, ut *Remedium* vulneratis offerret animabus? Responsum, ut videtur, dat ipse Petrus in *Cronicon Casinensi* (libro IV, col. 870, Edit Migne): « Erat tunc in hoc monasterio frater quidam Peregrinus nomine, natione Ligur, saeculari astutia callidus, cui eamdem abbatiam (Casinensem) dare decreverat (S. Bruno Signiensis 1107-1111).... Libenter in hanc sententiam adduceremur, quia ex Canonibus Conciliorum, verbi gratia, Concilii Vercellensis anno Christi 1050 celebrati, Collectio ad finem XI Saeculi videtur amandanda. Alti vero silentii quod de hac Collectione tenuit Petrus obvia afferretur ratio; monachi enim aegre patiebantur hominem, quem vi armorum Bruno imponere velle videbatur: « Quod cum fratres praescissent, dixerunt abbati, quia quandiu ipse vellet abbatis iure praeesse, omnes illi ut patri et domino obedirent: sin autem abbatiam vellet relinquere, electionem quae illis praecepto regulae debebatur, nulli omnino contraderent, sed ipsi antiquo more abbatem sibi eligerent. Hoc ubi ille audivit, putans se id violenter implere, armatos milites ad monasterium custodiendum in suum auxilium evocat. Die vero altero fratribus cum pace ad missam celebrandam ecclesiam intrantibus, subito advenit diversis armata telis multitudo furentium, et qui essent, qui voluntatem abbatis nollent implere, quaerentium. Fratres autem nimis haec indigne ferentes, ac unanimiter super illos irruentes, de monasterio eiecerunt ».

Hanc Collectionem, nostra quidem sententia, non parvi faciendam, quia nonnulla inedita tum ex Conciliis, Statutisque Summorum Pontificum, tum ex scriptis Patrum et vitis sanctorum, tum ex legibus civilibus desumpta continet; praevio tamen Doctorum consilio in *Analectis* nostris integram dabimus. Abbas Bernardus, vir spirituali saecularique prudentia spectatissimus, a Carolo I rege Neapolitano, qui Mariam sororem Ladislai V. uxorem filio suo obtinere desiderabat, in Hungariam deputatus; iter aggressurus Collectionem nostram secum detulit, ut erui potest ex ultima Codicis pagina in qua epistolae Bernardi vario scriptae atramento, et viae directio, calamo delineata, occurrunt.

Habet pro compactione quatuor folia Lectionarii XI Saec. desinentis cum Responsoriis et Antiphonis, quae suas habent notas musicas. Continent I. Officium Dominicae II post Epiphaniam, in quo occurrunt: Invitatorum cum notis musicis, Epistola S. Pauli ad Romanos, a Cap. I ad versum 25 Capitis II, Antiphonae et Responsoria cum notis musicis, fragmenta Tractatus VIII S. Augustini in Evangelium S. Ioannis, (Migne Tomo III col. 1450), et Expositionis S. Ambrosii in Lucam (Tomo II Edit. Migne, col. 1709); II. Officium Dominicae III post Epiphaniam, in quo legitur Homilia Origenis, quae incipit: *Descendente Iesu... Docente vero Domino...* (Origenes, *in Diversos*, homil. V, tomo III, fol. 123, ex aedibus Ascensianis 1422); III. Officium Dominicae IV post Epiph. cum homilia S. Gregorii quae incipit: *Lectio sancti evan-*

gelii quam modo fratres audistis... (Edit. Benedict. Tomo I, col. 1566); IV. Antiphonas desumptas ex Isaia cum notis musicis et officium Dominicae primae post Octavam Pentecostes, in quo invenies Homiliam S. Augustini, quae in nonnullis ab Homilia Cod. CVIII. pag. 489, et ab homilia quam reperies inter homilias Bedae (Edit. Migne Tomo IV col. 276) differt; V. Breves lectiones ad ferias sequentis Hebdomadis desumptas ex Ieremia, ex Proverbiis, ex libro Sapientiae et ex Ecclesiastico, quas sequuntur officium Dominicae II post Octavam Pentecostes, in quo legitur initium homiliae editae ex Cod. CIV et CVIII. in Tomo II nostri *Florilegii* pag. 136 et 184; lectiones extractae ex Ezechiele et Daniele, et duodecim Responsoria ex variis Scripturae locis selecta, notisque musicis adornata. In ultimo vero Codicis folio leguntur sequentia: *Ne derelinquas amicum antiquum novus enim non erit similis illi. Vinum novum amicus*; In linea tracta velut ad iter indicandum: *Patavia civitas — Vittofen — Osthorhovom — Ratisbona*. Deinde sequuntur epistolae Bernardi Abbatis, quas non semel editas iterum praelo damus in meliorem lectionem redactas, diligentius Codicis textu a nobis excusso.

Innata benignitatis vestre gratia que se nobis semper exhibuit gratiosam prebet nobis devotis vestris ampliorem sperandi fiduciam. ut quod postulaverimus humiliter, benignius impetremus. De felici igitur adventu Illustrissimi ac semper triumphatoris domini nostri Regis corradi inmenso concepto gaudio. Ecce ad pedes Regiae Maiestatis mittimus dilectos fratres nostros fratrem Thomam. Magistrum Herasmum et fratrem Andream eiusdem domini Regis fideles humiliter vestre magnitudini supplicantes. quatenus si placet ipsos fratres nostros oculo clementie vestre dignemini respicere, et tam nos qui vestri sumus. quam eos dignemini clementie Regie conmendare.

Bernardus dei gratia. etc. Karissimo in christo fratri I(ohanni) Rectori. Favente christo dominica in palmis Iadaram intravimus sani cum omnibus sociis et familiaribus quos ad Hungariam duxeramus navigia domini nostri prestolando ibidem. tantumque fuit desiderium veniendi quod montes a maritimis sclavoniam dividentes qui nobis difficillimi fuerant in eundo redeuntibus in quamdam planitiem sunt conversi et sic prava facta sunt in directa. et aspera reputavimus vias planas. Curetis igitur nostris id ad gaudium nuntiare decanis specialiter sacroque Conventui Casinensi. Archipresbitero et archidiacono sancti Germani. ac prothonotario nostro. Domino T(ancredo)? de pl(umbarola). et Magistro. N. de Iunc(tura) necnon et aliis quos novistis de nostris successibus prosperis exultare. Valete. Datum Iadare. XI. aprilis. Indictione. XIII.

Bernardus dei gratia Casinensis humilis Abbas. Dilecto in Christo fratri. I. Rectori Casinensi et Notario. F. de sancto Germano dilecto familiari et fideli suo. salutem in domino et benedictionem. Sani sumus per dei gratiam et opera nostra in oculis domini pape sunt et omnium dominorum nostrorum Cardinalium gratiosa bene procedunt negotia et procedent. Volumus ut Conventui oblime necessaria ministrentur. mittanturque nobis cito fratres. D. et B. eis redditis sanitati. expensis parcatur. laborerium bene fiat. Vinee ac olivetum non negligantur. Iura nostra ac debita cum iustitia exigantur. Decani ad ordinem bene tenendum sollicite moneantur. Interdictum rigide teneatur. sententie frequenter denuntientur. et sicut novi apparebunt officiales. Ita noviter excomunicentur. In Curia civili Iustitia plena fiat. Bladum. Vinum et alia oblime conserventur. Albertus favente deo cito redibit. qui plenius alia vobis dicet. Datum Viterbii X. *novembris. XII. indictione.*

Bernardus Decano et Vic(e decano) et Conventui. Ecce vestrarum suffulti orationum suffragiis duce christo, beati meritis benedicti per multos labores et diversa maris pericula, viarum discrimina que perlongum esset in singularibus et particulariter enarrare, honorabiliter a Rege et toto Regno Ungarie excepti, conmissa nobis nostrisque sociis a Regia maiestate negotia, secundum sui animi et imperii motum perfecte ac plene conplevimus et optatum perduximus ad perfectum. De utriusque regis liberis matrimonio et sponsalibus sollempniter contractis et modis quibus potuimus vallo firmissimo roboratis, firmiterque vallatis, nec non et contracto in perpetuum inter utramque regiam domum mutui adiutorii federe sociavimus, ad dei honorem et ecclesie romane presidium. nec non utriusque regis validissimum firmamentum quia vero virtutem

nostis et gloriam domini nostri regis, de ipso dicere nil oportet. cuius potentiam a deo sibi datam. diversorum. triumphi certaminum manifestant. eiusque terroris sonus rebellium christi suorumque inimicorum et cunctorum barbarorum corda concutit ad tremorem. Set domus ungarie incredibilem habet potentiam. indicibilem quasi armatorum gentem. Ita quod in partibus orientis et aquilonis nullus sit pedem ausus movere. ubi triumphator rex S(tephanus) gloriosus potentem exercitum suum movet. et ingressum terre quantumcumque potentis principis conminatur. Maior enim pars orientis et aquilonis regnorum et principatuum tam per parentelas quam per subiugationes eius subiacet dicioni. Hiis igitur duobus tanto federe sociatis, tanta unione permixtis Regnum sicilie de cetero ut credimus habebit gaudere dato sibi divinitus sabatismo. et erit necessarium voces tacere diversorum impetus intonantes. quoniam dominum nostrum Regem divina providentia sic vallavit. quod ipsum habebunt timere cuncti principes. ipse nullum. Ad congaudendum ergo nobis. vobis tantam exponimus materiam gaudiorum qui parati sumus ante Quadragesimam iter incipere ad Monasterium redeundi. vosque ut cupimus revidendi. Vos vero christo placere studete. regulam observare. pacem et concordiam invicem habere. mundas animas custodire. pro nobis orare. ac in bonis operibus permanere. Valete quos valere optamus. et in omnibus prevalete. Datum in saris. XII. decembris. XIII. indictionis.

Bernardus etc. Rectori. Per litteras sacro Casinensi conventui destinatas quas volumus te videre ut causa brevitatis multa possint sileri colligere poteris statum nostrum. qui per dei gratiam cum omnibus nostris sociis et familiaribus sani sumus. in felici ac perfecta negotiorum expeditione nostris laboribus relevatis data nobis a deo materia exultandi. Quo circa te ac nostros volumus esse letos. et ut magno robore confortatos nostra negotia viriliter peragere. et corda sumere virtuosa. Sic igitur leticatus letos alios facias. nostra procures lete negotia. lete peragas. strenue perficias. ut iurisdictio teneatur. agricultura exerceatur. vinee multiplicentur. diligenterque colantur. sententie nostre observentur. Conventui ante omnia provideatur et omnia cum debito moderamine ordinentur. ut dilectus a nobis magis diligaris; et tua merita in laudibus te extollant. Vale. Datum in saris. XII. Decembris. XIII. Indictione.

Pag. 1 — IN CHRISTI NOMINE. INCIPIT LIBER CANONUM EX MULTIS SENTENTIIS PATRUMQUE DICTIS DEFLORATUS: IN QUO CONSTANT REMEDIA ANIMARUM EX DIVERSIS DOCTORIBUS COPTA (Infra *comptus* legitur cum his verbis annotatoris cuiusdam: *idest. compositus. vel ordinatus.*) PRO OMNIBUS QUI IN INNUMERABILIBUS CASIBUS LAPSI SUNT OMNIA AUTEM DILECTISSIMI FRATRES QUAE AD UTILITATEM ANIMARUM PERTINENTE IN HOC VALEBITIS REPPERIRE VOLUMINE QUOD IN PARTIBUS QUI IN HIS (quinis) DIVISUM FULGEAT: NON TEMERITATIS CAUSAS (causa) SET KARITATIS REMEDIOQUE LANGUENTIUM: PROFECTO HIC LONGESTUS (congestus) EST LIBER: UNDE SI LECTOR PRUDENS PERSCRUTARE CURAVERIT DE CUNCTIS VITIIS DIGNA IN EO INVENIET MEDICINAM.

IN CHRISTI NOMINE: INCIPIT PROLOGUS LIBRI CANONUM:

Hic titulus litteris maiusculis romanis et uncialibus viridi, violaceo, flavo, rubroque ornatis, exaratus, priorem columnam et mediam partem posterioris columnae primae paginae occupat. Prologus vero incipit cum littera O initiali, quae Christi, nimbo crucifero ornati, dextera benedicentis, sinistraque librum gerentis, nobilem circumdat effigiem.

Oportuni quidem diversique ad utilitatem medicamentorum sunt versiculi per orbem distincti; veteris videlicet novique testamenti prolati. quibus oportet vulnerum remediis subvenire. Tamen valde magis oportuni sunt hi quos precedente industria probatissimorum doctorum sequens manualis auctoritate probabili comptus (alia manu: *idest compositus vel ordinatus*) *suo gremio continet. Quos quidam frater caritatis officio nexus* (al. manu: *idest catenis vel ligaminis*) *ex diversis colligere doctrinis studuit pro videlicet amore cuiusdam luponis sacerdotis valde amabilis. et ut conspicitur in unum coacervatis libelli corpusculum conscribere desudavit. Extima* (alia manu: *idest parva vel vilis*) *quidem in atramento. sed valde necessaria in remedio delinquentium. parva quidem corpore. sed apta* (alia manu: *idest congrua*) *et copiosa in recuperatione lapsorum. Diversa medicamina pro diversis peccatorum delictis. Plurima quidem et inenarrabilia studenter quesivimus et invenimus quae*

quidem quia prolixiora (alia manu: *longiora*) *videbantur ne fastidiosa viderentur peritis* (al. manu: *idest doctis*) *divisimus. ea vero que subnexa* (al. manu: *idest subiuncta*) *sunt ad utilitatem et remedium omnium credentium sufficere credimus. Quapropter* (al. manu: *idest propter quod*) *fraternitatis auxilium cunctorum legentium humiliter imploro* (al. manu: *idest precor*). *presertim* (al. manu: *idest maxime*) *eorum ad quorum hoc manus opusculum pervenerit. deum mihi placatum interveniant culpisque meis omnibus clementer ignoscat. quatinus* (al. manu: *idest qua ratione*) *cum omnibus vobis adipisci* (al. manu: *idest optineri*) *merear vitam sine fine perhaennem. Christo adiuvante qui cum patre sanctoque spiritu vivit et regnat per infinita secula seculorum. Amen.*

Pag. 2 — **Praephatio a beato Gregorio papa ex patrum dictis canonumque sententiis de diversis criminibus et remedium eorum.** Incipit: *Cernimus in aecclesia quod nos valde sollicitat....* Desinit: *pectora nostra karissimi fratres.* Legitur in *Patrologia Lat.* Migne, Tomo LXXXXIX, sub nomine Gregorii III; in Codice quaedam in fine huius Praephationis desiderantur.

Pag. 3 — **Praephatio Ysidori aepiscopi.** Incipit: *Compellor a multis; tam episcopis quam reliquis servis dei canonum...* Desinit: *a sapientissimo concilio iudicaverint.* Legitur in Tomo I *Collectionis maximae Conciliorum omnium Hispaniae et novi Orbis etc.* Cardinalis de Aguirre, Romae 1693, pag. 27.

Pag. 4 — **De confirmatione canones apostolorum.** Incipit: *Denique propter eorum auctoritatem....* Desinit: *omni manent stabilitate vigore.* Ibi pag. eadem; sed post verba: *pravitatibus decipiantur,* omissis in Codice, quae in Editione sequuntur a numero 7 usque ad numerum 21, legitur: *Ideo sancti patres composuerunt leges quas sanctos canones appellaverunt*; deinde: *Nosse etiam oportet...* ut in Edit. a numero 21 usque ad 27, qui non occurrit in Codice.

Spatio quodam ad exarandum titulum relicto, cum initiali littera vario ornata colore incipit: *Pubertatem* (alia manu: *idest iuventutem*) *namque pulchritudinis decoremque simul et scema* (al. manu: *idest corona. vel infula. vel diadema*) *aecclesiastici ordinis defloratam* (al. ma. *expoliatam* ; quae uncinis inclusa reperiet lector, sunt notae interlineares ab amanuensi sive correctore XI, vel saltem XII saeculi ineuntis additae.) *atque anullatam* (*idest. ad nichilum redactam*) *cum merens* (*idest tristis*) *intueor* (*idest video*); *flere* (*id. plangere*) *magis cogor* (*id. compellor*) *undosis* (*id. fluentibus*) *lacrimis suspirando; quam aliquid dicere. Quapropter divine pietatis rogo perustus* (*id. accensus*) *karitatisque voto cuiusdam remoti* (*id. heremite. vel reclausi*) *constrictus. prephatiunculam* (*id. epistola*) *suae flagitationis* (*id. precis*) *amore nostrae parvitatis inertia* (*id. inscientia. vel pigritia*) *edita* (*id. composita*). *devotissime deposco* (*id. rogo*) *suscipite. Vosque videlicet fateor* (*id. confiteor*) *qui paradysi acadindima* (*id. secreta. vel alta loca*) *desideranter cum christo gliscitis* (*id. concupiscitis*) *post funera putridae carnis perfruere. quia licet liberalium famine* (*id. sermone*) *videatur incompta* (*id. male composita*) *mellis tamen affluentiam* (*id. abundantiam*) *salvationisque dulcedinem gignere* (*id. generare*) *creditur. Illis nempe* (*id. versus*); *qui puro* (*id. mundo*) *corde serenaque* (*id. lucida*) *conscientia. vitam desiderant sempiternam. Ignorantibus priscorum* (*id. antiquorum*) *vatum* (*id. prophetarum*) *patriarcharumque benigna oracula* (*id. prophetias*). *peccatum fore* (*id. esse*) *non extimum* (*id. ultimum*) *affirmamus. sed illis ut reor* (*id. extimo*); *perditio haec non deficiet; qui per tonsuram* (*id. clericatum*) *se esse divini simulant* (*id. fingunt*) *ordinis ministris; et non sunt. Heu* (*id. vae*) *heu* (*vae*) *quam lugenda* (*id. plorando*) *mors. quam suspirandus dolor. quam execranda* (*id. respuenda*) *impietas. quam respuendum facinus* (*id. crimen*). *quam proterenda* (*id. conculcanda*) *falsitas. ut aecclesiasticus ordo tantis inretitus* (*id. inligatus*) *flagitiis* (*id. malis*); *non sal* (*id. condimentum*) *terrae. neque lucem mundi optutibus divinis inspiciat. sed tenebrarum periculis deputati neglegendo dulcia dogmata* (*id. sanctam doctrinam*) *lugeant sine fine in horribili* (*id. sordida*) *tartaro* (*id. inferno*). *Quam obrem* (*id. ob quam causam*) *intellegant et resipiscant* (*id. erubescant. vel recedant*) *primitus infideles neglegentesque aepiscopi. qui cecati munusculis* (*id. muneribus*) *exeniisque* (*id. donis. vel offertionibus*) *vilissimis lignis et lapidibus. et ut animalibus brutis* (*stultis*) *solummodo spirantibus parvulis et*

pueris; sacrum ordinem imponere non verentur. Illud prophetae deplorantis (id. plangentis) immemores (id. obliti). atque lugentis. Quomodo obscuratum est aurum mutatus est color optimus. et lapides sanctuarii sternuntur in stercore platearum. Nonnulli vero sunt qui potestatem exercere in regimine videntur. Et haec salubria monita despiciunt. et pro nichilo ducunt (id. computant). pro quibus arsuri in gehenna voraginis (id. putei) ruunt. quae sua sunt querentes. iuxta apostolum non quae ihesu christi. Et multi sunt absque regimine in christo fundati qui assiduae clericorum ordinem depravatum atque foedatum (id. sordidatum) contemplantes (id. videntes) lacrimando non cessant dicentes. Ve vobis qui commeditis peccata populi domini. quia post modicum gaudium poene vobis succedunt inenarrabiles. in quibus semper est fletus et stridor dentium. O quam lugenda perditio. pro brevi lucro; vitam perdere sempiternam. pro desiderio temporali. sine fine solidum (id. firmum) amittere (id. perdere) regnum. Unde igitur vos ammoneo fratres. quia periculosa iuxta apostolum tempora instant. remedium salvationis innumeris medicamentis instructum amplectite. ut vel in ultima vitae huius finae; requiem emendationis cum gemitu et luctu. christo favente (id. adiuvante) per penitentiae fructus invenire valeatis (id. poteritis). Omnia autem quae ad utilitatem animarum vestrarum ornata et valde cumulata refulgent. in hoc valebitis (id. poteritis) repperire (id. invenire) volumine quod in partibus quinis (id. quinque) divisus resplendet (id. relucet). In quo etiam imprimis continetur de origine clericorum. et de electione et ordinatione. atque consecratione eorum. et qui ammittendi sunt in clerum. vel renuendi (id. refutandi); et de regimine aecclesiae et de iudicibus et de regibus et rectoribus terrae. Quodque etiam cum prudens scrutator (id. inquisitor) peragrare (id. perambulare. vel perlegere) curaverit (id. studuerit); de cunctis clericorum ordinibus execranda (id. respuenda) vel eligenda sive penitenda digne refartum (id. repletum) inveniet. Ipsum omnium liberatorem (id. ihesum christum) deposcentes (id. rogantes); ut quandoque (i. aliquando) suis cum electis opificem (id. adiutorem. vel scriptorem) simul correctoremque (id. emendatorem) operis huius interesse concedat. Ihesus christus dominus noster qui aeternaliter (id. sine fine) cum patre sanctoque spiritu vivit et regnat per infinita secula seculorum. Amen.

Pag. 6 —EXPLICIT PREPHATIO. INCIPIUNT CAPITULA LIBRI PRIMI.

I. De origine. vel ordine clericorum.
II. De septem gradibus quos christus adimplevit.
III. De ministerio clericorum.
IV. De initio sacerdotum in utraque lege.
V. De nomine aepiscopi.
VI. De nomine presbyteri.
VII. De nomine diaconi.
VIII. De nomine subdiaconi.
VIIII. De exordio lectorum.
X. De exordio exorciste.
XI. De ostiariis.
XII. De accolitis.
XIII. De psalmistarum exordia et voce et usu et nomine.
XIIII. De nomine clerici.
XV. De nomine principis aecclesiae.
XVI. De quattuor generibus ordinationum.
XVII. De indignis pastoribus.
XVIII. De baculo et anulo episcopi opera sequatur.
XVIIII. De qualitate aepiscoporum qui ordinandi sunt.
XX. De differentia presbyteri ad similitudinem ministerii episcopi.
XXI. Ut non fiant repente ex laycis sacerdotes.
XXII. De cupiendo vel fugiendo honore.
XXIII. Ut implicati negotiis alienis ante reddit(am) rationem clerici non ordinentur.
XXIIII. Cuius aetatis esse debeant qui promoventur in sacrum ordinem.
XXV. Quales vel quam docti debeant ordinari aepiscopi.
XXVI. Dē ordinatione aepiscopi.
XXVII. De cavendis malis principibus principatum mercantibus.
XXVIII. Ut nulla pecunia data aepiscopi ordinentur.
XXVIIII. Ut per pecunias nullus in clero ordinare valeat.
XXX. Ut nullum premium ante ordinationem episcopi exigatur.
XXXI. De temeritate ordinationis clericorum per pecuniam vel pretio mercari.

XXXII. De donis spiritus sancti qui vel vendentes vel ementes nituntur.

XXXIII. De his qui vendunt gratiam spiritus sancti.

XXXIIII. Non accipiendum premium pro episcoporum honore de communione peccati.

XXXV. De his qui donum dei per avaritiam student donatione mercari.

XXXVI. De ordine clericorum nullatenus premia querantur.

XXXVII. De his qui sub optentu haelimosine symoniacas hereses perpetraverint.

XXXVIII. Quod grave facinus sit qui dei donum vel vendere vel comparare vult.

XXXVIIII. Quod oportet clericos sine reprehensione. et sint litterati et sine datione pecuniarum.

XL. Ut pueri ad sacrum ordinem non admittantur.

XLI. Quod deponi debeat qui denuo in idipsum manus impositione recipit.

XLII. De curialibus et taxeotis. ad clericatum non admittendis.

XLIII. Nullus presumat ad aecclesiasticum ordinem accedere (nisi plenis etatibus per gradibus singulis constituti).

XLIIII. Quod non oporteat ordinationes aepiscoporum diu differri.

XLV. Quod nolentibus clericis vel populis. non debeat aepiscopus ordinari.

XLVI. De his qui in egritudine baptisma consecuntur.

XLVII. De aetatibus et meritis quibus provehi debent ad episcopatum tribus ordinibus.

XLVIII. De conversatione aecclesiastica qui ab infantia se deo voverunt.

XLVIIII. Ut neminem cito manus imponat antequam aetatem et vitam proventur in clero.

L. Ut si de religioso proposito monasterialibus eruditus ad clericalem munus accedit.

LI. Ut neophiti non ordinentur.

LII. Quo tempore presbyterum conveniat ordinari.

LIII. De ordinatione presbyterorum et diaconorum certis fiant temporibus.

LIIII. Presbyterorum et diaconorum ordinationes certis debeant celebrare temporibus.

LV. Quod non oporteat absolutae quos libet de clero ordinari.

LVI. De inreprehensione episcopi et de hoc loco ipse est aepiscopus et presbyter.

LVII. De scole puerorum.

LVIII. De provatione qui promovendi sunt in clero.

LVIIII. De non ordinandis clericis qui peccatorum vinculis sunt alligati.

LX. De his qui ad presbyterium. vel diaconatum promoventur.

LXI. De discretione penitentium qui possint ecclesiasticos ordines provehi.

LXII. Penitens si usum exegerit; inter ostiarios deputetur.

LXIII. De his qui ad ordinem presbyterii sine examinatione provecti sunt.

LXIIII. De diaconibus si ante honorem peccare probantur.

LXV. Quod clerici non nisi exploratae vitae ordinentur.

LXVI. Qui duas nuptias contraxit ad gradum non provehitur ecclesiasticum.

LXVII. Si lector vel laycus secundas nuptias contraxerit; ad gradum aecclesiasticum non presumat (accedere).

LXVIII. Cuius qualitatis clericus fieri debet.

LXVIIII. Qui clerici debeant coniugiis copulari.

LXX. De his qui mulieribus adulteris iuncti sunt.

LXXI. De presbyteris qui habuerunt coniugia.

LXXII. Si lector digamus sit aut viduam duxerit. non amplius quam subdiaconus fiat.

LXXIII. Ut bigami non admittantur ad clerum.

LXXIIII. Ut quod ab inlicitis sit ordinationibus abstinendum.

LXXV. De his qui viduas aut dimissas aut ancillas aut aliquas quae tenentur (detestabiles personas ducunt. vel in malis concilii commixti sunt).

LXXVI. Quod bigamus non sit ordinandus.

LXXVII. Quur preceperit apostolus unius uxoris virum sacrae applicare militiae.

LXXVIII. Ut aecclesiae dispensatorem non liceat ordinari. nisi unius uxoris virum.

LXXVIIII. Quales debent esse ministri altaris.

LXXX. Quod si quis viduam vel eiectam aut meretricem aut ancillam acceperit.

LXXXI. Ut qui semetipsum abscidit; non fiat clericus.

LXXXII. De aepiscopo qui alienum servum clericum fecerit.

LXXXIII. De discretione libertorum qui ad aecclesiasticos ordines pervenire possunt.

LXXXIIII. De evitando diversis passim ordinibus clericorum.

LXXXV. Quod non liceat episcopo in aliena provincia clericum ordinare.

LXXXVI. De his qui ad regimen aecclesiae non sunt promovendi.

LXXXVII. De eo quod studiosissimi clerici per parrochias ordinandi sunt.

LXXXVIII. Ne interventor episcopus cathedram ubi interventor est sedeat.

LXXXVIIII. De non ordinandis aepiscopis per vicos et modicas civitates.

XC. Ut nullus accusati fidem usurpet aepiscopi.

XCI. Ut ab episcopis aliena parrochia non pervadatur.

XCII. Qualiter debeat princeps qui se heredem facere in vita sua.

XCIII. De eo quod post mortem debet princeps ordinare.

XCIIII. De consensu populi ordinando principe.

XCV. De ordinatione aepiscopi qui impetratione pecuniae successores faciunt parentes.

XCVI. De episcopo qui pro egritudine qua patitur preciperit sibi esse successorem.

XCVII. De clericis ordinatis qui non susceperint officium. et curam populis. aut non receptis.

XCVIII. Ut egroto aepiscopo ordinari successorem possit.

XCVIIII. De vacantibus aepiscopis.

C. Quod aepiscopus consecrari non debeat. nisi a clericis et populis fuerit postulatus.

CI. Ut aepiscopus nullam causam agat absque presentia clericorum suorum.

CII. De eo quod aliquando de (aliene gentis) episcopus eligitur.

CIII. Quod non oporteat episcopus vel ad mortem successorem destinare.

CIIII. Si aepiscopus ante consecrationem suam vel postea venerabili loco res suas obtulerit.

CV. Non debet presbyter amplius quam unam aecclesiam habere.

CVI. De clericis qui sunt in ptochiis monasteriis atque martyriis.

CVII. De presidibus vel ceteris rem publicam agere volentibus ne sine litteris aepiscopi sui communicent.

CVIII. De medicina poenitentiae qui donum dei studet pretio mercari.

CVIIII. Ut locorum venerabilium administratores. sine pecunia fiant.

CX. Ut sacerdotes non querant pretium ministerii sui.

CXI. Quod nullus clericus pro iudiciis munera accipiat.

CXII. Ut pro consecratione basilicae nil exigat aepiscopus.

CXIII. Quod non oportet sanctuarium consecrare ubi corpus constat humatum.

CXIIII. De altare motum.

CXV. De gradu regimini et de ministris altaris.

CXVI. De sacerdotibus qui solum honorem ambitione querunt non opere dignitatis.

CXVII. De malis pastoribus.

CXVIII. De sacerdotibus qui ignorant deum.

CXVIIII. De doctrina et exemplis doctoris.

CXX. De his qui bene docent et male vivunt.

CXXI. De exemplis pravorum sacerdotum. et de omnia membra quae caput secuntur.

CXXII. De prepositis carnalibus divino consilio ordinati.

CXXIII. De rectoribus quod a deo iudicandi sunt non ab hominibus.

CXXIIII. Qualiter prepositis obedire convenit.

CXXV. De iracundis doctoribus.

CXXVI. De lamentatione beati gregorii pape contra pessimos sacerdotes populum laniantes.

CXXVII. Quod eos quos post dampnationem suam. vel baptizavit vel ordinavit (Acacius nulla portio lesionis attingat.)

CXXVIII. Quod malus bona ministrando sibi tantummodo noceat nec aecclesiae sacramenta commaculent.

CXXVIIII. De quibusdam nominibus in iudicio.

CXXX. De personis elegendis ad iudicium.

CXXXI. De eo quod iudicia secundum tempus et loca iudicanda sunt.

CXXXII. De tribus quibus indiget iudex,

CXXXIII. De non accipiendis personis in iudicio.

CXXXIIII. De iudicio incerto non temere faciendo.

CXXXV. De quattuor principalibus modis pervertendi iudicium.

CXXXVI. De iudicibus ecclesiae quales fieri debent.
CXXXVII. De iudicio clericorum ut non sit apud iniquos.
CXXXVIII. Quod clerici in iudicio advocatum habere debent.
CXXXVIIII. Clericum fideiussorem esse non oportet.
CXL. De nomine regni.
CXLI. De exemplo bonis regibus.
CXLII. De eo quod bonorum regum opera aedificent.
CXLIII. De eo quod malorum regum opera prosperitas mundi destruant.
CXLIIII. De censu regi dando.
CXLV. De potestate a deo data quae non sunt resistenda.
CXLVI. De subditis.
CXLVII. Quod pro malitia plebis reges mutantur.
CXLVIII. De delictis principum sive exemplis.
CXLVIIII. De pravis iudicibus.
CL. De muneris.
CLI. De exemplis mortis arsenii misserimi aepiscopi.
CLII. De libris non retinendis. et contra malis non dandis.
CLIII. De duodecim abusionibus ex quibus suffocantur iustitia.

Pag. Incipit de gradibus et nominibus: de misteriis ac meritis: de qualitate vel ordinatione clericorum: in primis: de origine vel ordine clericorum. Incipit: *Clerus. et clerici hinc appellati; quia mathias sorte aelectus est...* Desinit: *sic suffocatur iustitia.* Tituli huius indicis emendari possunt ex iisdem titulis qui infra in Codice initio Canonum recurrunt, numeris quandoque mutatis.

In hac prima parte citantur:

Concilium Africanum pag. 17, 44.
Ambrosius pag. 60.
Anastasius papa pag. 54, 55.
Ancyritanum Concilium pag. 46.
Antiochenum Conc. pag. 47.
Arelatense Conc. pag. 17, 48.
Augustinus pag. 14, 18, 29, 40, 50, 56, 60.
Arausicanum Conc. pag. 42.
Aurelianense Conc. 41, 58.
Basilius pag. 57.
Beda pag. 24, 49.
Bracarense Conc. pag. 49.
Canones apostolorum pag. 19 28, 34, 38, 39, 41, 43, 44, 46, 58.
Canones Graeci pag. 45.
Canones regulares pag. 48.
Carolus Magnus, pag. 19, 26, 35.
Carthaginense Concilium, pag. 16, 17, 29, 30, 36, 38, 45, 47, 58.
Calcedonense Conc. pag. 19, 29, 34, 48.
Caelestini papae Decreta, pag. 29, 33, 38, 47.
Doctor quidam pag. 51.
Eliberitanum Conc. pag. 38.
Eloquiorum liber pag. 56, 57.
Eucherius pag. 56.
Eugenius papa, pag. 47, 58.
Gangrense Conc. pag. 38.
Gelasii papae decreta, pag. 19, 33, 34, 39.
Gregorius Nazianzenus, 14, 17, 28, 48.
Gregorius Magnus, a pag. 14 ad pag. 19, pag. 21, 22, 25, 26, 27, 39, 41, 43, 45, 46. 48, 50, 53, 56, 57.
Henricus rex, pag. 28, 31, 49.
Hibernensis synod. pag. 14.
Hieronymus, pag. 13, 14, 15, 16, 23, 39, 40, 44, 45, 49, 50, 56, 57, 58, 59, 60, 65.
Historia ecclesiastica pag. 45.
Hylarius papa, pag. 39, 47.
Hormisdae epistola, pag. 25.
Isidorus, pag. 11, 12, 13, 14, 15, 30, 36, 43, 45, 49, 50, 51, 52, 53, 55, 56, 57, 58, 61, 62, 63.
Iustinianus rex, pag. 18, 20, 28, 30, 37, 48, 49.
Innocentius papa, pag. 29, 31, 38, 41, 60.
Laodicense Conc. pag. 44.
Leo Episcopus, pag. 30, 31, 33, 38, 40, 41, 47.
Martini excerpta, pag. 36, 37, 38, 39.
Neocaesariense Conc. pag. 29, 33, 36, 37, 38.
Nicoenum conc. pag. 17, 41, 36, 42.
Officiorum liber pag. 13.
Origenes pag. 41, 45, 56, 59.
Paterius, pag. 56, 57, 58, 59.
Romana synod. pag. 18.
Sardicense conc. pag. 33, 44.
Scriptura Sacra, passim.
Silvestri statuta, pag. 29, 30, 31, 36.
Simplicius episcopus pag. 43.
Siricii papae decreta, pag. 31, 32, 37, 38.

Synodus pag. 44, 45, 59.
Terracinense conc. pag. 49.
Toletanum conc. pag. 36.
Vigilius papa, pag. 49.
Zacharias papa, pag. 33.
Zozimus abbas pag. 47.
Zozimus papa, pag. 32.

Multa, nominibus carent, aliaque sive ex diversis Patribus exscerpsit, sive ipse composuit Collector. Ex his seligimus sequens documentum, quod ad Casinense Archicoenobium refertur.

Pag. 64 — CLI. De exemplis mortis Arsenii miserrimi episcopi. Ut quorumdam male viventium pravi actus corrigantur.

Multa sunt ostensa mortuis in fine in exemplis quorumdam male viventium. ut a pravis actibus se corrigant ne similia ut subter adiacent eis in finem eveniant. Cunctis in christo confidentibus atque sperantibus in domino significare studemus. Quonam ordine mortuus sit arsenius romanae urbis aepiscopus. Ut ab hominibus eius didicimus qui cum eo erant. et nobis rettulerunt. Qui cum hic ipso mortuo sunt reversi. Instante mense agusto. idem arsenius episcopus. per monasterium beatissimi benedicti transiens. perrexit ad loduvicum imperatorem ad acerentiam. Ubi cum aliquantis diebus degeret (idest morare). Quadam die illius expetivit voluntas balnei habere lavacrum. A quo dum exisset contra morem faciens adhuc quidem calidus. aquam bibere presumpsit frigidam. Mox febre correptus quam medici synocham. senicam. vocant. Ingravescente corporis infirmitate vitalis virtus iamque coepit deficere. qui cum ad diem pervenisset extremum. ante lectulum eius astitit diabolus insultans (idest irridens) morti ipsius. et aiebat. euge arseni noster amicus et concivis. socium te habere laboravimus in inferno. qui communiter tecum viximus in mundo. non te confidere faciant christianitatis insignia (idest virtutes). non psalmodie quantitas. non missarum sollempnia. quoniam a rudimento artium; noster es discipulus effectus; voluptuose vivens. semper nostram adimplesti voluntatem. Tamen si nec recolis; haec tua sunt opera. Tunc ostendit ei thomi ingens volumen. dixitque illi; aspice et lege. Cumque intra semetipsum legeret; ibidem a primeva iuventute cunctos suos repererit actus iniquos. Alius vero adveniens diabolus dixit; Suaviter recubas (idest iaces) arseni. divitiose laborasti in saeculo; fessi (idest lassi) requiescamus tecum in gehenna ignis. qui mundi gloriam satis habuimus. Qui non solum propria. sed etiam aliena inhianter (idest cupide vel avide) appetivimus. In superbiae tumore conversati sumus. nostra calliditas per te plures fefellit (i. decepit). Divitiis affluens (idest abundans). nulli largitus es. ecce merces tua reddetur tibi semper habenda. Item et secundus diabolus iam grandius priore volumen ostendens illi. ab eo loco coepit ubi priora dimissa sunt. in quo cuncta miser aeger recognovit in morte. quae gesserat in vita. Tertius teterrimus affuit satan dicens. non solum romanos fines tecum discurrimus; adeo galliarum terminos. beneventanorumque promissiones tuae. semper fallaciae nostrae fuerunt. In apostolicis; ingesta machinamenta. dulcia nobis fuerunt. Habes dilectae sociae tua descripta facinora. Tunc peramplius maiorem. prioribus ostendit librum. qui usque ad ultimum eius diem descriptus erat. Stabant enim iniqui per satellites. ut miseram secum abstraherent in infernum animam. at misellus homo coartabatur (idest constringebatur) tam crudeliter vitam finire. Cumque a loduvico imperatore; et a notis eius ammoneretur ut confessionem faceret; sacri corporis et sanguinis domini communionem perciperet in ultimo positus. mox ut valuit dixit; Talia mea facinora recognovi; ut iam ista michi nichil prosint. et haec dicens obiit. Suis a fidelibus defuncti sublatum corpus. rome ad sepeliendum exportatur. In die sollempnitatis beatae virginis mariae. tam foetidum arseni corpus in pratis predicti cenobii venerunt. ut ex fetore illius. hi qui eum deducebant. omnes infirmarentur. ibi eum sepelierunt. abierunt viam suam. Horum similis erit exitus. qui non recusant plebem dei bestiarum more suis dilaniare dentibus. Parvum populum conculcare; illorum facultates diripere. ecclesiarum haereditates dissipare. quosdam persequi. et ad interitum perducere. Vindex est dominus in his. qui reddet unicuique secundum opus suum. (glosa.) O reprobi episcopi quur imitati estis opera arsenii miserrimi. nec exemplum diei mortis ipsius timetis. illius nomen tantum pontificis. set eius semper opus diabolici efficitur. Ille ad caulam non congregavit dei greges; bestiarum humanarum pratum de

stercore sui cadaveris crassavit. Ille pontificium morum non in marmoreum sepulcrum. sed in pratum bestiarum morum caninum a rusticis est sepultus. Ille animas hominum non pavit; pratum sancti benedicti possidere meruit. animaque sua infernum meruit cibari. Non fuit pastor animarum. iusto dei fuit iudicio in prato humari bestiarum. ei autem imitatores omnes post se trahit.

Pag. 65 — EXPLICIT LIBER PRIMUS: INCIPIT PREPHATIO LIBRI SECUNDI. *Quia primum in primo volumine opus est digestum lucidius. et ut a sanctis patribus taxatum firmiter atque ordinatus ecclesiarum statutum est rectissime atque convenienter. Constat enucleatum oportunum videtur in hoc saecundo opusculo rite dicere de ordine clericorum. qualiter ministrantibus illis iusta et castissima vita. vigor et ordo predictae ecclesiae de die in diem in melius proficiat; atque spirita(libus) aucta crementis. proles virtutum in christi nomine parere non desistat. In quo etiam clericorum vita qualiter convertantur et vivant; qualiterque gradiantur in aggregatione caritatis. seu quemadmodum vitent extranearum mulierum sodalitatem et se in christi castitatem a propriis contineant et de feminis quae a clericis adulteratae sunt; quemadmodum earum colloquia fugiant; recolentes in multiloquio peccatum non deesse. et qui verbis utitur plurimis ledit animam suam rutilo splendet sermone. Primus enim liber laudabilius flavescere cernitur quia primus et unus deus est quem totis visceribus diligere debemus. In ipso autem fundata est ecclesia toto orbe diffusa; per cuius aditum eis regenerati filii regna celsitudinis penetrare non cessant. quia non est distinctio iuxta praedicatorem aegregium. hebreis argivisque populis; sive enim servus. aut liber in christo unum sumus. et sub ipso equaliter militamus. de lapsu namque et recuperatione omnium clericorum si studio probationis perquiritur; latius quidem affluentiusque in hoc secundo libro invenire non dubium est. Praeterea vero de monachorum simul monacharumque ruentium et restauratione pereuntium; luculenta in eo exarata congeries invenis non dubitatur. quia cum a catholicis patribus post christi ascensionem huc usque pro salutem omnium populorum latino (sint) stylo percompta et in hoc addita insertaque spiritales sudore quique invenire non dubitent. Ipsum vero semper apud iudicem aeternum commendantes cuius astutia vel desiderio tam vastum munus mille post pericula; tam ex urbibus vicis et castellis. quam et de plebibus ubique per italiam dicatis. dispersa depravataque colligere et in hoc corpore studuit exarata corrigendo componere. Vere ut fateor sicut liberalis est ars a sapientia quae in altissimis habitat diffusa in corde hominis ad correctionem et emendationem fallentium scripturarum. Ita et in hoc desiderantissimo opere; medicamentum omnium delictorum vulnerum discreta ratione inveniturque antidotum.*

Pag. 66 — EXPLICIT PREPHATIO. INCIPIUNT CAPITULA LIBRI SECUNDI.

I. Quod nulli sacerdoti. canones liceat ignorare.
II. Ut bis in anno concilia caelebrentur.
III. De synodis quae ab episcopis suis debentur temporibus in provincia celebrari.
IIII. Ut principibus et sacerdotibus animae fidelium ad poenitentia provocentur.
V. Qualiter clerici vivere debeant epylogus breviter digestus.
VI. Quod episcopi pro se et pro aliis secundum canones vivant.
VII. De canone quae nulli sacerdotum debeant ignorare.
VIII. De canonica ecclesiarum qualiter vivant.
VIIII. Quae mulieres cum episcopo. presbytero. diacono. debeant commorari.
X. Quod nulle mulieres in domum maneant sacerdotum.
XI. De sacerdotibus qui femina indiscrete secum habitare permittunt.
XII. Quod episcopi in una domo cum mulieribus non presumant conversari.
XIII. Ut nullus ex clero cum mulieribus habitare presumat.
XIIII. Quod non oportet clerici cum feminis conversari etiam cum sanctaemonialibus.
XV. Ut clerici vel continentes ad virgines vel viduas non accedant.
XVI. De sacerdotibus qui cum sanctimonialibus cohabitant.
XVII. Quod episcopi. presbiteri. diaconi. subdiaconi. etiam ab uxoribus suis se abstineant habitare.
XVIII. De clericis superbis atque luxuriosis qui se dicunt simul cum mulieribus casti habitare.

XVIIII. De indigna familiaritas que est fugienda et de evitare ruinam.
XX. Contra eos qui familiaritatem contra statuta patrum suspecta habere voluit.
XXI. Cuiuscumque ordinis clerici nuptialia convivia vitent.
XXII. Que laici et lectores licitum est uxorem ducere et filios procreare.
XXIII. De incontinentibus sacerdotibus aut laevitis. vel que veteri testamento.
XXIIII. Contra impudicos presbyteros. vel diaconos. ut pro eorum (in)continentia omni ecclesiastico (priventur honore).
XXV. De suspecta sacerdotum infamatione.
XXVI. De episcopis. presbyteris. diaconibus. subdiaconibus. qui a coniugibus suis non se abstinent.
XXVII. De clerico qui incontinens invenitur post benedictionem leviticam etiam cum uxoribus suis.
XXVIII. De clericis qui post conversionem vel honorem cum uxoribus suis fornicaverint.
XXVIIII. De excommunicationibus clerici. qui ab uxoribus suis se non continent.
XXX. Contra sacerdotes qui a carnali concupiscentia non se abstinent et sacrificare non cessant.
XXXI. De facile fornicatione.
XXXII. De grave fornicatione.
XXXIII. De diversis fornicatio vitiorum.
XXXIIII. De his qui infra aecclesia fornicaverit vel adulteraverit.
XXXV. Iudicium de his qui cum spirituali filia sua fornicaverit.
XXXVI. De concupiscentia non consumata.
XXXVII. De subdiaconibus coniugatis.
XXXVIII. De episcopo. aut presbytero vel diacono qui uxorem duxerit.
XXXVIIII. De clerico qui post leviticam benedictionem. vel concubinas vel quasi uxores habere presumant.
XL. Iudicium de femina que in fornicatione reprehensa est cum episcopo. presbytero. vel diacono.
XLI. De eo qui cum muliere a presbytero vel diacono relicta se coniuncxerit.
XLII. De presbyteris et diaconibus si in gravioribus culpis coniuncti sint.
XLIII. De clericis si pro criminalibus culpis damnati fuerint; minime communione priventur.
XLIIII. De clericis qui in gravioribus culpis ceciderint.
XLV. De adulteriis honoratorum clericorum.
XLVI. Quantum remedium habeat confessio peccatorum.
XLVII. De his qui corporali crimine depositi fuerint.
XLVIII. De clericis qui ecclesiastico ordine privati sunt.
XLVIIII. De ordine quo depositi iniuste iterum ordinentur.
L. Quod clerici non deponendi sint ab uno episcopo.
LI. Quod presbyter a se clericos deponere non presumat.
LII. De sacerdotibus lapsis ut in monasterio ad penitentiam agenda tradantur.
LIII. De eo quod incertus sit utrum priorem gradum post lapsum accipiat.
LIIII. Quod presbyteri post lapsum in sacrum ordinem revocare non possint.
LV. Quod alii clerici lapsum corporali restaurandi honoris sunt gradus alii nequaquam.
LVI. De lapsi(s) sacerdotibus ut post dignam penitentiam ministrare non desistant.
LVII. De reconciliatione episcoporum.
LVIII. De polichronio hyerosolimitano episcopo.
LVIIII. De maximo episcopo solonitanae ecclesiae.
LX. De monachorum vel monacharum gradu.
LXI. De exordio et auctoritate monachorum.
LXII. De variis generibus monachorum.
LXIII. De unitate monachorum et totius substantiae oblatione.
LXIIII. De monacho profugo.
LXV. De suscipiendis monachis vitandos malos principes.
LXVI. De eo (quod)non suscipiendus est monachus a sancto abbate confugientes.
LXVII. Quod non oporteat ad solitarias cellulas a congregatione discedere.
LXVIII. De acquisitis monachis.
LXVIIII. De monachis qui solo habitu existunt. et non ea vita vivunt.
LXX. Ut monachi vel monachae in civitatibus non deambulent.
LXXI. Qui deformes filiae virginitatis dedicant.
LXXII. De discretione monachorum.

LXXIII. De quadam perfectione qui in solitudinem vivunt.

LXXIIII. Ut monasterium puellarum longe collocetur a virorum.

LXXV. Quod si a monasterio quis recesserit res ipsius monasteria sit.

LXXVI. De monachabus quae abiecto proposito sanctitatis paulatim publice dilapsae sunt.

LXXVII. De sanctimonialibus feminis que adulterium commiserunt.

LXXVIII. De his qui semel deputati sunt in clero. vel petierunt vita monachorum.

LXXVIIII. De eo qui postquam se deo voverit ad secularem habitum revertitur. et de stultis votis.

LXXX. De non velatis virginibus si deviaverint.

(LXXXI. De virginibus velatis si deviaverint).

LXXXII. Quod proprio arbitrio propositum monachi deseri non debet.

LXXXIII. De puellis quae non parentum imperio sed ultro habitus suscepere propositum.

LXXXIIII. De his qui in parva aetate coram parentibus religionis habitum tenuerunt.

LXXXV. De eo quod non debent virgines velare. ante XIIum aetatis suae annum.

LXXXVI. Ut virgines ante XXV. annum non consecrentur.

LXXXVII. Ante XLmo probata merito aetatis virgines non velentur.

LXXXVIII. Ut constitutis diebus virgines sacre velentur.

Hic desinit index praevius; in textu autem occurrunt sequentes tituli.

LXXXVIIII. De viduis quod professam continentiam prevaricaverint.

XC. De raptu sacrarum virginum.

XCI. De feminis viduis. quando liceat vestem religionis mutare.

XCII. Ut nullus episcopus viduas velare presumat.

XCIII. De separatione viduarum. vel clericorum.

XCIIII. Si sponsalia inter sponsum et sponsam legitimam facta fuerint. et unus ex his in monasterium intraverit.

XCV. De coniugum conversatione. non unum sine altero.

XCVI. De prohibitione qui devota in domo sua pro sorore habere vult.

XCVII. Si devota peccaverit. aut se maritaverit.

XCVIII. De consensu coniugatorum in servitio dei accedere.

XCIX. De eo quod mulier debet sequi virum suum ad vota christiana fugientem.

C. De his qui cum virginibus sacris se sociant.

CI. De prohibitione vinculi coniugalis qui sanctimonialem feminam in matrimonium sumpsit et de penitentia eius.

CII. Caput tondere mulieri non licere.

CIII. De mulieribus quod utuntur virilibus indumentis.

CIIII. Ut sacrarium mulieres non introheant.

CV. Ut abbas in monasterio non per quemlibet exterorum ordinetur. neque ab episcopo missa ibi celebretur.

CVI. De providentia ordinandi abbatem. vel de ipso. vel de alio monasterio non nisi digna vita.

CVII. Quod pro humilitate potest abbas relinquere locum suum.

CVIII. Duo monasteria: non debet abbas tenere.

CVIIII. De venditionibus quas abbates facere presumunt.

CX. Qualiter indignus abbas a suo separetur officio.

CXI. De abbate qui rem mobilem vel immobilem de sua ecclesia distraxerint.

CXII. De promotione monachorum.

CXIII. De ordinatione monachi facti presbyteri.

CXIIII. De ordinatione monachi.

CXV. De conversis ante biennii tempus non tonsurentur.

CXVI. De familiis ecclesiae si in servitio dei festinaverint.

CXVII. De abbate vel monacho qui presumat filios de baptismo suscipere.

CXVIII. Ut mulieres in monasterio virorum ingredi non debeant. nec eas monachi commatres presumant.

CXVIIII. Ut iuvencula abbatissa fieri non debere.

CXX. De ordinationibus diaconissarum.

CXXI. De diaconissis quae cum masculis habitant. et de liberis earum.

CXXII. De monachi tonsura et religiosis vestibus.

CXXIII. Quod si liceat monasteria ante consecrata diversoria secularia fieri.

Pag. 67 — INCIPIT TEXTUS LIBRI SECUNDI. DE PRIMATIBUS ECCLESIAE. ET DE CONCILII TEMPORIBUS.

De vita et castitate clericorum. Precipue de prohibitione consortia cum mulieribus. Et de feminis que in fornicatione cum clerico reprehense sunt. In primis quod nullis sacerdotibus canones liceat ignorare.

Ex decreto pape Caelestini. Incipit: *Nulli sacerdotum liceat....* Desinit: *ab omni coetu abominentur catholicorum.*

Praeter documenta ab ipso Collectore concinnata, in nonnullis canonibus, uti asseruimus in nota ad librum primum, locus unde fuerunt excerpta non indicatur; titulique indicis ex collatione cum titulis textus emendari possunt. Citantur:

Concilium Africanum pagg. 68, 77, 108, 115.
Agan. (Agaunense? Agathense?) pag. 79.
Agathense conc. pagg. 86, 103, 105, 113, 115.
Antiochenum conc. pag. 68.
Apostolorum canones pag. 68, 89.
Ardianense conc. pag. 73.
Arelatense conc. pag. 73, 89, 91, 103, 117.
Arelitanum conc. pag. 107.
Aurelianensis synodus pag. 103.
Augustinus pag. 92, 105, 110.
Bevanus et Meldanus sacerdotes ad Furseum abbatem pag. 69.
Bracarense conc. pag. 111.
Calixtus papa pag. 93.
Canonicum iudicium pag. 89. 90.
Carthaginense conc. pag. 69, 74, 75, 83, 89, 107, 108, 109.
Celestinus papa pag. 91.
Chalcedonense conc. pag. 68, 106.
Clemens Iacobo pag. 75, 76.
Collationes Patrum pag. 104.
Commeani iudicium pag. 84, 86, 89, 106.
Consulta synodorum pag. 92.
Decretales venerabilium Patrum pag. 74, 83.
Diadema liber pag. 84.
Eliberitanum conc. pag. 81.
Epistola canonica pag. 73, 75.
Eugenius papa pag. 75, 80, 88, 104, 112.
Gangrense conc. pag. 113.
Gelasius papa pag. 103, 107, 108, 113.
Graeca chronica pag. 93, 103.
Gregorius papa pag. 70, 73, 74, 75, 84, 87, 90, 91, 92, 103, 105, 109, 112, 113, 114, 116, 117, 118.
Hieronymus pag. 73, 76, 92, 103, 104, 109.
Hispalense conc. pag. 91.
Hormisdas papa pag. 81.
Innocentius papa pag. 78, 80, 84, 106.
Ioannes Constantinopolitanus pag. 111.
Ioannes episcopus pag. 110.
Iustinianus pag. 73, 83, 103, 104, 105, 109, 110, 117.
Karolus rex pag. 70, 72, 73, 110.
Laudicense conc. pag. 68, 113, 117.
Leo papa pag. 68, 79, 83, 90, 106, 107.
Lotharius rex pag. 74, 91, 107.
Ludovicus rex pag. 74, 108, 109.
Macharii Alexandrini iudicium pag. 83.
Martini excerpta pag. 87.
De S. Martino pag. 77.
De Maximo episcopo Salitonensis ecclesiae pag. 98, 99.
Neocaesariense conc. pag. 80, 87.
Neocaesariensis can. pag. 86.
Nicaenum conc. pag. 68, 72, 73, 75, 93, 110.
De S. Nicolao pag. 77.
Origenes pag. 113.
Pipinus rex pag. 73, 106.
De Polichronio Ierosolymitano pag. 96.
Prosper episcopus pag. 90.
Romana synodus pag. 69, 87, 93, 107, 113, 115.
Regula Canonica pag. 89.
Scriptura Sacra, passim.
Silvester papa pag. 69, 87, 107.
Smaragdus pag. 78, 79, 80.
Siricius papa pag. 72, 75, 79, 87. 105, 113, 115.
Statuta Patrum pag. 111.
Synodale iudicium pag. 85.
Synodus pag. 103, 109, 113.
Syracusanum conc. pag. 107.
Theodori iudicium pag. 86.
Theodorus episcopus pag. 107, 115, 116.
Toletanum conc. pag. 91, 107, 109.
Urbicum conc. pag. 117.
Ysidorus pag. 79, 93, 101.
Zacharias papa pag. 69, 73, 75, 77.
Zozimus papa pag. 115.
Wectini visio pag. 88.

Videtur auctorem hujus collectionis esse monachum Benedictinum, ut pote qui multa ex Regula

S. Benedicti ad conficiendum sequens documentum deprompsit.

Pag. 70 — QUALITER CLERICI VIVERE DEBEANT EPYLOGUS BREVITER DIGESTUS. *Quamquam a sanctis patribus in superioribus huius libelli partibus satis sit dilucidatum (idest divulgatum vel apertum. sive expoliatum). qualiter clerici vivere debeant. adeo ut qui haec quae superius comprensa sunt sedula (idest assidua) meditatione perlegerit; perspicue (idest maxime. vel clare) in his reperire valebit qualis eius debeat esse fidaei devotio. actuum bonorumque adornatio. ac divinorum cultuum exercitatio (idest labor. vel assiduitas). Propter plerosque (idest aliquos) tamen simplices. minusque capaces. (idest capientes. vel intellegentes). haec strictim breviterque replicanda pernecessarium duximus ut qui haec aut legere aut forte ab aliis lecta plenae intelligere nequiverint;* (Lectorem monemus explanationes verborum ab alia manu additas a nobis posthac omitti) *utantur hac defloratiuncula. ut pote calatho diversorum florum vernantium nectare referto; et discant quid illi agendum; quidve vitandum sit. Legalibus interea institutis evangelicis saluberrimis monemur preceptis; ut dominum et deum nostrum totis precordiis diligamus. et proximum tamquam nos ipsos. et cetera. Si igitur ab omnibus fidelibus haec salutifera precepta totis nisibus facienda; quanto magis ab his qui divinis cultibus mancipati sunt. et aliis exemplo virtutum condimentum esse debent. Proinde oportet ut primo omnium dominum deum diligant. ex toto corde. tota anima. tota virtute. et proximos tamquam seipsos. et nosse quia in his duobus mandatis. tota lex pendet et prophetae. Non occidant; neque fratrem suum odiant. quia ut ait apostolus. qui fratrem suum oderit homicida est. non adulterent. non faciant furtum. non concupiscant rem alienam. non falsum testimonium dicant. et que sibi nolunt fieri. alteri ne faciant. Non sint superbia tumidi. non detractionibus assueti. non ebrietati servientes. non luxuria enervati. non iracundia turbidi. non quibuslibet aliis vitiis substrati. non vaniloqui. non invidi. non somnolenti. non pigri. non murmuratores. non susurrones. non vinolenti. non multum edaces. fraudes et dolositates caveant; usuris nequaquam inserviant. non iurent ne forte periurent. malum pro malo non reddant. cum in se aliquid bonum viderint; deo applicent. et malum cum viderint; sibi deputent. discordiam fugiant. et quos discordantes invenerint; ad caritatis concordiam revocent. et iuxta psalmistae vocem. declinent a malo et faciant bonum. Attenda(n)t apostolum commonentem. non inquit in commessationibus et ebrietatibus. non in cubilibus et inpudicitiis. non in contemptione et emulatione. sed induimini dominum ihesum christum. Animadvertant etiam quod ab his vitiis ab apostolo prohibitis omnium vitiorum seges emergat. et quod horum morborum mater superbia sit. Oportet animas corporaque sua ab omni inquinamento carnis et spiritus custodire. Ut iuxta apostolum. integri spiritus eorum. et animae et corpora sine quaerela in adventum domini nostri ihesu christi serventur. Sobriae. et iuste. et pie vivant. secularia negotia prorsus abiciant. Quia iuxta eundem apostolum. Nemo militans deo. implicat se negotiis secularibus ut ei placeat cui se probavit. Ieiunium ament. hospites colligant. pauperes recreent. nudos vestiant. infirmos visitent. mortuos sepeliant. in tribulatione positis. opem ferant. dolentem consolentur. amoris christi nichil preponant. caritate non relinquant; pacem si fieri potest; cum omnibus habeant. diem iudicii timeant. vitam aeternam spiritaliter concupiscant. spem suam deo committant; proprio episcopo in omnibus secundum canonicam institutionem optemperent; magistros suos non temere reprehendant. Postremo doctrinis spiritalibus operam dent. lectionibus psalmis. et ymnis. canticis. et celerorum bonorum operum iugiter exercitii(s) incumbant. In dormitorio. nisi quem infirmitas detenuerit; omnes dormiant. In refectorio pariter reficiant cotidie ad collationem veniant. Mox ut signum datum fuerit; omnes ad ecclesiam festinanter veniant. et horas canonicas non neglegenter. sed omni religione pariter caelebrent. in ecclesia vero cum reverentia ingrediantur. in choro non cum baculis stent. vaniloquiis nequaquam insistant. sed cum omni devotione et venerationae divinae servitutis opus peragant. Egressi inreprehensibiliter vivant. ut ab his qui foris sunt; bonum testimonium habeant. et religionem ac propositum suum inlicitis actibus nequaquam maculent. sed potius omnes quibus se coniuncxerint; sale sapientiae. et bonorum operum exemplis condiant. Contubernia feminarum nulla-*

tenus appetant. non vanis eloquiis. aut petulantiis existant. non tumido gestu ac dissolutis renibus incedant. non spectaculis. non pompis secularibus intersint. non aleae. non quibuslibet venationibus inserviant. apostoli namque instructi documento quo ait. non in veste pretiosa. Et illud. nequaquam pretiosis vestibus delectentur. Caveant summopere ne extra claustra morant; nisi prout sibi a priore constitutum fuerit. et oportunitas temporis dictaverit. Intra claustra positi non otio vacent; sed aut divinis officiis. aut propriis utilitatibus. aut certe magistrorum iussionibus pareant. ne otio torpentes ab apostolo audiant. qui non vult operari. non manducent. Seniores spiritaliter diligant. Iuniores senioribus obsequium dignum exhibeant. doctiores minus doctis nequaquam se preferant. sed magis eos cum caritate aedificent. neque is qui nobilitate generis. aut virtutum donis pollet. ceteris se tumide superextollat. omnes in congregatione vicissim sibi caritatis officio serviant. Quibus etiam in refectorio comedentibus et religiose silentium tenentibus continuatim legatur lectio. Delinquentes zelo rectitudinis pariter arguant. et castigent. Pueros adulescentes neglegentes. verberum disciplinis corripiant. Singuli iuxta capacitatem suam diversarum artium erudiantur disciplinis; ut nullus in collegio canonico inutilis inveniatur. nec offerta vota fidelium otiosus comedat. Taliter quippe conversari decet omnes qui divinis officiis se mancipari desiderant. Quapropter studeant haec breviter collecta sedula meditatione perlegere; et memoriae commendare. et adiuvante dono divinae gratiae iuxta vires adimplere. Quibus qui facilius et liberius maiora a sanctis patribus edita valeant proficere. Vocatione ergo qua vocati sunt; nec ad dexteram nec ad sinistram declinantes ambulent; quatenus divinis iussionibus optemperantes ad christum in cuius sorte esse noscuntur. quia veritas et vita est. eo opitulante pervenire mereantur.

Pag. 118 — EXPLICIT LIBER SECUNDUS. IN CHRISTI NOMINE INCIPIT PREPHATIO LIBRI TERTII.

Cum interna primae lucis olimpo preantropos infunderet suos kyrios flamen electos; stomos per eorum omnium mox prodierunt glossu legentium; quibus etiam iure contulit in ipsa adversa cuncta. ut quisquilia terrae. et velut aula necis effugare. Rema enim recuperationis. ubique fideliter serere. Ipsum namque invoco ut in hoc tertio volumine. suo subvenire dignetur servulo qualiter vobis desiderantibus pandere queam cuncta quod continet. Primitus enim de baptismatis ordine. Secundo; de observatione primi diei. deinde de decimis. et de reditibus ecclesiae quibus partibus dividende sint. cum oblationibus eius. et ut episcopus; pauperes et infirmos tueatur. et qualiter suam visitet diocesim. et de oblationibus vivorum et defunctorum. de potestate namque et virtute ecclesiae. de locis sanctis colendis. de docta iustitia. et sancta rusticitate. de tribus generibus eunuchorum. de tonsura clericorum. de honore et ministerio altaris. de horis canonicis celebrandis. de excommunicatione et remedio. de ministerio sepulturae. de eucharistia qualiter accipienda et veneranda sit. et in quibus modis mortuis subvenire convenit. de sortibus mittendis in dubiis et in certis. de auguriis. et divinationibus. de ducatu barbarorum. de bestiis immitibus. de origine servorum. Haec autem epigrammata illis proficere credimus. qui annisu desiderabili recuperationis sacramentum perquirere satagunt. quia debilibus et egrotis omnibus medicamentis subvenire oportet; quod christo favente his in codicibus affluenter repperire queunt. querentes et desiderantes. omnibus enim libris preferendus est istae. qui tam refarcinatus recuperationibus videtur animarum. ut sine ipso nullus in carne positus valeat etheris alta penetrare. neque deposito ergastulo cum christo sortem vitae perpetuae possidere. Sicut enim non valet sine cibo potuque quis dum in corpore manet validus et incolumis permanere; ita nemo absque huius libri medicamine suae animae subvenire. Quapropter vestram dilectionem fraternam commoneo. ut hunc toto viscere diligatis. ipsumque requiratis. et ardenti desiderio amplectere curetis. laudantes et benedicentes dominum. qui tanta contulit servis suis ne pereant; sed vitam possideant sempiternam. Amen.

EXPLICT PREPHATIO. INCIPIUNT CAPITULA.

I. Ut episcopus per diocesim suam ambulet. primum discutiat clericos quomodo baptismi ordinem teneant.

II. Ut preter pascham et pentecosten; baptysma non caelebrentur.

III. De fide qui in aegritudine baptizati sunt.

IIII. Qualiter baptizari licent eos qui subita infirmitate ommutescunt.

V. De catecumina pregnante.

VI. De baptismo si fuerit traditus ab adulteri vel latronibus.

VII. Si cum vasae aut cum manibus eger infans baptizatus fuerit.

VIII. De rusticis si baptizat.

VIIII. Si pro necessitate in vino baptizatur egrotus.

X. Quod ecclesiae baptismate baptizatus, denuo baptizari non debeat.

XI. De his quibus dubium est utrum baptismum perceperint necesse est ut renascantur.

XII. Ut nulla pretia de baptizandis consignandisque fidelibus exigantur.

XIII. Quod hi qui se baptizatos agnoscunt. si cuius fidaei fuerint qui ea baptizaverint (nesciunt).

XIIII. Ut hi qui ab hereticis baptizati sunt sola sancti spiritus invocatione firmentur.

XV. De omni tempore licentia episcopi chrisma conficere.

XVI. De presbiteris si necesse est possunt chrisma conficere.

XVII. Ut alterius episcopi chrisma nullus accipiat.

XVIII. De trina mersione.

XVIIII. Quae in nomine trinitatis debeat baptizari. (In indice textus legitur (*Quod*); advertat lector in hoc Codice signum quo redditur verbum (*quod*) frequenter ab amanuensi adoptatum fuisse cum sensu vocis (*quae*).

XX. De baptizando non ordinatus.

XXI. De his qui (re)baptizati sunt quantum peniteant.

XXII. De baptizatis linire chrisma presbyteri.

XXIII. Quod iudaeus vel paganus si voluerit ante pascha baptizari possit.

XXIIII. Ut nullus minister sine chrismate proficiscatur.

XXV. Quod non debeant baptizati nisi ab episcopis consignari.

XXVI. Ut non presumant episcopi bis consignari infantes.

XXVII. De inerguminis baptizatis.

XXVIII. De his qui sine baptismo moriuntur.

XXVIIII. Quod pro infirmis debeat sacerdos orare. et oleo perungere.

XXX. De his qui baptismum iterant.

XXXI. (Incipit de die dominico). In primis de epistola fallacissima.

XXXII. De die dominico observari.

XXXIII. Ut opera servilia diebus dominicis non agantur.

XXXIIII. De observatione dominici diei.

XXXV. Contra illos qui dicunt dominicorum dies nullus debeat labare (lavare).

XXXVI. De spectaculis ut die dominico vel caeteris sanctorum sollempnitatibus (minime celebrentur).

XXXVII. Ut maleficia et turpia cantica prohibeantur.

XXXVIII. Quod in festivitatibus sanctorum ballationes et ludibria fieri (magnum peccatum sit).

XXXVIIII. Ut nullus clericus die dominico causas audire presumant.

XL. De his qui die dominico et diebus pentecostes genua flectunt.

XLI. Quod sabbato vocatio fieri non debeat.

XLII. Communitio de decimis.

XLIII. De decimis.

XLIIII. De districtione qui decimas dare noluit.

XLV. De excommunicatione. qui primitias et decimas non dederit.

XLVI. Ut curam rerum ecclesiasticarum episcopus habeat.

XLVII. Quod episcopus ecclesiasticarum rerum pro dispensatione pauperum habeat potestatem.

XLVIII. Ut quattuor tam de redditibus quam de oblationibus fidelium fiant portiones.

XLVIIII. De decimas in quattuor divisas partes.

L. De episcopis qualiter cum suis clericis agant vel conversentur. vel de his que fidelium (oblationibus accedunt altari).

LI. De clericis qui secundum meritum. vel officium suum vivunt.

LII. De dispensatoribus singularum ecclesiarum.

LIII. Quod episcopus propter susceptionem pauperum; hospitiolum habeat.

LIIII. De ultione nequiter iudicantium.

LV. De stipendia clericorum.

LVI. Ut episcopus vel clerici in eos qui catholici non sunt nihil conferant.

LVII. Quod episcopus pupillos. per archipresbyterum. aut archidiaconum regat.

LVIII. Quando et in quibus causis episcopi ad comitatum ire debeant.
LVIIII Ut non oporteat episcopi ad comitatum accedere (nisi invitati).
LX. De pupillis qui in mallo venerint.
LXI. De cartulis obligationum que facte sunt in tempore famis.
LXII. Ut episcopus ambulet per diocesim suam discutiat clericos quomodo ordines (teneant suos).
LXIII. Ut episcopus duos solidos tantum accipiat honore cathedrae suae.
LXIIII. Ut de rebus ecclesiae nihil episcopi auferant.
LXV. De eo quod non debet sacerdos estimare dona sibi oblata sua esse sed ecclesiae.
LXVI. De episcopo qui rem mobilem et immobilem de sua ecclesia distraxerit.
LXVII. De his qui res pauperum in usum proprium vertunt.
LXVIII. De eo quod superiores gradus non debent curas seculares habere sed pupillorum.
LXVIIII. Quod non oporteat clericos et monachos predia aliena conducere.
LXX. De oblatione puerorum mutanda si in malum (non mutanda si in catholicum).
LXXI. De devotis (votis) puerorum vel mulierum retrahendis.
LXXII. De his qui ecclesiastica mysteria preter ecclesiam faciunt.
LXXIII. Quod non oporteat oblationes que deferuntur ecclesiae voluptatibus admisceri.
LXXIIII. Ut qui oblationes defunctorum retinent excommunicentur.
LXXV. Quod cum damno animae suae ab ecclesia accipiunt illi qui suo sufficiunt.
LXXVI. Quod non liceat clericis post mortem sui episcopi res pertinentes ad eum diripere.
LXXVII. De clericis artificiosis si collecta pecunia. non plus exigant quam necessitas cogit.
LXXVIII. De eo quod non minus debet princeps ministrare quam ministrari.
LXXVIIII. De eo quod non debet princeps servare proprium thesaurum.
LXXX. De mansuetudine et humilitate principis ecclesiae in populum.
LXXXI. De subiectione populi principi boni.
LXXXII. De iure doctoris.
LXXXIII. De iure sacerdotum a populis.
LXXXIIII. De his qui retrahunt sanctificata deo.
LXXXV. De eo qui ecclesiam nudaverit.
LXXXVI. De oblationibus aecclesiae non movendis. nisi necessitas suaserit.
LXXXVII. De nomine et vera ecclesia.
LXXXVIII. De vera ecclesia non repetentes.
LXXXVIIII. De eo quod querendi sunt defensores ad defendendam ecclesiam.
XC. De cavendo ut non blasphemetur ecclesia a mundialibus.
XCI. De ecclesia non retinentes aliquem per vim.
XCII. Ut nullus facultates usurpet ecclesiae.
XCIII. De servis qui ad ecclesiam confugerint.
XCIIII. De loca sancta non polluendo ab immundis.
XCV. Ut omnes locorum sanctorum termini signati a tribus testibus debent.
XCVI. In ecclesiis prandia fieri non debere. preter necessitate itineris.
XCVII. Quare dicitur qui in sacrario operantur quod de sacrario sunt vivant.
XCVIII. De eo quod debent doctores implere quod docent.
XCVIIII. De eo quod debent doctores accipere consilia a subiectis.
C. De eo quod principes non culpantur pro parva macula.
CI. De eo quod non minoris mercedis sit pabulo verbi quam terreno pane satiari.
CII. De consideratione doctrinae quando fiat.
CIII. De eo quod sequenda sit (doctrina) doctoris mali non opera.
CIIII. De malo doctore contemnendo.
CV. De eo quod melior est docta iustitia. quam sancta rusticitas.
CVI. De sancta rusticitate quae discretionem non habet.
CVII. De eo quod melior est sancta rusticitas. quam sapientia minus implens.
CVIII. De eo quod difficilius enarrantem (errantem) sapientem converti quam rusticum.
CVIIII. De libertis ex familia aecclesiae factis.
CX. De querentibus mutari locum.
CXI. De manendi in loco proprio et faciendi voluntatem dei in eo.
CXII. De clericis qui de civitate in civitatem transferuntur.

CXIII. De eo quod nullus debet iudicare episcopum.

CXIIII. Quod paschae temporibus. presbyteri et diaconi remissionem peccatorum per parrochias dent.

CXV. Quod sollempnitates sanctorum non tam cibis quam animae exultatione celebrandae sunt.

CXVI. Ut nulli civium festivitates maiores in villa celebret.

CXVII. Si quis inter celebranda divina mysteria. ministris dei iniuriam fecerit.

CXVIII. Ut cuiuslibet ordinis clericis si tardius ad ecclesiam venerit.

CXVIIII. De clericis qui in mutuam cedem prorumpunt.

CXX. De clericis tabulizantibus.

CXXI. Quod episcopo cubicularii. non laici sed clerici vel monachi esse debeant.

CXXII. Quod cantantibus et psallentibus domino angelorum adsint presidia.

CXXIII. De superbis lectoribus.

CXXIIII. De cantoribus.

CXXV. De cantoribus et psallentibus.

CXXVI. Quod pueri eunuchizari nefarium sit et cantoribus ecclesiae.

CXXVII. De tribus generibus eunuchorum.

CXXVIII. Quod clericis secularibus indumentis uti non debeant.

CXXVIIII. De cultura pretiosis vestibus.

CXXX. Ut nullus clericus causa dicat cinctus nisi in ecclesia.

CXXXI. De exordio tonsurae ecclesiae.

CXXXII. De excommunicandis clericis qui non tonsurantur tonsura romana.

CXXXIII. De clericis dimissis.

CXXXIIII. De naufragio post evasionem mari.

CXXXV. Incipit ordo quod sacerdos debet sacrificare.

CXXXVI. De altario ubi episcopus missam facit. non liceat ipso die presbyter missam caelebrare.

CXXXVII. Quod oportet in calicem domini vinum cum aqua offerre.

CXXXVIII. De ministris altaris.

CXXXVIIII. Ut nullum sacrificium altaris in panno tincto celebretur.

CXL. De parte oblatae.

CXLI. De sacramentis ecclesiae.

CXLII. Quod dominica eucharistia vere sit caro et sanguis christi.

CXLIII. De affligendo corde inter missarum sollemnia.

CXLIIII. Ut quid a sacris altaribus dediti; cantores non eligantur.

CXLV. Quod non oporteat episcopus. presbyter; diaconus. ad celebrandum missarum cum vaculo introire.

CXLVI. Quod oporteat quisque ianuam ecclesiae humiliatus ingredere.

CXLVII. De palleis et velis sacrariis.

CXLVIII. De vasis sacrariis.

CXLVIIII. Si frater nominandus sit inter missarum sollemnia.

CL. Ut populus ante completa missa et benedictione accepta. egredi de ecclesia non presumat.

CLI. Quod ministri altaris oblationem celebrata debeant communicare.

CLII. Ut laici. clericis. presentibus docere non presumant.

CLIII. Quod non debeant mulieres in ecclesia loqui.

CLIIII. De taciturnitate in ecclesia.

CLV. De sermone otioso.

CLVI. Quod nullus ecclesiasticorum in tabernis comedere debeat.

CLVII. De clericis qui per plateas vel andronas ambulant.

CLVIII. De clericis scurrilibus. vel inter epulas cantantibus.

CLVIIII. Ut sacerdotes et ministri altaris secularibus curis abstineant.

CLX. Si clericus servum aut discipulum de ecclesia traxerit causa flagellandi.

CLXI. De clericis qui in quacumque seditione arma sumpserint.

CLXII. Ut sacerdotes et laevitae canes ad venandum et accipitres non habeant.

CLXIII. De horis canonicis quod caelebrande sunt.

CLXIIII. De clericis qui officium suum neglegunt.

CLXV. Clerici qui vigilii(s) daesunt; in stipendiis privandi.

CLXVI. Si quis clericorum pauper in ordine promotus. postea habuerit aliquid. ecclesiae potestatem subiciat.

CLXVII. Ut a ieiunis sacerdotibus deo sacrificia celebrentur.

CLXVIII. Utrum sit cotidiana accipienda eucharistia.

CLXVIIII. De corpore et sanguine domini quomodo debeat custodire.

CLXX. Quod non oporteat ignorare qui sanctificata percepit.

CLXXI. Quod non oporteat caro christi sine sanguine percipere.

CLXXII. De his qui sceleratae vivunt. et communicare non desinunt.

CLXXIII. De communione privatis et ita defunctis.

CLXXIIII. De laicis quibus temporibus communicare debeant.

CLXXV. De his qui eucharistia in ecclesia accipit. et ibi ea non sumit.

CLXXVI. Quod presbyter eucharistiam semper paratam habeat.

CLXXVII. De communione privatis pristinae reformationis.

CLXXVIII. Quod fideles laici ingredientes ecclesiam communicari debeat.

CLXXVIIII. Ut de sacramentis domini passim non detur.

CLXXX. De his qui intrantes in ecclesiam per nimiam luxuriam sacramento se abstinent.

CLXXXI. Nec laici. nec feminae. ingrediantur ad altare.

CLXXXII. Quod officium pristinum damnati pro criminibus usurpare non debeant.

CLXXXIII. De non damnandis clericis per temeritatem.

CLXXXIIII. De his qui merito facinorum suorum ab ecclesiae congregatione pelluntur.

CLXXXV. Quod clerici damnati non debeant ab aliis recipi.

CLXXXVI. Ut non temere quemquam communione privet episcopus.

CLXXXVII. De episcopis qui pro levibus causis excommunicaverint subiectos.

CLXXXVIII. Quod episcopus. presbyter. et diaconus. fideles peccantes verberare non debeant.

CLXXXVIIII. De presbyteris qui contemptis episcopis seorsum conventum congregare temptaverint.

CXC. De clericis qui in levioribus culpis ceciderint.

CXCI. Ut cum excommunicatis non communicentur.

CXCII. De tribus modis excommunicationis.

CXCIII. De vitanda mensa malorum.

CXCIIII. Ut non faciamus homines malos securos.

CXCV. Ut a malis hominibus non accipiatur munera.

CXCVI. Quod cum excommunicatis non sit orandum.

CXCVII. Quod cum damnatis clericis non sit orandum.

CXCVIII. Ut nullus fidelium preter commendaticias suscipiatur epistolas.

CXCVIIII. Ut religiosorum corpora psallendo deducantur tantum ad sepulcrum.

CC. De his qui comam capitis sui truncaverint super mortuum.

CCI. De viris et uxoribus (qui) in uno sepulcro sepelliendi sunt.

CCII. Quod non oporteat secularem hominem in basilica sepelire.

CCIII. Quod sepulcrum vendi non debeat.

CCIIII. De prandiis mortuorum ad sepulcra non deferre.

CCV. De imperitis sacerdotibus qui sunt quasi canes vel corvi currentium ad cadavera mortuorum.

CCVI. De seminatis corporibus et animae creationis.

CCVII. De capitalibus criminibus pro quibus homines in ignem prolabuntur aeternum.

CCVIII. De cotidiana leviaque peccata. nisi hic bonis operibus prevenerint (in futuro per ignem purgatorium detrimentum patietur).

CCVIIII. De IIIIor modis quibus vivi adiuvant mortuis.

CCX. De haelemosina pro mortuis.

CCXI. De remissione non querenda post mortem cum in vita non est quesita.

CCXII. De relevatione animarum defunctorum pietate suorum viventium.

CCXIII. De sorte mittenda in dubiis et in certis.

CCXIIII. De his inter quos mitti sors debet.

CCXV. De poena divinationis huius.

CCXVI. Ut clericus magus et incantator non sit. neque filacteria faciat.

CCXVII. De eo quod non liceat christianis observationes diversas attendere.

CCXVIII. De auguriis non observandis etiam si vera sint.

CCXVIIII. De arioli. auspicia. divinationes. votum. vel incantationibus.

CCXX. De eo quod reus est sanguinis qui ducatum barbaris prebent.

CCXXI. De bestiis immitibus constringendis.

CCXXII. De origine servorum.

CCXXIII. De terrore et de rectoribus super brutis animalibus.

CCXXIIII. De mansuetudine dominorum in servos.

CCXXV. De subiectione subditorum potestatibus.

Pag. 122 — EXPLICIUNT CAPITULA. INCIPIT TEXTUS LIBRI TERTII. DE BAPTISMO. ET CHRISMATE. ATQUE DE DIE DOMINICO. AC FESTIVITATIBUS SANCTORUM. IN PRIMIS. UT EPISCOPUS PER DIOCESES SUAS AMBULET. PRIMUM DISCUTIAT CLERICOS QUOMODO BAPTISMI ORDINEM TENEANT. EX CONCILIO BRACARENSI. Incipit: *Placuit atque convenit episcopis omnibus...* Desinit: *gladium sine causa portat.*

Fons nonnullorum documentorum non indicatur a collectore, qui saepe quosdam canones sub uno coadunavit titulo ; tituli ipsi breviores in indice ut emendentur cum textus titulis conferri debent. Citantur vero in hoc tertio libro:

Achildepertus rex pag. 129.
Africanum concilium pag. 123, 124, 131, 144, 145, 164.
Agatense conc. pag. 136, 139, 140, 163, 166.
Anastasius papa pag. 124, 161.
Anchyritanum conc. pag. 183.
Antiochenum conc. pag. 134, 169, 171.
Apostolorum canones pag. 124, 125, 126, 134, 144, 161, 163, 167, 168, 169, 170, 171.
Arausicanum conc. pag. 127, 128,
Arelatense conc. pag. 142, 147, 148.
Augustinus pag. 124, 127, 131, 133, 142, 144, 145, 147, 148, 152, 162, 164, 169, 173, 178, 180, 181, 182, 183, 184.
Aurelianense conc. pag. 149, 161.
S. Bartholomaei passio pag. 182.
Basilius pag. 164.
Bracarense conc. pag. 122, 125, 137, 138, 167, 172, 173, 182.
Beda pag. 160.
Bonifacius episcopus pag. 160.
Caesarius episcopus pag. 175, 178.
Caesaraugustanum conc. pag. 166.
Canonicum iudicium pag. 131, 162, 163.
Canonum doctrina pag. 133, 151, 169.
Carthaginense conc. pag. 123, 128, 136, 140, 149, 154, 155, 161, 162, 163, 164, 168, 169, 182.
Chalcedonense conc. pag. 136, 139, 141, 149.
Clemens pag. 167.
Clemens ad Iacobum pag. 157, 161.
Clericorum regula pag. 150.
Damasus pag. 155.
Daniel abbas pag. 158.
Desiderius rex pag. 129.
Eliberitanum conc. pag. 126, 149, 162.
Epistola canonica pag. 140.
Eugenius papa pag. 130, 131, 141.
Faustinus pag. 179, 184.
Gangrense conc. pag. 140.
Gelasius papa pag. 123, 125, 126, 134.
Graeci canones pag. 143, 163.
Gregorius papa pag. 123, 125, 126, 127, 128, 132, 135, 136, 142, 143, 145, 146, 147, 148, 150, 154, 155, 159, 161, 166, 167, 169, 170, 171, 172, 173, 174, 178, 179, 183.
Henricus rex pag. 155.
Hibernensis synodus pag. 171, 172, 173, 181.
Hieronymus pag. 125, 129, 140, 142, 143, 144, 145, 147, 148, 149, 151, 155, 165, 166, 169, 172, 174, 179, 180, 183, 194.
Historia ecclesiastica pag 149, 172,
Ilerdense conc. pag. 126, 163,
Innocentius papa pag. 127, 128, 160, 161.
Institutiones SS. Patrum pag. 173.
Iacobus ad Hermogenem pag. 144.
Iustinianus pag. 140, 149, 150, 168,
Karolus pag. 125, 129, 130, 172.
Laudicense conc. pag. 123, 126, 127, 145, 162, 168, 182, 183.
Leo papa pag. 123, 124, 125, 126, 166.
Lotharius pag. 133, 137, 163, 165.
Ludovicus rex pag. 129, 132, 133, 137, 166.
Matiscentium conc. pag. 157.
Narbonense conc. pag. 131.
Neocaesariense conc. pag. 123, 184.
Nicoenum conc. pag. 128, 132, 144, 149, 169, 178.
Origenes pag. 144, 146, 148, 169, 179.
Paschasius pag. 126, 165, 166.

Paterius pag. 141, 145, 155, 169.
Petrus ad Clementem pag. 147.
Pippinus pag. 135.
Prosper pag. 141.
Regula canonica pag. 135, 143, 162.
Romana synodus pag. 139, 145, 149, 155, 163, 168, 171, 172, 178, 181.
Romana constitutio pag. 180.
Sanctissimus Abbas Benedictus pag. 154.
Sardicense conc. pag. 137, 148.
Scriptura sacra passim.
Servensis synodus pag. 171.
Silvester papa pag. 126, 135, 154, 157, 161.
Simplicius papa pag. 135.
Siricius papa pag. 122, 124.
Statuta Patrum pag. 133.
Synodale iudicium pag. 127.
Synodus pag. 143, 144, 145, 147, 171, 180.
Tarraconense conc. pag. 132.
De Theonis communione pag. 167,
Toletanum conc. pag. 131, 136, 138, 148, 150, 163, 171, 183.
Vasense conc. pag. 125, 140.
Vercellensis synodus pag. 145.
Vita monachorum pag. 139.
Vita Patrum pag. 172.
Vita Sanctorum pag. 159.
Vuido rex pag. 163.
Ysidorus pag. 124, 143, 148, 154, 155, 165, 166, 179, 183.
Zacharias papa pag. 153, 155, 160, 161.

Pag. 184 — Explicit liber tertius. In Christi nomine. Incipit prephatio liber quarti.

Sicut quadrifidus. vero orbis est; firma taxatione fundatus; Ita provida et inreprehensibili relatione. berbinis evangeliorum meritis; aecclesia sancta ubique in christo stabili tenore congesta resultat. Quarta etenim vigilia noctis. venit ad discipulos super fluctivagas dominus maris undas; ut subveniret eorum periculis; et ut genitrix natos fovit et nutrit; ita suos dominus gubernat et protegit. quaerentibus autem animarum remedia. prephatione laetissima; in hoc quarto volumine ipse dignetur vobis aperire atque vestris inserere pectoribus. qui solus septem libri sigillis; solvere leo de tribu iuda notatus est. In cuius nomine de utilitate poenitentiae primitus invenitur. et gratia communicationis de vindictis et iudicii homicidiorum. De falsis testibus de iuris patrum in filios; et filii in parentebus. De compatribus. de vindicta et iudicio furti. De rapinis de periuriis. De dilectione et indulgentia inimicorum. De odio et detractione. De blasphemia. De crapula et hebrietate. De debitis reddendis. De avaritia et usura. de morticino et suffocato non aedendo. De neglegentia erga sacrificium. De ieiunio et quadragesimis in anno. De observatione hospitalitatis et haelimosinis. De oratione. De octo principalia vitia. Haec et alia quamplurima prout dominus dignatus est inspirare petentibus; corde fideli et iecore puro amplectere flagitamus. Quia non temeritatis causa; sed caritatis amore pro remedio cuiuscumque in hoc quarto congessimus opere. comitante christo sanctisque omnibus. semper in fide catholica crescere et proficere valeatis. Amen.

Explicit prephatio. Incipiunt capitula liber quartus.

I. De poenitentia et unde sit dicta.
II. De laude poenitentiae.
III. De confessione peccatorum.
IIII. De eo qui de peccatis suis in se aliquid retinuerit.
V. De confessione soli deo. sed per necessitatem.
VI De eo quod ad solam emendationem remissio debetur.
VII. De eo quod pensandum est cui gravetur; aut cui levietur.
VIII. De festinando poenitendi ad deum.
VIIII. De poenitentia agenda etiam in ultimo spiritu.
X. De hutilitate viatico communionis.
XI. De poenitentia unius diei proficientes qui peccatum suum cognoscit.
XII. De impositione manus super poenitentes in tempore quadragesimae.
XIII. Ut poenitentes ab aliis non recipiantur sine testimonio.
XIIII. De his qui peniteri non possunt.
XV. Contra eos qui se putant excusare pro ignorantia de peccatis.
XVI. De blasphemia in spiritu sancto.
XVII. De cavendo iudicio ubi dubium est.
XVIII. De prohibito iudicio in cibis cuiusque sumendis si bono animo fiant.

XVIIII. De laude poenitentiae.

XX. Quod modum poenitentiae debemus cognoscere et perpetrata mala post. penitentiam non repetere.

XXI. De discretione poenitentiae.

XXII. De fructuosa et digna poenitentia.

XXIII. De vera poenitentia et satisfactione.

XXIIII. Quod quibusdam poenitentibus pristinam reddantur coniugia.

XXV. Ut poenitentia cuniugatis ex consensu detur.

XXVI. Quod adulescens si urgente quolibet mortis periculo poenitentiam gessit (et non se continuerit debet remedio sustentari).

XXVII. Qualiter maiores poenitentiam accipiant quae minoribus non facile committi.

XXVIII. De his qui in necessitate mortis urgente poenitentiam simul (et viaticum petunt et de his qui obmutescunt ante quam ad eos sacerdos daturus poenitentiam accedat).

XXVIIII. De his qui poenitentiam minime servaverunt.

XXX. De poenitentia eorum qui revertuntur ad malitiam.

XXXI. Quod mulli sit ultima poenitentia deneganda.

XXXII. Quod ad militiam saecularem post poenitentiam redire non debeant.

XXXIII. De his qui communionem tempore mortis exposcunt.

XXXIIII. De poenitentibus ut a presbyteris non reconcilientur nisi precipiente episcopo.

XXXV. Ut poenitentes ab aliis episcopis. vel presbyteris non recipiantur.

XXXVI. De his qui abrenuntiaverunt. et iterum ad saeculum sunt reversi.

XXXVII. Ordo ad poenitentiam accipiendam et confessionem.

XXXVIII. De poenitentibus qui V. feria ante pascha eis remittendum.

XXXVIIII. De poenitentibus subito mortuis. Ut oblationes eorum recipiantur.

XL. Contra eos qui dicunt. Si de iniquitatibus suis quis poenitentiam in triennium agere (post modum ei perverse vivere liceret).

XLI. Ne peccatorum professio palam recitetur.

XLII. De doctrina discretionis.

XLIII. De his qui presunt si subditos corrigere neglegunt.

XLIIII. De his qui blando verbo non se corrigunt.

XLV. Quod non oportet manifesta culpa occulte corrigere.

XLVI. De diebus et ebdomadis. et annis.

XLVII. De his qui paeccata aliena super se susciperint.

XLVIII. De his qui ad poenitentes passim licentiam dederint.

XLVIIII. De qualitate culparum. et de disciplina. atque doctrina sacerdotum.

L. De his qui nolentes homicidium fecerint quos civitas. defendat.

LI. Ut homicidae a foribus ecclesiae usque ad satisfactionem non repellantur.

LII. De eo quod omnis fidelis non facile abdicando de sinu ecclesiae.

LIII. De eo quod homicidae in aecclesia penitere debent.

LIIII. De tribus personis quae ad punitionem vocandae sunt.

LV. De vindictis in lege.

LVI. De vindicta scelerum in novo testamento.

LVII. De poena simili defensi et defensoris reorum.

LVIII. De eo quod non solum peribunt qui faciunt mala sed qui consentiunt.

LVIIII. De vindictis magis magnorum peccatorum.

LX. De gravibus vindictis minorum peccatorum.

LXI. De vindictis tardis in peccatoribus.

LXII. De homicidis qui aliquando absolvuntur. aliquando damnantur.

LXIII. Qui episcopum aut presbyterum vel diaconem occiderit.

LXIIII. De homicidio clericorum.

LXV. De homicidio in parentum.

LXVI. De omicidio seniorum vel parentum.

LXVII. De servum qui dominum suum occiderit.

LXVIII. De his qui servos suos necant.

LXVIIII. De his qui sponte homicidium commiserint.

LXX. De homicidio per mediationem facto.

LXXI. De diversis homicidiis.

LXXII. De maleficia.

LXXIII. De his qui sibi qualecumque neglegentia

mortem inferunt eorum commemoratio in oblatione non fiat.
LXXIIII. De his qui vexati sunt a diabolo si forte se ipsos interimunt.
LXXV. De precipitio mortis alio imperante.
LXXVI. De improviso interfectionis.
LXXVII. De homicidio quod in congregatione monachorum iudicetur.
LXXVIII. De reliquiis sanctorum non contaminandis.
LXXVIIII. De diversis homicidiis sive voluntariae sive nolens.
LXXX. De septem generibus nolentia homicidiorum.
LXXXI. De viro qui uxorem suam cum causa vel sine causa occiderit. aut mulier virum suum.
LXXXII. De traditoribus.
LXXXIII. De infantibus proiectis in ecclesia dei.
LXXXIIII. De oppressis infantibus.
LXXXV. De muliere que parit et non nutrit filium suum.
LXXXVI. De his qui partus suos ex fornicatione diversis modis interimunt.
LXXXVII. De his qui conceptus mulieris deceperint.
LXXXVIII. De patre aut matre si natum filium suum necaverit.
LXXXVIIII. De his qui membra sua abs(c)idunt.
LXXXX. De iurgatoribus qui post controversia cuncta faciunt incerta.
LXXXXI. De veritate pretiosiori omni re.
LXXXXII. De dilaturis et indulgentiae malorum cogitationum.
LXXXXIII. De accusatoribus fratrum.
LXXXXIIII. De falsis testibus.
LXXXXV. De tribus rebus quibus probatur verus testis.
LXXXXVI. Quod preces vel criminalia dicta habeantur immunes.
LXXXXVII. De damnatione accusatoris mendaciis.
LXXXXVIII. De mendacio.
LXXXXIX. De nomine patris et filii.
C. De iniquitate patrum in posteros.
CI. Qualiter parentum peccata filiis noceant.
CII. De iniquitate filiorum. patres non contaminantes si firmiter correxerint.
CIII. De iustitia patris malum filium non adiuvantem.
CIIII. De correctione parentis in filios.
CV. Quod parentes mali relinquendi sunt.
CVI. De haereditate filii morientis deo danda et a filiis suis non reservanda.
CVII. De carnalibus hominibus qui omnia sua vel ad filios vel fratribus relinqunt.
CVIII. De non despiciendo nutrire filios sed procurent eos.
CVIIII. De custodia parentum in posteros.
CX. Qui super patrem matrem. vel compatrem aut seniorem ictum erexerit.
CXI. De his qui patri suo vel matri iniuriam fecerint vel expulerint.
CXII. De his qui non conservaverint patrem et matrem aut compatrem vel commatrem.
CXIII. De violatores ecclesiae.
CXIIII. Ut non liceat de ecclesiasticis gradibus in aliqua violentia distringere.
CXV. De nomine furti.
CXVI. De quinque criminibus furti prohibendis.
CXVII. De variis punitionibus furti causarum diversitate.
CXVIII. De furto leviter sanando.
CXVIIII. De commendato furto in lege reddendo.
CXX. De commendatis per furtum raptis ab ecclesia catholica non reddendis.
CXXI. De avaritia et lucro fugiendo et de restitutione depositi.
CXXII. De homine furato.
CXXIII. De furto ecclesiae.
CXXIIII. De restitutione et poenitentia furantis.
CXXV. De furto capitale.
CXXVI. De diversis personis furantium.
CXXVII. De his qui furtivum tantum comedunt.
CXXVIII. De furti discretione.
CXXVIIII. De restitutione furti.
CXXX. De aliena qui rapiunt.
CXXXI. De pecunia quae in hoste est capta.
CXXXII. De incendio.
CXXXIII. De sepulcri violatore.
CXXXIIII. De his qui res alienas malo ordine in quolibet modo invaserit.
CXXXV. De eo qui hominem sine causa spoliaverit in via.
CXXXVI. De eo qui hominem captivaverit.

CXXXVII. De coniuratione vel conspiratione.

CXXXVIII. De cautione iuramenti.

CXXXVIIII. De tria iuramenta quae solvenda sunt.

CXL. De eo quod magnum peccatum sit falsum iurare.

CXLI. De his qui fallendo alio decipiunt.

CXLII. De iuramento in arbitrio dei relinquatur.

CXLIII. De eo quod peius est qui innocens provocat ad iuramentum quam ille qui iurat.

CXLIIII. Iudicium de periurio.

CXLV. De periurio coacto.

CXLVI. De periurio in manu sacerdotis. aut in cruce consecrata.

CXLVII. De periurio in ecclesia facto.

CXLVIII. Si per insidiam duxerit quis alium in periurium.

CXLIX. De his qui sacramento se obligant ne ad pacem redeant.

CL. Quod oportet omnibus inimicis ex corde dimittere.

CLI. De dilectione et indulgentia inimici.

CLII. De his qui fratres suos odium habent et in itinere pergunt causa orationis.

CLIII. De odio.

CLIIII. Iudicium commeani. De rixa.

CLV. De detractione.

CLVI. De murmuratione.

CLVII. De his qui superbae arguit.

CLVIII. De ebrietate a clero evitanda. etiam omnibus hominibus.

CLIX. De his qui multum bibunt et non inebriantur.

CLX. Iudicium de ebrietate.

CLXI. De malis hominibus qui foenus gavisi accipiunt et tristes reddunt.

CLXII. De debitis reddendis.

CLXIII. De eo qui pignus vel donum de ornamentis ecclesiae acceperit.

CLXIIII. De mercede mercenarii cito reddenda.

CLXV. De avaritia et amore pecuniarum.

CLXVI. De potestate cupiditatis.

CLXVII. De avaritia et turpia lucra.

CLXVIII. Ut non oportet de religione lucra terrena sectari.

CLXVIIII. De turpis lucri usuraria commoda nec suo quis (nec) alieno exerceat.

CLXX. De clericis qui negotiationibus et lucris turpibus inhiantes.

CLXXI. Quod foenus solum exercere debemus.

CLXXII. De interdicta usura.

CLXXIII. De dona iniquorum quae nihil a sacerdote eis predicantes suscipienda sunt.

CLXXIIII. De eo quod restituendus est qui dona quis contulerit et postea poenituerit. Omnes tituli sequentes usque ad titulum CCVII. desiderantur in textu, in quo titulus iste CCVII *De elymosina et de propriis danda*, notatur numero CLXXIIII; omnia vero quae desunt, in fine Codicis a pag. 349 usque ad pag. 368, manu eiusdem aevi scripta, leguntur.

CLXXV. De usuris vel cupiditate seu avaritiam.

CLXXVI. De tempore concessa carne et vinum. et de abstinentia utrorumque.

CLXXVII. De cavenda dissensiones in edendis cibis.

CLXXVIII. De usu piscium.

CLXXVIIII. De aesu avium licito.

CLXXX. Quod omne animal mortuum sine effusione sanguinis morticinum est.

CLXXXI. De suffocato vel a baestia capto.

CLXXXII. De discretione ciborum. et de his qui immunda comedunt.

CLXXXIII. De sordiditate puthei.

CLXXXIIII. De eucharistia neglecta.

CLXXXV. De presbyteris qui missas celebrant. et sacramenta non sumpserint.

CLXXXVI. De sacerdote qui post sumptum cibum missas cantare presumpserit.

CLXXXVII. De nomine ieiunii.

CLXXXVIII. De XLme in anno.

CLXXXVIIII. De laude ieiunii.

CXC. De ieiunio inutile his in quibus est poenitentia nequitia (sic).

CXCI. De ieiunio cum haelymosina.

CXCII. De eo quod non ieiunandum est die dominico.

CXCIII. De observatione ieiunii. IIII. et VI. feriae. atque sabbato.

CXCIIII. De his qui ecclesiastica ieiunia absque necessitate dissolvunt.

CXCV. De ieiunio quod nihil est sine haelymosina.

CXCVI. Qui die dominico per neglegentiam ieiunaverit.

CXCVII. De his qui ante horam canonicam cibum sumunt.
CXCVIII. De cura sacerdotibus indigentiunt.
CXCVIIII. De hospitalitate dilectionis.
CC. De facultate aecclesiae in pauperibus erogare.
CCI. De haelemosina quae in diebus festis debentur.
CCII. De his qui aliena non rapiunt nec sua largiuntur.
CCIII. De observatione hospitalitatis.
CCIIII. De nomine haelymosinae.
CCV. De laude haelymosinae.
CCVI. De eo quod haelymosina adiuvat peccatores licet non salvet.
CCVII. De haelymosina et re propriis danda.
CCVIII. De haelymosina de furto aut rapina.
CCVIIII. De his qui helymosinas sine emendatione faciunt.
CCX. De eo quod nichil est maius helymosinarum fructum quam ex corde dimittere.
CCXI. De xenodochia.
CCXII. De eo quod multis generibus helymosinarum superexaltat qui dat veniam peccanti.
CCXIII. Ut omnis homo ad alium hominem hospitium parent.
CCXIIII. De mendicibus qui discurrunt per patriam.
CCXV. Quod nullus se excusare potest ut non habeat unde retribuat egenti.
CCXVI. De mensula sacerdotis semper cum pauperibus fiant.
CCXVII. De his qui hospites non recipiunt et mandata evangelica non implent.
CCXVIII. Quod dona iniquorum in pauperes tantum destitutos impertienda sint.
CCXVIIII. De oratione assidua.
CCXX. De eo quod inutilis sit oratio sine operibus bonis.
CCXXI. De oratione et opere et canticis spiritualibus.
CCXXII. De inobaedientia et excusatione vel correptione.
CCXXIII. De duobus modis quibus pro inimicis debemus orare.
CCXXIIII. De morte inimici non postulando.
CCXXV. De inimico proprio non maledicendo sed dei.
CCXXVI. Clerici maledici degradentur.
CCXXVII. De octo principalibus vitiis.

XX. De abitaculis. Incipit: *Habitatio ab habendo vocata ut habitare casas..... sunt aecclesie. sive ingressus eius esse meruerunt. Palatium. a palante principe arcadum dictum. in cuius honore arcadas pallantea oppidum construxerunt et regiam in ipsius nomine conditam palatium..... apud veteres enim in loco ubi convivii apparatus exponebatur. tres lectuli strati erant in quibus discumbentes epulabantur. clinon enim grece...* Desinit: *miserorum membra foventur.*

Pag. 352 — XXI. De edificiis sacris. Incipit: *Sacrarium est proprie locus templi....* Desinit: *in scriptura sacra formantur ad ministerium dei.*

Pag. 358 — XXII. De aditibus. Incipit: *Aditus. ab eundo dictus...* Desinit: *delectabuntur in multitudine pacis.*

Pag. 360 — XXIII. De fundamentis. Incipit: *Fundamentum dictum quod fundus sit... in vestitu deaurato circumamicta varietate. hoc est in vestitu fulgidae dilectionis. circumamicta varietate. diversorum charismatum...* Desinit: *cunctis aspectantibus praebent.*

Pag. 363 — XXIIII. De depositoriis. Incipit: *Aerarium vocatum. quia prius aes signatum..... eructationes pessimae exalationis emittunt. quos si hic incertum quia erat aboletum auctoritate tam diversorum interpretationum nequitias trasferuntur. fuerint domino iuvante superati....* Desinit: *copiosam substantiam appellamus.*

Pag. 364 — XXV. De officinis. Incipit: *Ergasterium locus est. ubi...* Desinit: *in lacum mortis vitam meam.*

Pag. 365 — XXVI. De munitionibus. Incipit: *Munitum. vel munimentum dictum...* Desinit: *et a bestiis defenduntur.*

Pag. 367 — XXVII. De tentoriis. Incipit: *Tabernacula. tentoria sunt...* Desinit: *dum aestus avaritiae cogitatione devastatur.*

XXVIII. De sepulcro. Incipit: *Sepulcrum. a sepulto dictum....* Desinit: *puteus angustus aliena uxor.*

Pag. 368 — XXVIIII. De edificiis. Incipit: *Casa est agreste...* Desinit: *in cucumerario.*

Pag. 369 — XXX. De agris. Incipit: *Ager latine...* Desinit: *dedit filio.*

Pag. 370 — XXXI. De mensuris agrorum. Incipit: *Mensuras viarum....* Desinit: *simulque et stetisset.*

Pag. 371 — XXXII. De itineribus. Incipit: *Via est...* Desinit: *malam partem retinent.* Explicit liber XIIII.

Pag. 372 — Incipit liber quintus decimus. de philosofis gentium. Et sequitur enumeratio capitum huius libri.

Caput I. De philosophis. Incipit: *Philosophi...* Desinit: *peribunt.*

Pag. 376 — II. De poetis. Incipit: *Poetae unde sint...* Desinit: *sermone.*

Pag. 377 — III. De sibillis. Incipit: *Sibille generaliter...* Desinit: *distinguenda curavimus.*

Pag. 379 — IIII. De magis. Incipit: *Magorum primus...* Desinit: *esse participes.*

Pag. 383 — V. De paganis. Incipit: *Pagani. ex pagis...* Desinit: *nomen grecum.*

VI. De diis gentium. Incipit: *Quos pagani...* Desinit: *quis enim te dis ernit.*

Pag. 392 — (Liber XVI.) Adest index huius libri.

Pag. 393 — (I. De linguis gentium). Incipit: *Linguarum diversitas...* Desinit: *exortae sunt.*

Pag. 394 — (II. De gentium vocabulis). Incipit: *Gens est...* Desinit: *fulminibus interierunt.*

Pag. 403 — (III. De regnorum vocabulis.) Incipit: *Regnum. a regibus dictum...* Desinit: *inobedientiam.*

Pag. 408 — IIII. De cibibus. Incipit: *De imperiis...* Desinit: *similes ei erimus.* Explicit liber XVI.

Pag. 412 — Incipit liber XVII. Sequitur index XVIII. capitum huius libri.

Pag. 413 — (I. De pulveribus. et glevis terre). Incipit: *Pulvis dictus...* Desinit: *quid fecissent.*

Pag. 414 — II. De glebis et aquis. Incipit: *Bitumen in iudeae...* Desinit: *colore pene purpureo.*

Pag. 416 — III. De lapidibus vulgaribus. Incipit: *Lapis a terra tamquam densior...* Desinit: *ut corruat.*

Pag. 417 — IIII. De lapidibus insignioribus. Incipit: *Magnes. lapis...* Desinit: *in persida.*

Pag. 418 — V. De marmoribus. Incipit: *Marmor...* Desinit: *obsequiis.*

VI. De ebore. Incipit: *Ebur a varro...* Desinit: *hieronimus.*

Pag. 419 — VII. De gemmis. Incipit: *Post marmorum...* Desinit: *ostendit.*

Pag. 425 — VIII. De margaritis. Incipit: *Margarita prima...* Desinit: *in mente.*

VIIII. De cristallis. Incipit: *Cristallus...* Desinit: *homo ille.*

Pag. 427 — X. De vitro. Incipit: *Vitrum dictum...* Desinit: *declarantur.*

XI. De metallis. Incipit: *Metallum...* Desinit: *ferrum.*

Pag. 428 — XII. De auro. Incipit: *Aurum dictum...* Desinit: *esca eius electra.*

XIII. De argento. Incipit: *Argentum...* Desinit: *perhibentur.*

Pag. 429 — XIIII. De aere. Incipit: *Aes. a splendore...* Desinit: *et cetera.*

Pag. 430 — XV. De electro. Incipit: *Electrum vocatum...* Desinit: *haberet.*

XVI. De stagno. Incipit: *Stagni ethimologia...* Desinit: *et plumbum.*

Pag. 431 — XVII. De plumbo. Incipit: *Plumbum dictum...* Desinit: *amatorem ipsius.*

XVIII. De ferro. Incipit: *Ferrum dictum...* Desinit: *malitia eius.* Explicit liber septimus decimus.

Incipit liber XVIII. Adsunt rubricae capitum huius libri.

Pag. 432 — (I. De ponderibus). Incipit: *Ponderum ac mensurarum...* Desinit: *posse deduci.*

Pag. 436 — II. De mensuris. Incipit: *Mensura est...* Desinit: *consequamur.*

Pag. 439 — III. De numero. Incipit: *Numerorum ratio...* Desinit: *mendacium.*

Pag. 444 — IIII. De musica et partibus eius. Incipit: *Musica est...* Desinit: *suavissimus facantus.*

Pag. 448 — V. De medicina et morbis. Incipit: *Medicina est...* Desinit: *quod est ante deum.* Explicit liber. XVIII.

Pag. 451 — Incipit liber XVIIII. Sequitur index capitum, qui protenditur usque ad VII.

(I. De cultura agrorum.) Incipit: *Cultura est...* Desinit: *in orreum meum.*

Pag. 453 — II. De frumentis. Incipit: *Frumenta sunt...* Desinit: *meridiali sunt.*

III. De leguminibus. Incipit: *Legumina a legendo...* Desinit: *nuncupari.*

IIII. De vitibus. Incipit: *Vitis plantationem...* Desinit: *pro torcularibus.*

Pag. 455 — V. De arboribus. Incipit: *Arborum nomen...* Desinit incompletum deficiente folio: *reperiuntur in bonam ut...*

Pag. 459 — Sequitur absque initio, eadem de causa, caput VI. cuius initium:.. *pariter cum ficis portabant...* et finis: *tertia pinalis.*

Pag. 468 — (VII. De aromaticis arboribus.) Incipit: *Aromata sunt...* Desinit: *signentur.*

Pag. 471 — VIII. De erbis aromaticis. Incipit: *Extant in quarundam...* Desinit: *cito decidunt.*

Pag. 474 — VIIII. De oleribus. Incipit: *Ortus nominatus...* Desinit: *cibo eius armantur,* deficiente ultima periodo editionis. Postea: Explicit liber XVIIII.

Pag. 476 — Incipit liber vicesimus. Sequuntur deinde XLIV rubricae huius vicesimi libri.

(I. De bellis). Incipit: *Primus bella intulit...* Desinit: *dies otia.*

Pag. 478 — II. De triumphis. Incipit: *Omne regnum...* Desinit: *omni tempore.*

III. De instrumentis bellicis. Incipit: *Signa bellorum...* Desinit: *exercitus.*

Pag. 479 — IIII. De bucinis et tubis. Incipit: *Bucina...* Desinit: *sempiternam.*

V. De armis. Incipit: *Arma...* Desinit: *comburet igni.*

VI. De gladiis. Incipit: *Gladius...* Desinit: *abscidat.*

Pag. 481 — VII. De hastis. Incipit: *Hasta est...* Desinit: *et polum.*

VIII. De sagittis. Incipit: *Sagitta...* Desinit: *et vacuas.*

Pag. 482 — VIIII. De faretris. Incipit: *Faretra...* Desinit: *proveniret.*

Pag. 483 — X. De fundis. Incipit: *Funda dicta...* Desinit: *interemisse.*

XI. De ariete. Incipit: *Arieti nomen...* Desinit: *in giro.*

XII. De clipeis. Incipit: *Clipeus est...* Desinit: *destinata.*

Pag. 484 — XIII. De lorica. Incipit: *Lorica...* Desinit: *et loricati.*

XIIII. De galeis. Incipit: *Cassis...* Desinit: *operetur.*

Pag. 485 — XV. De foro. Incipit: *Forus...* Desinit: *in nocte veniet.*

Pag. 487 — XVI. De spectaculis. Incipit: *Spectacula...* Desinit: *sequitur.*

XVII. De ludo gimnico. Incipit: *Gimnicus...* Desinit: *operiebantur.*

Pag. 488 — XVIII. De generibus gimnicorum. Incipit: *Genera...* Desinit: *contendere.*

XVIIII. De saltu. Incipit: *Saltus...* Desinit: *saltatis.*

XX. De cursu. Incipit: *Cursus...* Desinit: *accipiatis.*

XXI. De iactu. Incipit: *Iactus dictus...* Desinit: *emittere.*

XXII. De virtute. Incipit: *Luctatio* (sic)... Desinit: *et reliqua.*

XXIII. De luctatione. Incipit: *Locus autem* (sic)... Desinit: *vocatur.*

XXIIII. De agone. Incipit: *Quae latini...* Desinit: *putant.*

XXV. De generibus agonum. Incipit: *Agonum genera...* Desinit: *servatur.*

Pag. 489 — XXVI. De ludis circensibus. Incipit: *Ludi circenses...* Desinit: *videntur.*

(XXVII. De circis.) Incipit: *In circo...* Desinit: *eductos.*

XXVIIII. (sic). De aurigis. Incipit: *Ars circi...* Desinit: *ab agendo dictus.*

XXX. De curru. Incipit: *Currus...* Desinit: *proiecit in mare.*

Pag. 490 — XXXI. De equis quibus curritur. Incipit: *Quadrigae...* Desinit: *veritate tua.*

XXXII. De septem spatiis. Incipit: *Septem spatia....* Desinit: *iudicium.*

XXXIII. De equitibus. Incipit: *Porro equites...* Desinit: *mortis.*

XXXIIII. De peditibus. Incipit: *Pedites...* Desinit: *cessabunt.*

Pag. 491 — XXXV. De coloribus equorum. Incipit: *Circa causa...* Desinit: *infernorum sunt.*

XXXVI. De theatro. Incipit: *Theatrum est...* Desinit: *propter deum.*

XXXVII. De ferali certamine. Incipit: *Ferarum pugna...* Desinit: *sed furore.*

Pag. 492 — XXXVIII. De horum execratione ludorum. Incipit: *Haec quippe...* Desinit: *et operibus eius.*

XXXVIIII. De nabibus. Incipit: *Artium quorumdam...* Desinit: *mali autem nocere.*

Pag. 493 — XL. De partibus navigii et armamentis. Incipit: *Puppis...* Desinit: *et caetera.*

XLI. De velis. Incipit: *Vela...* Desinit: *viam pravam.*

XLII. De funibus. Incipit: *Funes dicti...* Desinit: *vanitatis.*

XLIII. De retibus. Incipit: *Retes vocatae...* Desinit: *superabile fore.*

Pag. 494 — XLIIII. De fabrorum fornace. Incipit: *Faber...* Desinit: *voluntatem ipsius.* Explicit liber XX.

Pag. 496 — Incipit liber XXI. Adest enumeratio XXVI rubricarum capitum huius libri.

(I. De fabricis parietum.) Incipit: *In fabricis...* Desinit: *multitudinem parietum.*

II. De dispositis. Incipit: *Edificiorum...* Desinit: *discretio.*

III. De constructione. Incipit: *Constructio est...* Desinit: *et noxie. huc usque partes constructionis sequuntur.*

Pag. 498 — IIII. De diversitate edificiorum. Incipit. *Venustas est...* Desinit: *et colorum picture.*

V. De laqueariis. Incipit: *Laquaearia sunt...* Desinit: *prebent.*

VI. De crustis. Incipit: *Cruste...* Desinit: *dicuntur.*

VII. De lithostratis. Incipit: *Lithostrata...* Desinit: *peccatorum.*

VIII. De plastis. Incipit: *Plasticen...* Desinit: *conditus.*

VIIII. De pictura. Incipit: *Pictura...* Desinit: *reducet.*

X. De coloribus. Incipit: *Colores...* Desinit: *ordinis.*

XI. De instrumentis edificiorum. Incipit: *Structuram autem...* Desinit: *redimeret.*

Pag. 499 — XII. De lignariis. Incipit: *Lignarius generaliter...* Desinit: *lepra eius.*

Pag. 501 — XIII. De laneficiis vestimentis. Incipit: *Minervam...* Desinit: *universa.*

XIIII. De vestibus sacerdotum. Incipit: *Octo sunt...* Desinit: *solverit.*

Pag. 502 — XV. De diversis nominibus vestimentorum. Incipit: *Diversitas...* Desinit: *velentur.*

Pag. 504 — XVI. De proprio quarumdam gentium habitu. Incipit: *Sarabare sunt...* Desinit: *mereantur.*

XVII. De palleis virorum. Incipit: *Pallium est...* Desinit: *reperitur.*

Pag. 505 — De palleis feminarum. XVIII. Incipit: *Regillum est...* Desinit: *deferri.*

Pag. 506 — De stratu el reliquis vestibus que in usum habentur. XVIIII. Incipit: *Stragulum...* Desinit: *deduci.*

Pag. 507 — De lanis et lino. XX. Incipit: *Lana...* Desinit: *perducit.*

Pag. 508 — De coloribus vestium. XXI. Incipit: *Purpura...* Desinit: *in dextera dei sedens.*

De instrumentis vestium. XXII. Incipit: *Tela...* Desinit: *bonis operibus.*

Pag. 509 — De ornamento. XXIII. Incipit: *Ornamenta sunt dicta...* Desinit: *gestantur.*

Pag. 510 — De anulos. XXIIII. Incipit: *Anuli autem...* Desinit: *pretiosarum.*

Pag. 512 — De cingulis. XXV. Incipit: *Cinctus est...* Desinit: *et reliqua.*

Pag. 513 — De calciamentis. XXVI. Incipit: *Sutores...* Desinit: *michi usurpare.* Explicit liber XXI.

Incipit liber XXII. Subsequitur index capitum XV. huius ultimi libri.

Pag. 514 — Caput I. De mensis et escis. Incipit: *Primus dedalus.....* Desinit: *vina vetera prodesse.*

Pag. 518 — De potu. II. Incipit: *Potio. grecae...* Desinit: *coniunxerint.*

Pag. 520 — De vasis escariis. III. Incipit: *Vasa dicta...* Desinit: *significatur.*

Pag. 521 — De vasis potationis. IIII. Incipit: *Poculum...* Desinit: *explanatum esse.*

Pag. 522 — De vasis vinariis sive aquariis. V. Incipit: *Enephorum....* Desinit: *debitoribus nostris.*

Pag. 523 — (De vasis oleariis. VI). Incipit: *Lenticula ..* Desinit: *efficimur.*

De vasis coquinariis et pistoriis. VII. Incipit: *Omnia vasa...* Desinit: *et caetera.*

Pag. 524 — De vasis repositoriis. VIII. Incipit: *Gazophilacium...* Desinit: *peram in via.*

De canistro. VIIII. Incipit: *Canistrum....* Desinit: *de misticis doctrinis spiritus sancti.*

Pag. 525 — De vasis luminariorum. X. Incipit: *Focum appellaverunt antiqui...* Desinit: *fosforus appellatur.*

Pag. 526 — De lectis et sellis. XI. Incipit: *Lectice...* Desinit: *habent tres pedes.*

Pag. 527 — De vehiculis. XII. Ob recisionem orae inferioris paginae incipit a verbis: *Carpentum pompaticum...* Desinit: *ut rotam.*

Pag. 528 — De reliquis que in usum habentur. XIII. Incipit: *Baculus a bacho...* Desinit: *ostendat.*

Pag. 529 — De instrumentis rusticis. XIIII. Incipit: *Aratrum...* Desinit: *conflabunt gladios suos in vomeres.* Reliqua huius capitis, sicut et sequens *De instrumentis hortorum*, desunt, propter recisionem medietatis huius paginae.

Pag. 530 — (De instrumentis equorum. XVI.) Initium huius capitis deest, eadem de causa. Incipit:.. *Frena dicta...* Desinit: *interdum pro cura.* Caetera desiderantur.

COD. CXXXIV.

PAGINA VII.

AST HEC FIGURA CRUCEM XPI IN QUATTUOR CORNIBUS
cuncta complecti predicat sive que in celis. sive que in terra
sive que subtus terra sunt. omnia videlicet visibilia atque invisibilia
invenitur convenientia. Qua quattuor crucis cornua sive
quattuor loca mamante. in quibus rationales versantur
creature. id est celestium et terrestrium et infernorum. et
super celestium de quibus apostolus paulus loquitur.

COD. CXXXIII.

PAGINA XXIV.

ix

Et factum est ex quo dixit mansiat
et factum in ecclesia machiavelim mul
applicant dicit. Erat ergo la
tum; uicesim; ... dom; ist post dnm.

COD. CXXXV.

PAGINA XXI.

viij.

Nunquam in beneficium promissis est portpaci
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
similiter ... paulo. et substentacionem.

COD. CXXXVI.

PAGINA CXIII.

[illegible]

Et omnia que ...
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]

COD CXXXVII.

PAGINA XXII.

[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
illa ... de diversitate fidei enim.

LIT. CAS.


UNIV. OF MICH.

CODEX CXXXIII.

SIGNATUS NUMERIS EXTERIORIBUS 133 ET 209, INTERIORI VERO 625. PLUTEO FF.

Codex membranaceus in folio, longitudinis metri 34/₀, latitudinis 25/₀, characteribus longobardis ineuntis saeculi XI, duplici columna exaratus. Continet *Rabani Mauri Commentaria in libros Regum*, quo etiam titulo memoratur a Montfauconio.

Pag. 1 — INCIPIT PROLOGUS RABANI (et alia manu: IN EXPOSITIONEM LIBRI REGUM) Incipit: *Domino reverentissimo. et in membris*... Desinit: *conservare dignetur*. Extat inter *Opp*. Rabani, *Patrol. Lat*. Migne, T. CIX. col. 9.

Pag. 2 — INCIPIUNT CAPITULA LIBRI PRIMI (et alia manu in margine: EXPLICIT PROLOGUS. INCIPIT EXPOSITIO LIBRORUM REGUM.) Sequitur series titulorum qui in editione singulis capitibus praefiguntur.

Pag. 3 — EXPLICIUNT CAPITULA. INCIPIT LIBER PRIMUS RABANI MAURI EXPOSITIONIS IN LIBRO REGUM. Incipit: Fuit vir unus de ramatha... *Dicamus primum de generatione*... Desinit: *inimicis suis faciant*. Ibi col. 11.

Pag. 69 — EXPLICIT LIBER PRIMUS. INCIPIUNT CAPITULA LIBRI SECUNDI, quibus recensitis sequitur: EXPLICIUNT CAPITULA. INCIPIT LIBER SECUNDUS. Incipit: Factum est autem postquam mortuus est saul... *Hominem istum amaleckiten. hebrei*..... Desinit: *prediximus immolavit*. Ibi col. 71.

Pag. 118 — EXPLICIT LIBER SECUNDUS. INCIPIUNT CAPITULA TERTII LIBRI, quibus expletis sequitur: FINIUNT CAPITULA. INCIPIT LIBER TERTIUS. Incipit: Et rex david senuerat... *David annos natus LXX. bellicosus quondam vir*... Desinit: *sumamus exordium*. Ibi col. 123.

Pag. 202 — EXPLICIT LIBER III. INCIPIUNT CAPITULA LIBRI IIII. quibus enucleatis, legitur verbum INCIPIT, cui fortasse alia consueta addenda erant. Incipit: Prevaricatus est autem moab... *Mortuo quoque impiissimo rege achab*... Desinit: *vapulabit paucis*. EXPLICIT LIBER IIII. RABANI MAURI EXPOSITIONIS IN LIBRO REGUM.

Characteribus latinis XIII. Saeculi hi versus in fine leguntur:

Ars sit ubi a teneris crimen conducitur annis
Non espectato vulnus ab hoste tuli
Heu patior telis vulnera facta meis.

CODEX CXXXIV.

SIGNATUS NUMERIS EXTERIORIBUS 134 ET 114, INTERIORI DEFICIENTE. PLUTEO KK.

Codex membranaceus in folio, longitudinis metri 34/₀, latitudinis 25/₀, characteribus latinis saeculi XI scriptus. Continet *Rabanum de Cruce*. A Monfauconio designatur hoc titulo: *Liber Rabani de laudibus sanctae Crucis*. Figurae, quibus decoratur Codex, Cruces exprimunt, easque iam ante Rabanum, qui cum adhuc Monachus esset 30 annorum hoc opus scripsit, quod postea B. Petro per manus Sergii Papae obtulit, ut testatur Tritemius (*de Viris illustribus Ord. S. Benedicti* lib. II. cap. 39), efformavit VI saeculo Venantius Fortunatus.

Pag. 2 — Incipit: *Rex regum*... Desinit: *ubique*. T. CVII. *Patrol. Lat.* Migne col. 141.

Pag. 3 — Incipit: *Invicta me faciat*... Desinit: *inimica fugat*. Ibi col. 145. Propter abscissionem unius folii desunt quae in ed. intercedunt a titulo *De imagine Caesaris*, usque ad priores duos quindecim versuum Ludovici imperatoris, col. 145 relatos.

INCIPIT PROLOGUS. ALIUS. Incipit: *Hortatur nos lex divina*... Desinit: *Si quem autem movet*.... Ibi col. 145.

Pag. 5 — *Ecce imago salvatoris*... Desinit: *Lapis angularis vel quia duos parietes aedi*... Ibi col. 151. In Cod. desunt quae in ed. habentur a fine col. 146. usque ad *Declarationem Figurae* col. 451. carentibus aliquibus foliis.

Pag. 7 — Incipit: AST HEC FIGURA CRUCEM CHRISTI IN QUATTUOR CORNIBUS. *cuncta complecti*... Desinit: *redimuntur populi. conteruntur*... Ibi col. 157. Hic unum folium deest.

Pag. 9 — Incipit: *Merito quippe sanctorum*... Desinit: *et nomina novem ordinum non ignorat*. Ibi col. 161.

Pag. 12 — Incipit: *O cherubim*... Desinit: *signa nimantum*. Adest Figura col. 163 allata.

Pag. 13 — Incipit: *In hac itaque pagina*... Desinit: *propitia probant*. Ibi col. 165. *Figurae declaratio*.

Pag. 16 — Incipit: *Crux rogo*... Desinit: *angelus ipse*. Ibi col. 167. *Figura V*.

Pag. 17 — Incipit: *In hac igitur pagina crux*... Desinit: *iure cruore*. Ibi col. 169. *Declaratio Figurae*.

Pag. 20 — PRUDENTIA. Incipit: *Omnipotens virtus*... Desinit: *horrea mensem*. Ibi col. 171. *Figura VI*. In margine inferiore legitur: *Iustitia*.

Pag. 21 — Incipit: *Quantos ergo*.... Desinit: *pro genere*. Ibi col. 173. *Declaratio Figurae*.

Pag. 24 — DE QUATUOR HELEMENTIS ET QUATUOR VICISSITUDINIBUS TEMPORUM ET IIII. PLANETIS. MUNDI ORIENS VER IGNIS, et in margine inferiori: AUTUMNUS TELLUS VESPERA. *Omnia*... Desinit: *creator ihesus*. Ibi col. 175. *Figura VII*.

Pag. 25 — Incipit: *Recte igitur*... Desinit: *meridiesque*. Ibi col. 177.

Pag. 28 — Incipit: *Christus salvator*... Desinit: *donat*. Ibi col. 179. *Figura VIII*.

Pag. 29 — Incipit: *Duodenarius ergo numerus*... Desinit: *bonum hoc*. Ibi col. 181.

Pag. 31 — Incipit... *autem quinque dies et quadrans diei*... Desinit: *claustraque cuncta diei*. Ibi col. 185. in fine. Codex caret omnibus quae ab initio col. 183. ad postremas lineas col. 185. in ed. continentur.

Pag. 33 — DE NUMERO SEPTUAGENARIO. ET SACRAMENTIS EIUS QUOMODO CRUCI CONVENIANT. Incipit: *Quid ferat en vitam*... Desinit: *iure favere*. Ibi col. 187. *Figura X*.

Pag. 34 — Incipit: *Septuaginta quinque numerum presens*... Desinit: *communis est*. Ibi col. 189.

Pag. 37 — DE QUINQUE LIBRI(S) MOSAICE LE-

GIS. Incipit: *Te pater alme*... Desinit: *mala cuncta*. Ibi col. 191. *Figura XI.*

Pag. 38 — Incipit: *Quisquis legis*... Desinit: *gaudia dicit*. Ibi col. 193.

Pag. 41 — DE NOMINE ADAM PROTOPLASTI. QUOMODO SECUNDUM ADAM SIGNIFICET ET EIUS PASSIONEM. Incipit: *Perge salutiferam*... Desinit: *salutis*. Ibi col. 195. *Figura XII.*

Pag. 42 — Incipit: *Quid ergo*... Desinit: *christo hinc*. Ibi col. 197.

Pag. 45 — Incipit: *Hae igitur cruces*... Desinit: *redemptio vera*. Ibi col. 201. In Cod. deest *Figura XIII.*

Pag. 47 — DE ANNIS AB EXORDIO MUNDI. USQUE IN ANNUM PASSIONIS. CHRISTI IN NOTIS GRAECARUM LITTERARUM SECUNDUM FORMAM CRUCIS DISPOSITIS. Incipit: *Dignum opus*... Desinit: *visu hinc*.

Pag. 48 — Incipit: *In hac pagina*... Desinit: *ut aevidenter ostenditur*. Ibi col. 205.

Pag. 51 — Incipit:.. *quia in principio evangelii sui*... Desinit: *filium demonstret*. Ibi col. 209. In Cod. deest *Figura XV.* et quae ab initio usque ad lin. 45. col. 209. intercedunt.

Pag. 54 — DE SEPTEM DONIS SPIRITUS SANCTI QUE PROPHETA HESAIAS ENUMERAT. Incipit: *Spiritus alme*... Desinit: *cantum*. Ibi col. 211. *Figura XVI.*

Pag. 55. — Incipit: *Scriptum est in esaia*... Desinit: *per ignem*. Ibi col. 213.

Pag. 58 — DE OCTO BEATITUDINIBUS EVANGELICIS. Incipit: *Sancta beata*... Desinit: *arce polorum*. Ibi col. 215. *Figura XVII.*

Pag. 59 — Incipit: *Octo ergo*... Desinit: *Olympi*. Ibi col. 217.

Pag. 63 — DE NUMERO QUADRAGENARIO ET MINISTERIO EIUS. XVIII. Incipit: *Pande salutarem*... Desinit: *victoria clara*. Ibi col. 119. *Figura XVIII.*

Pag. 64 — Incipit: *Quadragenarius itaque*... Desinit: *victoria christi*. Ibi col. 221.

Pag. 67 — DE QUINQUAGENARIO NUMERO IN QUINQUE DECIMO LITTERIS EXPRESSUM (sic). Incipit: *Crux mihi cara*.... Desinit: *crimina mundo*. Ibi col. 223. *Figura XIX.*

Pag. 68 — Incipit: *Haec igitur pagina*... Desinit: *et ei qui sinistrorsum vadit*. Ibi col. 225.

Pag. 71 — DE NUMERO CENTENARIO. ET VICENARIO. QUI. A. LAUDA LITTERA SIGNIFICATUR. Incipit: *Sanguinis ergo*... Desinit: *ducit*. Ibi col. 227. *Figura XX.*

Pag. 72 — Incipit: *Denique sancte crucis*... Desinit: *regni*. Ibi col. 229.

Pag. 74 — DE NUMERO SEPTUAGENARIO ET BINARIO CUM EIUS SIGNIFICATIONIBUS. Incipit: *Lex quoque*... Desinit: *munere ditem*. Ibi col. 231. *Figura XXI.*

Pag. 75 — Incipit: *Hanc igitur figuram*... Desinit: *lauda sacrata*. Ibi col. 233.

Pag. 77 — DE MONOGRAMMATE. (XP). CUIUS MEDIETAS TEMPUS PRAEDICATIONIS CHRISTI REGNUM DEMONSTRAT. Incipit: *Christus. amor*... Desinit: *gaudia novit*. Ibi col. 235. *Figura XXII.*

Pag. 78 — Incipit: *Quid itaque*... Desinit: *mundi est*. Ibi col. 237.

Pag. 81 — DE NUMERO CENTENARIO ET XLNARIO ATQUE QUATERNARIO EIUSQUE SIGNIFICATIONE. Incipit: *At nunc*... Desinit: *cantum*. Ibi col. 243. *Figura XXIV.* In Cod. deest *Figura XXIII.* cum eius *Declaratione.*

Pag. 82 — Incipit: *Continet ergo figuram*... Desinit: *ordo*. Ibi col. 245.

Pag. 85 — DE ALLELUIA ET AMEN. IN CRUCIS FORMA ORDINIBUS. Incipit: *Laus pia*... Desinit: *saecula christo*... Ibi col. 247. *Figura XXV.*

Pag. 86 — Incipit: *Istic ergo laus*... Desinit: *complenda*. Ibi col. 249.

Pag. 88 — DE PROPHETARUM SENTENTIIS QUE AD PASSIONEM CHRISTI. ET AD NOSTRAM REDEMPTIONEM. Incipit: *Ergo prophetarum*... Desinit: *passio christi*. Ibi col. 251. *Figura XXVI.*

Pag. 89 — Incipit:... *reliqua. Et de ereptione nostra*... Desinit: *idem pentameter*. Ibi col. 254. lin. 35.

In Cod. desunt quae ab initio columnae 254. ad lin. 35. intercedunt.

Pag. 92 — DE APOSTOLORUM DICTIS EX EADEM RE IN NOVO TESTAMENTO. Incipit: *Nec minus ergo*... Desinit: *secula christi*. Ibi col. 257. *Figura XXVII.*

Pag. 93 — Incipit: *Novi autem testamenti*... Desinit: *crucis est*. Ibi col. 259.

Pag. 97 — Incipit: *Verum lumen ex lumine*... Desinit: *perfectio rerum est*. Ibi col. 264. In Cod. desunt quae ab initio col. 261. ad primam lin.

col. 564. post titulum *Declaratio Figurae* intercedunt.

INCIPIT PREPHATIO LIBRI SECUNDI. Incipit: *Mos apud veteres...* Desinit: *particeps existat*. Ibi.

Pag. 98 — EXPLICIT PREPHATIO. II. DE PRIMA FIGURA IN QUA CHRISTI IMAGO MANUS IN MODUM EXPANDIT CRUCIS. Incipit: *Ecce filius dei...* Desinit: *benedictus in secula*. col. 265.

Pag. 100 — T. II. DE SECUNDA FIGURA IN QUA SANCTA CRUX INTRA TETRAGONUM DEPICTA EST. Incipit: *O sancta crux...* Desinit: *collocaveras*. Ibi col. 267.

Pag. 101 — T. III. DE TERTIE FIGURE SPECIE. IN QUA NOVEM ORDINES ANGELORUM DESCRIPTI SUNT. Incipit: *O tu sancta salus...* Desinit: *celesti*. Ibi col. 267.

Pag. 103 — T. IIII. DE FORMA QUARTI SCEMATIS UBI CLERUBIM. ET SERAPHIM SUNT IUXTA CRUCEM DEPICTI. Incipit: *At vos superne...* Desinit: *fallunt*. Ibi col. 268.

Pag. 105 — T. V. DE QUINTA FIGURA UBI QUATTUOR TETRAGONI CIRCA CRUCEM CONSISTUNT. Incipit: *Te modo crux...* Desinit: *perducet:* Ibi col. 270.

Pag. 106 — T. VI. DE SPECIE VI. FIGURE UBI DE QUATTUOR VIRTUTIBUS PRECIPUIS COMMEMORATIO FIT. Incipit: *Omnipotens virtus...* Desinit: *conlocetur*. Ibi col. 271.

Pag. 107 — T. VII. DE SEPTIME FUGURATIONIS PLASMATE UBI DE QUATTUOR. ELEMENTIS NARRATUR. Incipit: *Igitur omnia...* Desinit: *dominus noster*. Ibi col. 272.

Pag. 108 — T. VIII. DE OCTAVAE SPECIEI FORMA UBI DE DUODENARII NUMERI RATIONE EXPOSITUM EST. Incipit: *Christus itaque...* Desinit: *confert*. Ibi col. 273.

Pag. 110 — T. VIIII. DE NONA FIGURA QUE DIERUM ANNI NUMERUM IN CRUCIS SPECIE CONTINET. Incipit: *Sol et luna...* Desinit: *amoris*.

Pag. 111 — T. X. DE RATIONE FIGURE DECIME UBI SEPTUAGENARII NUMERI RATIONE DESCRIPTA EST. Incipit: *Nunc itaque...* Desinit: *deditum*. Ibi col. 275.

Pag. 113 — DE UNDECIMA FIGURA UBI PENTATHEUCUS MOSI ORDINATUS EST. Incipit: *Te sancte pater...* Desinit: *auferebas*. Ibi col. 276.

Pag. 114 — DE DUODECIME FIGURE RATIONE UBI NOMEN PROTOPLAUSTI SITUM EST. Incipit: *Heia modo...* Desinit: *eterne*. Ibi col. 277.

Pag. 115 — DE TERTIAE DECIMAE RATIONE FIGURAE UBI ILLE DIERUM NUMERUS COMPREHENSUS EST QUO CHRISTUS IN UTERO VIRGINIS MORATUS EST. Incipit: *Arbor odoris...* Desinit: *eius esset*. Ibi col. 277.

Pag. 117 — DE FIGURA QUARTADECIMA. IN QUA NUMERUS ANNORUM AB EXORDIO MUNDI USQUE IN ANNUM PASSIONIS CHRISTI NOTATUS EST. Incipit: *Vere dignum...* Desinit: *comprobavit*. Ibi col. 278.

Pag. 118 — DE QUINTADECIMA FIGURA UBI AGNUS EST (ET) QUATTUOR EVANGELISTE DEPICTE SUNT. Incipit: *Filius dei...* Desinit: *fidelium*. Ibi 279.

Pag. 120 — DE XVI. FIGURA UBI DE SEPTEM DONIS SPIRITUS SANCTI NARRATUR. Incipit: *Te sancte...* Desinit: *cantum*. Ibi col. 280.

Pag. 121 — DE SEPTIME DECIME FIGURE RATIONE UBI OCTO BEATITUDINES ANNUMERANTUR. Incipit: *O sancta et beata...* Desinit: *vera*. Ibi col. 281.

Pag. 123 — DE OCTAVA DECIMA SPECIE UBI QUADRAGENARIUS NUMERUS POSITUS EST. Icipit: *Expone modo...* Desinit: *perpetua*. Ibi col. 282.

Pag. 125 — DE FORMA NONADECIMA UBI QUINQUAGENARII NUMERI RATIO EST. Incipit: *Adtendite...* Desinit: *mundo*. Ibi col. 283.

Pag. 126 — DE VICESIMA FORMA UBI CENTENARIUS ET VICENARIUS NUMERUS INDITUS EST. Incipit: *Ecce sanguinis...* Desinit: *regit*. Ibi col. 284.

Pag. 128 — DE VIGESIMA PRIMA FIGURA IN QUA SEPTUAGENARIUS ET BINARIUS NUMERUS EST COMPREHENSUS. Incipit: *Ergo lex...* Desinit: *demonstravit*. Ibi col. 285.

Pag. 130 — DE VICESIMA II. FIGURA IN QUA MONOGRAMMA DEPICTUM EST. Incipit: *Christus qui est...* Desinit: *appetit*. Ibi col. 287.

Pag. 131 — DE VICESIMA TERTIA FIGURA IN QUA VICENARIUS ET QUATERNARIUS NUMERUS ADNOTATUS EST. Incipit: *Hen nobilis...* Desinit: *praecepit*. Ibi col. 288.

Pag. 133 — DE VIGESIMA IIII. SPECIE UBI CENTINARIUS QUAGENARIUS ET QUATERNARIUS NUMERUS EST. Incipit: *O plebs dilecta...* Desinit: *audiamus*. Ibi col. 287.

Pag. 135 — DE VICESIMA ET QUINTAE FIGURA

ALLELUIA ET AMEN POSITA SUNT. Incipit: *O laus pia...* Desinit: *mereamur*. Ibi col. 289.

Pag. 136 — DE VICESIMA SEXTA FIGURA IN QUA PROPHETICAE SENTENTIAE DENOTANTUR. Incipit: *Te igitur...* Desinit: *perfecit*. Ibi col. 290.

Pag. 138 — DE VICESIMA SEPTIMA FORMA IN QUA APOSTOLORUM SENTENTIAE COLLOCANTUR. Incipit: *Non minus...* Desinit: *pacificas*. Ibi col. 292.

Pag. 139 — DE VICESIMA OCTAVA FIGURA UBI OPIFEX IPSE SANCTAM CRUCEM ADORAT. Incipit: *Omnipotens maiestas...* Desinit: *per cuncta sonabit secula. Amen*. Ibi col. 295. Ab imperita otiosaque manu sunt in fine graece scripta nomina trium archangelorum *Michaelis Gabrielis et Raphaelis*.

Pag. 142 — In hac pagina characteribus latinis recentioris aevi haec addita sunt:

Verbum bonum et suave.
personemus illud ave.
per quod christi fit conclave.
virgo mater filia.
Per quod ave salutata.
mox concepit fecundata.
virgo davit stirpe nata.
inter spina lilia.
Ave veri salomonis.
mater vellus gedeonis.
cuius magi tribus donis.
laudant puerperium.
Ave solem genuisti.
ave prolem protulisti.
mundo lapso contulisti.
decus et imperium.
Ave sponsa verbi summi.
maris portus signum dumi.
aromatum virga fumi.
angelorum domina.
Supplicamus nos emenda.
emendatos nos commenda.
tuo nato ad habenda.
sempiterna gaudia. Amen.

CODEX CXXXV.

SIGNATUS NUMERIS EXTERIORIBUS 135 ET 58, INTERIORI VERO 432.
PLUTEO ZZ.

Codex membranaceus in folio, longitudinis metri 39/₀, latitudinis 25₀, paginarum 572, duplici columna characteribus latino-gothicis XIV. saeculi exaratus. Continet *Ioannis Theutonici Summam Canonum*, vel melius Confessorum. Sub eodem numero memoratur a Montfauconio. Frater iste Ioannes de Friburgo, Ordinis Praedicatorum Lector, floruit XIII saeculo, et hanc *Summam* scripsit. Confer Quetif (*Script. Ord. Praedic.* tom. I. fol. 524) apud Bandinium (*Bibl. Laurent.* tom. IV. f. 72); et Eccardum (*Script. Ord. Praedic.* tom. I. pag. 525) qui multos Codices huius operis in variis Bibliothecis delitescentes enumerat. *Bibliotheca Taurinensis* (tom. II. fol. 43) contendit tractatum hunc nondum typis consignatum fuisse; cave tamen ne confundas hunc Ioannem Teutonicum cum Ioanne a Wildeshafen et altero Ioanne Sameca Halberstatensis Ecclesiae S. Stephani Praeposito, utrisque cognomento et natione etiam *Teutonicis*.

Pag. 1 — Incipit: *Nota quod lector iste pater iohannes ante compilationem huius summe confessorum fecerat tabulam super summam Raymundi et apparatum eius. meriticationem quoque seu declarationem plurium que in ipsa summa et glosa ipsius habentur. nec non et quendam libellum specialem de questionibus casualibus. cui libello hunc prologum proposuit. Et quia de prioribus hiis opusculis mentio fit in sequenti prologo. Ideo ad intellectum illius prologi hunc illi indicavit proponendum.*

Prologus (fratris ioannis) lectoris in priorem libellum questionum casualium. Incipit: *(Q)uoniam (du)biorum nova cotidie difficultas (e)mergit casuum....* Desinit: *melius quam verbis lector poterit informari.*

Explicit. Incipit prologus eiusdem fratris Iohannis lectoris in summam confessorum. Incipit: *Saluti animarum et proximorum utilitati secundum ordinis mei professionem fraterna caritate proficere cupiens. votis quoque...* Desinit: *praemisi Rubricellas que adiuncte sunt suis principalibus titulis supponendo.*

Pag. 2 — Tituli primi libri. Sequuntur tituli quatuor librorum; maior quorum pars, et initium libri primi ob avulsionem fere integri primi folii desunt. Desinit liber primus: *Quid si aliquis praecipiat corpus suum non sepeliri. ℟. secundum Glossam XXI. di. secundum nunc autem. hoc praeceptum non est admittendum. ut ff. de cond. instit. quidem. Nota casum eiusdem decreti. Explicit primus liber. Deo Gratias.*

Haec amanuensis addidit:

Dum mortem cogito crescit mihi causa doloris
Nam cunctis horis mors venit ecce cito.

Pag. 97 — Incipit secunda pars huius operis. De homicidio. titulus primus. Rubrica. Incipit: *In prima parte dictum est de quibusdam criminibus que principaliter in deum commit(t)untur. in hac secunda parte de hiis que (in) proximum specialiter committuntur agendum (est). et primo de homicidio.* Questio prima. *Primo ergo quero quid sit homicidium....* Desinit: *XLII. Quid si est emphiteota potest probare per duos annos proxime praeteritos in ecclesiasticis. vel per tres in secularibus solvisse canonem. licet antea cessaverit a solutione. per XX. annos vel plures. ℟. secundum thomam vers. hoc autem, notandum. dicendum quod*

tutus est. nec expelli potest. ut cap. de apotheca. leg. penultima. Explicit. secundus liber. deo Gratias. Amen.

Pag. 195 — INCIPIT LIBER TERTIUS SUMME CONFESSORUM DE EQUALITATE ORDINANDORUM. TITULUS PRIMUS. Incipit: *Expeditis per dei gratiam duabus partibus. restat ut de tertia prosequamur inquirentes id primis.* QUESTIO PRIMA. *Quales debeant esse praelati quibus.....* Desinit: *Concordat cum hiis. etiam in quod idem thomas dicit in summa. qu. CLXXXV. art. VII. art. IIII. Expeditis per dei gratiam non meis viribus. set potius fratrum meritis et orationibus... Ipso rege regum coheredum coronatore prestante qui cum patre et spiritu sancto est benedictus in secula seculorum. Amen. Deo Gratias. Amen.*

Pag. 413 — INCIPIT TRACTATUS DE MATRIMONIO. QUASI QUARTUS LIBER HUIUS SUMME. Incipit: *Quoniam in foro penitentiali circa matrimonium frequentes dubitationes...* Desinit: *poterunt recurrere prout eis videbitur opportunum. Gratias ago deo domino nostro ihesu christo qui collectionis mee laborem et animarum salutem tam de poenitentiis quam de matrimoniis hic conclusit. cui est honor in secula seculorum. amen.*

Explicit tractatus de matrimonio. et finitur per consequens. quasi in quatuor libros distincta tota summa confessorum.

Pag. 463 — ISTI SUNT PARAGRAPHY SUMME FRATRIS RAYMODI PER NUMERUM SUUM QUI UT PLURIMUM IN HAC SUMMA CONFESSORUM EORUMDEM FIT MENTIO. ALIAS ASSIGNATIO. IN PARVIS TAMEN PARTICULE NON SEMPER ASSIGNATUR. HIC PARAGRAPHI. QUIA PROPTER LITERAE PAUCITATEM. NON EST LABOR IN QUAERENDO. PROLOGUS. DE SYMONIA TITULUS PRIMUS. Sequitur tabula continens initia paragraphorum cuiusque tituli, quorum partitio non semper editioni respondet.

Pag. 469 — INCIPIUNT STATUTA SUMME CONFESSORUM EX SEXTO DECRETALIUM. ADDITA QUANTUM PERTINERE VIDENTUR AD MATERIAM EIUSDEM SUMME. AC SUB EISDEM TITULIS ET NUMERO QUAESTIONUM. PROLOGUS. Incipit: *Ne libri qui de summa confessorum iam scripti erant...* Desinit prologus: *non liceat vacillare.*

Incipit. DE SYMONIA TIT. I. QUAESTIO LXXXIIII. *In primo ergo libro....* Desinit: *Certum est quod is committit in legem qui legis verba complectens contra legis nititur voluntatem.*

Explicit compendiosa collectio quorumdam statutorum ex sexto decretalium addita ad summam confessorum. De gratias. amen.

Pag. 487 — Sine titulo incipit: *(In) hac tabu(l)a (u)bicumque simpliciter libri vel quaestionis aut remissionis assignatio intellegendum est de ipsa summa...* Sequitur tabula ordine alphabetico disposita, quae desinit: *Quere votum. elimosina. accusatio. adulterium. divortium. furtum. matrimonium. Et in multis aliis locis.*

Explicit Tabula super summam confesso(rum). Deo gratias Amen.

Pag. 553 — Sine titulo incipit: *Simplicores (simpliciores) (et) minus (e)xpertos (co)nfessores (d)e modo audiendi confessiones informare cupiens... rubricas domini nostri ihesu christi adiutorio singulas prosequar. prout secundum modum praesentis opusculi videbitur oportunum.*

De admonitionibus generalibus.
De luxuria.
De avaritia.
De restitutionibus faciendis.
De superbia.
De accidia.
De invidia.
De ira.
De gula.
De quibusdam peccatis lingue. et primo de mendaciis.
De iuramento et periurio.
De murmure detractione susurrone et derisione.
De sortilegiis.
De scandalo.
De votorum violatione.
Ad episcopos et alios prelatos.
Ad clericos et beneficiatos.
Ad sacerdotes parrociales et eorum vicarios et audientes confessiones.
Ad religiosas et claustrales.
Ad iudices.
Ad advocatos. et procuratores.
Ad medicos.
Ad doctores et magistros.
Ad principes et alios nobiles.
Ad coniugatos.

Ad mercatores et burgenses.
Ad artifices et mecanicos.
Ad rusticos et agricolas.
Ad laboratores.
De absolutione. et penitentie iniunctione.
De penitentia in extremis sive infirmorum.

(C)um aliquis petit suam confessionem audiri quam antea nunquam audisti... Desinit: *ut in restitutionibus et aliorum debitorum et testamentorum solutionibus ut defuncto fidem servent promissa impleant debita quoque et testamentum celeriter expediant frequentibus admonitionibus impulsabis. Explicit confessionale fratris Iohannis theotonici de ordine predicatorum.*

Pag. 571 — Manu parum recentiori legitur conscriptum: *Secundum iohannem andree. Conferri possunt tempore generalis interdicti Baptismus cum officio catecuminorum confirmatio et confectio crismatis penitentia absolvendo et imponendo penitentiam salutarem. corpus christi infirmis portando illud sine campanela cum lumine etiam presentibus secularibus si nolunt recedere possunt pulsari campane pro predicationibus. potest dari corpus christi mulieribus pregnantibus. Item potest quis docere clericum suum. sive familiarem ubi studium est interdictum. Item possunt layci admiti ad adorandum crucem. VI. feria in parasceve. Item possunt Archipresbiteri rurales conficere baptismum novum. cum presbiteris de plebatu. portantes corpus ad sepulturam et sepelientes illud in cimiterio sunt excommunicati ipso facto. infrascripta non debent conferri. extrema unctio officium commendationis anime. non debet fieri aliquod officium circa funus et sepulturam pro clerico vel layco. non debent pulsari campane pro mortuis nec pro horis. non debet fieri benedictio sponse. cinerum. candelarum olivarum palmarum. nec panis in pascate vel allia die pomorum vel alliorum fructuum non debet benedici aqua. sed debemus de novo aponere aquam neminem aspergendo. non debet fieri aliquod officium mulieribus post partum preter confessionem. non potest sacerdos in alliena ecclesia celebrare etiam in istis IIII. solepnitatibus privileiatis. et in istis IIIIor festis. scilicet. natale domini. resurrectio. pentecostes. et assumptione beate Marie alta voce ianuis apertis interdictis admissis. et excommunicatis exclusis debent incipi vesperi et cantari usque ad secundos vesperos inclusive et non ulterius quia completorium debet dici servando interdictum. in sabato sancto debent incipi vesperi sumpta communione incipiendo alleluia alta voce et ianuis apertis. in dictis IIII. solepnitatibus. non debet fieri benedictio sponse. nec tumulatio in cimiterio nisi priviliatorum. sed solum debet fieri officium presentis solepnitatis.*

CODEX CXXXVI.

SIGNATUS NUMERIS EXTERIORIBUS 136 ET 277, INTERIORI VERO 415.
PLUTEO ZZ.

Codex in folio parvo, membranaceus, longitudinis metri 37/₀, latitudinis 23/₀, constans paginis 386. foliis scilicet 193, duplici columna characteribus diversarum manuum XIII saeculi conscriptus. Titulum exteriorem prae se fert: *Raymundi Summa, Petri Brixiani, Damasi U. I. Bonaguidae Contra Rescripta*, at multa alia continet, et sunt:

Pag. 1 — *Summae S. Raymundi de Pennafort lib. 1. 2. et 3.*

Pag. 69 — *Summa Bartholomaei Brixiensis super titulis Decretalium.*

Pag. 106 — *Praeludia seu exceptiones Uberti de Bonaccurso.*

Pag. 117 — *Tractatus de libellis matrimonii.*

Pag. 121 — *Summae S. Raymundi de Pennafort lib. 4.*

Pag. 129 — *Libellus Tancredi Bononiensis.*

Pag. 146 — *Brocarda Magistri Damasi correcta a Bartholomaeo Brixiensi.*

Pag. 156 — *Ranfredi Beneventani de libellis.*

Pag. 205 — *De impedimentis arbitrii et alia.*

Pag. 210 — *Margarita iuris canonici et alia.*

Pag. 223 — *Formulae quaedam.*

Pag. 225 — *Tractatus de causis.*

Pag. 231 — *Summa titulorum Decretalium, et alia.*

Pag. 235 — *Liber receptionum qui dicitur actor et reus.*

Pag. 241 — *Tractatus de exceptionibus.*

Pag. 251 — *Tractatus de officio iudicis et alia.*

Pag. 265 — *Libellus Bernardi Dorne.*

Pag. 281 — *Summa Damasi a magistro Ioanne compilata lib. 1. 2. 3. 4. et 5.*

Pag. 317 — *Summa de sponsalibus et matrimoniis a Tancredo Bononiensi compilata.*

Pag. 333 — *Summa introductoria super officio advocatoris in foro ecclesiastico Bonaguidae Iudicis.*

Pag. 355 — *Libellus fugitivus contra rescripta domini papae.*

Pag. 371 — *Artis notariae pars tertia a Rollanducio Bononiensi compilata.*

Haec omnia inveniuntur in hoc Codice, et de omnibus singillatim sermo erit. De auctoribus horum tractatuum videat lector quid de Roffrido vel Ranfredo Beneventano diximus in praefatione Cod. LVIII. et Bandinius Tom. IV. pag. 59, Cod. VIII; quid idem de Bartolomaeo Brixiensi (Tom. IV. p. 21, Cod. I; p. 39, Cod. X; pag. 44, Cod. I. p. 51, Cod. III. pag. 45, Cod. II; p. 46, Cod. II.), de Tancredo Bononiensi (T. IV. p. 40, Cod. II; T. V. Cod. III; p. 46. Cod. II.); quid etiam de Uberto de Bonaccursio cl. v. Tiraboschi in Historia rei literariae apud Italos (edit. Mutinae 1782, tom. IV. pag. 214), et de Magistro Damaso (ibi pag. 241). Nihil tamen nobis invenire datum fuit de Bernardo Dorne, de Magistro Ioanne, et de Bonaguida Iudice.

Pag. 1 — Ab hac pag. usque ad pag. 69, et a pag. 121 ad 129 legitur *Summa* Sancti Raymundi de Pennafort, in qua Canones recensentur per priora tantum verba, et saepe etiam omnino omittuntur. Eam contulimus cum edit. Veronensi MCCXLIV. In margine inferiori huius primae paginae hi versus exscripti leguntur:

In claustro christi sunt semper. IIIIor. isti.
Cum gyezi iudas. cum petro fur annanias.

Petrus sunt quique dilecti discipulique.
Venditor ecclesie iudas dignoscitur esse.
Leprosus giezi sunt omnes deliciosi.
Qui res habent proprias in claustris sunt ananias.

Index qui praemittitur operi, quia differt ab edito, hic subnectitur.

(LIBER PRIMUS) *I. De symonia.*
II. De pena simoniaca.
III. De symonie dispensatione.
IIII. De prelati vices suas. sub.
V. De magistris et ne.
VI. De iudeis et sarra. et eorum servis.
VII. De hereticis.
VIII. De scismaticis.
IX. De apostatis.
X. De votis et votorum redemptione.
XI. De iuramentis et periuriis.
XII. De duplici denunciatione.
XIII. De mendatio.
XIIII. De VII. generibus mendatiorum.
XV. De tribus generibus mendatiorum.
XVI. Quando mendatium sit mortale peccatum.
XVII. De sortilegis et divinis.
XVIII. De pena sortilegorum.
XIX. De feriis.
XX. De sacrilegio.
XXI. De immunitate ecclesiarum. et cymiteriorum.
XXII. De decimis.
XXIII. De sepulturis.
I (sic). SECUNDUS LIBER.
II. De homicidiis.
III. De torneamentis.
IIII. De duello.
V. De sagittariis. et balistariis.
VI. De raptoribus. et predonibus et incendiariis.
VII. De naufragiis.
VIII. De pedagiis.
IX. De heredibus quid debent restituere.
X. De prescriptionibus et usucapionibus.
XI. De assessoribus.
XII. De advocatis.
XIII. De testibus.
XIIII. De accusatoribus.
XV. De iudicibus.
XVI. De condendibus leges iniquas.
XVII. De forma restitutionis
XVIII. De furtis.
XIX. De penis furti.
XX. De usuris et pignoribus.
XXI. De negotiis secularibus.
XXII. De aleatoribus.
I (sic). TERCIUS LIBER.
II. De qualitate ordinandorum.
III. Quod ordinandus sit sine crimine.
IIII. De bigamis non ordinandis.
V. De sobrietate ordinandi.
VI. De prudentia ordinandi.
VII. De pudicitia ordinandi.
VIII. De ornatu ordinandi.
IX. De hospitalitate ordinandi.
X. De doctrina ordinandi.
XI. De clerico percussore non ordinando.
XII. De litigiosis non ordinandis.
XIII. De cupidis non ordinandis.
XIIII. Qui sit bene prepositus domui.
XV. De neophytis non ordinandis.
XVI. De sollempniter penitentibus.
XVII. De curialibus et obligatis.
XVIII. De servis non ordinandis. et manumissis.
XIX. De manumissis.
XX. De corpore viciatis.
XXI. De filiis presbiterorum non ordinandis.
XXII. De eo qui distulit baptizari.
XXIII. De peregrinis et ignotis.
XXIIII. De etate et tempore ordinationum.
XXV. De eo qui furtive ordines recepit.
XXVI. A quibus debent episcopi consecrari.
XXVII. De temporibus ordinationum. ubi debent ordinationes conferri.
XXVIII. De forma ordinationis.
XXIX. De impedimento sexus.
XXX. De sacramentis non iterandis.
XXXI. Quid sit sacramentum.
XXXII. De consecratione ecclesie vel altaris.
XXXIII. De infamibus.
XXXIIII. De electione postulatione. confirmatione. receptione et usu pallii.
XXXV. De differenciis offitiorum.
XXXVI. De transitu clericorum.
XXXVII. De lapsis et dispensationibus.
XXXVIII. De venationibus.
XXXIX. De scandalo.
XL. De perplexitate.

XLI. De cohabitatione clericorum et mulierum. et eorumdem continentia.
XLII. De pena non servantis continentiam.
XLIII. De notariis.
XLIIII. De inquisitionibus et purgationibus.
XLV. De processu inquisitionis.
XLVI. De forma iuramenti. et conpurgatorum eius.
XLVII. De penis.
XLVIII. Quis possit punire.
XLIX. Excusat a pena.
L. Lex canonizata tunc unus debeat puniri pro altero.
LI. De sententia excommunicationis.
LII. De sententia precepti.
LIII. De sententia diffinitionis.
LIIII. De sententia (forma?) *excommunicationis.*
LV. De forma absolutionis.
LVI. De forma (poena?) *non servantis excommunicationem.*
LVII. De pena communicantium cum excommunicatis.
LVIII. De penitenciis.
LIX. De gradibus virtutum.
LX. De tribus actionibus penitentie.
LXI. De tribus speciebus penitentie.
LXII. De tribus necessariis ad perfectam penitentiam.
LXIII. De triduo peccati.
LXIIII. De triduo penitentie.
LXV. De prima dieta.
LXVI. De VI. causis que inducunt contricionem.
LXVII. Qualis debet esse contricio.
LXVIII. De effectu contricionis.
LXIX. Utrum in contricione dimittantur peccata.
LXX. Vel in confessione.
LXXI. Secunda dieta est in confessione.
LXXII. Que sunt necessaria ad veram contricionem.
LXXIII. De festinatione confessionis.
LXXIIII. Quod confessio debet esse integra.
LXXV. De frequentia confessionis.
LXXVI. Utrum sint interrogationes faciende et qualiter.
LXXVII. De circumstanciis.
LXXVIII. De interro claustralium.
LXXIX. De. XII. abusionibus claustri.
LXXX. De satisfactione.
LXXXI. De elymosina triplici.
LXXXII. De carnis maceratione.
LXXXIII. De communione.
LXXXIIII. De vigiliis.
LXXXV. De ieiuniis.
LXXXVI. De flagellis.
LXXXVII. De processu sacerdotis circa inpositionem satisfactionis.
LXXXVIII. De satisfactione falsa.
LXXXIX. De gradibus peccatorum.
LXXXX. De mensura penarum.
LXXXX (sic). *Utrum ex arbitrio suo penam imponere aut canonem servare teneatur.*
LXXXXI. De forma canonica.
LXXXXII. De pena homicidii casualis.
LXXXXIII. Quod omnes pene sint arbitrarie opinio.
LXXXXIIII. Ad quid valeant opera bona facta in mortali peccato.
LXXXXV. Utrum quis teneatur peccata sepius confiteri.
LXXXXVI. De finali penitentia.
LXXXXVI (sic). *De igne purgatorii.*
LXXXXVII. An prosint defunctis suffragia. ecclesie.
LXXXXVIII. Quibus defunctis prosint suffragia. ecclesie.
LXXXXIX. Quibus modis deleantur venialia.
C. De pena sacerdotis revelantis confessionem.
CI. Ad quid prosint remissiones.
CII. De impedimentis penitentie.
I (sic). QUARTUS LIBER DE MATRIMONIO.
II. De sponsalibus.
III. De matrimonio.
IIII. De errore persone.
V. De impedimento condicionis.
(*VI*). *De voto.*
(*VII*). *De cognatione carnali.*
(*VIII*). *De cognatione spirituali.*
(*IX*). *De cognatione legali.*
(*X*). *De impedimento criminis.*
(*XI*). *De dispari cultu.*
(*XII*). *De violentia metu sive.*
(*XIII*). *De impedimento ordinis.*
(*XIV*). *De impedimento ligationis.*
(*XV*). *De publice honestatis iusticia.*

(XVI). De impotentia coeundi.
(XVII). De affinitate.
(XVIII). De impedimento feriarum.
(XIX). De matrimonio contra interdictum ecclesie contracto.
(XX). Qualiter et quando mulier potest petere aliquid in iure.
(XXI). De divortio propter consanguinitatem. vel aliud perpetuum impedimentum.
(XXII). De impedimento propter fornicationem.
(XXIII). De numero testium in matrimonio et aliis casibus.
(XXIV). Qui filii sint legittimi.
(XXV). De dote et donatione propter nuptias.
(XXVI). De paraferma. de restitutione dotis.

Incipit prologus primi libri sine ullo titulo: *Quoniam ut ait...* desinit: *emendes*; et immediate sequitur index eiusdem libri ut in edito, et postea Titulus primus etiam sine Rubrica. Incipit: *Quoniam inter crimina.....* Desinit: *si quis a symoniacis.*

Pag. 2 — In quibus casibus licet dare vel accipere aliquid pro spiritualibus. Incipit: *Porro sunt...* Desinit: *magis placet.* Ibi pag. 2.

De pena symoniacorum. Incipit: *Circa penam...* Desinit: *si quis episcopus.* Ibi pag. 7.

Cui restituenda sit pecunia per symoniam accepta. Incipit: *Sed quid de pecunia...* Desinit: *regulariter.* Ibi pag. 9.

Qualiter dispensetur cum symoniaco. Incipit: *Restat videre...* Desinit: *conquestus.* Ibi.

Pag. 4 — Ne prelati vices suas sub annuo censu concedant. Incipit: *Dictum est...* Desinit: *numquid sacerdos.* Ibi pag. 20.

De magistris et ne aliquid exigatur pro licentia docendi. Incipit: *Diximus...* Desinit: *circa predictos.* Ibi pag. 21.

De iudeis et sarracenis et eorum servis. Incipit: *Egimus...* Desinit: *multorum.* Ibi pag. 24.

Pag. 5 — De hereticis et fautoribus eorum et ordinatis ab eis. Incipit: *Dictum est...* Desinit: *sicut in uno.* Ibi pag. 30.

Pag. 6 — De scismaticis et ordinatis ab eis. Incipit: *Dictum est...* Desinit: *scisma.* Ibi pag. 43.

Pag. 7 — De apostatis. Incipit: *Egimus...* Desinit: *quanto.* Ibi pag. 47.

De votis et votorum redemptionibus et transgressionibus. Incipit: *De quibusdam...* Desinit: *conquerente.* Ibi pag. 54.

Pag. 10 — De iuramento et periurio. ℟ca. Incipit: *Supra dictum est...* Desinit: *in fin.* Ibi pag. 79.

Pag. 12 — De mendatio. ℟ca. Incipit: *Quoniam periurium...* Desinit: *relinquo disputationi.* Ibi pag. 97.

Pag. 13 — De sortilegis et divinis. ℟. Incipit: *Diximus...* Desinit: *circa finem.* Ibi pag. 102.

Pag. 14 — Deficiente Rubrica *De feriis,* incipit: *Dictum est...* Desinit: *si quis per necessitatem.* Ibi pag. 109.

Pag. 15 — Sine Rubrica *De sacrilegiis.* Incipit: *Postquam de criminibus dictum est...* Desinit: *si quis deinceps.* Ibi pag. 112.

De emunitate ecclesiarum. ℟ca. Incipit: *Diximus...* Desinit: *pervenit.* Ibi pag. 113.

Pag. 16 — De decimis primiciis et oblationibus. ℟. Incipit: *Quoniam retentores...* Desinit: *circa medium.* Ibi pag. 120.

Pag. 18 — De sepulturis. ℟. Incipit: *Nunc videndum est de sepulturis...* Desinit: *hic consequenter.* Ibi pag. 132.

Pag. 28 — IN SANCTI LUCAE EVANGELISTAE. SERMO DOMINI BERTHARII ABBATIS. Incipit: *Cum in divinis atque sacris voluminibus studiose lectitando...* Desinit: *quem predicavit confluerent. Qui cum patre... saeculorum. amen.* Extat in Homiliario Albini Flacci Alcuini pag. 138. absque auctoris nomine.

Pag. 34 — LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM LUCAM... *Si quis vult post me venire...* OMILIA BEATI GREGORII PAPAE DE EADEM LECTIONE. Incipit: *Quia dominus hac redemptor noster novus homo venit...* Desinit: *adepturi sumus. Per eum qui vivit... seculorum. Amen.* Gregorii Hom. XXXII.

Pag. 42 — INCIPIT PROLOGUS IN PASSIONEM SANCTORUM MVRTYRUM CHRISANTI ET DARIAE. Incipit: *Historiam priorum sanctorum ad aedificationem nostram deus voluit...* Desinit: *qui credituri sunt profuturam.*

Pag. 43 — EXPLICIT PROLOGUS. Incipit: *Polemius vir illustrissimus alexandriae urbis honoratus et primus ad urbem...* Desinit: *chrisantum et dariam cum multis filiis per triumphum martyrii ad gloriam perpetuae coronae suscepit.* Extat cum Prologo apud Mombritium T. I. pag. 152.

Pag. 60 — ITEM DE INVENTIONE EORUM. DIMITTE. Incipit: *Gloriosissimorum martyrum triumphos venerari piae devotionis est...* Desinit: *adiutore describere.* Apud Surium T. I. pag. 407.

Pag. 61 — Praemissa voce DIMITTE, incipit: *Temporibus igitur numeriani impiissimi caesaris dum in romana urbe idolorum cultura...* Desinit: *percipere mereamur. Per dominum nostrum ihesum christum. qui... seculorum. Amen.* Ibi pag. 408. lin. 10. Differt aliquantum in fine.

Pag. 64 — Praemissa voce DIMITTE, incipit: *Sanctorum diodori et mariniani sociorumque eorum...* Desinit: *sanitati redditus est.* Ibi pag. 409.

Pag. 66 — LECTIO VIIII. SERMO DE TRANSLATIONE SANCTI BARTHOLOMEI APOSTOLI. Incipit: *Bartholomei venerabile omniumque laudum solemni...* Desinit: *digne celebratur festivitas. Regnante... seculorum. Amen.* Bolland. T. V. Aug. pag. 39. Huic *Orationi Encomiasticae*, auctore S. Theodoro Studita, adiuncta sunt *Acta Translationis*, auctore S. Berthario Abbate Casinensi, ibi pag. 42. relata.

Pag. 86 — PASSIO SANCTI DIMITRII MARTYRIS. Incipit: *Cum maximianus herculeus gothos et sarmatas romanis...* Desinit: *et vitae aeternae faciat esse participes. In christo ihesu... seculorum. Amen.* Apud Mombritium T. I. pag. 220. et Surium T. V. pag. 619. sed differt.

Pag. 102 — PASSIO SANCTORUM APOSTOLORUM SYMONIS ET IUDAE. Incipit: *Symon chananeus et iudas apostoli domini nostri ihesu christi cum per revelationem spiritus sancti...* Desinit: *idolis sacrificare contempsit. Regnante domino nostro... seculorum. Amen.* Apud Mombritium T. II. pag. 294.

Pag. 123 — VITA VEL OBITUS SANCTI GERMANI EPISCOPI. Incipit: *Campanie tellus sicut ad proferendos multimodi generis fructus opima est...* Desinit: *nunquam finienda gaudia susceperunt.* Ibi T. I. pag. 325.

Pag. 131 — PASSIO SANCTI MAXIMI MARTYRIS. LECTIO VIIII. Incipit: *Sub diocletiano et maximiano imperatoribus facta est ingens persecutio christianorum...* Desinit: *nunc ostendit. per virtutem domini nostri ihesu christi. Qui cum patre... seculorum. Amen.*

Pag. 139 — PASSIO SANCTI CAESARII LEVITAE ET MARTYRIS. Incipit: *Quintus a caesare octaviano augusto claudius nero gallicula...* Desinit: *interventionibus eorum. Prestante domino nostro... seculorum. Amen.* Non invenimus.

Pag. 160 — COMMEMORATIO OMNIUM SANCTORUM. Incipit: *Legimus in ecclesiasticis historiis quod sanctus bonifacius...* Desinit: *ut cum ipsis postmodum in aeterna saecula gaudere mereamur. Prestante domino nostro ihesu... seculorum. Amen.* Vide quae de hoc sermone diximus in excussione Cod. CXI. pag. 310.

Pag. 172 — LECTIO XI. Incipit: *Hodie dilectissimi omnium sanctorum sub una sollemnitate...* Desinit: *contingat optemus. Qui cum patre et spiritu sancto... seculorum. Amen.* Augstin. Sermo CCIX. *App.*

Pag. 177 — PASSIO SANCTORUM VALENTINI ET HILARII. Incipit: *Tempore quo maximianus augustus regnabat misit edictum per universas provincias...* Desinit: *de roma adduxerat. Ad laudem et gloriam domini... seculorum. Amen.* Horum Viterbiensium Martyrum *Acta* Baronius in suo *Martyrologio* sub die III. Novembris ab Ecclesia Viterbiensi se accepisse monet. Ea Ferrarius in *Cathal. Sanctorum Italiae* die III. Novembris in compendium redacta edidit.

Pag. 182 — PASSIO SANCTORUM QUATTUOR CORONATORUM. Incipit: *Dioclitianus caesar qui super omnes caesares contra cristianam religionem...* Desinit: *nomine insignis. Ad laudem... seculorum. Amen.* Angelus Mai in *Spicil. Rom.* T. IV. pag. 282. horum Sanctorum Passionis Prologum affert, et ex initio ab eo allato cum hac concordare videtur.

Pag. 195 — PASSIO SANCTI THEODORI MARTYRIS. Incipit: *Temporibus suis maximianus et maximinus imperatores miserunt edictum ubique...* Desinit: *usque in presentem diem. Ad laudem et gloriam... seculorum. Amen.* Apud Mombritium T. II. fol. 324.

Pag. 200 — Titulo veteri abraso, hic recentior suffectus est: *Passio sancti Martini pape et Martyris.* Incipit: *Summa devotione recolendus meritisque precipuis deo per omnia...* Desinit: *declarant indicia. Ad laudem domini nostri ihesu christi. qui... seculorum. Amen.* Apud Mosandrum pag. 826. ubi passim haec *Acta* prolixiora sunt. Prologum huic historiae in quodam Cod. Vat. praefixum edidit Angelus Mai *Spic. Rom.* T. IV. pag. 293. ex quo patet ea Theodoricum auctorem habere.

Pag. 209 — EPISTOLA SEVERI SULPICII AD DESIDERIUM DE LIBRO QUEM SCRIPSIT IN VITAM SANCTI MARTINI EPISCOPI TURONENSIS. DIMITTE. Incipit: *Sulpicius severus desiderio fratri suo salutem dicit. Ego quidem frater...* Desinit: *non loquatur auctorem.* T. XX. col. 159. *Patrol. Lat.* Migne.

Pag. 210 — INCIPIT PROLOGUS SEVERI SULPICII

IN VITAM SANCTI MARTINI EPISCOPI ET CONFESSORIS. Incipit: *Plerique mortalium studio gloriae saecularis...* Desinit: *quam falsa dicere maluissem.* Ibi col. 159.

Pag. 211 — EXPLICIT PROLOGUS. Incipit: *Igitur Martinus sabaria pannoniarum oppido...* Desinit: *sed quicumque crediderit.* Ibi col. 161. n. II.

Pag. 234 — LECTIO X. EPISTOLA SEVERI SULPICII AD EUSEBIUM PRESBITERUM. Incipit: *Hesterna die cum ad me plerique monachi venissent...* Desinit: *sed et probatum.* Ibi col. 175.

Pag. 237 — LECTIO XI. EPISTOLA EIUSDEM SEVERI AD AURELIUM DIACONEM. Incipit: *Posteaquam a me mane digressus es...* Desinit: *prestaret caro solacium.* Ibi col. 178.

Pag. 240 — LECTIO XII. EPISTOLA SEVERI SULPICII AD SOCRUM SUAM BASULAM. Incipit: *Sulpicius severus basulae parenti venerabili salutem. Si parentes vocari in ius liceret...* Desinit: *respicit te legentem.* Ibi col. 181. Codex concordat cum textu Vulg. et minime cum lectione Cod. Capitularis Veron. ab editore Veron. ibi allata.

Pag. 245 — DIALOGUS SEVERI SULPICII. Incipit: *Ego plane inquit gallus licet impar sim...* Desinit: *dolore discessum est.* Ibi a fine col. 200. usque ad finem *Dialogi* III.

Pag. 258 — PASSIO SANCTI MENNAE MARTYRIS. Incipit: *Anno imperii sui nono dioclitianus augustus universis provinciis suae scelestae subditis dicioni...* Desinit: *in praesentem diem. Cui est... saeculorum. Amen.* Apud Mombritium T. II. fol. 156.

Pag. 263 — VITA VEL OBITUS SANCTI IOHANNIS CHRISOSTOMI. Incipit: *Iohannes chrisostomus secundo et anthusa parentibus nobilissimis...* Desinit: *per pre(me)moratum praesulem ecclesiae restituti sunt.* Non invenimus.

Pag. 270 — INCIPIT PROLOGUS IN VITAM BEATI GREGORII THEUMATIRGI. Incipit: *Gregorius divina gratia nisenae sedis episcopus omnibus...* Desinit: *percipere mereamini.*

EXPLICIT PROLOGUS. Incipit: *Igitur Gregorius neocesarea ponti urbe genitus. inclitam...* Desinit: *apparuit. De positus est vero quinto decimo kalendarum decembrium. Regnante..... saeculorum. Amen.* De S. Gregorio Taumaturgo *Orationem* Gregorius Nissenus scripsit (T. III. pag. 534. ed. Paris. 1638) et ab ea haec vita excerpta videntur.

Pag. 297 — PASSIO SANCTAE CECILIAE VIRGINIS. Incipit: *Humanas laudes et mortalium infulas videmus...* Desinit: *In qua beneficia domini exhuberant ad memoriam beatae ceciliae usque in hodiernum diem.* Apud Mombritium T. I. pag. 188.

Pag. 320 — PASSIO SANCTI CLEMENTIS EPISCOPI ET MARTYRIS. Incipit: *Tertius romanae ecclesiae praefuit episcopus clemens. qui disciplinam apostoli petri secutus. Ita morum ornamentis pollebat...* Desinit: *Benedixerunt dominum nostrum ihesum christum qui tanta mirabilia ostendit servis suis per beatum clementem martyrem suum atque pontificem. Cui est honor... saeculorum. Amen.* Ibi pag. 195.

Pag. 330 — INCIPIT PROLOGUS IN PASSIONEM SANCTI CHRISOGONI ET SANCTAE ANASTASIAE. DIMITTE. Incipit: *Omnia quae a sanctis gesta sunt vel geruntur si quis voluerit studiose perquirere...* Desinit: *incipiat te timere.* Ibi pag. 200.

Pag. 331 — EXPLICIT PROLOGUS. Incipit: *Pretextati illustris viri filiam anastasiam legimus...* Desinit: *in qua operatur beneficia sua dominus. ad laudem nominis sui. usque in finem. saeculi. Amen.* Ibidem. Post verba: *Caeteras sanctorum actiones prolixitatis nimietate praetereo. et carptim per amicas anastasiae ad ipsius anastasiae finem attingo*, quae pag. 336. occurrunt, hic SS. Croniae, Irenes, Agapes adnectuntur *Acta*, quae apud Mombritium T. I. pag. 201. extant. Quibus absolutis sequuntur S. Anastasiae *Acta* quae ab editis differunt.

Pag. 355 — PASSIO SANCTI MERCURII MARTYRIS. Incipit: *Decius ambitionis inflammatus libidine ad pervadendum temere regnum. philippum imperatorem...* Desinit: *ego retribuam. christus dominus. Vivens et regnans deus cum patre in unitate spiritus sancti. per omnia saecula. saeculorum.* Edidit Martene T. VI. col. 743. Codex fusior est in fine.

Pag. 373 — PASSIO SANCTE CATERINAE VIRGINIS. LECTIO XII. Incipit: *Constantinus sacratissimus et christianissimus imperator cum post mortem constantii patris in galliis...* Desinit: *in loco optimo et condigno meritis eius. Ad laudem... saeculorum. Amen.* Differt ab edita a Surio T. VI. pag. 580.

Pag. 379 — PASSIO SANCTI PETRI ALEXANDRINI

EPISCOPI. Incipit: *Si omnes mei corporis artus verterentur in linguas...* Desinit: *magnificare felicius. Qui cum... saeculorum. Amen.*

Pag. 393 — ITEM UNDE SUPRA. DE ARRIO. DIMITTE. Incipit: *Post haec qualiter doli artifex lupus hoc est arrius ovina pelle contectus...* Desinit: *caeli municipatum adquirere mereamur. Amen.* S. Petri Alexandrini *Acta* ab Anastasio Bibliothecario e Graeco translata fuisse multis testimoniis, quae hic referre omittimus, evinci potest. Quaenam autem ex editis sub nomine eius sincera sint incertum est. Surius enim censet *Acta*, quae ipse edidit die XXVI. Decembris, Anastasium interpretem habuisse. Cl. Mai e contra auctoritati Baronii innixus, arbitratus est *Acta* ab Anastasio translata ea esse, quae ipse invenit in pervetusto Codice Vaticano 602. et in T. III. *Spic. Rom.* pag. 671. edidit. At huic sententiae minus favet Codex noster, qui, quum integra S. Petri Alexandrini *Acta*, in Vaticano Codice mutila, exhibeat, haec verba continet, ex quibus coniici potest *Acta* a Mai edita non per Anastasium sed per alium latinitate donata fuisse. Horum *Actorum* scriptor disserens de auctoribus, quibus in eis texendis usus est, haec dicit: *Sciendum praeterea est quia gesta beatissimi martyris petri non omnia inveniuntur in patria lingua quae superius tranferre conati sumus sed quaedam eorum ex libello decerpere studuimus qui vitam et gesta sanctissimi refert anastasii. quaedam vero ex chronica* etc. Quum ipse moneat aliqua *decerpsisse* ex libello Anastasii, S. Petri *Acta* habente, nullo modo Anastasio ea interpretatio adiudicari potest. Ne autem *Acta* a Mai edita diutius integritate careant, in *Florilegio* huius Voluminis, quod in Vaticano Codice desideratur, dabimus.

Pag. 403 — PASSIO SANCTORUM MARTIRUM SATURNINI ET SISINII. Incipit: *Tempore quo maximianus augustus rediit de partibus africae ad urbem romam. volens placere...* Desinit: *et sepelivit in praedio suo sub die tertio kalendarum decembrium. Regnante domino... saeculorum. Amen.* Horum martyrium desumptum est, uti in hoc Cod. legitur, ex *Actis* Sancti Marcelli Papae a Surio T. I. pag. 361. editis.

Pag. 405 — Sine titulo incipit: *Passionem Beati andreae apostoli. quam oculis nostris vidimus...* Desinit: *ad agnitionem veritatis venire. Cui sit gloria... seculorum. Amen.* Apud Mombritium T. I. fol. 55.

Pag. 412 — PASSIO SANTCTE BEBIANAE VIRGINIS. Incipit: *Orto imperio iuliani persecutoris cruciati sunt in diversis provinciis iussu eius multa milia martyrum...* Desinit: *sacrificium offerebant. Cui est honor et gloria in saecula saeculorum. Amen. Explicit passio sanctorum martyrum flaviani. dafrose. demetrie. et bebianae. prisci presbyteri. et priscilliani clerici. et religiosae feminae benedictae. fausti. iohannis presbyteri. et pigmenii prebyteri. quam scripsit donatus subdiaconus regionarius sanctae sedis apostolicae. Acta* S. Bibianae manuscripta se habuisse Baronius testatur in *Martyrologio* die II. Decembris, et in suis *Annalibus* ea corrupta fuisse monet. Bollandiani Baronii sententiam secuti sunt, et de S. Dafrosa die IV. Januarii agentes, quia *Acta* huius, Bibianae et aliorum permixta sunt, se die XXIV. Martii daturos pollicentur. Ea die in *Bollandiana* editione nobis haud contigit ea integra invenire sed tantum aliqua de Pigmenio. Quapropter edenda in *Florilegio* huius Voluminis censuimus, quamvis non satis nobis constet an ea, de quibus Baronius et Bollandiani locuti sunt, cum his concordent, neque ullo indicio coniecturis indulgere possimus. Auctorem habent Donatum Subdiaconum regionarium Sanctae Sedis apostolicae ut in ipso Codice proditur. Quisnam hic Donatus fuerit nos prorsus latet: sed ex officio *Subdiaconi regionarii*, quo fungebatur in Ecclesia Romana, erui licet eum doctrina praeditum extitisse.

Pag. 417 — PASSIO SANCTAE BARBARAE VIRGINIS. Incipit: *Temporibus imperatoris maximiani. erat quidam senator nomine dioscorus. dives valde. paganus existens. idola colens. Hic habuit...* Desinit: *Martyrizata est autem beatissima barbara. pridie nonas decembris imperante maximiano augusto et praeside marciano. Apud nos vero. Regnante... saeculorum. Amen.* Apud Mombritium T. I. pag. 74.

Pag. 421 — VITA VEL OBITUS SANCTI SABAE. Incipit: *Beatissimus sabas ortus ex provincia cappadocia fuit. natus vero in civitate quae mutalassis dicitur. Quae antea quidem pro sua parvitate incognita...* Desinit: *ac si hora eadem defunctus fuisset. Haec itaque de eius corpore dicta sufficiant.*

S. Sabae *Vitam* Cyrillus Scypol. scripsit et eam, a Simeone Metaphraste latine interpolatam, die V. Decembris Surius edidit. Guillelmus Cave *Script. Eccl.* pag. 342. monet eiusdem antiquam versionem, nondum a Metaphraste corruptam, die XX. *Ianuar.* Bollandum edidisse; at ibi tantum S. Euthimii *Vita* habetur, cuius liber II. in quo, uti Lambeccius *Bibl. Vind.* col. 652. adnotat, S. Sabae *Vita* continetur, aut *aliud opus* in quo, uti ipse S. Cyrillus in fine *Vitae* S. Euthymii praemonet, S. Sabae res gestae referuntur. Quapropter collationem cum ea instituire non potuimus; cum Suriana editione autem collata, discrepans et brevior prodiit.

Pag. 425 — Incipit prologus in vitam sancti Nycolai episcopi et confessoris. Incipit: *Sicut omnis maceries. si ab imperito artifice constructa fuerit non solum deformitatis...* Desinit: *tutos fore laetemur.* Apud Lypomanum *De Vitis Sanctorum* ed. Lovan. 1571. par. II. pag. 266.

Pag. 427 — Explicit prologus. Incipit: *Nicolaus itaque ex illustri prosapia ortus civis fuit paterae urbis...* Desinit: *fideliter ihesu christo domino servire meramur. Qui cum... saeculorum. Amen.* Ibi pag. 267.

Pag. 449 — Incipit prologus Paulini. in vitam sancti Ambrosii episcopi et confessoris. Incipit: *Hortaris venerabilis pater augustine ut sicut...* Desinit: *quae fuerit agnoscatur.* T. I. *Opp.* Sancti Ambrosii pag. 29. ed. Migne.

Pag. 450. — Explicit prologus. Incipit: *Igitur posito in administratione...* Desinit: *fugisse supplicium.* Ibi col. 130. n. 3.

Pag. 476 — Passio sancti Savini episcopi et martyris. Lect. XII. Incipit: *Maximiano augusto quinto decimo kalendas maias in circo maximo consistente. die festo veniente...* Desinit: *In quo loco exuberant beneficia eius usque in hodiernum diem. Ad laudem... saeculorum. Amen.* Apud Balutium T. II. *Miscellan.* pag. 47.

Pag. 483 — Passio sanctae Eulaliae virginis et martyris. Incipit: *Beatissima Eulalia barcilonensium civis et incola. nobilis genere. a tenero aetatis suae tempore...* Desinit: *Et ad voces psallentium multi e populo convenerunt. et mox cum laetitia sepelierunt eam. Gratias agentes deo patri et spiritui sancto. qui... saeculorum. Amen.* Bolland. T. II. Februarii pag. 577.

Pag. 488 — Incipit prologus in passionem sancti Eustratii et sociorum eius. Incipit: *In una eademque scripturarum serie. non eademque est adhibenda mentis intentio...* Desinit: *quam aliena narramus.*

Pag. 490 — Explicit prologus. Incipit: *Imperantibus igitur diocliliano et maximiano universitas romani imperii. nefandorum idolorum...* Desinit: *salubris hic nostri laboris effectus patrocinantibus omibus sanctis. Gloria... saeculorum. Amen.* Quae hic habentur S. Eustratii et sociorum *Acta* ex graeco in latinum transtulisse Guarimpotum, iussu Athanasii II, qui post Patruum suum, eiusdem nominis, Neapolitanam Sedem ab anno 876 ad 902. rexit, ex prologo eis praefixo eruitur. Quis autem ipse sit nos latet. Aloysius Parascandolo in suo opere cui titulus *Memorie Storiche — Critiche — Diplomatiche della Chiesa di Napoli*, Baronii auctoritate fretus, Ioanni *S. Ianuarii servo*, quo titulo ipse in S. Nicolai *Vita* se vocat, tribuere nititur, contendens eum nomen barbarum *Guarimpotum* in Ioannem mutavisse, cum ad sacros ordines promotus fuit. Hanc sententiam nulla ratione firmat; quapropter in eandem ire minime nobis placet, nam quidam Cod. Bibliothecae Vallicellianae, alius litteris longobardis conscriptus, et hic noster Guarimpoti nomen exhibent. Graecum auctorem huius *Martyrii* Allatius adnotat non esse Simeonem Metaphrasten, uti plures, ideoque neque Evodium, uti ipse Parascandolo adfirmavit, sed Eusebium Monachum Sebastenum, qui in fine horum *Actorum* sibi illa a iuvene quodam relata esse scribit. Hoc quoque evincitur ex his verbis quibus Prologus concluditur: *Omni ergo scrupulo remoto. lege lector fideliter. credens haec quae vir domini eusebius greca edidit luce verborum.*

Pag. 517 — Passio sanctae Luciae virginis et martyris. Lectio VIII. Incipit: *Cum per universam provinciam siciliae beatissimae martyris agathae fama...* Desinit: *et beneficia largiuntur omnibus contingentibus sepulcrum eius. Passa est autem sancta lucia in civitate siracusana sub die iduum decembrium. Regnante...saeculorum. Amen.* Apud Surium T. VI. pag. 892.

Pag. 523 — Passio sancti Thome apostoli. Incipit: *Cum apostolus thomas qui et didimus esset apud caesaream. appuruit ei...* Desinit: *ad*

apostolorum gaudia pervenire. Adiuvante ipso domino... saeculorum. Amen. Apud Mombritium T. II. pag. 333.

Pag. 541 — PASSIO GREGORII MARTYRIS SPOLITINI. Incipit: *Temporibus diocltiani ac maximiani imperatorum. talis furor a sacrilegis exardescebat per cunctam italiam...* Desinit: *et benedicit annos iusti. Ipsi honor... saeculorum. Amen.* Apud Surium T. VI. pag. 951.

Pag. 547 — INCIPIT PROLOGUS IN GESTA SANCTI IOHANNIS EVANGELISTAE. Incipit: *Mellitus servus christi episcopus laodociae universis episcopis ecclesiarum catholicarum in domino aeternam salutem. Volo sollicitam esse fraternitatem...* Desinit: *explicemus.* Vide *Florilegium* T. II. p. 66.

Deinde pag. 549. sequitur: *Secundam post nerorem domitianus persecutionem exercuit. Huius temporibus beatus iohannes apostolus et evangelista apud urbem ephesum a proconsule...* Desinit: *et precum consequuntur effectum. Prestante... saeculorum. Amen.* Ibi.

Pag. 561 — LECTIO VIII. Sine titulo incipit: *Audite fabulam et non fabulam sed rem gestam de iohanne apostolo et memoriis omnium tradita...* Desinit: *et tropea in eo resurrectionis ostendens.* Ibi.

Pag. 564 — INCIPIT PROLOGUS IN VITAM SANCTI SILVESTRI PAPAE. Incipit: *Historiographus noster Eusebius caesariensis episcopus cum historiam ecclesiasticam scriberet...* Desinit: *tuae vero orationis si evasero culpam.*

Pag. 565 — EXPLICIT PROLOGUS. INCIPIT LIBER PRIMUS EX PARTE LIBRI OCTAVI DE EPISCOPIS ROMANIS ATTITULATI EUSEBII CESARIENSIS EPISCOPI. QUI ET HANC HISTORIAM ECCLESIASTICAM SCRIPSIT APUD CESAREAM PALESTINAM. Incipit: *Silvester itaque cum esset infantulus a vidua matre...* Desinit: *Vale domine augustae fili charissime. et prosperis ad vota successibus polle.* Mombrit. pag. 279.

Pag. 581 — AD HAEC RESCRIPTA SUNT HAEC. Incipit: *Domine semper augustae matris helenae filius constantinus augustus. Qui moderatur saecula et disponit totius mundi...* Desinit: *victoria accipit palmam.* Ibi.

Pag. 584 — EXPLICIT LIBER PRIMUS. INCIPIT SECUNDUS. Incipit: *Priori libello hic finis occurrit. qui promitteret secundo hoc libro iudaeorum contentiones...* Desinit: *via salaria miliario tertio ab urbe roma. Pridie kalendas ianuarias. qui vero catholicus. et christi confessor quievit in pace. et cessavit episcopatus dies quindecim.* Ibi.

Pag. 616 — INCIPIT PROLOGUS IN VITAM SANCTI BASILII ARCHIEPISCOPI ET CONFESSORIS. DIMITTE. Incipit: *Postquam lucifer ille procax de caelesti gloria dimersus est...* Desinit: *maiestas similis. Per omnia saecula saeculorum. Amen.*

Deinde pag. 618. prosequitur: *Basilius igitur in civitate cappadociae ex kristianissimis atque deo dignis parentibus...* Desinit: *sancti spiritus scripserat libros. Ad gloriam et laudem... saeculorum. Amen.* Duae inter se discrepantes S. Basilii Vitae translationes ex graeco Amphilochio tributae in huius Bibliothecae Codicibus continentur. Alteram Cod. CX. pag. 143. CXXXIX. pag. 616. CXLI. pag. 185. CXLIV. pag. 267. CLV. pag. 196. exhibent. Haec a Rosweydana editione differt, et in Prologo *Vitae* praefixo, quem Bolland. T. II. Iunii pag. 937. ediderunt, Ursi nomen habet. Alteram tantum Codex CDLXII. continet, quae cum *ed. cit.* concordat et in *Prologo* haec notatu digna initio prodit: *Urso Venerabili subdiacono sanctae romanae ecclesiae seu medico et domestico domini nostri sacratissimi papae nicholay anastasius exiguus abbas monasterii sanctae dei genitricis mariae virginis. siti trans tiberim. ubi olim circa domini nativitatem fons olei fluxit in domino salutem.* Ex his verbis argui potest, interpretationem a Rosweydo editam, potius Anastasium auctorem habere, quam Ursum, cui tamen aliam, quae cum eius nomine in caeteris Cod. continetur, adiudicandam censuimus.

Pag. 651 — OCTAVAE SANCTI STEPHANI PROTOMARTYRIS. Incipit: *Factum est cum esset reconditum corpus sancti protomartyris stephani ierusolimis in sancta sion...* Desinit: *Sanitates autem et virtutes factae sunt super infirmos in diebus illis. in gloria patris et filii et spiritus sancti. Cui est gloria et imperium in saecula saeculorum. Amen.* Apud Mombritium T. II. fol. 272.

Pag. 657 — INCIPIT EPISTOLA EUGEPII PRESBITERI AD PASCHASIUM DIACONUM DE VITA ET MIRACULIS SANCTI SEVERINI. Incipit: *Domino sancto ac venerabili paschasio diacono eugepius in christo salutem. Ante hoc ferme biennium...* Desinit. *po-*

scere non desistas. T. LXII. *Patrol. Lat.* Migne col. 1167.

Pag. 660 — Explicit epistola. Incipit: *Tempore quo attila rex hunnorum defunctus est. utraque pannonia...* Desinit: *operante dei gratia sanitatem. Cui est honor et gloria in saecula saeculorum. Amen. Habes egregie christi minister. commemoratorium. de quo opus efficias tuo magistro fructuosum*. Ibi col. 1170.

Pag. 697 — Explicit. Item epostola paschasii diaconi rescripta ad eugepium presbyterum. Incipit: *Domino sancto semperque karissimo eugepio presbytero paschasius diaconus. Frater in christo karissime. Dum nos peritiae tuae facundia et otii felicitate...* Desinit*: sed optimis successibus eatenus ampliatur*. Ibi col. 39.

Pag. 698 — Lectio V. Incipit prologus in vitam sancti ylarii episcopi et confessoris. Incipit: *Domino sancto et meritis beatissimo patri pascentio papae fortunatus. Religiosi pectoris studio...* Desinit: *de eius vita proponamus*. T. IX. *Patrol. Lat.* Migne col. 185.

Pag. 699 — Explicit prologus. Incipit: *Igitur beatissimus hylarius pictavorum urbis episcopus...* Desinit: *ut de te legere populum brevitas plus invitet*. Ibi col. 186. et comprehendit etiam librum secundum, cuius hic deest n. 1. et initium n. 2. differt.

Pag. 713 — Item epistola sancti ylarii ad apram filiam suam ab exilio destinata. Incipit: *Dilectissimae filiae aprae. hilarius in domino salutem. Accepi litteras tuas. intelligo desiderantem te mei esse. et certum ita habeo...* Desinit: *filia desiderantissima*. T. X. *Patrol. Lat.* col. 547.

Pag. 717 — Incipit prologus in vitam sancti felicis confessoris. Incipit: *Domino sancto atque in christo florentissimo episcopo leoni marcellus presbiter. Studium me tuae sollicitudinis commovet...* Desinit: *indigno minime sermone percurram*. Bolland. T. II. Ian. pag. 946.

Explicit prologus. Incipit: *Ad gloriam domini nostri ihesu christi pertinet. et ad salutis magnae remedium sanctorum merita...* Desinit: *et depositus est nonodecimo kalendas februarias. Regnante domino... saeculorum. Amen*. Ibi Cap. I.

Pag. 723 — Lectio VIII. Incipit: *In principio narrationis nostrae adesse nobis precamur gratiam domini nostri ihesu christi. qualinus ea quae...* Desinit: *Et omnes qui audierunt christo gratias egerunt. Qui... saeculorum. Amen*. Non invenimus.

Pag. 724 — Passio sancti felicis presbyteri. Incipit: *Cum fervor dioclitiani et maximiani sanctos dei diversis paenis interficeret. duos fratres simili nomine felicem et felicem gratia dei...* Desinit: *proiciens se in pavimento in orationem perrexit ad dominum. Qui vivit et regnat... saeculorum. Amen*.

De *Sancto Felice*, egerunt Bolland. die 14. Ianuarii et die 30. Augusti. Nobis satis erit lectores monere plurium Sanctorum nomine *Felices* Vitas hic conflatas esse, et ex prioribus verbis a Bolland. T. VI. pag. 548. n. 15. allatis argui posse in hoc Cod. contineri quae in antiquo *Breviario Capuano* sub die 14. Ianuarii leguntur. Plurima investigationibus opera impensa, haec *Acta* partim in quodam *Breviario* Venetiis 1560 excuso, partim in Bolland. T. I. Ian. pag. 951. edita invenimus. Vide quae diximus in Cod. CX. pag. 197.

Pag. 728 — Passio sancti marcelli papae. Incipit: *Tempore quo maximianus augustus rediit de partibus africae ad urbem romam. volens placere dioclitiano augusto...* Desinit: *Tunc iussit sterni in terra et fustibus cedi et dum diu cederentur nulla vox ex eis audita est. nisi tantum...* Bolland. T. II. Ianuarii pag. 5. usque ad lin. 22. pag. 7.

CODEX CXL.

SIGNATUS NUMERIS EXTERIORIBUS 140 ET 78, INTERIORI DEFICIENTE. PLUTEO KK.

Codex membranaceus, in folio, longitudinis metri 39/$_0$, latitudinis 24/$_0$, constans paginis 606, characteribus longobardis XI saeculi duplici columna exaratus. Habet pro titulo: *Vitae Sanctorum Patrum. Visio Theodini*. A Montfauconio sic datur: *Vitae Sanctorum Patrum. Visio Vectini* alias Theodini monachi.*

Pag. 1 — Mutilus est in principio Codex et incipit a vita S. Pauli Primi Eremitae, cuius prima verba sunt: *et multa quae prosequi otiosum est incredibilia fingentes. Quorum quia impudens mendacium fuit. nec referenda...* Desinit: *eligeret tunicam pauli cum meritis eius. quam regum purpuras cum regnis suis.* Apud Rosweydum *Vit. Patr.* pag. 17.

Pag. 15 — Hic etiam unum vel potius plura folia abrupta fuisse videntur. Quapropter Vita S. Antonii, carens tantum titulo, quem proximum folium abscissum exhibebat, incipit: *Ex alia in aliam linguam. ad verbum expressa...* Desinit: *et litteras. tu quaere sententiam.* Interposita Rubrica: Athanasius episcopus ad monachos, sequitur: *Optimum fratres in istis certamen...* Desinit: *pro tanti nominis viro.* Ibi pag. 36.

Pag. 17 — Explicit prologus. Incipit: *Igitur antonius nobilibus religiosisque parentibus aegypto oriundus fuit...* Uno folio in medio deficiente, desinit: *scilicet hominum. et totius corruptionis artifices.* Ibi pag. 36.

Pag. 119 — Vita vel obitus sancti romani abbatis. Incipit: *Adest nobis dies venerandae commemorationis beatissimi romani egregii confessoris christi. quae licet omnibus...* Desinit: *et non ad profectum vel ad utilitatem omnium pie viventium publicari. Ad laudem et gloriam summae lucis et viae. veritatis. et vitae. dei et domini nostri ihesu christi. qui cum deo... saeculorum. Amen.* Bolland. T. V. Maii pag. 153. Hanc vitam a S. Berthario Abate, vel alio quovis monacho Casinensi conscriptam fuisse ex contextu cuique patet.

Pag. 140 — Vita sanctae euphrosinae. Incipit: *Fuit vir quidam in alexandria paphnutius nomine. dives valde et honorabilis...* Desinit: *mira corpus macerans abstinentia atque in psiatho semper euphrosinae dormiens octo in sancta religione decursis annorum curriculis migravit ad dominum cui est... saeculorum. Amen.* Duas S. Euphrosinae invenimus vitas; alteram, auctore incerto, a Rosweydo inter Vitas Patrum pag. 363; alteram auctore Simeone Metaphraste a Surio T. I. pag. 41. editam. Cum utrisque collatione peracta, re fere similem, verbis ab eis diversam hanc esse cognovimus.

Pag. 157 — Incipit prologus sancti ieronimi presbiteri in vitam beati hylarionis. Incipit: *Scripturus beati hylarionis habitatorem eius invoco sanctum spiritum...* Desinit: *et scylleos canes obturata aure transibo.* Apud Rosweydum pag. 75. Initio et fine aliqua verba desiderantur.

Pag. 158 — Explicit prologus, et recentibus characteribus: Vita vel obitus sancti hilarionis monachi. Incipit: *Hylarion ortus vico thabata qui circiter quinque milia...* Desinit: *Sed magis in hortulo cypri forsitan quia plus illum locum dilexerat.* Ibidem.

Pag. 200 — Relatio beati ieronimi presbyteri de captivo monacho. Incipit: *Qui navali praelio dimicaturi sunt ante in portu et in tranquillo mari flectunt gubernacula...* Desinit: *et ho-*

minem in christo deditum posse mori. non posse superari. Apud Rosweydum pag. 93.

Pag. 212 — INCIPIT DIALOGUS SULPICII SEVERI. POSTUMIANI ET GALLI. Incipit: *Cum in unum locum ego et gallus noster convenissemus. vir michi et propter martini memoriam...* Desinit: *ab aliis potius quam quae vidi ipse dicturus sum. Patrol. Lat.* Migne T. XX. col. 183. In margine pag. 256. legitur haec nota recentioribus characteribus scripta: INFRA OCTAVAM SANCTI MARTINI LEGATUR (IN) NOCTE LECTIO: EGO PLANE INQUIT GALLUS LICET IMPAR SIM TANTO ONERI, et diversa manu: *Infra Octavam Sancti Martini incipiatur legendum ad Collationem. ubi dicit Incipit prologus Postumiani Severi Sulpicii. et Galli. require retro follia XIX. et legatur in festo Sancti Sabbe abbatis.*

Pag. 258 — Sine titulo incipit: *Quo primo igitur tempore relictis scolis...* Desinit: *galli sponsione surreximus.* Ibi col. 201.

Pag. 282 — INCIPIT LIBER SECUNDUS. Incipit: *Lucescit o galle surgendum est...* Desinit: *fletibus dolores discessum est.* Ibi col. 211.

Pag. 309 — INCIPIT VITA VEL OBITUS SANCTI SABAE. Incipit: *Beatus Sabas ortus ex provincia cappadocia fuit. natus vero in civitate quae mutalassis dicitur...* Desinit: *Ego autem iam huic opusculo finem imponere statuens. illam propheticam profero vocem. laetetur heremus et floreat quasi lilium. quia misericordiam fecit deus in filiis suis. cui est honor perpetuus et gloria indeficiens in omnia saecula saeculorum. Amen.* Vid. Cod. CXXXIX.

Pag. 346 — VISIO BEATI FURSEI. Incipit: *Fuit vir vita venerabilis furseus nomine. nobilis quidem genere sed nobilior fide...* Desinit: *merita illius clarescunt divinis virtutibus. adiuvante domino... saeculorum. Amen.* Bolland. T. II. Ianuarii pag. 36.

Pag. 372 — INCIPIT VISIO VETTINI MONACHI. Incipit: *Cum quidam frater wettinus nomine die sabbati cum aliquibus fratribus potionem...* Desinit: *huius instabilis vitae clausit horam. Patrol. Lat.* Migne T. XX. col. 769.

Pag. 390 — INCIPIT PROLOGUS RUFINI PRESBYTERI IN VITAS VEL GESTA SANCTORUM PATRUM. Incipit: *Benedictus deus qui vult omnes homines salvos fieri. et in agnitionem veritatis venire...* Desinit: *et perfectae sapientiae palmam requirant.* Apud Rosweydum pag. 448.

Pag. 395 — EXPLICIT PROLOGUS. Incipit: *Primum igitur tamquam vere fundamentum nostri operis ad exemplum...* Desinit: *plurima deprehendebantur.* Apud Rosweydum pag. 449. Capitulorum dispositio in Cod. differt.

Pag. 539 — DE ABRAAM SANCTISSIMO ET EIUS NEPTE. Incipit: *Fratres cupio vobis enarrare conversationem bonam perfecti atque admirabilis viri...* Desinit: *fuerat non mutavit.* Ibi pag. 144. Deinde sequitur *Vita* S. Mariae neptis Abrahae, quae hic non seiungitur, sicut in editione, a *Vita* Abrahae. Quapropter initium et finem illius et locum editionis, qui eam continet, hic damus.

Pag. 558 — Incipit: *Volo autem dilectissimi unanimitati vestrae...* Desinit: *cum omnibus qui placuerunt ante te. Quoniam te decet omnis gloria. adoratio. et magnificentià trinum et unum deum in omnia saecula saeculorum. Amen.* Ibi pag. 306. A pag. 572. ad pag. 573. Cod. post verba *gloriam domini retulerunt*, quibus Cap. XIV. editionis concluditur, *Exhortatio* quaedam ad Fratres *de detractione fugienda*, hoc initio: *Unde fratres nullum debemus in hac miserabili vita...* columnas tres et dimidiam Codicis comprehendens, intercedit. Haec in editione desideratur.

Pag. 573 — VITA SANCTAE MARIAE EGYPTIACAE. Incipit: *Fuit quidam senex in palestinae monasteriis vita et verbo decoratus. qui ab ipsis cunabulis...* Desinit: *et sic plenus dierum atque repletus desiderii sui voluntate. de hoc saeculo migravit ad dominum. qui vivit et regnat in saecula saeculorum. Amen.* S. Mariae Aegiptiacae res gestas conscripsit graeco sermone Sophronius Episcopus Hierosolymitanus, et latinas eas a Paolo diacono Neapolitano, cuius meminit Sigebertus *De Illustr. Eccles. Script.* cap. LXIX. redditas, Surius T. II. pag. 599. et Rosweydus *Vitae Patrum* pag. 383. ediderunt. Quae in hoc Codice exhibetur versio non concordat cum edita.

CODEX CXLI.

SIGNATUS NUMERIS EXTERIORIBUS 141 ET 94, INTERIORI VERO 1093. PLUTEO II.

Codex membranaceus in folio, longitudinis metri 43/₀, latitudinis 29/₀, paginis constans 353, characteribus longobardis XII. saeculi incipientis conscriptis. Olim erat Monasterii *S. Mariae de Turre Pagana*, ut legitur in ima òra primae paginae. In fronte habet: *Vitae Sanctorum quarum multae sunt diversae a vulgatis*, quo titulo etiam memoratur a Montfauconio.

Pag. 1 — Mutilus est initio Codex. Quapropter *Passio* S. Andreae his verbis incipit: *Quam oculis nostris vidimus omnes presbyteri et diaconi ecclesiarum achaie scribimus universis ecclesiis quae sunt in oriente...* Desinit: *Tantus autem timor invasit universos ut nullus remaneret. qui non crederet salvatori nostro deo. qui vult omnes homines salvos fieri. et ad agnitionem veritatis venire. Cui sit gloria. Virtus. et imperium. et potestas. Nunc et semper. et per omnia saecula saeculorum. Amen.* Apud Mombritium T. I. fol. 55.

Pag. 8 — Aliena manus suffecit titulum: *Passio sancte bebiane virginis.* Incipit: *Sub imperio iuliani impiissimi persecutoris. cruciati sunt in diversis provinciis iussu eius multa milia martyrum. Collectus autem...* Desinit: *sacrificium offerebant. Cui est honor et gloria in saecula saeculorum. Amen. Explicit passio sanctorum martyrum flaviani. dafrosae demetriae et bebianae. prisci presbyteri. priscilliani clerici. et religiosae feminae benedictae fausti. et pigmenii presbiteri. quam scripsit donatus suddiaconus regionarius sanctae sedis apostolicae.* Vide quae diximus supra in Cod. CXXXIX. pag. 413.

Pag. 13 — Sine titulo incipit: *Temporibus imperatoris maximiani. Erat quidam senator nomine dioscorus dives valde paganus existens. idola colens. Hic habuit filiam...* Desinit: *praeside marciano. Apud nos vero Regnante domino nostro... saeculorum. Amen.* Vide Cod. CXXXIX. pag. 417.

Pag. 18 — Sine titulo Vita S. Nicolai incipit: *Sicut omnis maceries si ab imperito artifice constructa fuerit non solum deformitatis...* Desinit: *et ab inimicis tutos fore laetemur.* Incipit Vita: *Nykolaus itaque ex illustri prosapia ortus. civis fuit paterae urbis. quae una...* Desinit: *quatinus fideliter ihesu christo domino servire mereamur. Qui cum patre et... saeculorum. Amen.* Ibi pag. 425.

Pag. 45 — Incipit prologus in vitam vel obitum Sancti ambrosii episcopi. Incipit: *Hortaris venerabilis pater augustine...* Desinit: *quae fuerit agnoscatur.*

Explicit prologus. Incipit: *Igitur posito in administratione praefecturae....* Desinit: *sit michi praemium fugisse supplicium. Amen.* Ibi pag. 449.

Pag. 71 — Passio Sancti Savini episcopi. Lectio XII. Incipit: *Maximiano augusto quinto decimo kalendas maias in circo maximo consistente. die festo veniente pars maior populi clamabant...* Desinit: *In quo loco exuberant beneficia eius usque in hodiernum diem. Ad laudem.... saeculorum. Amen.* Ibi pag. 477.

Pag. 77 — Passio sanctae eulaliae virginis. Incipit: *Beatissima eulalia barcilonensium civis et incola nobilis genere. a tenero aetatis suae tempore...* Desinit: *Et ad voces psallentium multitudo populi convenerunt. et cum laetitia sepelierunt eam. gratias agentes patri et filio et spiritui sancto. qui unus deus vivit et regnat in trinitate permanens.*

COD. CXLI.

PAGINA LVII.

Per idem tempus duo poeta
cissimi et sapientissimi uiri
profectum ad famam sacerdotis
uenerunt mediolanu(m). deferen
tes secu(m) plurimas questiones.

COD. CXLII.

PAGINA CIX.

Accidit au(tem) ut quidam hermoge
nes magus discipulum suum
philetum nomine mitteret
ad eum.

COD. CXLIII.

PAGINA XXV.

Tib; audientib; et nocentib; largiente
confitendo: Inuenta monachi ualde
excelsum. adculus radices. fons
aque dulcis labebatur. et campus
herbae magnus totum ambientes mon
tem qui per multis prouincias. et his ne
glegentis constituis terra.

LIT. CAS.

nunc et per infinita saecula saeculorum. Amen. Ibi pag. 483.

Pag. 81 — Prologus Sancti eustratii. Incipit: *In una eademque scripturarum serie nunc una eademque est adhibenda intentio. sèd pro modo audientium...* Desinit: *quam aliena narrare.*

Pag. 83 — Passio sancti eustratii martyris. Incipit: *Igitur dioclitiano et maximiano. universitas romani imperii...* Desinit: *perficiens omnia delegata sibi. ad honorem dei et domini... saeculorum. Amen.* Ibi pag. 488. Hic desunt quae post haec verba in Cod. cit. scilicet CXXXIX. leguntur.

Pag. 104 — Passio sancte lucie virginis. Incipit: *Cum per universam provinciam siciliae beatissimae virginis agatae fama crevisset. et siracusanus populus...* Desinit: *sepulcrum eius. Passa est autem sancta lucia in civitate siracusana sub die iduum decembrium. Regnante domino... saeculorum. Amen.* Ibi pag. 517.

Pag. 109 — Passio S. Thomae apostoli. Hic titulus recenti manu scriptus fuit. Incipit: *Cum apostolus thomas qui et didimus esset apud caesaream...* Desinit: *quam et ad apostolorum gaudia pervenire. Adiuvante... saeculorum. Amen.* Ibi pag. 517.

In margine inferiore pag. 113. legitur explicatio plurium vocum, quae in hac vita leguntur.

Proaulium. i. porta ab oriente.

Salutatorium. i. locus ubi aliqua potestas a subditis vel extraneis salutatur.

Consistorium. i. ubi ante prandium consistitur. et ubi pedes lavantur.

Tricorum. i. locus prandii qui et sima dicitur. ubi mandatis crines dissolvitur.

Zetas hiemales. io sedes hibernalis que calida fit obducta igne.

Zetas estivales. i. in estate fit frigida per obductam aquam.

Epicastorium. locus est iudicorum ad causam discernendum. et triclinia accubitalia. sunt domicilia ubi private vescitur vel sedetur.

Thermas vel thermon grece. latine calor dicitur. unde therme locus est calidus balnearum. vel ubi purissime aque currentes piscinam faciunt tepentes ad lavandum post iocum.

Gimnasio. locus est ubi artes varie exercentur. maxime philosophia, vel ubi iuvenes coram potentibus iocabant. et ubi palestre nudi luctabantur oleo uncti.

Colimbum. i. natatorium. et aquarum locus influentes. sive aqueductum.

Yppodromum. est domus secreta ad custodiendum thesaurum. vel ad digesta corporis necessaria. sive ubi coniunguntur equi velocissimi curribus certatim discurrunt.

Pag. 124 — Passio Sancti gregorii martyris. Incipit: *Temporibus dioclitiani et maximiani imperatorum talis furor...* Desinit: *Et haec videntes pagani. clamabant voce magna dicentes. vere magnus est deus christianorum. et crediderunt in domino.* Ibi pag. 541.

Pag. 129 — *Vita et passio S. Ioannis apostoli.* Hic titulus manu recenti suffectus fuit. Incipit: *Secundam post neronem persecutionem. domitianus persecutionem exercuit. Huius temporibus beatus iohannes apostolus et evangelista...* Desinit: *et precum suarum consequuntur effectum. Prestante... saeculorum. Amen.* Ibi pag. 547.

Pag. 135 — Incipit prologus in vitam Sancti silvestri papae. Incipit: *Historiographus noster eusebius caesariensis episcopus cum historiam ecclesiasticam scriberet. praetermisit ea...* Desinit: *tuae vero orationis si evasero culpam.* Et spatio interposito, in quo titulus scribendus, erat sequitur: *Silvester itaque cum esset infantulus. a vidua matre iusta nomine...* Desinit: *poposceris impetrabis. Vale domine auguste fili karissime et prospera ad vota successibus polle.* Ibi pag. 565.

Pag. 152 — Ad haec rescripta sunt haec. Incipit: *Domine semper augustae matri helenae. filius constantinus augustus. Qui moderatur...* Desinit: *accipit palmam.* Ibi pag. 581.

Pag. 154 — Incipit: *Priori libello hic finis occurrit. qui promitteret secundo hoc...* Desinit: *in hoc loco qui cepit omnia translationi nostrae finem imponat. qui vivit et regnat in saecula saeculorum. Amen.* Ibi pag. 584.

Pag. 185 — Incipit vita vel obitus Sancti Basilii episcopi. Incipit: *Basilius igitur in civitate cappadociae ex christianissimis atque deo dignis parentibus scilicet ex basilio patre et matre eumelia natus atque nutritus...* Desinit: *sancti spiritus scripserat libros. Ad gloriam... saeculorum. Amen.* Ibi pag. 619. Hic caret *Prologo.*

Pag. 218 — INVENTIO S. STEPHANI PROTOMARTYRIS. Hic titulus est etiam manus recentis. Incipit: *Factum est cum esset reconditum corpus sancti protomartyris stephani...* Desinit: *Sanitates autem et virtutes factae sunt super infirmos in diebus illis in gloria patris... saeculorum. Amen.* Ibi pag. 451.

Pag. 224 — In margine adest titulus: PROLOGUS SANCTI HILARII. Incipit: *Domino sancto ac meritis beatissimo patri pascentio papae fortunatus. Religiosi pectoris studio...* Desinit: *Nunc de eius vita proponamus.*

EXPLICIT PROLOGUS. Incipit: *Igitur beatissimus hilarius pictavorum urbis episcopus...* Desinit: *ut te legere populum brevitas plus invitet.* Ibi pag. 698.

Pag. 239 — Incipit sine titulo epistola S. Hilarii ad Apram: *Dilectissime filiae aprae hylarius in domino salutem. Accepi litteras tuas. intellego desiderantem...* Desinit: *opto filia desiderantissima.* Ibi pag. 713.

Pag. 243 — PROLOGUS SANCTI FELICIS. Incipit: *Domino sancto atque in christo florentissimo leoni episcopo marcellus presbyter. Studium me tuae...* Desinit: *sermone percurram.* Ibi pag. 717.

Pag. 244 — VITA VEL OBITUS SANCTI FELICIS PRESBYTERI ET CONFESSORIS. Incipit: *Ad gloriam domini nostri ihesu christi pertinet. et ad salutis magnae remedium...* Desinit: *et depositus est nono decimo kalendas februarius. Regnante domino... saeculorum. Amen.* Ibidem.

Pag. 251 — Incipit: *In principio narrationis nostrae adesse nobis...* Desinit: *nobis cum christo gratias egerunt. Qui... seculorum. Amen.* Ibi pag. 723.

Pag. 253 — Incipit Passio SS. Felicis et Adaucti Martyrum: *Cum fervor dioclitiani et maximiani sanctos dei...* Desinit: *in oratione perrexit ad dominum nostrum ihesum christum. Qui vivit... saeculorum. Amen.* Ibi pag. 724.

Pag. 256 — Sine titulo incipit vita sancti Marcelli Papae: *Tempore quo maximianus augustus rediit de partibus africae ad urbem romam. volens...* Desinit: *miliario tertio et requievit in pace. Regnante... saeculorum. Amen.* Ibi pag. 728.

Pag. 261 — PASSIO SANCTI SEBASTIANI. Incipit: *Sebastianus vir christianissimus mediolanensium partium civis...* Desinit: *Cui omnes opes suas ad christianorum requiem derelinquens. fecit ipsam ecclesiam haeredem christo. Qui... saeculorum. Amen.* Bolland. T. II. Ian. pag. 265. Codex quamplurimis caret.

Pag. 296 — Sine titulo incipit passio SS. Marii Marthae et filiorum: *Temporibus claudii caesaris venit romam quidam vir de persidis partibus...* Desinit: *beneficia domini nostri ihesu christi usque in hodiernum diem. Regnante... saeculorum. Amen.* Ibi pag. 216. Codex caret omnibus quae a n. 10 ad n. 15. intercedunt, et passim aliquantum differt ab editione.

Pag. 302 — PASSIO SANCTAE AGNES VIRGINIS ET MARTYRIS. Incipit: *Ambrosius servus christi virginibus sacris. Diem festum sacratissimae virginis...* Desinit: *fructum in conspectu domini valeat invenire. Qui cum... saeculorum. Amen.* Ibi pag. 351.

Pag. 311 — Sine titulo incipit: *Cum in toto mundo virgineus flos mariae...* Desinit: *eterna credimus gaudia non deneganda. Itaque. O splendidissima christo. pulcra dei filio. et omnibus angelis et archangelis grata. ut nostri meminisse digneris quibus possumus precibus exoramus. ut nobis ille tribuat indulgentiam peccatorum. qui tibi tuorum omnium laborum reddidit palmam. Qui regnat... seculorum. Amen.* (Ambrosii *Opp.* T. IV. col. 701. ed. Migne.)

Pag. 318 — Sine titulo incipit: *Immaculatus dominus immaculatam sibi famulam etiam in hoc pleno...* Desinit: *Nemo miretur si angelis comparentur. quae angelorum domino copulantur. Qui est benedictus deus in saecula saeculorum. Amen.* Ambrosii *Opp.* T. III. col. 200 a fine Cap. I. usque ad lin. 22. Cap. III.

Pag. 320 — Sine titulo incipit Passio S. Vincentii martyris: *Probabile satis est ad gloriam vincentii beatissimi martyris quod...* Desinit: *et gaudium fidelibus perpetuum perseveret.*

Interposita maiuscula litera, sequitur: *Cum apud cesaraugustanam civitatem ut multorum sinceritas et signata veritatis verba...* Desinit: *ut in beati vincentii fide. benedicatur per totam hispaniam nomen domini nostri ihesu christi. Qui regnat... saeculorum. Amen.* Vide Cod. CX. pag. 161.

Pag. 329 — PASSIO SANCTI ANASTASII MARTY-

ris. Incipit: *Beatus anastasius natione persa arte magus nomine primo magunda. et magi filius. tempore chosroes...* Desinit: *Passus est autem sanctus et pretiosus martyr anastasius. secunda et vicesima die kalendarum ianuariarum. anno septimo decimo imperii heraclii piissimi imperatoris. Regnante... saeculorum. Amen.* Clarissimus Angelus Mai, ut alibi adnotavimus, nonnullos Prologos *Actorum*, auctorum nomina exhibentes, in T. IV. *Spic. Rom.* retulit. Inter eos pag. 283. legimus etiam nomen illius, qui in Cod. CXLIX. pag. 509. Cod. CXLI. pag. 412. et CXLV. pag. 295. praefixus fuit his S. Anastasii Martyris *Actis*, et collatione peracta inter hos Cod. omnes inter se concordare invenimus. Quum Cardinalis Mai tantum *Prologum* ediderit, nos integris *Actis*, ex diversis Cod. desumptis, huius Voluminis *Florilegium* adornare censuimus.

Pag. 335 — Vita vel obitus Sancti dominici confessoris. Incipit: *Vir domini dominicus fulinge oppido tusciae oriundus. patre iohanne matre apa nomine. genere et religione illustribus extitit...* Desinit: *ubi eius orationibus multa christus operari non desinit mirabilia usque in hodiernum diem. Ad laudem et gloriam... saeculorum. Amen.* Hanc S. Dominici *Vitam* ab Alberico Cardinali scriptam *Bollandus* T. II. Ian. pag. 442. edidit ex huius Bibliothecae Codice CI. a quo hic passim differt aliquantulum tum verbis, cum materia, et cui aliud adiunctum, aliud ablatum fuit.

Pag. 340 — Passio Sancti policarpi episcopi. Incipit: *Temporibus marci aurelii antonini qui pius cognominatus est beatissimus policarpus iohannis apostoli et evangelistae discipulus...* Desinit: *ex philadelfia venientes apud smirnam matyrio consummati sunt.* Apud Lipomanum pag. 10. Par. II. Vide Cod. CX. pag. 272.

Pag. 346 — Sine titulo incipit Passio S. Ignatii Episcopi*: Tempore quo traianus domitiani successit imperio. maximae presecutionis pondus urgebat ecclesiam. Et tam immensae catervae...* Desinit: *sexto decimo kalendas ianuarias. Ubi plurima fiunt miracula. Ad laudem... saeculorum. Amen.* Vitae S. Ignatii, per Eusebium Caesariensem scriptae, tit. III. Cap. 36. *Hist. Eccles.* hic aliis demptis, aliis additis adnectitur Adonis elogium.

Pag. 349 — Sine titulo incipit Vita S. Blasii*: Cum romani imperii dioclitianus et maximianus gubernarent habenas. tam immanissima contra christianos...* Desinit: *Unde dignum fuerat et nullo modo sciscitatum funerea pertractari sententiam. sed quoniam nostra clementia...* Bolland. T. I. Februarii pag. 349. usque ad dimidium n. 12.

CODEX CXLII.

SIGNATUS NUMERIS EXTERIORIBUS 142 ET 95, INTERIORI VERO 1106. PLUTEO II.

Codex membranaceus in folio, longitudinis metri 44/$_0$, latitudinis 30/$_0$, paginarum 420, duplici columna characteribus longobardis XI Saeculi exaratus. Titulum habet: *Vitae sanctorum quarum aliquae non habentur in vulgatis*, et sub eodem numero memoratur a Montfauconio.

Pag. 1 — PASSIO SANCTORUM APOSTOLORUM PETRI ET PAULI. LECTIO I.ª et recentiori charactere legitur: *Parum mutata habetur in inpressis*. Incipit: *Cum fides domini et salvatoris nostri ihesu christi. Per omnium cresceret mentes...* Desinit: *tertio kalendarum iuliarum. Regnate domino nostro... saeculorum. Amen.* Haec SS. Apostolorum Petri et Pauli *Passio* in *Bibl. Laur.* T. I. Suppl. col. 334. quoque legitur sine ullo auctoris nomine et Bandinii adnotatione. Ea continet quae in Lib. III. Cap. 2. *Historiae de Excidio Hierosolymitanae Urbis* de Petro et Paulo exponuntur. Multa praecedunt et alia sequuntur quae nos minime invenimus.

Pag. 5 — INCIPIT PROLOGUS IN PASSIONEM SANCTORUM APOSTOLORUM PETRI ÈT PAULI. Incipit: *In universo orbe terrarum...* Desinit: *demonstrare.* Hic brevissimus Prologus deest in *Martyrologio* Francisci Mariae Florentini, qui haec *Acta* edidit.

Explicit prologus. Lectio prima. Incipit: *Tempore quo grimoald*... Desinit: *cotidie amplexabatur. Favente domino... saeculorum. Amen.* Ibi T. III. *Febr.* pag. 139.

In margine legitur: *Require Cathedram Sancti petri. In omeliario de adventu.*

Pag. 375 — In sancti mathiae apostoli. Sermo Sancti (hoc verbum characteris recentioris suffectum fuit alio deleto fortasse domni) berthari abbatis (eadem manu) cassinensis. Incipit. *Inclitam et gloriosam festivitatem beati mathiae apostoli*... Desinit: *sexto kalendas martias. qui cum patre... saeculorum. Amen.* Ibi pag. 438. et in *Patrol. Lat.* Migne T. CXXIX. col. 1023 Authperto Monacho Casinensi adiudicatur.

Pag. 384 — Incipit prologus in passionem sanctorum quadraginta martyrum. Incipit: *Martyrium quadraginta sanctorum scripturus*... Desinit: *aure transibo.*

Explicit prologus. Lectio prima. Incipit: *Temporibus licinii imperatoris fervebat ingens persecutio*... Desinit: *corregnemus cum eis. per chri-*

stum dominum nostrum. Qui cum patre... saeculorum. Amen. Ibi T. II. *Martii* pag. 22. sub die x.

Pag. 392 — Vita vel obitus sancti gregorii papae. Edita a venerabili paulo diacono et monacho casinensis cenobii. Lectio prima. Incipit: *Gregorius urbe romulea patre gordiano editus non solum...* Desinit: *sepultus vero est in ecclesia beati petri apostoli ante secretarium. die quarta iduum martiarum. Regnante... saeculorum. Amen.* Haec Vita in Bolland. T. II. *Martii* pag. 130. auctori anonymo, hic Paulo Diacono tribuitur. Quae in ed. a n. 17. ad finem leguntur, in hoc Cod. uti in sequenti Cod. CXLVI, passim excisa sunt.

Pag. 401 — Passio sanctorum martyrum tyburtii et valeriani et maximi. Incipit: *Temporibus marci aurelii et commodi imperatorum. turcius...* Desinit: *ex toto corde et fide suscepit.* Haec Passio est desumpta ex *Actis* a Bolland. T. II. *Aprilis* pag. 204. editis, et comprehendit Cap. III. a n. 9. ad lin. 10. n. 11. et Cap. IV. a n. 13. ad finem.

Pag. 403 — Incipit prologus in passione sancti georgii martyris. Incipit: *Plerique illustrium caelestis patriae...* Desinit: *sine fine percipient.*

Explicit prologus. Incipit: *Postquam dominus et salvator noster sua praesentia et gloriosa incarnatione...* Desinit: *tertia die mensis aprilis. qui inscribitur nono kalendas maias. Regnante... saeculorum. Amen.* Duo inter se diversa S. Georgii *Acta* in nostrae Bibliothecae Codd. continentur; altera in Cod. LII. pag. 552. in *Florilegio* Vol. II. iam edita; altera in hoc Codice, CXLVI. et CX. ubi in compendium redacta fuerunt. De his Bolland. in T. III. *Aprilis* pag. 103. tantum locuti sunt at non ediderunt. Combefisius ea *luce digna in nulloque apogripha* esse censet; ideoque in *Florilegio* huius Voluminis dabimus. Auctorem habent, ut ex *Prologo* eruitur, Petrum, de quo supra pag. 360. locuti sumus.

Pag. 414 — Passio sancti adelberti episcopi et martyris. edita a domno silvestro papa urbis romae. Lectio VIIII. Aliena et recenti manu, fortasse Constantini Caietani, in margine haec leguntur: *Haec vita reperitur in impressis Petri ultimi sed brevior.* Incipit: *Est locus in partibus germaniae dives opibus. praepotens armis virisque ferocibus...* Desinit: *Scilicet ut qua die dominus ihesus christus pro homine. eadem die ipse pro eius nomine pateretur. Ipso adiuvante... saeculorum. Amen.* Haec S. Adalberti *Passio*, edita fuit ex nostro Codice a F. Abrahamo Bzovio S. T. Magistro Ord. Praedic. Romae 1629. qui tamen ad cap. XXX. vitae ipsius quaedam verba omisit, quae in *Hist. Casin.* Tom. I. pag. 93. de hoc Codice loquens Gattula, et agens de vita S. Adalberti Episcopi Pragensis a Silvestro II. Pontifice conscripta, prodit una cum aliis ex cap. XX. Vide Enschenium in *Commentario Praevio* et Mabillonium Saec. V. pag. 846, qui asserunt huius Vitae auctorem fuisse Monachum anonymum Coenobii S. Bonifacii Romae, qui cum Adalberto versatus fuerat.

Pag. 430 — Passio sancti marci evangelistae. Lectio I. Incipit: *Tempore quo dispersi erant apostoli toto orbe terrarum. contigit beatissimum marcum...* Desinit: *affectione benignus. gratia dei plenus.* Bolland. T. III. *Aprilis* pag. 347. ubi aliud initium habet. Post finem ed. in Cod. alia de Marco leguntur, desumpta ex Eusebio Caesariensi Episcopo, lib. II. *Histor. Eccles.* Cap. 13, et ex *Vita* a *Bolland.* ibi pag. 347 n. 11. edita.

In margine legitur: *Require Omeliam. Ego sum (vi)tis vera. In quodam omeliario (quadragesi)mali et pascali quod incipit: (con)venientes ubi habetur post dominicam... post octavam pasce.*

Pag. 434 — Passio sancti vitalis martyris. Incipit: *Sanctus vitalis militans consulari paulino dum fuisset cum eodem ravennam ingressus...* Desinit: *Ita ut intra triduum migraret ad dominum.* Bollandiani T. III. *Aprilis* pag. 564 ex MSS. Coenobii Bodecensis S. Vitalis Passionem ediderunt, et alias omiserunt, quia, ut ipsi aiunt, *contractiores sunt et huius velut compendium.* Et revera, nos ex collatione Codicis cum editione percepimus hanc quoque inter *Passiones* ab eis omissas recensendam esse.

In margine legitur: *Hic require vitam Sancte Eufrosine. In passionario Sancti Remigii.*

Pag. 435 — Passio Sancti iacobi apostoli fratris domini. Incipit: *Iacobum qui dicebatur frater domini qui iustus cognominatus est ab antiquis...* Desinit: *iudeis et gentibus quia ihesus est christus filius dei. qui... saeculorum.* Quae de S. Iacobo ex Clemente Alexandrino et Hegesippo Eusebius deprompta in sua Hist. *Eccles.* Lib. II.

cap. 23. prodidit, hic leguntur. Disceptationem ab Iacobo cum Iudaeis de Christo habitam, ex qua martyrii occasio arrepta fuit, in hoc Cod. prolixior eiusdem allocutio prosequitur.

Pag. 437 — Lectio V. Passio Sancti philippi apostoli. Incipit: *Cum in ipsis initiis absque ullo obstaculo...* Desinit: *ubi prestantur beneficia dei orante apostolo philippo omnibus qui credunt regnum patris et filii et spiritus sancti in saecula saeculorum. Amen.* Bolland. T. 1. Maii pag. 11.

In margine legitur: *Require Omelia post inventionem S. Angeli.*

Pag. 439 — Vita vel obitus sancti athanasii episcopi. Incipit: *Temporibus constantii et constantis imperatorum defuncto...* Desinit: *omni cum veneratione sepultus. Regnante... saeculorum. Amen.* De hac Vita, nondum edita, egerunt Bolland. T. I. Maii pag. 249. n. 409.

Pag. 445 — Passio sanctorum martyrum alexandri papae. eventii et theodoli presbyterorum. Incipit: *Quinto loco a beato petro apostolo romanae ecclesiae cathedram alexander sedit...* Desinit: *Ideoque locus ipse habet proprium sacerdotem usque in hodiernum diem.* Bolland. T. I. *Aprilis* pag. 371.

Pag. 453 — Inventio Sanctae crucis. Lectio VIII. Incipit: *Cum suscepisset helena augusta fidem domini salvatoris...* Desinit: *suo pretioso sanguine purpuravit. partem habere mereantur. Ipso praestante... saeculorum. Amen.* Non invenimus.

Pag. 457 — Passio sancti victoris. In margine legitur: *Hic require in libro S. M.* (Mariae? Matthei?) *Translatio Sancti Mathei. in fine libri.* Incipit: *Regnante impio maximiano imperatore in civitate mediolanensi. erat persecutio ingens christianorum. Erat autem ibi quidam maurus genere nomine victor...* Desinit: *sepultus est a sancto materno episcopo tertio idus maias. Regnante domino... saeculorum. Amen.* Bolland. T. II. Maii pag. 288.

Pag. 461 — Passio sanctorum martyrum gordiani et epimachi. Lectio I. In margine legitur : *Require de Sancto angelo. In Omeliario de pascha.* Incipit: *Temporibus iuliani impiissimi imperatoris divulgati sunt multi christiani...* Desinit: *florent usque in hodiernum diem. Ad laudem... saeculorum. Amen.* Ibi pag. 542.

Pag. 463 — Passio sancti pancratii martyris. Lectio III. Incipit: *Temporibus dioclitiani et maximiani sceleratissimorum imperatorum facta est...* Desinit: *calixti et beati cornelii. Regnante... saeculorum. Amen.* Ibi T. III. pag. 21. Passim aliquantum differt ab edita, praesertim initio, et ubi agitur de occursu Dionisii et Pancratii in Pontificem Caium. His in fine editio de S. Sothere caret: *Quae quidem graviter et diutissime alapis caesa. cum caetera quoque poenarum genera vicisset. gladio martyrium consummavit. Passa est autem quarto idus februarias. et sepulta est in via appia. miliario secundo. iuxta cymiterium beati calixti et beati cornelii.* Quae quidem leguntur in Bolland. T. II. Februarii pag. 388. n. 10. ubi praecedens periodus, qui ad S. Sotherem pertinet, quoque refertur uti in editione. Quod Ballandianis ibi pag. 22. not. *n. verosimile* videbatur, scilicet Sotherem Virg. et Mart. Romanam in S. Pancratii *Actis* memoratam esse, de qua 10. Februarii agitur, verbis, quibus Codex noster est uberior, adfirmatur.

Pag. 465 — Passio sanctorum martyrum nerei et achillei. Incipit: *Nisi studia catholicorum securitatis suae somno quiescerent nulla posset ratione...* Desinit: *Gratia domini nostri ihesu christi tecum.* Ibi pag. 6. usque ad n. 12.

Pag. 471 — Finiunt scripta nerej et achilej. Incipiunt rescripta marcelli. Incipit: *Marcellus servus christi...* Desinit: *breviter intimabo.* Ibi pag. 9. a n. 12. usque ad primam periodum n. 15.

Pag. 472 — Explicit de apostoli petri veritate et de perversitate symonis. Incipit de obitu petronille et passione feliculae. In sanctae petronillae, et in margine legitur: *Vita vel obitus sanctae petronillae virginis.* Incipit: *Petronillam itaque bene nostis voluntate petri apostoli clenicam factam. Nam...* Desinit: *qui passus est pro nomine domini nostri ihesu christi. qui... saeculorum. Amen.* Ibi Cap. V. paucis initio demptis verbis.

Pag. 473 — Expliciunt scripta marcelli missa ad nereum et achilleum. Incipiunt rescripta euticetis victorini et maronis ad marcellum de passione eorum. Lectio III. Incipit: *Eutices victorinus et maro servi domini...* Desinit: *usque in hodiernum diem.* Ibi Cap. V.

Pag. 475 — Explicit passio sanctorum euti-

CETIS VICTORINI ET MARONIS. INCIPIT DOMITILLAE ET EUFROSINAE ET THODORE VIRGINUM ET SULPICII ET SERVILIANI SPONSORUM IPSARUM. Incipit: *Factum est autem postquam...* Desinit: *fodiens sepelivit. Regnante..... saeculorum. Amen.* Ibi Cap. VI.

Pag. 477 — PASSIO SANCTI BONIFATII MARTYRIS. Incipit: *Temporibus dioclitiani et maximiani impiissimorum imperatorum. orta est seditio maxima adversus christianos...* Desinit: *coronam assumens. in gloriam... saeculorum. Amen.* Ibi pag. 280.

Pag. 481 — SCRIPTA PASTORIS PRESBYTERI AD TIMOTHEUM DE VITA ET OBITU SANCTAE POTENTIANE VIRGINIS. LECTIO III. In margine: *Potentiane virginis.* Incipit: *Sancto et venerabili fratri timotheo presbytero pastor presbyter. Novit fraternitas tua quoniam pudens...* Desinit: *usque in hodiernum diem. Per eum qui... saeculorum. Amen.* Haec S. Pudentianae *Vita* Pastori tributa, differt ab ea quam eiusdem nomine ediderunt Bolland. T. IV. Maii pag. 299. Ex diversis lectionibus *Vitae*, Pastori adscriptae, a Bolland. ibi pag. 300. nota *a.* allatis, coniici potest hanc cum Codice 1188. *Vaticanae Bibliothecae*, qui idem ac hic initium habet, convenire.

Pag. 483 — PASSIO SANCTI EUSTASII ET UXORIS ET FILIORUM EIUS. LECTIO PRIMA. Incipit: *In diebus traiani imperatoris. idolorum cultura ipso auctore pollebat. Erat autem ea tempestate quidam nomine placidus. nobilissimus et ditissimus valde...* Desinit: *ut ipsorum intercessionibus adiuti. ad perpetua gaudia pervenire mereamur. Per ihesum christum... saeculorum. Amen.* Multis S. Eustachii *Actis* Manuscriptis Bollandiani usi sunt, et ipsi de omnibus disserentes T. VI. *Sept.* pag. 107. censuerunt omnia ex uno fonte, Actis Graecis tum ab ipsis editis, tum similibus, promanasse, et eadem continere. Duo ecgrapha aiunt esse aliis contractiora scilicet S. Maximiani Trevirensis, et Capuanum, et verba, non facta, in his praecisa fuisse. Quum nostra eadem, quae Acta Latina cum textu graeco ab ipsis edito summatim exhibeant, arbitrati sumus haec vel *Actis* contractioribus concordare vel aliud compendium esse.

Pag. 488 — INCIPIT PROLOGUS IN PASSIONEM SANCTI URBANI PAPAE. Incipit: *Sanctorum martyrum gesta vel passiones iccirco in ecclesiis dei...* Desinit: *exequi studeamus.*

EXPLICIT PROLOGUS. LECTIO I. Incipit: *Urbanus igitur romanae urbis nobilissima familia oriundus...* Desinit: *Quorum omnium orationes et merita nos commendent christo. Qui cum patre... saeculorum. Amen.* Non concordat cum Actis Bolland. T. VI. Maii pag. 11. Ex aliquibus verbis *Actorum* Codicis Capuani, a Bolland. in Commentario praevio n. 2. allatis, coniici potest haec cum illis concordare. At quum ea, ipsis a Sylvestro Ayossa Capuano descripta missa, in sua SS. *Actorum Collatione* omiserint, nec nos alibi edita inveniremus, in *Florilegio* huius Voluminis dare censuimus.

Pag. 495 — In margine praecedentis paginae haec leguntur: *De Sancta Restituta require in fine in quaterno parvo*, et ad calcem huius paginae haec alia variis characteribus extant: SANCTE PETRONILLE. REQUIRE RETRO. IN XII. FOLLIO. POST FESTUM SANCTORUM NEREI ET ACHILLEI. DE SANCTO HERASMO. REQUIRE IN LIBRO RUBEO SANCTE MARIE. IN FINE... DE SANCTO MARCELLINO ET PETRO. Incipit: PASSIO SANCTORUM MARTYRUM PRIMI ET FELICIANI. Incipit: *Temporibus dioclitiani et maximiani imperatorum. saeva est in christianos orta tempestas. Ut quicumque inventus fuisset...* Desinit: *quorum natalis est quinto idus iunias. Regnante... saeculorum. Amen.* Bolland. T. II. *Iunii* pag. 152.

Pag. 500 — PASSIO SANCTI BARNABE APOSTOLI. Incipit: *Iohannes qui et marcus famulus domini ihesu christi discipulus vero sanctorum apostolorum...* Desinit: *mirifice collocatum est. ad honorem et gloriam... saeculorum. Amen.* Baronius, *Annal. Eccles.* ad an. 51. n. II. *Acta* S. Barnabae, Ioanni cognomento Marco attributa, a quodam *nebulone* conscripta fuisse censet, quod « se comitem illum Pauli et Barnabae, Ioannem nomine, cognomento Marcum, profitetur, et addit se non natura Iudaeum, sed Gentilem fuisse, famulum cuiusdam idolorum Pontificis et denique ab Apostolo Paulo baptizatum esse Iconii affirmat. Quae omnia *Actibus* Apostolorum repugnant, et reicienda sunt ». Attamen Bollandiani T. II. *Iunii* pag. 431. *Acta* Ioannis Marci ediderunt, et quae Baronius reprehendit minime, ut ipsi nota *e.* praenotant, in eis continentur, quapropter alia esse oportet quae Ba-

ronius vidit. Quum, quae hic Codex continet, mendacia a Baronio recensita praebeant, ideoque ab editis a Bollandianis differant, arbitramur haec, quae Baronius vidit, eadem esse. Idem Baronius monet in libro Abdiae Babilonis haec S. Barnabae *Acta* a Ioanne-Marco scripta mendosa extare; at neque Bollandiani, neque nos ea ibi invenire potuimus. Quapropter cuiuscumque praetii ea sint, ne munus nostrum deficiat, in huius Voluminis *Florilegio* dabimus.

Pag. 505 — Incipit prologus in passionem sanctorum viti modesti et crescentiae. Incipit: *Magnitudinem dei atque mansuetudinem considerandam nobis*... Desinit: *vicisse perpendit.*

Explicit prologus. Lectio I. Incipit: *Igitur beatus vitus lucania provincia ortus. nobili stirpe*... Desinit: *atque eos prodigiis coruscare largitur in terris. Qui vivit... saeculorum. Amen.* Inter caetera SS. Viti, Modesti et Crescentiae *Acta* a Bollandianis T. II. pag. 1013. n. 2. recensita, haec etiam memorantur, de quibus haec Franciscus Maria Florentinus in *Notis* ad hunc diem habet: « Extant in Hagiologio nostro MS. *Acta* horum SS. Martyrum eleganti stylo in Homeliae modum exarata, sed una deficiente pagina mutila sunt, alioquin cordati scriptoris opus ». « Eadem, addunt Bollandiani, vidimus in MS. Cardinalis Barberini; satisque habuimus transcribere inde Prologum; nulli usui nunc futurum, uti nec ipsa sic ornata Acta, quia nihil discere inde possumus, quod ad historiam faciat ». Haec *Acta* a Bollandianis omissa extant apud Mombritium T. II. fol. 349.

Pag. 514 — Passio sanctorum martyrum nicandri et marciani. Incipit: *Gloriosa sanctorum martyrum nicandri et marciani certamina*... Desinit: *eis dedit martyrii. Requieverunt autem christi martyres nicander et marcianus quintodecimo kalendarum iuliarum. Regnante... saeculorum. Amen.* Extat in *Itinere Italico* Mabillonii T. I. pag. 247. at initium differt.

Pag. 517 — Passio sanctorum martyrum marci et marcelliani. Incipit: *Temporibus dioclitiani et maximiani crudelissimorum imperatorum*... Desinit: *ex quibus urbis moenia struebantur. Regnante domino... saeculorum. Amen.* Haec desumpta sunt ex S. Sebastiani *Actis* (Bolland. T. II. pag. 265.) et comprehendunt dimidium n. 3. integros n. 4. 5. 6. 7. 8. 9. et primam periodum n. 10. Deinceps Codex conversionem Zoë et Nicostrati summatim refert, ut in *Actis* ad finem n. 84. editionis.

Pag. 521 — Passio sanctorum martyrum gervasii et protasii. Incipit: *Ambrosius servus christi fratribus per omnem italiam in domino eternam salutem. In divinis voluminibus*... Desinit: *orationibus eorum consequi misericordiam domini nostri ihesu christi. Qui cum patre... saeculorum. Amen.* Ambr. Vol. IV. col. 743. Desunt in Codice quae a Cap. 7. ad 13. intercedunt, et initium Cap. 13. differt ab editione.

Pag. 523 — Interposita rubrica lectio. IX. alia S. Ambrosii Epistola de SS. Gervasio et Protasio sequitur, cuius initium est: *Dominae sorori marcellinae vitae atque oculis praeferendae. frater ambrosius. Quia nichil sanctitatem tuam*... Desinit: *in hodiernum diem differremus.* Ibi T. III. col. 1062.

Pag. 526 — Incipit prologus in vitam vel obitum sancti paulini episcopi. Incipit: *Domino illustri et in christo merito venerabili pacato uranus presbyter in christo salutem. Litteris nobilitatis tuae*... Desinit: *dicendi meritum subministrent.*

Explicit prologus. Incipit: *Igitur sanctus paulinus episcopus burdigali oppido*.... Desinit: *basso et antiocho consulibus. Regnante... saeculorum. Amen.* Migne *Patrol. Lat.* T. LIII. col. 857.

Pag. 533 — Lectio Nona. Ex dialogo beati gregorii papae. Incipit: *Dum vicinis valde patribus intendo*... Desinit: *disponi debeat provide quia rex citius*... Caetera desunt. Greg. T. III. col. 216. ed. Migne.

COD. CXLVI.

PAGINA DXXVIII.

Angli autem dñi In actm pestis nocte silentio descendere ad eos. quorum aspectu attonitus In mediu tradio tum solis claritas effugabatur.

COD CXLVII.

PAGINA CCXXXIX.

Cumq; catechizasset eum ac fidem eius secundu consuetudinē xpianorum. Indixit ei ieiuniu usq; ad uesperu.

COD. CXLVIII.

PAGINA CCXLVIII.

Congesti autem sunt cum fac milites eorum: et uesaniæ. et minis fathæ. et captiuitate. et caupe.

COD. CXLIX.

PAGINA XXXIII.

Passi sunt autem beatissimi martyres xpi. dionisius Rusticus et eleutherius. septimo idus octobris.

LIT. CAS.


UNIV. OF MICH.

CODEX CXLVI.

SIGNATUS NUMERIS EXTERIORIBUS 146 ET 144, INTERIORI VERO 1086.
PLUTEO II.

Codex membranaceus in folio, longitudinis metri 39/₀, latitudinis 28/₀, constat paginis 824 binis columnis characteribus longobardis XI saeculi ad finem vergentis iuxta Gattulam et Fridericium. Forsan erat S. Mariae de Albaneta. Continet *Vitas Sanctorum*, et ita memoratur a Montfauconio.

Pag. 1 — Passio Sancti Andreae apostoli. Incipit: *Passionem sancti andreae apostoli quam oculis...* Desinit: *et ad agnitionem veritatis venire. Cui sit gloria... saeculorum. Amen.* Vide Cod. CXXXIX. pag. 405. et Cod. CXLV. pag. 1.

Pag. 9 — Lectio VII. Miraculum. Incipit: *Demetrii autem primi civitatis...* Desinit: *et baptizati sunt a sancto apostolo.*

Alium Miraculum. Incipit: *Unus autem ex civibus cuius filius...* Desinit: *de his quae dei erant.*

Pag. 10 — Alium miraculum. Incipit: *Venit ad eum quidam vir de philippis medias nomine...* Desinit: *nichil de muneribus accipiebat.*

De S. Andreae Apostoli *Miraculis* librum S. Gregorio Turonensi attributum integrum referre ex Codice MS. Sancti Germani a Pratis, quem prae manibus habuit, Theodorico Ruinart, in editione S. Gregorii Turonensis *Operum* curanda, visum non est, quia parum differt, ut ipse col. 1262 monet, ab Abdiae libro, et tantum seriem *Capitulorum* exhibuit. Quorum n. III idem initium habet, ac primum *Miraculum* in hoc Codice contentum; et initium n. XIV. cum secundo *Miraculo*; et tandem n. XV. cum tertio concordant. His verbis initialibus tantum freti, quum Abdiae libro carentes Codicem cum eo conferre non potuerimus, *Miracula* S. Andreae hic allata cum citatis Abdiae libri *Capitibus* tantum concordare censuimus.

Pag. 11 — Lectio Sancti evangelii secundum Mattheum. Lectio VIIII. *Ambulans ihesus iuxta mare...* Omelia beati gregorii papae. Incipit: *Audistis fratres karissimi. quia ad unius iussionis vocem...* Desinit: *ad propria contemptenda perducantur.* S. Greg. *Opp.* Benedict. I. 1450.

Pag. 14 — Pridie nonas decembris. Passio Sanctae barbarae virginis et martiris. Incipit: *Regnante maximiano imperatore et marciano praeside. Fuit quidam...* Desinit: *sub maximiano imperatore. quarto nonas decembris. Regnante... saeculorum. Amen.* Vide Cod. CXXXIX. pag. 417.

Pag. 21 — In sancti nicolai. Incipit prologus. Incipit: *Sicut omnis maceries ab imperito artifice...* Desinit: *et ab inimicis tutos fore letemur. Amen.*

Pag. 22 — Explicit prologus. Incipit: *Nikolaus itaque ex illustri prosapia ortus...* Desinit: *fideliter. ihesu christo domino servire mereamur. Qui cum... saeculorum. Amen.* Ibi pag. 425.

Pag. 50 — VII. idus decembris. Incipit vita Sancti ambrosii quam scripsit Paulinus Notarius. Incipit: *Hortaris venerabilis pater...* Desinit: *agnoscatur.*

Pag. 51 — Explicit prologus. Incipit: *Igitur posito in amministratione praefecturae...* Desinit: *fugisse supplicium. Amen.* Ibi pag. 449.

Pag. 78 — VII. idus decembris passio Sancti Sabini spoletani episcopi. Incipit: *Maximiano augusto. quinto decimo kalendas maias. in circo...* Desinit: *demonia effugantur. Ad laudem... saeculorum. Amen.* Ibi pag. 477.

Pag. 86 — Idibus decembris. Incipit prologus sanctorum martyrum. Aeustratii. Auxentii.

Nardarii Aeugenii. atque orestis. Incipit: *In una eademque scripturarum seriem non una eademque est adhibenda...* Desinit: *quam aliena narramus.*

Pag. 88 — Explicit prologus incipit vita vel obitus praedictorum martirum. Incipit: *Imperantibus igitur dioclitiano et maximiano universitas...* Desinit: *patrocinantibus omnibus sanctis. Gloria domini... saeculorum. Amen.* Ibi pag. 488.

Pag. 116 — Eodem die. Passio sancte lucie virginis. Incipit: *Cum per universam provinciam...* Desinit: *sub die idus decembris. Regnante... saeculorum. Amen.* Ibi pag. 517.

Pag. 122 — Passio Sancti thome apostoli. Incipit: *Cum apostolus thomas qui et didimus...* Desinit: *gaudia pervenire. Adiuvante... saeculorum. Amen.* Ibi pag. 523.

Pag. 144 — Passio Sancti gregorii Spoletani episcopi. Incipit: *Temporibus dioclitiani et maximiani imperatorum. talis furor...* Desinit: *et benedicit annos iusti. Ipsi honor... saeculorum. Amen.* Ibi pag. 541.

Pag. 149 — In sancti silvestri pape. Incipit: *Silvester itaque cum esset infantulus. a vidua matre iusta nomine...* Desinit: *successibus polle.*

Pag. 165 — Epistola. Incipit: *Domine semper...* Desinit: *translationi nostrae finem imponat. in secula seculorum. Amen.* Apud Mombritium T. II. pag. 279.

Pag. 196 — Kalendis ianuarii in natalem sancti basilii episcopi et confessoris. Incipit: *Basilius igitur in civitate cappadociae ortus...* Desinit: *et caeteri sacerdotes collocati erant. Requievit autem qui angelicam actionem in terra actitavit mense ianuario die prima ad gloriam... seculorum. Amen.* Vide quae de hac *Vita* diximus Cod. CXXXIX pag. 616; haec ab ea versione quoque aliquantum differt.

Pag. 227 — In sancti severini confessoris. Incipit: *Tempore quo attila rex hunnorum...* Desinit: *ac recipiunt. operante dei gratia sanitatem. Cui est honor et gloria in saecula saeculorum. Amen.* Ibi pag. 660. hic quamplurimis caret, scilicet: n. 9. 10. 11. 15. 16. 17. 19. 20. 23. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 35. 36. 37. 38. 39. 42. 43. 48. 49. 51. fere integro n. 52. et dimidio n. 55. editionis.

Pag. 240 — Vita vel obitus sancti pauli heremite. Incipit: *Inter multos saepe dubitatum est. a quo potissimum...* Desinit: *vel pentecostes semper pauli tunica vestitus est.* Apud Rosweydum pag. 17. Deest conclusio in Codice.

Pag. 249 — In sancti antonii. Incipit: *Igitur antonius nobilibus religiosisque parentibus...* Desinit: *et nemo interim usque ad hunc diem praeter eos ubi sit conditus novit.* Ibi pag. 36. Desunt multa, scilicet, quae continentur a pag. 40. ad pag. 59. editionis.

Pag. 261 — Incipit vita vel obitum Sancti Leuci aepiscopi et confessoris. Incipit: *Regnante venerabile et magnifico theodosio imperatore cultore dei...* Desinit: *per virtutem et agnitionem sanctae trinitatis. Cui est honor... saeculorum. Amen.* Habet idem initium ac edita apud Bolland. T. I. Ianuarii pag. 669; deinceps differt.

Pag. 283 — Vita vel obitus Sancti ylarii episcopi pictavis. Incipit: *Igitur beatissimus ylarius pictavorum urbis episcopus...* Desinit: *terra plorante. caelo gaudente.* S. Hilarii *Opp.* T. I. col. 186. usque ad finem Lib. I. eiusdem *Vitae* a Fortunato conscriptae.

Pag. 291 — In Sancti felicis episcopi et confessoris. Incipit: *Ad gloriam domini nostri ihesu christi pertinet. et ad salutem...* Desinit: *et depositus est nono decimo kalendas februarii. Regnante domino... saeculorum. Amen.* Vide Cod. CXXXIX. pag. 717. hic deest *Prologus.*

Pag. 298 — Alium miraculum. Incipit: *In principio narrationis nostrae adesse nobis...* Desinit: *christo gratias egerunt. qui vivit et regnat deus in saecula saeculorum. Amen.* Ibi pag. 723.

Pag. 300 — Eodem die alii felici. Incipit: *Cum ferbor dioclitiani et maximiani...* Desinit: *usque in hodiernum diem. Ad laudem... saeculorum. Amen.*

Pag. 301 — Eodem die alii felici presbyteri. Incipit: *Factum est autem ut post completionem...* Desinit: *perrexit ad dominum ihesum christum.* Quae hic et supra de duobus *Felicibus* exhibentur coniuncta, in praecitato Cod. CXXXIX. pag. 724. inveniuntur. Vide quae ibi adnotavimus.

Pag. 304 — Vita vel obitus sancti Mauri abbatis discipuli beatissimi benedicti. Incipit;

Beatissimus igitur maurus clarissimo senatorum genere... Desinit*: taliter illos est allocutus. De his... duodecim. per omnia. Benedictus deus in saecula saeculorum. Amen.* Apud Bolland. T. I. pag. 1040. a n. 8. usque ad 5. lin. n. 66. In medio duo folia succisa reperimus, sed ibi nihil deest. In fine desunt multa, scilicet quae editio post lin. 5. n. 66. habet.

Pag. 343 — In Sancti marcelli pape. Incipit: *Tempore quo maximianus augustus rediens de partibus africe...* Desinit*: requievit in pace. Regnante... saeculorum. Amen.* Apud Bolland. T. II. Ianuarii. Hic desunt quae in editione ab initio n. 10. ad finem n. 21. et deinde a n. 23. ad finem leguntur.

Pag. 348 — In Sancti sebastiani. Incipit: *Sebastianus vir christianissimus mediolanentium partium civis...* Desinit: *fecit ipsam aecclesiam heredem christo. Qui... saeculorum. Amen.* Bolland. T. II. Ian. pag. 263. hic aliquid tantum deest.

Pag. 385 — Passio Sanctorum Marii et Marthe audifax et abbacuc. Incipit: *Temporibus claudii cesaris venit romam quidam vir de persidis partibus...* Desinit: *usque in hodiernum diem. Regnante... saeculorum. Amen.* Ibi pag. 216. In Codice desunt multa, et praesertim quae ibi exhibentur a n. 6. ad initium n. 11. et a n. 12. ad 15. pro quibus pauca alia verba ponuntur.

Pag. 389 — Passionem Sanctae agnes virginis et Martyris. Incipit: *Ambrosius servus christi virginibus sacris. Diem festum sacratissimae virginis...* Desinit: *valeat invenire. Qui cum... saeculorum. Amen.* Vide Cod. CXLI. pag. 302.

Pag. 400 — Lectio VII. Sermo sancti ambrosii episcopi. Incipit: *Cum in toto mundo virgineus flos...* Desinit: *reddidit palmam. Qui regnat... saeculorum. Amen.* Ibi pag. 311.

Pag. 404 — Passionem Sancti vincentii levitae et martyris. Prologus. Incipit: *Probabile satis est ad gloriam...* Desinit: *perpetuum perseveret.*

Explicit prologus. Incipit: *Cum apud cesaream augustanam civitatem...* Desinit: *per totam hispaniam nomen domini nostri ihesu christi. Qui regnat... saeculorum. Amen.* Ibi pag. 320.

Pag. 412 — Incipit prologus Sancti anastasii Martyris. Incipit: *Athanasio gratia dei venerabilissimo christi famulo. Gregorius clericorum infimus perpetuam in christo salutem. Vestrae benignitatis...* Desinit: *pro nobis intercedat dominum nostrum ihesum christum. cui... saeculorum. Amen.*

Pag. 413 — Explicit prologus. Incipit*: Beatus itaque anastasius...* Desinit: *liberatum fuisse. Praestante... saeculorum. Amen.* Ibi pag. 329.

Pag. 431 — In Sancti dominici. Incipit: *Almificus itaque dominicus ex provincia...* Desinit: *sed etiam per illum miracula quam maxime demonstraret.* Differt ab edita apud Bolland. T. II. Ian. pag. 442. et ab alia quae extat in Cod. CXLI. pag. 335. huius *Bibliothecae.*

Pag. 435 — In sancti amasii episcopi. Incipit: *Amasius salvatoris mundi sacerdos salutaribus dogmatibus...* Desinit: *ad propria remeabat. Agentes deo gratias patri et filio et spiritui sancto. cui est honor et gloria in saecula saeculorum. Amen.* Differt ab edita a Bolland.

Pag. 439 — Secundum mattheum... *Nemo accendit lucernam...* Omelia pauli Diaconi. Incipit*: His sancti evangelii verbis que modo...* Desinit: *gaudia consequamur eterna. Prestante... saeculorum. Amen.* Mabillon *Annal. Benedict.* T. I. pag. 674. Mai T. VII. *S. V. C.*

Pag. 442 — Conversio sancti pauli apostoli. Lectio I. Incipit: *Saulus autem adhuc spirans minarum...* Desinit: *admirans super doctrina domini.* Ex *Act. Apost.*

Pag. 445 — Sermo Sancti augustini episcopi. Incipit: *Sancte scripture semper docent nos et admonent...* Desinit*: omnia possibilia sunt in christo ihesu domino nostro. Qui vivit... saeculorum. Amen.* Caillau pag. 76.

Pag. 446 — Sermo Sancti Gregorii nazianzeni episcopi. Incipit: *Si penitus effugere maculas fratres dilectissimi voluerimus...* Desinit: *evangelium genuit christo ihesu. Cui... saeculorum. Amen.* Ibi pag. 74.

Pag. 448 — Sermo sancti augustini aepiscopi. Lectio VII. Incipit: *Sicut in lectione actuum apostolorum...* Desinit*: multitudo credentium.* Ibi pag. 73.

Pag. 450 — Sermo sancti augustini. Lectio VIII. Incipit: *Procedat nobis fratres karissimi. et beatus paulus...* Desinit: *et ideo gaudemus de corona tua.* Ibi pag. 72.

Pag. 453 — Sermo sancti augustini unde supra. Lectio IX. Incipit: *Videtis fratres karissimi*

omnipotenti... Desinit: *et praedicator factus est regni celorum.* Ibi pag. 69.

Pag. 455 — LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM LUCAM... *Homo quidam...* TRACTATUS SANCTI IERONIMI. Incipit: *Theophilus antiocene ecclesie,* et sequitur: *Require in dominica VIII. post octavam pentecostes.*

Pag. 455 — PASSIO SANCTI POLICARPI EPISCOPI. Incipit: *Temporibus marci aurelii antonini qui pius cognominatus est...* Desinit: *ex philadelphia venientes. apud smirnam martirio consummati sunt.* Vide Cod. CX. pag. 272. et Cod. CXLI. pag. 340.

Pag. 461 — PASSIO SANCTI IGNATII. Incipit: *Tempore quo traianus domitiani successit...* Desinit: *Ubi plurima fiunt miracula ad laudem... saeculorum. Amen.* Vide citatos Codices; prioris pag. 274. secundi pag. 349.

Pag. 464 — INCIPIT PROLOGUS. IN PASSIONEM SANCTI BLASSII AEPISCOPI ET MARTYRIS. Incipit: *Plerique philosophorum dogmatibus non apprime eruditi...* Desinit: *plus erit accepturus mercedis.*

Pag. 465 — EXPLICIT PROLOGUS. Incipit: *Igitur cum romani imperii dioclitianus et maximianus...* Desinit: *una omnipotentia nunc et semper. et per infinita secula seculorum. Amen.* Vide Cod. CXLIV. pag. 552. et CXLV. pag. 315.

Pag. 477 — IN SANCTE AGATHE VIRGINIS ET MARTYRIS. Incipit: *Passionis beatissime virginis et martyris agathe que passa est...* Desinit: *eos sancte martyris agathe liberassent. Cui est... seculorum. Amen.* Bolland. T. I. Februarii pag. 615.

Pag. 485 — VITA VEL OBITUS SANCTE AUSTROBERTE VIRGINIS. Incipit: *Beatissima virgo austroberta deo priusquam nasceretur nota...* Desinit: *migravit ad christum septimo ydus februarii. Regnante... saeculorum. Amen.* Vide Cod. CXLV. pag. 318.

Pag. 489 — VITA VEL OBITUS SANCTI SABINI EPISCOPI. Incipit: *Regnante iustiniano augusto sancti viri multis in locis...* Desinit: *cuius temporibus multa samnitum* (ed. *Salentinati*) *populo prospera evenerunt.* Ibi pag. 324. a n. 2. usque ad finem.

Pag. 502 — VITA VEL OBITUS SANCTE SCOLASTICE VIRGINIS EDITA A FRATRE ALBERICO DIACONO. ET MONACHO CENOBII CASINENSIS. Incipit: *Tempore quo iustinus senior romanae reipublicae iura moderabatur...* Desinit: *facere contemplatione felices ihesus christus dominus noster. qui cum... saeculorum. Amen.* Edidit ex hoc Codice Petrus M.ª Iustinianus Monachus Casinensis in sua Apologia de *Existentia Corporum SS. Benedicti et Scholasticae in hoc Coenobio*, pag. 59. Partem huius *Vitae* uti *Prologum* in sequentem Sermonem edidit quoque Migne T. LXVI. *Patrol. Lat.* col. 941.

Pag. 511 — LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM MATHEUM. *Simile est regnum caelorum decem virginibus...* OMELIA ALBERICI MONACHI ET DIACONI DE EADEM LECTIONE. Incipit: *Audistis fratres karissimi celorum regnum decem virginibus...* Desinit: *et imperium sine fine permanet in secula seculorum. Amen. Patrol. Lat.* Migne T. LXVI. col. 941. In Cod. desunt quae ibi a lin. 17. col. 745. quae incipit verbis: *Volo in auribus vestris,* usque ad lin. 27. col. 947. ubi Codex verbis *Explanationem evangelice* Sermonem resumit, intercedunt.

Pag. 516 — PASSIO SANCTI VALENTINI EPISCOPI ET MARTYRIS. Incipit: *Propheta loquitur ad deum. secundum altitudinem...* Desinit: *longe a corpore sunt sancti valentini sepulti. Regnante... saeculorum. Amen.* Bolland. T. II. Februarii pag. 756.

Pag. 521 — PASSIO SANCTORUM MARTYRUM FAUSTINI ET IOBITTE. Incipit: *Beatissimi viri Faustinus et iovitta nobilissimis in civitate brexiana orti parentibus...* Desinit: *passio sub die quintodecimo kalendarum martiarum. Regnante... saeculorum. Amen.* Ibi pag. 809.

Pag. 533 — INCIPIT PROLOGUS IN PASSIONEM SANCTE IULIANES VIRGINIS ET MARTYRIS. Incipit: *Egregio patri domno petro sanctae pathenopensis ecclesiae optimo pastori. petrus caelestis patriae vota. Sacrae scripturae...* Desinit: *exinde ministretur.* Vide Cod. CXLV. pag. 370.

Pag. 534 — EXPLICIT PROLOGUS. Incipit: *Inter ceteros igitur...* Desinit: *Passa est autem beata martyra iuliane quarto decimo kalendas martii. Regnante... saeculorum. Amen.* Ibi pag. 873.

Pag. 547 — INCIPIT PROLOGUS IN SANCTI BARBATI EPISCOPI ET CONFESSORIS. Incipit: *Sicut evidentissime fidelium relatione...* Desinit: *ut temerarius loquor.*

Pag. 548 — EXPLICIT PROLOGUS. Incipit: *Tem-*

pore quo grimoald langobardorum... Desinit: *cotidie amplexabatur. Favente domino... saeculorum. Amen.* Ibi T. III. pag. 139.

Pag. 557 — Cathedra Sancti Petri apostoli. Sermo sancti Augustini episcopi. Incipit: *Dicit ihesus petro. Symon... Hunc invenit exitum...* Desinit: *pro omnibus pateretur. ovis est factus.* Aug. *Tractatus CXXIII. in Ioannem* a n. 4. usque ad finem.

Pag. 562 — Sermo sancti Augustini episcopi. Lectio V. Incipit: *Apostolum petrum primum omnium apostolorum...* Desinit: *testimonium dilectionis.* Aug. Sermo CXLVII.

Pag. 563 — Lectio sancti evangelii secundum iohannem... *Simon iohannis diligis me plus his...* Omelia venerabilis bede presbyteri de eadem lectione. Incipit: *Virtutem nobis perfecte dilectionis praesens...* Desinit: *remunerare pollicetur. Ihesu christo... saeculorum. Amen.* Bedae *Hom. XV. Lib. II.* T. V. col. 214. ed. Migne.

Pag. 570 — In sancti Mathie apostoli sermo dompni berthariì abbatis. Incipit: *Inclitam et gloriosam festivitatem beati mathie...* Desinit: *sexto kalendas martias. qui cum... saeculorum. Amen.* Apud Bolland. T. III. Februarii pag. 438, n. 2. et in *Patrol. Lat.* Migne T. CXXIX. col. 1023. Authperto Monacho Casinensi tribuitur.

Pag. 583 — Incipit prologus in sanctorum XL. martyrum. Incipit: *Martyrium quadraginta sanctorum scripturus...* Desinit: *aure transibo.*

Pag. 585 — Explicit prologus. Incipit: *Temporibus Licinii imperatoris fervebat ingens persecutio...* Desinit: *conregnemus cum eis. per christum... seculorum. Amen.* Ibi T. II. Martii pag. 22. ad diem X.

Pag. 595 — In sancti gregorii pape. Lectio prima. Incipit: *Gregorius urbe romulea. patre gordiano...* Desinit: *die quarto iduum martiarum. Prestante... saeculorum. Amen.* Vide Cod. CXLV. pag. 392.

Pag. 607 — In sancti Benedicti abbatis. Incipit: *Fuit vir vitae venerabilis gratia benedictus et nomine...* Desinit: *loquendi vires interim per silentium reparemus.* S. Gregorii *Dialogorum* liber II. A pag. 613. ad 645. in Codice folia ex alio abscissa huic assuta sunt. Quapropter columna 2.ª pag. 612. idem continet ac prima pag. sequentis.

Pag. 646 — Passio sanctorum martyrum. Tyburtii et valeriani. Require in passione sanctae ceciliae. Initium tantum hic datur his verbis: *Temporibus macrini et commodi imperatorum. Turcius almachius.* Integra cum hoc initio extat in Cod. CX. p. 525.

Incipit prologus in passionem Sancti georgii martyris. Incipit: *Plerique illustrium caelestis patriae amatores...* Desinit: *sine fine percipient.*

Pag. 647 — Explicit prologus. Incipit: *Postquam dominus et salvator noster sua praesentia et gloriosa incarnatione...* Desinit: *nono Kalendas maias. Regnante... seculorum. Amen.* Vide Cod. CXLV. pag. 403.

Pag. 661 — Passio Sancti marci evangelistae. Incipit: *Tempore quo dispersi erant...* Desinit: *gratia dei plenus.* Vide Cod. CXLV. pag. 430.

Pag. 665 — Passio sancti vitalis martyris. Incipit: *Sanctus vitalis militans...* Desinit: *migraret ad dominum.* Ibi pag. 434.

Pag. 667 — Passio sancti iacobi apostoli. Incipit: *Iacobum qui dicebatur...* Desinit: *christus filius dei. qui... saeculorum. Amen.* Ibi pag. 435.

Pag. 670 — Passio sancti philippi apostoli. Incipit: *Cum in ipsis initiis...* Desinit: *qui credunt regnum patris... saeculorum. Amen.* Ibi pag. 437.

Pag. 673 — Passio Sanctorum martyrum. Alexandri papae. Eventii et Theodoli presbiterorum. Incipit: *Quinto loco a beato petro...* Desinit: *usque in hodiernum diem. Prestante... saeculorum. Amen.* Ibi pag. 445.

Pag. 483 — Inventio Sanctae crucis. Incipit: *Cum suscepisset helena...* Desinit: *habere mereamur. Ipso prestante... saeculorum. Amen.* Ibi pag. 459.

Pag. 689 — Inventio Sancti Michahelis archangeli. et dedicatio eius. Incipit: *Memoriam beati archangeli...* Desinit: *capiunt salutis. in christo ihesu domino nostro.* Vide Cod. CVIII. pag. 346.

Pag. 693 — Passio sancti victoris martyris. Incipit: *Regnante impio maximiano...* Desinit: *tertio idus maias. Regnante... saeculorum. Amen.* Vide Cod. CXLV. pag. 457.

Pag. 698 — Passio sanctorum Gordiani et epymachi. Incipit: *Temporibus iuliani impiissi-*

mi... Desinit: *in hodiernum diem. Ad laudem... saeculorum. Amen.* Ibi pag. 461.

Pag. 701 — PASSIO SANCTI PANCRATII MARTYRIS. Incipit: *Temporibus dioclitiani...* Desinit: *et beati cornelii. Regnante... saeculorum. Amen.* Ibi pag. 463.

Pag. 704 — PASSIO SANCTORUM NEREI ET ACHILLEI. Incipit: *Nisi studia catholicorum...* Desinit: *fallaciis liberari. Gratia domini nostri ihesu christi tecum.* Ibi pag. 465.

Pag. 711 — PASSSIO SANCTI BONIFATII MARTYRIS. Incipit: *Temporibus dioclitiani...* Desinit: *et spiritus sancti. Cui... saeculorum. Amen.* Ibi pag. 477.

Pag. 717 — SCRIPTA PASTORIS PRESBITERI AD TIMOTHEUM. DE VITA ET OBITU SANCTAE POTENTIANAE VIRGINIS. Incipit: *Sancto et venerabili fratri timotheo presbytero. pastor presbyter. Novit...* Desinit: *usque in hodiernum diem. Per eum... saeculorum. Amen.* Ibi pag. 481.

Pag. 719 — PASSIO SANCTI EUSTASII ET FILIORUM EIUS. Incipit: *In diebus traiani...* Desinit: *pervenire mereamur.* Ibi pag. 483.

Pag. 726 — INCIPIT PROLOGUS IN PASSIONEM SANCTI URBANI PAPAE ET SOCIORUM EIUS. Incipit: *Sanctorum martyrum....* Desinit: *exequi studeamus.* Ibi pag. 488.

Pag. 727 — EXPLICIT PROLOGUS. Incipit: *Urbanus igitur romanae urbis...* Desinit: *non expletis.* Ibidem.

Pag. 732 — PASSIO SANCTAE ALBINE VIRGINIS ET MARTYRIS. Incipit: *Tempore illo adveniente...* Desinit: *in locum qui dicitur scauri.* S. Albinae *Acta* Baronius ex antiquis monumentis ecclesiae Caietanae, uti ipse in suo Martyrologio sub die XVI. Decembris adnotat, accepit. Illorum initium cum Codice nostro concordat. Ea in compendium redacta Ferrarius in suo *SS. Italiae Cathalogo* pag. 778. edidit; nos integra, uti in hoc Codice leguntur, in *Florilegio* huius Voluminis dabimus.

Pag. 737 — INCIPIT DE OBITU PETRONILLAE ET PASSIONE FENICULAE. Incipit: *Petronillam itaque...* Desinit: *pro nomine domini nostri ihesu christi. Qui... saeculorum. Amen.* Cod. CXLV. pag. 472.

Pag. 739 — PASSIO SANCTORUM MARCELLINI ET PETRI. Incipit: *Benignitas salvatoris nostri...* Desinit: *quarto nonarum iuniarum in pace. Regnante... saeculorum. Amen.* Bolland. T. I. *Iunii* pag. 271.

Pag. 745 — PASSIO SANCTI HERASMI EPISCOPI ET MARTYRIS. Incipit: *Triumphales victorias...* Desinit: *ex ethnicis vulneravit.* Extat in *Sanctuario Capuano* Michaelis Monachi pag. 510.

Pag. 754 — PASSIO SANCTORUM VINCENTII ET BENIGNI DIACONI. Incipit: *Cum iussu principum...* Desinit: *beneficia dei. Regnante.... saeculorum. Amen.* Apud Bolland. T. I. *Iunii* pag. 625.

Pag. 759 — PASSIO SANCTORUM PRIMI ET FELICIANI. Incipit: *Temporibus dioclitiani...* Desinit: *quinto idus iunias. Regnante... saeculorum. Amen.* Vide Cod. CXLV. pag. 495.

Pag. 765 — Sine titulo incipit *Passio* S. Barnabae Apostoli: *Iohannes qui et marcus...* Desinit: *gloriam domini nostri ihesu christi. Qui... saeculorum. Amen.* Ibi pag. 500.

Pag. 769 — INCIPIT PROLOGUS IN PASSIONEM SANCTORUM MARTYRUM. VITI. MODESTI. ET CRESCENTI. Incipit: *Magnitudinem dei...* Desinit: *vicisse perpendit.* Ibi pag. 505.

Pag. 770 — EXPLICIT PROLOGUS. Incipit: *Igitur beatus vitus...* Desinit: *largitur in terris. Qui... saeculorum. Amen.* Ibidem.

Pag. 783 — NATALE SANCTORUM NICANDRI ET MARCIANI. Incipit: *Gloriosa sanctorum martyrum...* Desinit: *quinto decimo kalendarum iuliarum. Regnante... saeculorum. Amen.* Ibi pag. 514.

Pag. 787 — PASSSIO SANCTORUM MARTYRUM MARCI ET MARCELLIANI. Incipit: *Temporibus dioclitiani...* Desinit: *menia struebantur. Regnante... saeculorum. Amen.* Ibi pag. 517.

Pag. 791 — PASSIO SANCTORUM GERVASII ET PROTASI. Incipit: *Ambrosius servus... salutem. In divinis...* Desinit: *ihesu christi. Qui... saeculorum. Amen.* Ibi pag. 521.

Pag. 794 — INCIPIT PROLOGUS IN VITA VEL OBITUM SANCTI PAULINI EPISCOPI. Incipit: *Domino illustri... salutem. Litteris nobilitatis...* Desinit: *ministrent.* Ibi pag. 526.

EXPLICIT PROLOGUS. Incipit: *Igitur sanctus paulinus...* Desinit: *basso et antiocho consulibus. Regnante... saeculorum. Amen.* Ibidem.

Pag. 800 — EX DIALOGO BEATI GREGORII PAPE. Incipit: *Dum vicinis valde...* Desinit: *videre potuissent.* Ibi pag. 533.

Pag. 803 — Passio Sanctorum martyrum iohannis et pauli. Incipit: *Sub constantino augusto...* Desinit: *mundatus est. Ab ipso autem terenti(an)o scripta est hec passio sanctorum. Ad laudem... saeculorum. Amen.* Apud Mombritium T. I. pag. 317.

Pag. 811 — Natale Sancti iohanni(s) baptiste. Sermo sancti Augustini episcopi. Incipit: *Gratias agimus... in honorem dei.* Mai *N. PP. Bibl.* T. I. pag. 90.

Pag. 814 — Sermo Sancti augustini episcopi. Incipit: *Fratres karissimi natalem magni hominis...* Desinit: *nova religio perficiatur. Per dominum... saeculoram. Amen.* Septimum locum obtinet inter decem Sermones ex nostris Codd. primum editos ab Octavio Fraia Frangipane, qui in S. Augustini Sermones novos reperiendos vel mutilos restituendos plurimam operam dedit, uti eorum Specimen ab ipso Romae editum, et plures qui ab eo inventi per Caillau Parisiis lucem aspexerunt, probant.

Pag. 817 — Sermo Sancti augustini episcopi. Incipit: *Hodie dilectissimi fratres. iohannis...* Desinit: *habitabit in nobis. Qui vivit... saeculorum. Amen.* Aug. sermo CXCVIII. *App.* Quae in ed. ausulis intercluduntur, hic quoque occurrunt.

Pag. 820 — Sermo Sancti augustini episcopi. Incipit: *Beati iohannis merita...* Desinit: *cum venerit sentiamus.* Non invenimus.

Pag. 822 — Sermo Sancti augustini episcopi. Incipit: *Vox domini in virtute...* Desinit: *propter timorem tuum in utero accepimus. et parturi...* Caetera desiderantur, deficientibus ultimis Codicis foliis. Apud Mai *Nov. PP. Bibl.* Tom. I, pag. 97.

CODEX CXLVII.

SIGNATUS NUMERIS EXTERIORIBUS 147 ET 27, INTERIORI VERO 1100. PLUTEO II.

Codex membranaceus in folio, longitudinis metri 45/₀, latitudinis 30/₀, saeculo XI binis columnis characteribus longobardis nitide exscriptus, paginarum 660. Litterae aliquot capitulares auro et coloribus eleganter ornatae sunt. Continet *Sanctorum vitas et Omelias Patrum*. Sub eodem numero memoratur a Monfauconio.

Pag. 1 — In hac prima pagina, in qua vitas Sanctorum in Cod. contentas recens manus recensuit, haec verba amanuensis tantum scripserat: PASSIO SANCTORUM APOSTOLORUM PETRI ET PAULI. In sequenti, magna littera initiali auro et minio ornata incipit: *Cum fides domini et salvatoris nostri ihesu christi...* Desinit: *sub nerone caesare tertio kalendarum iuliarum. Regnante domino nostro... saeculorum. Amen.* Vide Cod. CXLII. pag. 1.

Pag. 10 — INCIPIT PROLOGUS IN PASSIONEM SANCTORUM APOSTOLORUM PETRI ET PAULI. Incipit: *In universo orbe terrarum...* Desinit: *demonstrare.* Ibi pag. 5.

Pag. 11 — EXPLICIT PROLOGUS. Incipit: *Cum venisset Paulus romam...* Desinit: *consequuntur effectum. Prestante domino... saeculorum. Amen.* Ibi pag. 6.

Pag. 32 — MARTYRIUM SANCTI PAULI APOSTOLI A LINO EPISCOPO ROMANO GRAECA LINGUA CONSCRIPTUM. ET ECCLESIIS ORIENTALIBUS DESTINATUM. Incipit: *Cum venissent romam lucas a galatia...* Desinit: *baptizati sunt in nomine domini nostri ihesu christi. cui cum patre... saeculorum. Amen.* Ibi pag. 20.

Pag. 48 — PASSIO SANCTORUM MARTYRUM PROCESSI ET MARTINIANI. Incipit: *Tempore quo symon magus...* Desinit: *in praesentem diem. Regnante domino... saeculorum. Amen.* Ibi pag. 31.

Pag. 54 — PASSIO SANCTI PROCOPII MARTYRIS. Incipit: *Regnante impiissimo et nefandissimo diocliliano...* Desinit: *Martyrizatus est autem gloriosus dei famulus procopius octavo idus iulias. ad laudem et... saeculorum. Amen.* Ibi pag. 34.

Pag. 68 — PASSIO SANCTORUM SEPTEM FRATRUM FILIORUM SANCTAE FELICITATIS. Incipit: *Sciendum est dilectissimi...* Desinit: *gratias referentes. qui cum deo... saeculorum. Amen.* Ibi pag. 43.

Pag. 87 — PASSIO SANCTORUM SEPTEM FRATRUM. Incipit: *Temporibus antonini imperatoris erat quaedam mulier...* Desinit: *gratias referentes. Qui cum patre... saeculorum. Amen.* Ibi pag. 56.

Pag. 92 — LECTIO IX. LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM MATHEUM... *Loquente ihesu...* OMELIA BEATI GREGORII PAPAE DE EADEM LECTIONE. Incipit: *Sancti evangelii fratres karissimi brevis est...* Desinit: *trucidamus.* Ibi pag. 59.

Pag. 97 — PASSIO SANCTARUM VIRGINUM RUFINAE ET SECUNDAE. LECTIO X. Incipit: *Rufina et secunda...* Desinit: *Passae sunt autem sexto idus iulias.* Ibi pag. 62.

Pag. 103 — PASSIO SANCTORUM MARTYRUM NABORIS ET FELICIS. Incipit: *Regnante impio maximiano in civitate mediolanensi...* Desinit: *sub maximiano imperatore. Regnante domino nostro... saeculorum. Amen.* Ibi pag. 66.

Pag. 110 — PASSIO SANCTAE MARGARITAE VIRGINIS ET MARTYRIS. Incipit: *Annorum ab incarnatione domini...* Desinit: *in eius nomine construxerunt. ad laudem... saeculorum. Amen.* Ibi pag. 70,

Pag. 130 — Passio Sanctorum martyrum cyrici et iulittae. Incipit: *Karissimo fratri et coepiscopo zosimo. Theodorus*... Desinit: *consentire. in christo ihesu domino nostro. Cui... saeculorum. Amen.* Ibi pag. 83.

Pag. 136 — Vita vel obitus Sancti alexii confessoris. Incipit: *Temporibus archadii et honorii*... Desinit: *consequi valeat. Per dominum... saeculorum. Amen.* Ibi pag. 86.

Pag. 148 — Passio Sanctae simphorosae cum septem filiis suis. Incipit: *Sanctus eusebius historiographus memorat*... Desinit: *miliario ab urbe octavo. Regnante... saeculorum. Amen.* Ibi pag. 94.

In margine legitur: *Legenda sancti bruni require in cronica.*

Pag. 151 — Obitus Sanctae praxedis virginis. Lectio I. Incipit: *Virgo venerabilis*... Desinit: *ecclesiae romanae.* Ibi pag. 96.

In margine legitur: *Legenda sancti severi require in passionario sancti placidi.*

Pag. 153 — Rescripta timothei presbiteri urbis romae. Incipit: *Timotheus presbiter*... Desinit: *orationes sanctorum in saecula saeculorum. Amen.* Ibi pag. 97.

Pag. 154 — Passio sancti apollinaris episcopi et martyris. Incipit: *In diebus claudii caesaris venit petrus*... Desinit: *kalendarum augustarum. Regnante domino nostro... saeculorum. Amen.* Ibi pag. 98.

Pag. 173 — Passio Sancti iacobi apostoli. Incipit: *Apostolus domini nostri ihesu christi iacobus*... Desinit: *perrexit ad dominum. cui est... saeculorum. Amen.* Ibi pag. 109.

Pag. 183 — Passio Sancti pantaleonis. (recenti manu adiunctum fuit: *martyris*). Incipit: *Regnante impio et iniquo maximiano et omni conamine*... Desinit: *amantis scolastici. Regnante... saeculorum. Amen.* Ibi pag. 116.

Pag. 201 — Passio Sanctorum martyrum nazarii et celsi. Incipit: *Nazarius genitus patre nomine africano*... Desinit: *in virtute et gloria domini nostri ihesu christi. Ipsi honor... saeculorum. Amen.* Ibi pag. 127.

Pag. 210 — Lectio. XII. Incipit: *Factum est dum clementissimae memoriae*... Desinit: *et mori lucrum.* Ibi pag. 133.

Pag. 211 — Passio Sanctorum martyrum simplicii. faustini et beatricis. Incipit: *Temporibus dioclitiani et maximiani sceleratissimorum imperatorum*... Desinit: *Quod factum est domino auxiliante. cui est honor... saeculorum. Amen.* Ibi pag. 134.

Pag. 214 — Lectio III. Passio Sancti felicis papae et martyris. Incipit: *Fuit temporibus constantii filii constantini*... Desinit: *usque in praesentem diem.* Ibi pag. 135.

Pag. 216 — Passio Sanctorum abdon et sennes et sociorum eorum. Incipit: *Orta tempestate*... Desinit: *in cymiterium pontiani. Regnante domino... saeculorum. Amen.* Ibi pag. 137.

Pag. 227 — Passio Sanctorum machabeorum. Incipit: *Tempore quo rex antiochus compellebat*... Desinit: *consummata est.* Ibi pag. 143.

Pag. 231 — Sermo Sancti maximi episcopi. Lectio V. Incipit *Unum esse spiritum*... Desinit: *pignora praemisisse.* Ibi pag. 146.

Pag. 234 — Lectio VII. Sermo sancti maximi episcopi. Incipit: *Quid primum karissimi*... Desinit: *singuli pertulerunt.* Ibi pag. 148.

Pag. 237 — Passio Sancti stephani papae. Incipit: *Temporibus valeriani et galieni. multi christianorum*... Desinit: *Apud nos autem regnante domino nostro ihesu christo. Cui est honor... saeculorum. Amen.* Ibi pag. 149.

Pag. 255 — Inventio Sancti Stephani protomartyris. Incipit: *Lucianus misericordia indigens*... Desinit: *subvenire dignatus est. Cui... saeculorum. Amen.* Ibi pag. 160.

Pag. 263—Lectio VIIII. Miracula Sancti Stephani protomartyris. Ex libris Sancti augustini de civitate dei. Incipit: *Ad aquas tibilitanas*... Desinit: *ista potentia sequeretur.* Ibi pag. 165.

Pag. 273 — Passio Sanctorum martyrum xisti felicissimi et agapiti. Incipit: *Magnas martyrum*... Desinit: *octavo iduum augustarum. Regnante... saeculorum. Amen.* Ibi pag. 171. In margine pag. 273. legitur haec nota: *In sancti dominici. Require in omiliis beati Gregorii. Si quis vult post me venire.*

Pag. 281 — Passio Sancti donati episcopi et martyris. Incipit: *Erat quidam puer*... Desinit: *civitatem aretinam in pace. Regnante... saeculorum. Amen.* Ibi pag. 176.

Pag. 289 — PASSIO SANCTORUM MARTYRUM CYRIACI. LARGI. ET SMARAGDI. Incipit: *Temporibus dioclitiani et maximiani imperatorum. Erat quidam...* Desinit: *in hodiernum diem. Regnante... saeculorum. Amen.* Ibi pag. 181.

Pag. 298 — PASSIO SANCTORUM SEPTEM DORMIENTIUM. Incipit: *Regnante impio decio imperatore. facta est ingens persecutio...* Desinit: *et gratias agentes domino nostro ihesu christo. Qui vivit... saeculorum. Amen.* Ibi pag. 186.

Pag. 335 — PASSIO SANCTI LAURENTII LEVITAE ET MARTYRIS. Incipit: *Cum duceretur sanctissimus xystus...* Desinit: *quarto iduum augustarum. Regnante... saeculorum. Amen.* Ibi pag. 202.

Pag. 325 — PASSIO SANCTI TYBURTII MARTYRIS. Incipit: *Temporibus dioclitiani et maximiani imperatorum cum sevissima...* Desinit: *usque in praesentem diem. Qui cum patre... saeculorum. Amen.* Ibi 209.

Pag. 340 — PASSIO SANCTI EUPLI DIACONI (manu recentiori: *et martyris*). Incipit: *Sub dioclitiano novies et maximiano septies consulibus...* Desinit: *sanantur usque in hodiernum diem. In nomine patris et filii... saeculorum. Amen.* Ibi pag. 213.

Pag. 344 — PASSIO SANCTI YPPOLITI ET SOCIORUM EIUS. Incipit: *Reversus post diem tertium...* Desinit: *spiritum reddiderunt christo domino. Qui... saeculorum. Amen.* Ibi pag. 215.

Pag. 352—EODEM DIE SANCTI CASSIANI MARTYRIS. Incipit: *Sylla forum statuit...* Desinit: *cassianum praedico.* Ibi pag. 221.

Pag. 356 — LECTIO II. (alia manu: *Passio Sancti Cassiani martyris).* Incipit: *Prudentius sicut notum est fidei vir...* Desinit: *forum corneliense. christo regnante. qui cum patre... saeculorum. Amen.* Ibi pag. 223.

Pag. 358 — OBITUS SANCTI EUSEBII PRESBYTERI. Incipit: *Eo tempore quo liberius...* Desinit: *per multum tempus.* Ibi pag. 225.

Pag. 361 — PASSIO SANCTI AGAPITI MARTYRIS. Incipit: *Gloriosas et laudabiles sanctorum martyrum victorias...* Desinit: *quinto decimo kalendarum septembrium. Regnante.... saeculorum. Amen.* Ibi pag. 227.

Pag. 381 — Recens manus supplevit hunc titulum: PASSIO SANCTI BARTHOLOMAEI APOSTOLI. Incipit: *Indiae tres esse ab historiographis...* Desinit: *kalendas septembris. Regnante... saeculorum. Amen.* Ibi pag. 239.

Pag. 393 — PASSIO SANCTORUM RUFI ET CARPONII. Incipit: *Sub dioclitiano imperatore...* Desinit: *collaudantes dominum nostrum ihesum christum. Cui est... saeculorum. Amen.* Ibi pag. 247.

Pag. 401 — INCIPIT PROLOGUS POSSIDII EPISCOPI. IN VITAM VEL OBITUM SANCTI AUGUSTINI EPISCOPI. Incipit: *Inspirante rerum omnium factore...* Desinit: *honorificum est.* Ibi pag. 251.

Pag. 402 — EXPLICIT PROLOGUS. In Margine inferiori legitur: *Vitam vel opidus. sancti augustini episcopi.* Incipit: *Beatissimus igitur augustinus...* Desinit: *patefaciendo disperdidit. Adiuvante... saeculorum. Amen.* Ibi pag. 251.

Pag. 431 — LECTIO XII. PASSIO SANCTI HERMETIS. Incipit: *Quinto loco a beato petro...* Desinit: *septembrium. Regnante domino nostro... saeculorum. Amen.* Ibi pag. 271.

Pag. 434 — PASSIO SANCTORUM MARTYRUM FELICIS ET ADAUCTI. Incipit: *Sub dioclitiano et maximiano imperatoribus...* Desinit: *septembris. Regnante domino nostro... saeculorum. Amen.* Ibi pag. 273.

Pag. 436 — PASSIO SANCTORUM MARTYRUM DUODECIM FRATRUM. Incipit: *Dum furor...* Desinit: *sub unǫ tegmine collocavit* (in margine: *In monasterio sancte sophie). Ubi... pollent miraculis. Prestante... saeculorum. Amen.* Ibi pag. 275.

Pag. 447 — LECTIO VIIII. PASSIO SANCTI TERENTIANI EPISCOPI. Incipit: *Anno caesaris augusti...* Desinit: *in praesentem diem. Regnante... saeculorum. Amen.* Ibi pag. 282.

Pag. 455 — LECTIO XII. PASSIO SANCTI PRISCI EPISCOPI. Incipit: *Temporibus valentiniani et valentis...* Desinit: *septembrium. Ad laudem... saeculorum. Amen.* Ibi pag. 287.

Pag. 459 — PASSIO SANCTI ZENONIS ET FILIORUM EIUS. Incipit: *Tempore quo iulianus imperator...* Desinit: *diem. Regnante domino nostro... saeculorum. Amen.* Ibi pag. 290.

Pag. 468 — PASSIO SANCTI ADRIANI MARTYRIS. DIMITTE. Incipit: *Factum est imperante maximiano...* Desinit: *gratias agentes domino... saeculorum. Amen.* Ibi pag. 297.

Pag. 495 — INCIPIT PROLOGUS IN PASSIONEM SANCTORUM GORGONII ET DOROTHEI. Incipit: *Ma-*

gnum summopere studium... Desinit: *pigrescant.* Ibi pag. 313.

Pag. 496 — Explicit prologus. Lectio I. Incipit: *Dioclitiano in rebus publicis...* Desinit: *patrocinatur. Regnante.... saeculorum. Amen.* Ibi pag. 314.

Pag. 504 — Passio sanctorum martyrum. proti et iacinthi. et sanctae eugenie virginis. Incipit: *Septimo consulatu suo...* Desinit: *resonabant. cui est... saeculorum. Amen.* Ibi pag. 319.

Pag. 533 — Passio Sancti cornelii papae. Incipit: *Temporibus decii caesaris...* Desinit: *florent. ad laudem... saeculorum. Amen.* Ibi pag. 347.

Pag. 536 — Lectio V. Passio Sancti cypriani episcopi. Incipit: *Tusco et basso consulibus...* Desinit: *proconsul decessit.* Ibi pag. 349.

Pag. 540 — Lectio VIIII. Exaltatio sanctae crucis. Incipit: *Tempore quo constantinus...* Desinit: *laudans deum. qui est benedictus in saecula saeculorum. Amen.* Ibi pag. 351.

Pag. 549—Passio Sanctorum luciae et geminiani. Incipit; *Imperantibus dioclitiano et maximiano tyrannis...* Desinit: *tradidit sepulturae. Ad laudem... saeculorum. Amen.* Ibi pag. 357.

Pag. 554 — Lectio VIIII. Eadem die passio Sanctae euphemiae virginis. Incipit: *Temporibus dioclitiani imperatoris...* Desinit: *octobris. in gloriam et laudem dei... saeculorum. Amen.* Ibi pag. 360.

Pag. 558 — Passio Sanctorum ianuarii festi et desiderii et sociorum eorum. Incipit: *Temporibus dioclitiani imperatoris erat persecutio...* Desinit: *feliciter vivunt in omnia saecula saeculorum. Amen.* Ibi pag. 363.

Pag. 571 — Passio Sancti mathei apostoli et evangeliste. Incipit: *Beatus matheus apostolus et evangelista primo hebraeis...* Desinit: *sequens libellus ostendet.* Ibi pag. 371.

Pag. 588 — Passio Sancti mauricii et sociorum eius. Incipit: *Dioclitianus quondam romanae reipublicae...* Desinit: *octobrium. Regnante... saeculorum. Amen.* Ibi pag. 387.

Pag. 601 — Passio Sanctae Theclae virginis. Incipit: *Veniente paulo iconium...* Desinit: *nono kalendas octobris. Regnante... saeculorum. Amen.* Ibi pag. 389.

Pag. 618 — Passio Sanctorum Cosmae et damiani. Incipit: *Temporibus dioclitiani et maximiani...* Desinit: *in hodiernum diem. Qui cum patre... saeculorum. Amen.* Ibi pag. 399.

Pag. 635 — Vita vel obitus Sancti ieronimi presbiteri. In margine legitur haec nota: *per Sebastianum. S. P. Benedicti discipulum ut observavi ex MSS. Sublacensi et Reat. Ego Constantinus a Syracusis monachus Casinensis 1595.* Incipit: *Plerosque illustrium...* Desinit: *neque finiuntur in saecula saeculorum. Amen.* Ibi pag. 409.

Pag. 648 — Passio Sanctarum virginum Pistis. Elpis. et agapis et sophiae matris earum. Lectio VIIII.[a] Incipit: *Regnante adriano imperatore cum idolorum cultus...* Desinit in manco Códice: *quam vos tormenta conveniant...* Ibi pag. 407.

CODEX CXLVIII.

SIGNATUS NUMERIS EXTERIORIBUS 148 ET 22, INTERIORI VERO 1101. PLUTEO II.

Codex membranaceus in folio, longitudinis metri 44/₀, latitudinis 30/₀, paginis constat 526, duplici columna, characteribus longobardis XI seculi a quodam Martino Monacho exaratus, uti ex hac nota, quae legitur pag. 513: *Hunc librum scriptum anno dominice incarnationis. Millesimo. X. Indictione octaba. feliciter. — Martinus peccator et scriptor libri huius habebit in conversione monachorum annos III.* Vide Martene *Vet. Script.* Tom. VI. pag. 778. et Gattulam *Hist. Cas.* Tom. I. pag. 12. Continet Sanctorum Vitas, et sub titulo: *Vitae diversorum Sanctorum, quarum index habetur initio Codicis,* memoratur a Montfauconio.

Pag. 1 — In nomine sancte et individue trinitatis. Incipiunt passiones et vitas sanctorum que in isto volumine continentur a tertio kalendas iulii in quo celebratur passiones sanctorum apostolorum petri et pauli. usque in pridie kalendas decembris quo celebratur passio sancti andree apostoli. Deinde sequitur cathalogus Sanctorum, quem hic damus:

Kalendis iulii.

I. II. nonas iulii. octava sanctorum apostolorum petri et pauli.

II. VII. idus iulii. passio procopi martyris require antea ad tabula.

III. VI. idus iulii. natalis sanctorum septem fratrum.

IIII. X. kalendas augusti. natalis sancti apollinaris episcopi.

V. VIII. kalendas augusti. natalis sancti iacobi apostoli.

VI. V. kalendas augusti. natalis sancti nazari et celsi.

VII. Kalendis augusti. natalis sancti petri ad vincula et sanctorum machabeorum require antea.

VIII. IIII. nonas augusti natalis sancti stephani pape.

VIIII. IIII. idus augusti. natalis sancti xisti episcopi.

X. III. idus augusti. natalis sancti donati et alius donati.

XI. IIII. idus augusti. natalis sancti laurentii levite.

XII. idibus augusti. natalis sancti yppoliti et cassiani martyris antea ad tabula. alia manu adiunctum fuit lectio require in passione sancte andree folia XIII. ad compl.

XIII. VIIII. kalendas septembris. natalis bartholomei apostoli.

XIIII. VII. kalendas septembris sancti rufi et carponi martyrum.

XV. V. kalendas septembris. natalis sancti augustini episcopi.

XVI. Kalendis septembris. sanctorum XII. fratrum.

XVII. III. idus sept. sanctorum proti et iacinthi.

XVIII. XVIII. kalendas octobris. natalis sanctorum cornelii et cypriani et exaltatio sancte crucis.

XVIIII. XVII. kalendas octobris. sancte eufemie.

XX. XIIII. kalendas octobris. sancti ianuarii martyris et episcopi.

XXI. XI. kalendas octobris. Natalis sancti matthei apostoli et evangelistae.

XXII. X. kalendas octobris. natalis sancti mauricii cum sociis suis.

XXIII. V. kalendas octobris. natalis sanctorum cosme et damiani.

XXIIII. IIII. kalendas octobris. dedicatio basilicae beati michahelis archangeli.

XXV. II. kalendas octobris depositio beati hieronimi presbiteri.

Kalendis octobris.

XXVI. nonis octobris. sergi et bachi.

XXVII. VII. idus octobris. natalis sanctorum dionisii episcopi Rustici presbyteri. et eleutherii diaconi.

XXVIII. II. idus octobris. natalis sancti calixti pape. eodem die sancte fortunate virginis.

XXIX. XV. kalendas novembris. natalis sancti luce evangeliste.

XXX. VIII. kalendas novembris. natalis sanctorum chrisanti et darie.

XXXI. Abrasa sunt nomina sanctorum qui sequuntur usque ad numerum XXXIIII. seriei.

XXXIIII. kalendis novembris.

XXXI. Nomina sanctorum qui sequuntur usque ad numerum XXXIII. fere abrasa sunt. Innixi litteris quae supersunt et titulis in Codice exhibitis seriem complemus.

V. kalendas novembris. Natalis apostolorum simonis et iude, et aliena manu: *sancti calisti pape.*

XXXII. III. kalendas novembris. Natalis sancti germani episcopi. et aliena manu adiunctum fuit: *et maximi martyris.*

XXXIII. Kalendis novembris. Commemoratio omnium sanctorum.

XXXIII. VI. idus novembris. Natale sanctorum quatuor coronatorum.

XXXV. V. idus novembris. sancti theodori martyris.

XXXVI. III. idus novembris. Natalis Sancti martini turonensis episcopi.

XXXVII. VII. idus novembris. Natalis sancti iohannis chrisostomi.

XXXVIII. X. kalendas decembris. natalis sancte cecilie.

XXXVIIII. VIIII. kalendas decembris. Natalis sancti clementis episcopi et martyris.

XL. VII. kalendas decembris. natalis sancti mercurii martyris.

XLI. VI. kalendas decembris. Natalis sancti petri alexandrini episcopi.

XLII. V. kalendas decembris. Natalis sancti patris nostri gregorii miraculorum factoris.

Pag. 2 — Manus recens superiorem cathalogum Sanctorum rescripsit in hac pagina ubi haec tantum primitus legebantur: IN CHRISTI NOMINE. INCIPIT PASSIO BEATORUM APOSTOLORUM PETRI ET PAULI. Deinde in sequenti incipit: *In universo orbe terrarum...* Desinit: *effectum. Praestante... saeculorum. Amen.* Vide Cod. CXLII. pag. 5.

Pag. 15 — VI. IDUS IULII NATALIS SANCTORUM VII. FRATRUM. In margine legitur: *Require legend. sancti procopi. In isto libro supra ad tabulam.* Incipit: *Temporibus antonini. erat quedam...* Desinit: *referendi. Qui cum patre... saeculorum. Amen.* Ibi pag. 56.

Pag. 17 — X. KALENDAS AUGUSTI NATALIS SANCTI APOLLINARIS EPISCOPI ET MARTYRIS. In margine legitur: *VIIII. lectio de omelia beati Gregorii pape. sancti evangelii fratres karissimi.* Incipit: *In diebus claudii cesaris...* Desinit: *augustarum. Regnante saeculorum. Amen.* Ibi pag. 98.

Pag. 27 — VIII. KALENDAS AUGUSTI NATALIS SANCTI IACOBI APOSTOLI. Incipit: *Apostolus domini nostri ihesu christi iacobus. frater autem beati iohannis...* Desinit: *perrexit ad dominum. Cui gloria in saecula saeculorum. Amen.* Ibi pag. 109.

Pag. 34 — V. KALENDAS AUGUSTI NATALIS SANCTI NAZARII ET CELSI. Incipit: *Nazarius genitus a patre nomine africano genere...* Desinit: *et mori lucrum.* Ibi pag. 127.

Pag. 40 — VIII. IDUS AUGUSTI SANCTI XISTI EPISCOPI. Incipit: *Magnas martyrum preclarasque virtutes adtenuat potius...* Desinit: *iduum augustarum. Regnante... saeculorum. Amen.* Ibi pag. 171.

Pag. 45 — VII. IDUS AUGUSTI SANCTI DONATI EPISCOPI ET MARTYRIS ET ALII DONATI. Incipit: *Erat quidam puer in civitate romana nomine donatus...* Desinit: *in pacem. Regnante... saeculorum. Amen.* Ibi pag. 176

Pag. 50 — EODEM DIE ISTE DONATUS. Incipit: *Desideranti tibi famula dei anastasia ut vitam beati donati...* Desinit: *beneficia prestantur. In nomine... saeculorum. Amen.* Martene *Vet. Script.* T. VI. pag. 775. et *Prologum.* et partem *Vitae* edidit.

Pag. 56 — IIII. IDUS AUGUSTI NATALIS SANCTI LAURENTII LEVITE ET MARTYRIS. Incipit: *Cum duceretur sanctissimus xistus urbis romae episco-*

pus... Desinit: *iduum augustarum. Regnante... saeculorum. Amen*. Vide Cod. CXLII. pag. 202.

Pag. 63 — XV. KALENDAS IULII. NATALIS BARTHOLOMEI APOSTOLI. Incipit: *Indie tres esse ab historiografis asseruntur. Prima est india que*... Desinit: *kalendarum iuliarum... saeculorum. Amen*. Ibi pag. 239.

Pag. 72 — V. KALENDAS SEPTEMBRIS SANCTI AUGUSTINI EPISCOPI COMPOSITA A POSSIDIO EPISCOPO. Incipit: *Beatus augustinus ex provincia africe civitate*... Desinit: *disperdidit. Adiuvante... saeculorum Amen*. Ibi pag. 251.

Pag. 89 — KALENDIS SEPTEMBRIS NATALE SANCTORUM XII. FRATRUM. Incipit: *Dum fervor maximiani diversis penis kristianos perimeret africa tunc regio*... Desinit: *suis beneficiis prosunt. Prestante... saeculorum. Amen*. Ibi pag. 275.

Pag. 97 — XVIII. KALENDAS OCTOBRIS EXALTATIO SANCTE CRUCIS. SERMO VENERABILIS NICYFORIS ARCHIEPISCOPI. Incipit: *Tempore illo postquam constantino augusto contra maxentium tyrannum properante ad bellum*... Desinit: *plurima incrementa. Donante domino... saeculorum. Amen*. Non invenimus.

Pag. 101 — MIRACULUM YCONE DOMINI. Incipit: *Petrus sanctissimus episcopus nicomediae dixit. librum defero sancti athanasii*... Desinit: *tenens imperium regnat per infinita saecula saeculorum. Amen. Sacrorum Concil. Ampliss. Collectio* T. XIII. col. 23.

Pag. 106 — XVIII. KALENDAS OCTOBRIS NATALIS SANCTI CORNELII EPISCOPI. Incipit: *Imperante urbi rome anno iam tertio philippo ab exordio*... Desinit: *beneficia consequantur. Prestante domino nostro... saeculorum. Amen*. S. Cornelii *Acta* edidit Mombritius T. I. pag. 210. et eis correctiora Emmanuel a Schalstrate *Antiq. Illustr.* T. I. *Diss.* II. cap. 6. Quae autem hic habentur eis prolixiora sunt. Continent etiam *Epistolam* XIII. Cypriani ad Cornelium (T. I. col. 856. ed. Migne) cui alia ex alteris *Epistolis et* praesertim ex XXXIV. (ibi T. II. col. 332) inserta sunt.

Pag. 111 — XVIII. KALENDAS OCTOBRIS PASSIO SANCTI CORNELII ET CYPRIANI. EODEM DIE EXALTATIO SANCTAE CRUCIS. Incipit: *Tusco et basso consulibus*.... Desinit: *proconsul decessit*. Vide Cod. CXLII. pag. 349.

Pag. 114 — XIII. KALENDAS OCTOBRIS NATALIS SANCTI IANUARII EPISCOPI ET MARTYRIS. Incipit: *Temporibus dioclitiani imperatoris consulatu costantini cesaris quinquies*... Desinit: *cepta corona vixerunt in saecula saeculorum. Amen*. Ibi Bolland. T. V. *Septembris* pag. 266. cum *Appendice* ex editione Falconii relata.

Pag. 121 — INCIPIT MIRABILIA SANCTI IANUARII. Incipit: *Operante divina misericordia. rediit communibus optata sollemnitas. et dies annuae festivitatis*... Desinit: *possit optinere*. Ibi pag. 884. ab initio usque ad n. 9.

Pag. 124 — XI. KALENDAS OCTOBRIS NATALIS SANCTI MATHEI APOSTOLI ET EVANGELISTAE. Incipit: *Quoniam deo cura est de omnibus. ut plus animarum*... Desinit: *sequens libellus ostendit*. Ibi T. VI. pag. 220. Hic deest *Prologus*, et *Acta* initio differunt aliquantulum.

Pag. 137. — X. KALENDAS OCTOBRIS PASSIO BEATI MAURICII CUM SOCIIS SUIS SEX MILIA SEX CENTI MARTYRUM. Incipit: *Sanctorum passionem martyrum qui hunc locum gloriosos sanguine*... Desinit: *octubrium. Regnante... saeculorum. Amen*. Ibi pag. 342. a n. 2. ad 11. *Passionis*.

Pag. 141 — ITEM UNDE SUPRA DE SANCTI MAURICII. Incipit: *Dioclitianus quondam romane raeipublicae princeps cum ad imperium totius orbis fuisset electus*... Desinit: *passione suscipit in saecula saeculorum. Amen*. Vide Cod. CXLII. pag. 387.

Pag. 147 — INCIPIT MIRACULA SANCTORUM MARTYRUM MAURICII ET SOCIORUM EIUS. Incipit: *Ex eadem legione fuisse dicuntur etiam illi martyres*... Desinit: *ore persolvunt. Cui est honor... saeculorum. Amen*. Ibidem.

Pag. 149 — V. KALENDAS OCTOBRIS NATALIS SANCTORUM MARTYRUM COSME ET DAMIANI. Incipit: *Licet omnium sanctorum veneranda gesta*... Desinit: *et maximiano. Regnante... saeculorum. Amen*. Apud F. Iacobum Mosandrum Carthusianum pag. 722.

Pag. 156 — ITEM DE MIRABILIBUS SANCTORUM MARTYRUM COSME ET DAMIANI. Incipit: *Post non multum tempus Rusticus quidam egressus est*... Desinit: *in hodiernum diem. Qui cum... saeculorum. Amen*. Ibi pag. 725.

Pag. 158 — III. KALENDAS OCTOBRIS DEDICATIO BASILICE SANCTI ARCHANGELI MICHAELIS IN MONTE

GARGANO. Incipit: *Memoriam beati archangeli michahelis toto orbe...* Desinit: *positus indicat.* Combefis. Tom. VIII. pag. 239.

De inventione basilice. Lectio II. Incipit: *Erat in eadem civitate...* Desinit: *querendum.* Ibi.

III. Incipit: *Quo peracto...* Desinit: *orationi vacabant.* Ibi.

Pag. 159 — IIII. de victoria eiusdem. Incipit: *Inter hec neapolitani...* Desinit: *capiunt salutis in christo ihesu domino nostro.* Ibi.

Pag. 163 — II. kalendas octobris vita et obitus beati iheronimi presbiteri. composita a sebastiano monacho sanctissimi benedicti. Incipit: *Plerosque nimirum illustrium...* Desinit: *nec inchoantur neque finientur in secula seculorum. Amen.* Vide Cod. CXLII. pag. 409.

Pag. 173 — Nonis octobris natalis sanctorum sergi et bachi. Incipit: *Imperante maximiano tyranno multus error hominum genus...* Desinit: *loco erga preceptum domini. Cui est... saeculorum. Amen.* Vide Cod. CXXXIX. pag. 1. Hic finis est prolixior.

Pag. 188 — VIII. idus octobris. Sanctorum dionisii episcopi et martyris. Rus(ti)ci presbiteri et eleutherii diaconi et martyris. Incipit: *Post beatam et gloriosam resurrectionem domini nostri ihesu christi. qua verum dei templum...* Desinit: *parisius civitate.* Ibi pag. 15.

Pag. 196 — II. idus octobris. natalis Sancti calixsti pape. eodem die est fortunate virginis. Incipit: *Temporibus macrini et alexandri. incendio divino concremata est pars capitolii...* Desinit: *novembres in pace. Regnante... saeculorum. Amen.* Ibi pag. 23.

Pag. 203 — De ammiratione beate fortunate virginis. Incipit: *Sanctorum martyrum passiones idcirco minoris habentur auctoritatis. quia scilicet...* Desinit: *narrationis. veniamus.* Martene *Vet. Script.* T. VI. pag. 776. tantum *Prologum* et initium *Vitae* ex hoc Codice edidit, et ex Cod. Vat. Angelus Mai T. IV. p. 289. *Spicil. Rom.* eundem *Prologum* cum initio et fine *Vitae* adornavit.

Pag. 204 — Incipit passio sancte fortunate virginis et martyris. Incipit: *Igitur sacratissime virginis fortunate cesarea...* Desinit: *qui inscribitur pridiae idus octobris. Ad laudem... saeculorum. Amen.* Ibidem.

Pag. 214 — XV. kalendas novembris natalis sancti luce evangeliste. Incipit sermo venerabilis. Berthari abbatis. Incipit: *Cum in divinis atque sacris voluminibus studiose lectitando perquirerem...* Desinit: *quem praedicavit confluerent. Qui cum... saeculorum. Amen.* Vide Cod. CXXXIX. pag. 28.

In margine legitur: *Require in alio passionario translatio sancti bartholomaei in pede.*

Pag. 219 — VIII. kalendas novembris natalis sanctorum chrisanti et darie martyrum. Incipit: *Historiam priorum sanctorum ad aedificationem nostram deus voluit pervenire...* Desinit: *qui crediduri sunt profuturum.* Ibi pag. 42.

Pag. 220 — Explicit prologus. Incipit passione. Incipit: *Plemius vir illustrissimus. alexandriae urbis honoratus et primus...* Desinit: *cum multis filiis. In triumpho martyrii et gloriam perpetuae coronae suscepit. Amen.* Ibi pag. 43.

Pag. 236 — Incipit sine titulo: *Gloriosissimorum martyrum triumphos venerari piae devotionis est. quatenus et eorum suffragiis muniri...* Desinit: *ipso adiutore dicere.* Ibi pag. 60.

Pag. 237 — Sine titulo incipit: *Temporibus igitur numeriani impiissimi caesaris dum in romana urbe idolorum cultus...* Desinit: *cum supernis civibus percipere mereamur. Per dominum... saeculorum. Amen.* Ibi pag. 61.

Pag. 240 — Sine titulo incipit: *Sanctorum diodori et martiniani sociorumque revelationis tempore. que deus dignatus est miracula ostendere...* Desinit: *pristine est sanitati redditus.* Apud Surium T. I. pag. 409.

Pag. 243 — Sine titulo incipit: *Stephane sancte papa mea carmina suscipe laetus...* Desinit: *laudemus nomen Spiritus alme tuum.* Non invenimus.

Pag. 245 — V. kalendas novembris natalis apostolorum simonis et iude. Incipit: *Simon cananeus et iudas zelotes apostoli domini nostri ihesu christi. cum per rebelationem...* Desinit: *honore debito celebratur. Regnante... saeculorum. Amen.* Vide Cod. CXXXIX. pag. 102.

Pag. 257 — III. kalendas novembris. Natalis sancti germani capuani episcopi. Incipit: *Campaniae tellus. sicut ad proferendos multimodi generis fructus...* Desinit: *nunquam finienda gaudia susceperunt. Amen.* Ibi pag. 125.

Pag. 264 — III. KALENDAS NOVEMBRIS NATALIS SANCTI MAXIMI. Incipit: *Sub antonino prefecto. temporibus dioclitiani et maximiani imperatorum facta est ingens persecutio*... Desinit: *Sed aeternaliter cum deo patre. et sancto spiritu. vivit et regnat deus. per infinita saecula saeculorum. Amen.* Ibi pag. 131. sed hic est in fine fusior.

Pag. 273 — KALENDIS NOVEMBRIS FESTIVITAS OMNIUM SANCTORUM. Incipit: *Legimus in ecclesiasticis ystoriis quod sanctus bonifacius*... Desinit: *gaudere mereamur. Per eum qui... saeculorum. Amen.* Ibi pag. 160.

Pag. 284 — ITEM UNDE SUPRA. DE OMNIUM SANCTORUM. Incipit: *Hodie dilectissimi omnium sanctorum*... Desinit: *laetitiae largitorem. Qui vivit... saeculorum. Amen.* Ibi pag. 172.

Pag. 289 — VI. IDUS NOVEMBRIS SANCTORUM QUATUOR CORONATORUM. Incipit: *Dioclitianus cesar. qui super omnes cesares contra christianam seditionem exarsit*... Desinit: *studiose scribere procuravit. Ad laudem... seculorum. Amen.* Ibi pag. 182.

Pag. 301 — V. IDUS NOVEMBRIS. SANCTI THEODORI MARTYRIS. Incipit: *Temporibus suis maximianus et maximinus imperatores miserunt per omnem terram regni sui edictum*... Desinit: *liberantur usque in presentem diem. Ad laudem seculorum. Amen.* Ibi pag. 195.

Pag. 307 — III. IDUS NOVEMBRIS. NATALIS SANCTI MARTINI EPISCOPI. INCIPIT PROLOGUS EIUSDEM BEATI MARTINI. Incipit: *Plerique mortales studio et gloriae seculari inaniter dediti. exinde*... Desinit: *Alioquin taceretur quam falsa dicere maluisse. Patrol. Lat.* Migne T. XX. col. 159.

Pag. 309 — EXPLICIT PROLOGUS DE VITA SANCTI MARTINI. INCIPIUNT SANCTISSIMI ET BEATISSIMI MARTINI EPISCOPI TURONICE ECCLESIAE. Incipit: *Igitur martinus sabaria pannonia oppido oriundus fuit. sed intra*... Desinit: *haec legerit. sed quicumque crediderit.* Ibidem usque ad finem libri.

Pag. 331 — INCIPIT TRANSITUS SANCTI MARTINI EPISCOPI. Incipit: *Martinus igitur obitum suum. longe ante praescivit. dixitque fratribus*... Desinit: *scribentem. respicit te legentem.* Ibi col. 181. Initium occurrit lin. 38. huius columnae Vide Codi- CXXXIX. pag. 240. cum quo concordat.

Pag. 334 — EXPLICIT LIBER PRIMUS DE VITA BEATISSIMI MARTINI. INCIPIT LIBER II. IDEST DICTATUM GEORGII. FLORENTII. GREGORII TURONICI DE VITA ET TRANSITU BEATI MARTINI EPISCOPI. Incipit: *Dominis sanctis et in christi amore dulcissimi fratribus et filiis aecclesiae Gregorius peccator. Miracula que dominus deus noster per beatum martinum antistitem suum*... Desinit: *dominica die locaretur in requie.* Gregorii Turonensis lib. I. de *Miraculis S. Martini* usque ad Cap. IV. multis in Cap. II. omissis.

Pag. 339 — Sine titulo incipit: *Beatus autem severinus colonensis civitatis episcopus vir honeste vitae et per cuncta laudabilis*... Desinit: *cum libro vitae suae fuisset revelatum.* Ibi pag. 918. Cap. IV.

Pag. 340 — Sine titulo incipit: *Eo namque tempore. beatus ambrosius cuius hodie flores eloquii*... Desinit: *istoriam possimus explicare.* Ibidem Cap. V.

Pag. 341 — Sine titulo incipit: *Archadio vero et honorio sanctus martinus turonorum episcopus plenus virtutibus*... Desinit: *duodecim computantur.* Ibi pag. 184. n. XLIII.

Pag. 342 — INCIPIT VITA SANCTI IOHANNIS CHRISOSTOMI. Incipit: *Fuit vir vitae valde per omnia laudande. Iohannes opere*... Desinit: *intellegi fuisse completus.* Non invenimus.

Pag. 359 — X. KALENDAS DECEMBRIS NATALIS SANCTAE CECILIAE VIRGINIS ET MARTYRIS. Incipit: *Humanas laudes et mortalium infulas videmus*... Desinit: *ad memoriam beate caeciliae usque in hodiernum diem.* Vide Codicem CXXXIX. pag. 297.

Pag. 381 — VIIII. KALENDAS DECEMBRIS. NATALIS SANCTI CLEMENTI EPISCOPI ET MARTYRIS. Incipit: *Tertius ramane aecclesie praefuit episcopus clemens. qui disciplinam*.. Desinit: *in civitate cersona provincie licie nono kalendas decembris. Regnante... saeculorum. Amen.* Ibi pag. 320.

Pag. 389 — EXPOSITIO BEATI GREGORII AEPISCOPI TURONENSIS. DE MIRACULIS BEATI CLEMENTIS EPISCOPI. Incipit: *In divinis voluminibus refertur quod secretum regis abscondere bonum est. dei enim*... Desinit: *pontificem huius alme rome. Cui est... saeculorum. Amen.* Haec Beati Clementis *Miracula* in praecitato Codice cum praecedentibus coniunguntur.

Pag. 391 — ITEM UNDE SUPRA. Incipit: *Fratres*

mei karissimi volo vobis et aliud miraculum ipsius beati clementi martyris atque pontificis..... Desinit: *orationem implere dignatus est christus deus noster. Cui est honor et gloria in secula saeculorum. Amen.* Greg. Turonen. *Miracul.* Lib. I. cap. XXXVII. cui hic parvum exordium praefixum fuit.

Pag. 393 — V. KALENDAS DECEMBRIS NATALIS SANCTI MERCURII MARTYRIS. Incipit: *D. cius ambitionis inflammatus libidine. ad pervadendum...* Desinit: *mihi vindictam ego retribuam christus dominus. Vivens et regnans deus cum... saeculorum. Amen.* Vide Cod. CXXXIX. pag. 355.

Pag. 408 — VI. KALENDAS DECEMBRIS. NATALIS SANCTI PETRI ALEXANDRINI EPISCOPI ET MARTYRIS. Incipit: *Si omnes mei artus verterentur in linguas. omnesque membrorum compages articulatas ederent voces...* Desinit: *magnificare felicius. Qui cum patre... seculorum. Amen.* Ibi pag. 379.

Pag. 423 — Sine titulo incipit: *Post hec qualiter doli artifex lupus hoc est arrius ovina pelle contectus...* Desinit: *inhabitare mereamur. Amen.* Ibi pag. 393.

Pag. 431 — VIII. IDUS IULII PASSIO PROCOPI EPISCOPI. ET MARTYRIS. Incipit: *Regnante impiissimo et nefandissimo dioclitiano cesare. sacrilega institutione omnibus eius...* Desinit: *dei famulus procopius octabo idus iulias. ad laudem... saeculorum. Amen.* Ibi pag. 34.

Pag. 439 — KALENDIS AUGUSTI. NATALIS SANCTORUM MACHABEORUM. Incipit: *Contigit et septem fratres cum matre apprehensos compelli a rege...* Desinit: *Novissime et mater consummata est.* Ex *Machab.* Lib. II. cap. VII. usque ad vers. 49.

Pag. 442 — ITEM UNDE SUPRA SERMO SANCTI MAXIMI EPISCOPI. Incipit: *Unum esse spiritum novi ac veteris testamenti...* Desinit: *at quam sua se noverat pignora premisisse.* Maximi Sermo LXXX. col. 693. ed. Migne.

Pag. 444 — ITEM UNDE SUPRA. SERMO Incipit: *Hec primum karissimi de machabeis fratribus. quorum hodie natalis est...* Desinit: *quicquid singuli pertulerunt.* Ibi col. 690.

Pag. 446 — IIII. NONIS AUGUSTI. NATALIS SANCTI STEPHANI PAPAE. Incipit: *Temporibus valeriani et galieni multi christianorum declinantes sevitiam tyrannorum...* Desinit: *valeriano et galieno saecundo consulibus. Apud nos autem regnante domino.... saeculorum. Amen.* Apud Mombritium T. II. pag. 272.

Pag. 458 — IDIBUS AUGUSTI. NATALIS SANCTI YPPOLITI. EODEM DIE CASSIANI MARTYRIS. REQUIRE AD TABULA IN ANTEA. Incipit: *Reversus post diem tertium yppolitus. venit in domum suam. et dans pacem omnibus...* Desinit: *spiritum reddiderunt christo domino. Qui cum patre.... saeculorum. Amen.* Vide Cod. CXLII. pag. 215.

Pag. 463 — VII. KALENDAS SEPTEMBRIS PASSIO SANCTORUM RUFI ET CARPONI MARTYRIS. Incipit: *Sub dioclitiano imperatore et maximiano cesare. Erat persecutio christianorum in provincia campanie...* Desinit: *sexto kalendarum septembrium. Adiuvante... saeculorum. Amen.* Ibi pag. 247.

Pag. 469 — XVI. KALENDAS OCTOBRIS PASSIO BEATISSIME EUFIMIE VIRGINIS ET MARTYRIS. Incipit: *Martirium sanctae euphimie que martirizata est sub dioclitiano...* Desinit: *inveniamur partem habere cum illa. Per infinita saecula saeculorum. Amen.* Ibi pag. 350.

Pag. 479 — IIII. IDUS SEPTEMBRIS NATALIS SANCTI PROTI ET IACYNTI. MARTYRIS. Incipit: *Septimo igitur consulatu suo commodus imperator. direxit philippum...* Desinit: *in ipsis laudibus resonabant. Gloria patri.... saeculorum. Amen.* Vide Cod. CXLII. pag. 319.

Pag. 499 — IDIBUS AUGUSTI. NATALIS SANCTI CASSIANI MARTYRIS. Incipit: *Silla forum statuit cornelius. hanc italici urbem vocant. ab ipso conditoris nomen...* Desinit: *domum revertor. cassianum predico.* Ibi pag. 221.

Pag. 502 — Sine titulo incipit: *Hinc doctus prudentius dum taliter gestas audiret passiones sanctorum martyrum cassiani et yppoliti scrutando affixit in volumine. Prudentius sicut notum est...* Desinit: *forum corneliense. christo adiuvante. qui... saeculorum. Amen.* Ibi pag. 223.

Deinde haec sunt scripta manu synchrona Codici: *Hunc librum scriptum anno dominice incarnationis. millesimo. X. Indictione octaba feliciter.*

Martinus peccator et scriptor libri huius habebit in conversione monachorum. annos III.

Pag. 505 — Post paginam albam sequuntur alia folia ex alio Codice huic assuta, quae haec continent:

INCIPIT PROLOGUS SANCTI GREGORII NISENI EPI-

SCOPI. DE VITA VEL OBITU BEATI GREGORII TAUMATIRGI. Incipit: *Gregorius divina gratia nisene sedis episcopus. omnibus fidelibus in christi ecclesia commorantibus salutem. Gloriosa miracula et ammirabilem vitam Beati gregorii neocesariensis pontificis scripturus...* Desinit: *percipere mereamini.* Vide Cod. CXXXIX. pag. 270.

EXPLICIT PROLOGUS. INCIPIT VITA VEL OBITUS FINITO PROLOGO EIUSDEM. Incipit: *Igitur gregorius neocesarea ponti urbe genitus. inclitam secundum saeculi gloriam a parentibus...* Desinit: *Depositus est vero quinto decimo kalendas decembris. Regnante... saeculorum. Amen.* Ibidem.

CODEX CXLIX.

SIGNATUS NUMERIS EXTERIORIBUS 149 ET 96, INTERIORI VERO 1101. PLUTEO HH.

Codex membranaceus in folio, longitudinis metri 43/₀, latitudinis 29/₀, paginarum 402, duplici columna, characteribus longobardicis XI. saeculi ineuntis, ut autumamus, sed non ultra Abbatis Desiderii tempora, exscriptus, pulcherrimisque litteris capitalibus coloribus, auroque contextis ornatus. Continet Vitas Sanctorum, hocque titulo insignitur exteriori: *Vitae SS. Omnes fere diverse a vulgatis, quarum multe non sunt editae.* A Montfauconio sub eodem numero recensetur.

Cuique vitae quaedam notulae XVI saeculi sunt additae, quae nobis innuunt vitas SS. quae per id temporis nondum lucem aspexerant.

Pag. 1 — Lectio III.ª Vita vel obitus Sancti Remigii Episcopi. In ora superiori Codicis legitur: *Passionarium...* in margine vero, recentiori charactere: *Alia est haec vita ab impressa et ab altera quae in 4.° reperitur scripta in Cassinensi bibliotheca, cum capitulationibus et testamento et versibus cartarum numero fere 220, in anno...* Incipit: *Tempore quo theodericus...* Desinit: *confessoris sui remigii, ad laudem et gloriam nominis sui. qui cum patre... saeculorum. Amen.* Apud Surium T. I. pag. 274. Initio differt et quamplurimis passim caret.

Pag. 13 — Lectio III.ª Passio sanctorum martyrum Sergi et Bachi. In margine: *Haec eadem paucis verbis mutatis reperitur in impressis.* Incipit: *Imperante maximiano...* Desinit: *prius iacuerant. Ad laudem... saeculorum. Amen.* Vide Cod. CXXXIX. pag. 1.

Pag. 25 — Passio sanctorum martyrum Marcelli et Apulei. In margine: *Hanc vitam in impressis non invenio, sed diversam, ut in catalogo.* Incipit: *Temporibus iuliani augusti...* Desinit: *nonarum octobrium.* Ibi pag. 13.

Pag. 26 — Passio Sanctorum martyrum Dionisii. Rustici et Eleutherii. In margine: *Haec eadem ac prolixior reperitur in impressis.* Incipit: *Post beatam...* Desinit: *parisius civitate. Regnante... saeculorum. Amen.* Ibi pag. 15.

Pag. 34 — Passio sancti Calixti papae. In margine: *Eadem cum impressis.* Incipit: *Temporibus macrini...* Desinit: *kalendarum novembrium. Regnante... saeculorum. Amen.* Ibi pag. 24.

Pag. 40 — In sancti Luce evangeliste. Sermo Sancti Bertharii abbatis. Incipit: *Cum in divinis...* Desinit: *confluerent. Qui cum patre... saeculorum. Amen.* Ibi pag. 28.

Pag. 46 — In margine: *(In vi)gilia Evangelium (qui) vult venire. (Sancti) ylarionis (re)quire post sancte eufrosine in ultimo libri.* Incipit prologus in passionem Sanctorum martyrum Chrisanti et Dariae. Recentiori charactere: *Haec eadem reperitur in impressis.* Incipit: *Historiam priorum... profuturum.* Explicit prologus. *Polemius vir illustrissimus...* Desinit: *perpetuae coronae suscepit.* Ibi pag. 42.

Pag. 62 — Item de inventione eorum. In margine: *Inventio praedictorum Martyrum non habetur in impressis.* Incipit: *Gloriosissimorum martyrum... adiutore describere.* Verbis *Verinum et Armenium* Prologi huius Inventionis additur haec nota: *Verinus et Armenius presbyteri... a stephano... conscribendas... passiones.* Sequitur dein historia: *Temporibus igitur numeriani...* quae desinit: *percipere mereamur. Per dominum.... saeculorum. Amen.* Ibi pag. 407.

Pag. 66 — Sequitur Inventio SS. Diodori et Mariniani ac Sociorum Martyrum, de qua in margine, solito recentiori charactere, legitur: *Inventio sanctorum Martyrum Diodori et Martiniani* (sic) *et sociorum, non habetur haec in impressis.* Incipit: *Sanctorum diodori et mariniani...* Desinit: *redditus est.* Vide Cod. CXLVIII. pag. 241.

Pag. 68 — SERMO DE TRANSLATIONE SANCTI BARTHOLOMEI APOSTOLI. LECTIO III.ª In margine: *Haec translatio non habetur in impressis sed misimus in catalogo.* Incipit: *Beati bartolomei... narratio illius.* (In margine: *Incipit sermo*). *Maximum quidem... laudare presumit.* (In margine: *Translatio eiusdem apostoli de Lipari in Beneventum*) *Haec de beati bartholomei...* Desinit: *celebratur festivitas. Regnante... saeculorum. Amen.* Vide Cod. CXXXIX. pag. 66.

Pag. 78 — PASSIO SANCTI DIMITRII MARTYRIS. LECTIO III.ª In margine: *Non habetur in impressis ita per extensum.* Incipit: *Cum maximianus... christo protegente pervenies.* (In margine: *De sancto Nestore non habetur in impressis*). *Abiens ergo... septimo kalendarum novembrium.* (In margine: *Adon vero dicit obiisse 8.° Idus Octobris.* Item in margine: *Non habetur in impressis de Sancto Lupo) Lupus autem... hodiernum diem. Ad laudem... saeculorum. Amen. Illustrissimus vero... virtutem suam. Cum quo... saecula. Amen.* LECTIO IIII. *Neque illud... institutis in christo ihesu domino nostro. Qui... saeculorum. Amen.* LECTIO V. *Quodam praeterea...* Desinit: *faciat esse participes. In christo... saeculorum. Amen.* Ibi pag. 86.

Pag. 93 — PASSIO SANCTORUM APOSTOLORUM SYMONIS ET IUDAE. In margine: *Haec eadem vita habetur in impressis.* Incipit: *Symon chananeus... meruerunt pervenire. Prestante.... saeculorum. Amen.* Ibi pag. 102.

Pag. 104 — VITA VEL OBITUS SANCTI GERMANI EPISCOPI. In margine: *Habetur in impressis.* Incipit: *Campaniae tellus...* Desinit: *gaudia susceperunt.* Ibi pag. 123.

Pag. 110 — LECTIO VIII. PASSIO SANCTI MAXIMI MARTYRIS. In margine: *Non habetur in impressis.* Incipit: *Sub Diocliliano...* Desinit: *tertio kalendas novembris. ad laudem... saeculorum. Amen.* Ibi pag. 131.

Pag. 118 — PASSIO SANCTI CESARII LEVITAE ET MARTYRIS. In margine: *Haec eadem paucis mutatis verbis habetur in impressis.* Incipit: *Tempore quo claudius nero...* Desinit: *in hodiernum diem. Praestante... saeculorum. Amen.* Apud Mombritium T. I. pag. 195.

Pag. 124 — PASSIO SANCTI CESARII LEVITAE ET MARTYRIS. In margine: *Haec non habetur in impressis.* Incipit: *Quintus a caesare...* Desinit: *interventionibus eorumdem. Prestante... saeculorum. Amen.* Vide Cod. CXXXIX. pag. 139.

Pag. 138 — COMMEMORATIO OMNIUM SANCTORUM. In margine: *Sermo Rabani ut habetur in nostro Breviario.* Incipit: *Legimus in ecclesiasticis...* Desinit: *gaudere mereamur. Prestante... saeculorum. Amen.* Ibi pag. 160.

Pag. 149 — LECTIO XI.ª Incipit: *Hodie dilectissimi...* Desinit: *contingat optemus.* Ibi pag. 172.

Pag. 152 — PASSIO SANCTORUM VALENTINI ET HYLARII. In margine: *Non habetur in impressis.* Incipit. *Tempore quo maximianus...* Desinit: *adduxerat. Ad laudem... seculorum. Amen.* Ibi pag. 177.

Pag. 156 — PASSIO SANCTORUM MARTYRUM QUATTUOR CORONATORUM. In margine: *Non habetur in impressis nisi paucis mutatis.* Incipit: *Dioclitianus caesar...* Desinit: *nomine insignis. Ad laudem... saeculorum. Amen.* Ibi pag. 182.

Pag. 167 — PASSIO SANCTI THEODORI. In margine: *Habetur in impressis.* Incipit: *Temporibus suis...* Desinit: *usque in presentem diem. Ad laudem... saeculorum. Amen.* Ibi pag. 195.

Pag. 172 — PASSIO SANCTI MARTINI PAPAE ET MARTYRIS. In margine: *Non habetur in impressis ita per extensum.* Incipit: *Summa devotione...* Desinit: *declarant indicia. Ad laudem... saeculorum. Amen.* Ibi pag. 200.

Pag. 180 — PASSIO SANCTI MENNE. In margine: *Habetur in impressis paucis verbis demutatis.* Incipit: *Anno imperii sui...* Desinit: *in presentem diem. cui est honor... saeculorum. Amen.* Ibi pag. 258.

Pag. 185 — VITA VEL OBITUS SANCTI IOHANNIS CHRISOSTOMI. Incipit: *Iohannes chrisostomus. secundo...* Desinit: *restituti sunt.* Ibi pag. 263.

Pag. 191 — INCIPIT PROLOGUS IN VITAM BEATI GREGORII THEUMATURGI. In margine: *Non habetur in impressis.* Incipit: *Gregorius divina gratia...* Desinit: *percipere mereamur.*

Explicit prologus. In margine alia manu: *Vita vel obitus sancti gregorii nazanzeni episcopi confessoris*. Et postea solito charactere*: Hic est gregorius neocaesarensis, non nazanzenus qui sancti hieronimi praeceptor fuit sed ille... theodorus est dictus, de quo vide... de viris illustribus*. Incipit: *Igitur gregorius*... Desinit: *quintodecimo kalendarum decembrium. Regnante... saeculorum. Amen*. Ibi pag. 270.

Pag. 214 — Passio sancte cecilie virginis. In margine: *Habetur in vulgatis*. Incipit*: Humanas laudes*... Desinit: *commodi imperatorum temporibus. Regnante... saeculorum. Amen*. Ibi pag. 297.

Pag. 235 — Passio sancti clementis pape. In margine: *Habetur eadem in vulgatis*. Incipit: *Tertius romanae ecclesiae*... Desinit: *christus filius dei. Qui... saeculorum. Amen*. Ibi pag. 320.

Pag. 243 — Lectio XII. Incipit: *In divinis voluminibus*... Desinit: *atque pontificem. Cui est honor... seculorum. Amen*. Ibidem.

Pag. 244 — Incipit prologus in passione sancti chrisogoni (alia manu: *martyris*). In margine: *Habetur in vulgatis*. Incipit: *Omnia quae a sanctis... incipiat te timere*. Explicit prologus. *Pretextati illustris*... Desinit: *quinto kalendas easdem*. Ibi pag. 330.

Pag. 250 — In margine: *Haec in vulgatis non subsequuntur*. Incipit*: Caeteras sanctorum*... Ad verba*: Revertente autem imperatore*... legitur haec notula in margine: *Haec in vulgatis habentur, sed diverso stilo*... Desinit: *usque in finem saeculi. Amen*. Vide quod ibi pag. 331. adnotavimus.

Pag. 267 — Passio Sancti mercurii. In margine: *Non sic habetur*. Incipit: *Decius ambitionis inflammatus*... Desinit: *egris remedia. in virtute et gloria domini nostri ihesu christi*. Ibi pag. 355.

Pag. 283 — In margine: *Exitus nonnullorum tirannorum qui fuerunt contra christianos*. Incipit: *Per idem tempus*... Desinit: *ego retribuam. christus dominus vivens... saeculorum. Amen*. Haec sunt quae ibi adnotavimus in ed. Martene deesse.

Pag. 284 — Passio sancte caterinae virginis. (alia manu: *et Martiris*). Incipit: *Constantinus sacratissimus*... Desinit: *meritis eius. ad laudem... saeculorum. Amen*. Ibi pag. 373.

Pag. 290 — Passio Sancti petri alexandrini episcopi. In margine: *Non habetur ita prolixa*. Incipit*: Si omnes mei corporis*... Desinit: *magnificare felicius. Qui... saeculorum. Amen*. Ibi pag. 379.

Pag. 303 — Item unde supra. de arrio. Incipit: *Post haec qualiter*... Desinit: *adquirere mereamur. Amen*. Ibi pag. 393.

Pag. 311 — Passio sanctorum saturnini et sisinni. In margine: *Non habetur in magnis, sed in catalogo parvo succinte*. Incipit: *Tempore quo maximianus*... Desinit: *kalendarum decembrium Regnante... saeculorum. Amen*. Ibi pag. 403.

Pag. 314 — Incipit vita vel obitu(s) Sancti pauli primi heremite. In margine: *Edita a Sancto Hieronimo*. Incipit: *Inter multos*... Desinit: *cum regnis suis*. Apud Rosweid. *Vit. PP*. edit. Antuerp. 1628, pag. 17.

Pag. 321 — Incipit prologus evagrii presbyteri in vitam sancti antonii heremite. In margine: *Prologus iste non habetur in vulgatis*. Incipit: *Presbiter evagrius*... Desinit: *tu quaere sententiam*. Ibi pag. 35.

Athanasius episcopus ad monachos. In margine: *Neque in vulgatis habetur iste athanasii prologus*. Incipit: *Optimum fratres*... Desinit: *pro tanti nominis viro*. Explicit prologus. Ibi pag. 36.

Pag. 322 — Incipit: *Igitur Antonius nobilibus*... Desinit: *corruptionis artifices*. Ibi pag. 36.

Pag. 359 — Vita vel obitus sancti Romani Abbatis. In margine: *Non habetur in vulgatis*. Incipit: *Adest nobis*... Desinit: *pie viventium publicari. Ad laudem... saeculorum. Amen*. Apud Bolland. T. V. Mai pag. 153.

Pag. 370 — Vita vel obitus Sancte eufrosine virginis. In margine: *Habetur in vulgatis sed nonnullis demutatis*. Incipit*: Fuit vir quidam*... Desinit: *migravit ad dominum. Cui... saeculorum. Amen*. Vide Cod. CXL. pag. 148.

Pag. 379 — Incipit prologus Sancti Ieronimi presbiteri in vitam beati hylarionis. Incipit: *Scripturus vitam... obturata aure transibo*. Explicit prologus. (Recentiori manu*: Vita vel obitus. Sancti Hylarionis Monachi*). *Hylarion ortus vico*... Desinit cum Codice: *locum dilexerat*. Apud Rosweid. *edit. cit*. pag. 75. Vide supra pag. 46 huius Codicis.

CODEX CL.

SIGNATUS NUMERIS EXTERIORIBUS 150 ET 346-242, INTERIORI VERO 193.
PLUTEO EE.

Codex membranaceus in quarto, longitudinis metri 30/₀, latitudinis 22/₀, paginarum 910, ex duobus conflatus Codicibus unica columna scriptis, quorum prior 32 tantum folia, posterior vero 423 folia sequentia continet. Prior pars ab imperito amanuensi characteribus semiuncialibus sive mixtis secundum hanc rationem exarata fuit: litterae A, B, D, E, G, M, R, S. sunt uncialis formae, aliae vero minutae romanae. Quasdam tantum exhibet compendiarias notas, inter quas sequentes frequentius occurrunt: M finalem supplet vocali imposita lineola, quae ad alias passim inservit abbreviationes; v. g. *secundū* (secundum), *nr̄a* (nostra), *vr̄m* (vestrum,) *sp̄s* (spiritus), *om̄s* (omnes), *d̄o* (Deo) *sc̄ificationis* (sanctificationis). Litteras *ue*, *us*, punctum cum virgula supplet: *q;* (que), *loq;retur* (loqueretur), *quib;* (quibus), *omnib;* (omnibus); *per* et *pro* abbreviationibus posterioris aevi contrahuntur. Diphthongi litteris modo separatis, modo coniunctis, modo signo quodam litterae *C* simili, vocali subposito, exprimuntur. Unico puncto periodi suspensio designatur; duo vero puncta cum virgula subposita indicant finem periodi, quae a littera sive unciali sive minuta sed grandiori forma initium sumit. Quoad verba vero, notavimus, haec inter se plerumque connecti, aliquando tamen paululum a se invicem disiungi. Capitalis littera P (pag. 7) atramento delineata aliquid ornamenti habet, sed exceptis versibus Scripturae Sacrae, minio exscriptis, nullum alium colorem invenies. Libenter hanc Codicis partem VII, sive VIII saeculo exaratam censemus. Posterioris partis Codicis scriptura peritissimum prodit amanuensem qui, si solam litteram N excipias, litteris minutis romanis usus est. Quamdam cognationem exhibet cum scriptura VI saeculi, cuius specimen videre est in tabella VII, n.° 2, Libri V *De re diplomatica* Iohannis Mabillon, pag. 357 effigiata; sed omnino collimat cum characterum specimine in Tabula XII, n.° 2, *Novae Patrum Bibliothecae*, Tomo I, ex Codice Vaticano « antiquissimo » 3375, deprompto; qui ab ipso Cardinali Angelo Mai (Praef. pag. XXII) appellatur: « mirus, stupendusque Codex saeculi sexti aut septimi, in quo est Eugyppii thesaurus»; et inferius, parte secunda eiusdem Tomi, pag 134: « admirabilis antiquitate est codex 3375, membraneus in folio, speciei nobilissimae, scripturae romanae, quam dicimus secundi vel medii generis... summaria... cunctorum capitulorum, non antiqua tantummodo, sed ab ipsius, ut plane credimus, Eugyppii manu profecta ». In nota vero pag. sequentis addit: « tanta Codicis antiquitas est ut Eugyppio contemporalis videatur ». Eiusdem quoque formae litteras, sed exiliores, imperfectioresque in Opera Andreae Gloria cui titulus datur: *Compendio delle lezioni teorico-pratiche di Paleografia e diplomatica*. Padova 1870, parte I, Cap. 12, Tab. VII, n.° 1. in specimine, ex Codice Capituli Veronensis desumpto, invenies, quem saeculo V scriptum autumat auctor. Et ne a nobis in quaestione intricatissima, nova opinio aliis addita, tenebras potius quam lucem inducat, lectorem monitum volumus quod in assignando nomine variis huius scripturae speciebus, characterem minutum romanum vocamus, quem ipse minusculum appellat; iudicium iniudicatum relinquentes de discrepantia characteris uncialis et minuti, quia nova argumenta res postulat ut recte de ea definiatur, et ipse

COD. CL.

PAGINA XLIX.

Siquis ergo ab his quesupradiximus manseritcor
pore et spū incorruptus; Iste incorruptione que
rere dicitur quo scilicet per hanc observantie in
corruptione - illaq; ex resurrectione est incor
ruptionē consequi mereatur. quid autē datur hec
requirentib; videamus. uita in quid eterna. illa
de qua salvator docet cū dicit. hec est autē uitae

PAGINA CCXLV.

s uolouosproficereuteruditisitisinbonum
s rudesueroinmalum
eruditosinbonohicestquibonaoperaturrudes
autemimmalohisuntquiignorantoperamala
idestusummalitiaenesciunt
s dsautempacisconteretsatanansubpedibus
s uestrisuelociteridestbreui
hocdeaduentusuodicitquiaaduentuseiusoppri
meretdiabolum·obhocquodistispiritalemgra
tiamacceperunterantcuireuiuidetsatanas
quiauulthominespermanereinerroreutdiscre
pentcumsintuniusprofessionis

LIT. CAS.


UNIV.
OF
MICH.

Clemens Lupi (*Manuale di Paleografia delle carte*, pag. 107) asserit nondum quaestionis rationem satis definitam esse.

Pag. 195 — INCIPIT SECUNDUS. Incipit: *Superiore libro quantum virginitatis...* Desinit: *propugnacula struat tuta meritorum.* EXPLICIT DE VIRGINITATE LIBER SECUNDUS. Ibi col. 219.

Pag. 213 — INCIPIT TERTIUS. Incipit: *Quoniam que habuimus...* Desinit: *gladium quem querebat invenit.* EXPLICIT DE VIRGINITATE LIBER TERTIUS. Ibi col. 231.

Pag. 229 — INCIPIT DE BEATE MARIE VIRGINITATE PERPETUA. Incipit: *Commendas michi pignus tuum...* Desinit: *gloriam trinitatis. Cui est honor... seculorum. Amen.* EXPLICIT DE BEATE MARIE VIRGINITATE PERPETUA. Ibi col. 319.

Pag. 270 — INCIPIT ADHORTATIO VIDUITATIS. Incipit: *Bene accidit fratres...* Desinit: *et molestias augeatis.* EXPLICIT ADHORTATIO VIDUITATIS.

Pag. 312 — In ora inferiori huius paginae legitur recentiori manu: *Est sacri monasterii montis cassini ad usum Domini Ambrosii,* a quo forte donatus cum alio signato num. CLVI. Bibliothecae Casinensi. Et pag. 212 legitur: *Vale, Iohannes Franciscus de Urbe.*

CODEX CLVIII.

SIGNATUS NUMERIS EXTERIORIBUS 158 ET 396, INTERIORI DEFICIENTE. PLUTEO Q.

Codex papyraceus longitudinis metri 23/₀, latitudinis 18/₀, paginarum 624, praeter duo folia alba initio Codicis, ac alia duo ad finem, characteribus latinis saeculi XVI, anno 1586 a D. Honorato exaratus, ut patet ex pag. 419 et 539 Codicis. Indubium videtur chronologica ratione Codicis scriptorem fuisse Honoratum illum de Medicis, cuius Annales Casinenses MSS. in nostra Bibliotheca asservantur. Codex titulo exteriori insignitur: *Poemata Sacra Angeli Sangrino*, quae adhuc lucem expectant. Angelus de Faggiis a Castro Sangri, unde *Sangrinus* dictus, in Samnitibus ortus est anno 1518 die 14 Aprilis. Inter Casinenses Monachos adscriptus, S. Mariae de Graucio, et Montis regalis in Sicilia, S. Severini Neapoli, S. Benedicti Casini, S. Iustinae, Patavii, S. Benedicti Padolyronensis, et SS. Trinitatis Cavensis Abbas, ac Praeses totius Congregationis Casinensis renunciatus fuit. Tandem anno 1593, aetatis suae 95, assumptae religionis 74, diem clausit extremum. *Sanctitate et eruditione* fuit *illustris*, ut verbis utamur Iacobi Cavacii in sua Historia Coenobii S. Iustinae Patavinae anno 1606 edita (lib. VI). *A scholasticis disputationibus ad lectionem veterum Patrum conversus, inde tantum hausit doctrinae, ut publice disserens, ex eis catenas et centones probe conficeret. Ad Poesim natus multa subsecivis horis conscripsit, quae pietatem et eruditionem olent. Ea Patavii, Romae ac Neapoli impressa ubique leguntur.* Etiam Veronae, Basileae, Florentiae, Coloniae Agrippinae, Venetiis et Tridenti quaedam eius opera lucem aspexerunt. Haebraicam et Graecam linguam probe novit. De eius vita et scriptis fuse Marianus Armellinus (*Bibliotheca Benedictino Casinensis*. Par. I. pag. 23 et seq.); qui de hoc Codice haec habet: *Haec omnia Sangrini opuscula mss. unico, eodemque ingenti compraehensa volumine extant adhuc in Casinensi Bibliotheca sign. num. 158.*

Pag. 1 — DIVERSA OPUSCULA VARIO METRUM GENERE MELLIFLUE DECANTATA, AUCTORE RDO. P. D. ANGELO SANGRINO, ABBATE CONGREGATIONIS CASINENSIS.

Pag. 3 — INDEX HUIUS VOLUMINIS. Et sequitur enumeratio omnium, quae continentur in hoc Codice.

Pag. 7 — AD ILLUSTRISSIMUM ET REVERENDISSIMUM D. D. ANTONIUM CARAFFAM S. R. E. CARDINALEM AMPLISSIMUM. Incipit: *Nursia quem peperit, quem aluit Specus: alta Casini...* Desinit: *Gratia qua Domui facta est geminata Iacobi. Quo magna Israelis gloria Plebis erit.*

Pag. 11 — VITA BEATISSIMI P. BENEDICTI MONACHORUM PATRIARCHAE IN QUATUOR CANTICA DEVOTE DECANTATA. CANTICUM PRIMUM. Incipit: *Christe si sanctos super astra claros...* Desinit: *Pro grege fratrum.* AMEN.

CANTICUM 2.^{m} Incipit: *Cum Deus vellet quod ab orbis ortu...* Desinit: *Spiritus alme.* AMEN.

CANTICUM TERTIUM. Incipit: *Claustra Sublaci duodena Pastor...* Desinit: *Spiritus alme.* AMEN.

CANTICUM QUARTUM. Incipit: *Claustra dimittit iuvenis magistro...* Desinit: *Candor et Ardor.* AMEN.

MIRACULUM POST MORTEM. Incipit: *Qua die valles, nemus, antra, sylvas...* Desinit: *sanctior hospes.*

Pag. 70 — Ad illustrissimum et reverendissimum D. D. Vilelmum Sirletum Cardinalem S. R. E. amplissimum. Incipit: *Quod petis, o vatum decus, o Sirlete, Polorum...* Desinit: *Lingua: velut crassam docta Minerva suam.*

Pag. 73 — Vita D. Gregorii Nazianzeni Magni Theologi, Graecorum Doctoris, Pontificis eximii in tria cantica melliflue decantata. Canticum primum. Incipit: *Christe Rex Regum Deus ante cunctos...* Desinit: *Sume precamur.* Amen.

Canticum secundum. Incipit: *Magne Gregori super astra maior...* Desinit: *Spiritus alme.* Amen.

Canticum tertium. Incipit: *Iam sacro lotus puer amne, divo...* Desinit: *Hinc det Olympum.* Amen.

Pag. 87 — Ad reverendissimum D. D. Io. Franciscum Orificem Episcopum Civitatis Acerni dignissimum. Incipit: *Filius ultro sui peragit mandata parentis...* Desinit: *Osculer o utinam mox utriusque pedes.*

Pag. 89 — Vita D. Ianuarii Episcopi et martyris Civitatisque Partenopeae Patroni strenuissimi in tria cantica devote decantata. Canticum primum. Incipit: *Christe, si Coelum decoras corrusco...* Desinit: *Mors patris huius.* Amen.

Canticum secundum. Incipit: *Pastor es Christi gregis, o future...* Desinit: *Regna paravit.* Amen.

Canticum tertium. Incipit: *Praesul o Christi, bonitas futuram...* Desinit: *Praesul in aevum.* Amen. Finis.

Pag. 111 — Vita et passio D. Donati episcopi et Martyris in tria cantica decantata. Canticum primum. Incipit: *O Aretinae Pater urbis alme...* Desinit: *Perpete laude.* Amen.

Canticum secundum. Incipit: *Nocte dum clarum colimus Donati...* Desinit: *Nunc et in aevum.* Amen.

Canticum tertium. Incipit: *Martyr invicte, ac venerande Praesul...* Desinit: *strenue Martyr.* Amen. Finis.

Pag. 119 — Vita et passio D. Margaritae Virginis et Martyris in tria cantica decantata. Canticum primum. Incipit: *Pulchra de spinis rosa de Syrorum...* Desinit: *Munera laudum.* Amen.

Canticum secundum. Incipit: *Sorte dum Praeses subit alta sylvae...* Desinit: *Probra ferocis.* Amen.

Canticum tertium. Incipit: *Ore flammanti furit, ac rapaci...* Desinit: *Gloria in aevum.* Amen. Finis

Pag. 131 — Vita et passio B. Agnetis Virginis et Martyris metro decantata saphico. Incipit: *Dulcis, o Christe, o speciose Iesu...* Desinit: *Offerat Agnes.* Amen. Finis.

Pag. 147 — Vita et obitus SS. Virginum et Martyrum Florae et Lucillae in tria cantica decantata. Canticum primum. Incipit: *Flora Lucillae soror, et Lucilla...* Desinit: *Flore pudico.* Amen.

Canticum secundum. Incipit: *Grandis est virtus tua, Christe Iesu...* Desinit: *Poplite curvo.* Amen.

Canticum Tertium. Incipit: *Flora, non es tu rosa, nec ligustum...* Desinit: *Nunc et in aevum.* Amen.

Pag. 153 — Vita S. Clarae virginis de Asisio Ordinis Minorum. Incipit: *Virginis Clarae sacra lux triumpho.....* Desinit: *Pax utriusque.* Amen.

Pag. 171 — Passio S. Christinae Virginis et Martyris. Incipit: *Nomen a Christo capis, o beata...* Desinit: *Vulnera laudes.* Amen.

Pag. 189 — Ad illustrissimum Mantuae ducem. Passio S. Barbarae. Virginis et Martyris. Incipit: *O Martyr o Virgungula...* Desinit: *Beata regnat Barbara.* Amen.

Pag. 193 — Passio B. Ursulae Virginis et Martyris in tria cantica decantata. Canticum primum. Incipit: *Albus e claro salit amne Cygnus...* Desinit: *Ursula vitam.* Amen.

Canticum secundum. Incipit: *Fortis o quantum pugil es cruenta...* Desinit: *Ursula fuso.* Amen.

Canticum tertium. Incipit: *Grandis o Christi bonitas ab aevo...* Desinit: *Pro nece Iesu.* Amen.

Pag. 201 — Passio S. Benigni Martyris in tria cantica. Canticum primum. Incipit: *Martyrum princeps Cruce qui cruenta...* Desinit: *Regna petendo.* Amen.

Canticum secundum. Incipit: *Benigne Iesu, Martyrum...* Desinit: *Cum septiformi Spiritu.* Amen.

Canticum tertium. Incipit: *Iesu Iesu dulcissime...* Desinit: *Virtus Amorque Pneumati.* Amen.

De eodem sancto Canticum quartum. Incipit: *Scandit immensum per inane Martyr...* Desinit: *Praemia Divûm*. Amen.

Pag. 209 — De S. Bruno segnensi Episcopo et Abbate Casinensi Cantica tria. Canticum primum. Incipit: *Brune Segnensis, pie Praesul urbis...* Desinit: *Mortis in hora*. Amen.

Canticum secundum. Incipit: *O noctis atrae Lucifer...* Desinit: *Sit utriusque Flamini*. Amen.

Canticum tertium. Incipit: *Si Sol Olympum fulgido...* Desinit: *Praesul beatus dedicet*. Amen.

Pag. 215 — In sollemnitate Beatae Mariae Magdalenae Cantica tria. Canticum primum. Incipit: *Vernat e spinis rosa, fulget aurum...* Desinit: *Dona salutis*. Amen.

Canticum secundum. Incipit: *Nardi Maria Pistici...* Desinit: *Ditat beatos munere*. Amen.

Canticum tertium. Incipit: *O Patris candor ante saecula...* Desinit: *Gaudia nobis*. Amen.

Pag. 221 — De S. Martha Virgine Cantica tria. Incipit: *Hospitae Christi celebranda Marthae...* Desinit: *Pascat amore*. Amen.

Canticum secundum. Incipit: *Te Martha, Iesu, coelitum.....* Desinit: *Honor, decus, potentia*. Amen.

Canticum tertium. Incipit: *Martha si grato lare, si sereno...* Desinit: *Cantica laudum*. Amen.

Pag. 227 — De S. Mauro Abbate Cantica tria. Canticum primum. Incipit: *Grandis o Caeli favor, o monarcha...* Desinit: *Supplice Mauro*. Amen.

Canticum secundum. *Dulcis est virtus tua, Christe Iesu...* Desinit: *Sume precamur*. Amen.

Canticum tertium. Incipit: *Maure o foelix, opus acta vatum...* Desinit: *Strenue tutor*. Amen.

Pag. 233 — De S. Stephano Prothomartyre Cantica tria. Canticum primum. Incipit: *Martyris clarum Stephani triumphum...* Desinit: *Trina potestas*. Amen.

Canticum secundum. Incipit: *Fulget, o splendor superum corusco...* Desinit: *Addat amori*. Amen.

Canticum tertium. Incipit: *Nonne Torrentis lapides fuere...* Desinit: *Gaudia vitae*. Amen.

De eodem Sancto Cancticum quartum. Incipit: *O clarae noctis Lucifer...* Desinit: *Tu Martyrum victoria*. Amen.

Pag. 241 — In Laudem SS. Innocentium Cantica duo. Canticum primum. Incipit: *Quis furor saevit? quis in orbe dira...* Desinit: *Cantica promat*. Amen.

Canticum secundum. Incipit: *Quid Regis atra perfidi...* Desinit: *Humana tergat crimina*. Amen.

Pag. 251 — Vita beati anachoritae Vilelmi Siculi. Canticum Saphicum. Incipit: *Quis nitor fulget? quis odore fragrat?..* Desinit: *Vivat in aevum*.

Pag. 279 — In festo beati Petri Abbatis Monasterii S.ae Trinitatis Cavae. In primis Vesperis. Incipit: *O Gregis Pastor vigil*. Desinit: *Tutor eremi*. Amen.

Ad Nocturnos. Incipit: *O stella Christi fulgida...* Desinit: *Tibi sit, alme Spiritus*. Amen.

Ad Laudes. Incipit: *Te quis o mundi favor ante Iesu...* Desinit: *Candor et ardor*. Amen.

In secundis Vesperis. Incipit: *Cum Deus vellet quod ab orbis ortu...* Desinit: *Sume, precamur*. Amen.

Pag. 285 — Triumphale Carmen. De vita et obitu S. Iustinae Virginis et Martyris. Incipit: *Clara Iustinae rutilant trophea...* Desinit: *Gratia Virgo*. Amen.

Pag. 299 — De vita et martyrio S. Luciae Syracusanae Virginis. Incipit: *Lucet ex atris nebulis corusca...* Desinit: *Mortis in hora*.

Pag. 316 — Vita et obitus Sanctae Euphemiae Virginis et Martyris. Incipit: *Christe Iesu, Euphemia Martyr alma...* Desinit: *Atria nobis*. Amen.

Pag. 335 — De vita et passione Sanctae Iuliae Virginis et Martyris. Incipit: *Iuliae pugnam, pie Christe Iesu...* Desinit: *Gloria, virtus*. Amen.

Pag. 352 — In Festivitate Sanctae Apolloniae Virginis et Martyris. Incipit: *Cum sacra Apolloniae rutilent sollennia divae...* Desinit: *Seraphicas rogitet nobis super aethera sedes*. Amen.

Pag. 363 — Triumphale carmen de vita et obitu Domni Pauli Papiensis Sacri Coenobii Casinensis Monachi. Incipit: *Clara Tycinensis fas est evolvere Pauli...* Desinit: *Expiet admissi sceleris contagia nostri*. Finis.

Pag. 385 — In sollemnitate Sancti Romualdi Eremitae et Confessoris, in primis Vesperis. Idem *Carmen*, est quod supra occurrit pagina 279.

Ad Nocturnos. Incipit: *Nocte cantemus Domino supernis...* Desinit: *Tu rege nostrum.* Amen.

Ad Laudes. Incipit: *Christe lux Caeli, decor universi...* Desinit: *sume precamur.* Amen.

In secundis Vesperis. Incipit: *Clara maiestas tua, Christe Iesu...* Desinit: *quas damus, offer.* Amen.

Pag. 394 — Encomium Trimetro Iambico in laudem Camalduli Montis Eremique eius celeberrimi. Incipit: *Laetare, Mons Camaldule...* Desinit: *Pacem, salutem, gloriam.* Amen.

Pag. 399 — Sylva R. P. D. Angeli Sangrini Abbatis Casinensis ad Eruditum P. D. Prosperum Martynengium Brixianum. Incipit: *Prosper, ave, te felicem cano, vere Poeta...* Desinit: *Ante Dei Numen, Virginis ante thronum.*

Pag. 402 — Ad Reverendum P. D. Victorinum Abbatem Sacri Monasterii Sanctissimae Trinitatis Cavae dignissimum, sacraeque Theologiae Professorem perquam eruditum. Incipit: *Quae tibi, Victorine Pater, pia carmina mitto...* Desinit: *Te doceat Patribus condere Rhana Deus.*

Pag. 403 — In festo beati Alpherii Abbatis Monasterii Sanctissimae Trinitatis Cavae in primis Vesperis. Incipit: *Dulcis Alpheri pater et Monarcha...* Desinit: *hîc et ubique.* Amen.

Ad Nocturnos. Incipit: *Iesu stellantis lucifer...* Desinit: *Et regna coelestia.* Amen.

Ad Laudes. Incipit: *Grandis est virtus tua, Christe Iesu...* Desinit: *gloria compar.* Amen.

In secundis Vesperis. Incipit: *Mitis Alpheri Pater huius antri...* Desinit: *Nunc et in aevum.* Amen.

Pag. 408 — In Festo beati Leonis Abbatis Monasterii Sanctissimae Trinitatis Cavae. in primis Vesperis. Incipit: *O tribus Iudae Leo, Christe Iesu...* Desinit: *gloria tusco.* Amen.

Ad Nocturnos. Incipit: *Mi Iesu, Iesu mi unice...* Desinit: *Leo potitur perpetim.* Amen.

Ad Laudes. Incipit: *Christe Rex Regum, Deus ante cunctos...* Desinit: *Spiritus alme.* Amen.

In secundis Vesperis. Incipit: *O Patris Mater, Patris ante saecula...* Desinit: *Regna Polorum.* Amen.

Pag. 413 — In festo Beati Constabilis Abbatis SS. Trinitatis Cavae in primis Vesperis. Incipit: *Pastor Constabilis, tutor amabilis...* Desinit: *Per te nunc honor unicus.* Amen.

Ad Nocturnos. Incipit: *Sollennis haec festivitas...* Desinit: *Virtus, amorque Flamini.* Amen.

Ad Laudes. Incipit: *Quam specus dignum, celebranda rupes...* Desinit: *Spiritus alme.* Amen.

In secundis Vesperis. Incipit: *Antequam Caelum decoraret astris...* Desinit: *det bona semper.* Amen.

Pag. 419 — Opusculum de gaudiosa Iohannis Baptistae Nativitate, de eius vita, atque de sanguinolenta eiusdem capitis detruncatione, in tria divisum volumina heroico carmine quam piissime decantata, auctore R. P. D. Angelo Sangrino Abbate Sacri Monasterii Casinensis. *D. Honoratus scribebat 1586.*

Argumentum primi voluminis, et sequitur argumentum. Incipit volumen: *Christe, Patris Verbum, Matris caro Virginis alma...* Desinit: *Ante Patris vultum referet super aethera praedam.*

Argumentum secundi voluminis, ut supra. Incipit: *O Amor, o Caeli favor, o Patris unica summi...* Desinit: *Limina, felices hic, et super astra beati.* Amen.

Pag. 440 — Argumentum tertii voluminis. Sequitur praefatio voluminis, habens de fuga Sancti Ioannis in Desertum, de illius baptismo, praedicatione et morte. Incipit: *Magna Dei virtus, ingens Sapientia Christi...* Desinit: *Spiritu ab aeterno verum ac per saecula vivum.* Amen.

Iudicium Dei in Herodem Antipam. Incipit: *Ob scelus Herodes Lugduni Caesaris amplo...* Desinit: *Uritur aeterno cruciandus tempore poenis.*

Vindicta adversus Herodiadem. Incipit: *Gestit Herodias, exultat adultera, gaudet...* Desinit: *Fulgure, seu turris violento concita quassu.*

Crudelis Dei sententia in filiam Herodiadis. Incipit: *Filia Herodiae infoelix dum spectat amaenum...* Desinit: *Aeternam subitura necem pro morte Iohannis.*

Pag. 463 — Vita et passio beati Placidi abbatis et martyris in quatuor volumina divisa, heroicoque carmine melliflue decantata auctore R. P. D. Angelo Sangrino abbate Casinen. *D. Honoratus a Neapoli scribebat anno 1586.*

Prologus in vitam et passionem B. Placidi abbatis, et martyris. Incipit: *Fulgida Tertulli pa-*

triae patris obvia proles... Desinit: *Et vitae merita, et victricis praemia mortis.*

ARGUMENTUM PRIMI VOLUMINIS. Breviter concinnatur materia huius vuluminis.

VOLUMEN PRIMUM. Incipit: *Roma Caput mundi fraterno tincta cruore*... Desinit: *Absque aliquo vitii fuco, sine hypocrisis aestu.*

Pag. 483 — ARGUMENTUM SECUNDI VOLUMINIS.

VOLUMEN SECUNDUM. Incipit: *Clarus ut audivit Tertullus in Urbe Quiritum*... Desinit: *Facito, quae facturus es omnia principe Iesu.*

Pag. 495 — ARGUMENTUM TERTII VOLUMINIS.

VOLUMEN TERTIUM. Incipit: *Messanae praeclara urbis miseratio, maior*... Desinit: *Dat grates famulo cuius prece sospes abiret.*

Pag. 511 — ARGUMENTUM QUARTI VOLUMINIS.

VOLUMEN QUARTUM. Incipit: *Mane serenato Placidus secat aere vastum*... Desinit: *Exclamat Placidus dulci super aethera voce.*

ORATIO. Incipit: *O Abrahae Deus, o Isaac venerabile semen*... Desinit: *Quod cernens oculis lachrymis ploravit amaris.*

EPITAPHIUM. Incipit: *Hic Placidus Martyr recubat cum fratre sepultus*... Desinit: *Tertulli soboles pro cruce trunca caput.*

Pag. 539 — VITA SANCTISSIMI MAURI CONFESSORIS ABBATISQUE HEROICO COMPLEXA METRO, ET IN QUATUOR VOLUMINA CONCINNE DIVISA QUAMSUAVISSIME DECANTATA. AUTORE R. P. D. ANGELO SANGRINO ABBATE SAC. MON. CASINENSIS. *D. Honoratus scribebat 1586.*

ARGUMENTUM PRIMI VOLUMINIS.

VOLUMEN PRIMUM. Incipit: *Si quos in terris pietate tua ac tuo amore*... Desinit: *Iam fere demerso concesserit autor aquarum.*

Pag. 553 — SECUNDI VOLUMINIS ARGUMENTUM.

VOLUMEN SECUNDUM. Incipit: *Maurus ab angusta Sublaci rupe profectus*... Desinit: *Nec prece Vos linguam vivus nec mortuus unquam.*

Pag. 568 — ARGUMENTUM TERTII VOLUMINIS.

VOLUMEN TERTIUM. Incipit: *Maurus ab excelso digressus monte pusillo*... Desinit: *Sponsa dabit Paradisiacas post funera sedes.*

Pag. 582 — ARGUMENTUM QUARTI VOLUMINIS. Brevi praefatione explanatur eius materia.

VOLUMEN QUARUTM. Incipit: *Maurus ab angusta Romani egressus eremo*... Desinit: *Nursinus Vates, hic iam compleverat annos.*

Pag. 615 — AD ILLUSTRISSIMUM UGONEM GALLUM CARDINALEM. *amplissimum, Magnum Rhodi Magistrum, Principem invictissimum.*

ELEGIACUM ENCOMIUM. Incipit: *Fortior armigerum Ducibus, sapientior omnes*... Desinit: *Tam trino quam uno perfruitura* DEO.

Pag. 618 — ENCOMIUM. AD R. P. D. VICTORINUM ATELLANUM, *Sacri Coenobii Sanctissimae Trinitatis Cavae Abbatem perquam eruditum.* A. S. Incipit: *Vincis,* VICTORINE, *sophos in agone sacrorum*... Desinit: *Ponere sub modio, vel sub humo legere.*

Pag. 620 — AD EXIMIUM. I. V. D. D. LEONARDUM PETRAM *podagra affectum, chiragaque laborantem.*

CHRISTUS IESUS LOQUITUR. Incipit: *Quid quereris, Leonarde vir, aeger corpore, fortis*... Desinit: *Poema, sed angelicum robur, et omne bonum.*

AD EUMDEM IESUS. Incipit: *Petra, quid a saxo durum magis, et quid aquarum*... Desinit: *Exilium, plagas, martyriumque pati.*

CODEX CLIX.

**SIGNATUS NUMERIS EXTERIORIBUS 159 ET 486, INTERIORI VERO 644.
PLUTEO MM.**

Codex membranaceus, longitudinis metri $26/_0$, latitudinis $17/_0$, constans foliis 46, paginis scilicet 92, characteribus Latino-Gothicis saeculi XIII desinentis, vel initio XIV, duplici columna exscriptus. Continet *Librum Distinctionum*, et XXXVIII *Epistolas* Anacleti Antipapae (1130-1138), antea Petrus Petri Leonis dictus, Cardinalis SS. Cosmae et Damiani, Ordinis Cluniacensis. *Liber Distinctionum* adhuc lucem expectare videtur. *Epistolae* vero iam a Baronio, Eccardo, Lappenberg, Margarini, Florez, Martene, Lupo, Ughellio, Pirro aliisque editae, denuo lucem aspexerunt cura Migne in *Append.* ad Innocentii II. Privilegia et Epistolas (*Patr. lat.* Tom. CLXXIX). Codice Casinensi usi sunt praecipue Baronius, qui in *Annal. Ecclesiast.* sub anno 1130, num. XII illum laudat, signatum num. 115, ex eoque Epistolam Lothario Regi, postea Imperatori, edidit, quae incipit: *Veteris amicitiae memores* etc. Martene alias XI, Epistolas a Baronio relictas, Tom. I. *Vet. Monum.* Christianus vero Lupus edidit XXXVIII Epistolas ex alio Codice Ms. (Vid. *Opp. omnia* eiusdem, edit. Venet. 1724, tom. VII. 393). Codicem contulimus cum editione Migne. Habet pro compactione quaedam Libri Genesis cum commentariis.

Pag. 1 — In ora superiori paginae legitur: *Libellus distinctionum. et alius liber ad fratres cluniacenses.*

Post praefationem sequitur: Prima distinctio. Incipit: *Audi fili tui patris prudentiam...* Desinit: *Romana repellit ecclesia.*

Pag. 9 — Secunda distinctio. Incipit: *Beatus qui querit scientiam...* Desinit: *qui sue vite mala finit.*

Pag. 13 — Tertia distinctio. Incipit: *Conserva in te fili...* Desinit: *displiceat si bene persuaserit.*

Pag. 16 — Quarta distinctio. Incipit: *Donum dei est fili...* Desinit: *ieiunium culpe interfectorium est.*

Pag. 19 — Quincta distinctio. Incipit: *Erige aures fili...* Desinit: *fuit assessurus excurrit.*

Pag. 22 — Sexta distinctio. Incipit: *cum impiis fatuis esse delecteris...* Desinit: *quem a crimine munda tuetur conscientia.*

Pag. 26 — Secundus liber.

Distinctio VII. Incipit: *Gloriosa dicta sunt de te civitas dei...* Desinit: *sed sobrius aliene mense incombas.*

Pag. 28 — Octava distinctio. Incipit: *Hec sunt fili que animam vivificant...* Desinit: *Habeas fili silentium ubi litigantum verba subrepserint.*

Pag. 30 — Nona distinctio. Incipit: *Intelligite parvuli astuciam..* Desinit: *ubi desunt bene viventi vicia.*

Pag. 34 — Decima distinctio. Incipit: *Legem dei fili...* Desinit: *ad alienum declinans amorem.*

Pag. 37 — Undecima distinctio. Incipit: *Melior est fili adquisitio...* Desinit: *non indiget qui animum gerit audacem.*

Pag. 42 — Distinctio XII. Incipit: *Noli mi fili disciplinam fugere...* Desinit: *secretum anime tue descendat.*

Pag. 46 — Tertius liber.

Distinctio XIII. Incipit: *Omnia fili sensu percipe...* Desinit: *Olorem nulla macula nigredinis obfuscat.*

Pag. 50 — Distinctio XIIII. Incipit: *Posce fi-*

COD. CLIX.

PAGINA LXXIII.

[illegible]

COD. CLX.

[illegible]

COD. CLXI.

PAGINA XCIX.

Incipit hymnus.

O domine ego seruus tuus. et filius ancille tue; Dirupisti domine ui-
cula mea tibi sacrificabo hostiam laudis; Laudet te cor meum et
lingua mea. et omnia ossa mea dicant domine quis similis tibi. dicant
et respondeant tibi. et dic anime mee salus tua ego sum;

COD. CLXII.

PAGINA CLV.

Incipit liber primus ypomnesticon sancti augustini episcopi.

Aduersarii catholice fidei dum conatur regulae ueritatis
diabolicis artibus pugnare nituntur. nos sollici-
tudine repugnandi fortiores faciunt. et ueto
decipiunt animas quae nostrae ualetudinis aliquae uulneratae;

COD. CLXIII.

PAGINA II.

[illegible]

LIT. CAS.


UNIV.
OF
MICH.

li domini sapientiam... Desinit: *est pax longa et vix inducie conceduntur.*

Pag. 54 — Distinctio XV. Incipit: *Quere fili quod iustum est...* Desinit: *prodigalitatis excessus subverite.*

Pag. 57 — Distinctio XVI. Incipit: *Recede fili a malo...* Desinit: *tempestatis veretur periculum.*

Pag. 60 — Distinctio XVII. Incipit: *Securus est fili qui sibi deum habet propicium...* Desinit: *neminem nasci sapientem sed fieri.*

Pag. 64 — Distinctio XVIII. Incipit: *Te fili affabilem omnibus exhibe...* Desinit: *Tele tintibilicium plus nocea ubi filis innectitur.*

Pag. 67 — Ultima distinctio. Incipit: *Vix aliquis fili poterit valere...* Desinit: *Veneni genus est quod aliud venenosius excludit.* Explicit liber distinctionum.

Pag. 71 — Sequuntur XXXVIII. epistolae eiusdem Anacleti, de quibus in prologo ad hunc Codicem disseruimus, absque titulis, ab editoribus adiectis.

(I). *Conversionis meae primordia... eterne felicitatis oblineat. Datum Rome apud sanctum petrum Kalendis Maii.* Edit. cit. col. 696.

Pag. 72 — (II). *Diuturna predecessorum nostrorum... confirmatione corroborent. Datum Rome apud Sanctum Petrum Kalendis Maii.* Ibi col. 699.

Pag. 73 — (III). *Pro tua probitate... valeat adherere. Datum Rome apud sanctum Petrum Kalendis Maii.* Ibi col. 698.

Pag. 74 — (IV). *Veteris amicitie memores... coguntur fronte gestare. Datum Rome apud sanctum Petrum Kalendis Maii.* Ibi col. 669.

(V). *Dudum desiderii nostri fuerat... faciat amore ferventes. Datum Rome apud sanctum Petrum Kalendis Maii.* Ibi col. 708.

Pag. 75 — (VI). *Quantum de probitatis tue sollertia... conservare dignetur incolumem. Datum apud sanctum Petrum Kalendis Maii.* Ibi col. 703.

(VII). *Nobilium factorum tuorum memoria... tota ecclesia sentiamus. Datum Rome apud sanctum...* (sic). Ibi col. 701.

Pag. 76 — (VIII). *Et apostolice sedis actoritas... virum utique sapientem cognitum et religiosum... faciat amore ferventes. Datum Rome apud sanctum Petrum Kalendis maii.* Ibi col. 703.

Pag. 77 — (IX). *Domino lothario glorioso ac triumphatori Romanorum regi. Hugo prefectus urbis. et fratres eius. Leo freiapane. et cencius frater eius. Stephanus de tedaldo. Albertus ioannis de stephano. Stefanus de berizo. Berizo frater eius. Henricus filius henrici. de sancto eustachio. Octavianus frater eius et reliqui romane urbis potentes. Sacri quoque palacii iudices et nostri consules et plebs omnis romana. salutem et gloriam. et de hostibus universis victoriam.* Incipit: *Bene olim cana...* Desinit: *dissimultatibus protrahi. Acta Rome feliciter. XV. Kalendas Iunii.* Edidit Baron. *Annal. Eccles.* sub anno 1130. num. XXIV.

Pag. 78 — (X). *Serenissimo ac gloriosissimo lothario Romanorum regi. fratres qui rome sunt Cardinales. presbiteri. et diaconi... eternam in domino salutem.* Incipit: *Propter quorumdam hominum...* Desinit: *consiliis obedire.* Ibi num. XV.

Pag. 80 — (XI). *Iamdudum voluntatis nostre... participium largiatur. Datum Rome apud sanctum Petrum Kalendis maii.* Apud Migne col. 700.

Pag. 81 — (XII). *Nobilis memorie antecessores tui... diligentiam experiri. Datum Rome apud sanctum petrum Kalendis Maii.* Ibi col. 705.

Pag. 82 — (XIII). *Quod tibi de statu nostro... diligimus arbitramur. Datum Rome apud Sanctum Petrum Kalendis maii.* Ibi col. 704.

Pag. 83 — (XIV). *Suscepti officii ratio... subsidia impendamus. Datum Rome apud sanctum Petrum Kalendis Maii.* Ibi col. 706.

Pag. 84 — (XV). *In promotionis nostre principiis... in bipenni et ascia succidatis. Datum Rome apud Sanctum Petrum in diebus maii.* Ibi col. 708.

Pag. 85 — (XVI). *In ipso nostre promotionis exordio... a malis omnibus tueantur. Datum Rome apud Sanctum Petrum in diebus maii.* Ibi col. 706.

Pag. 86 — (XVII). *Auditum habemus... vitam tibi largiatur eternam. Datum Rome apud sanctum Petrum in diebus maii.* Ibi col. 707.

Pag. 87 — (XVIII). *Lator presentium atticus... cupimus honorare. Datum Rome apud sanctum Petrum XV Kalendas Iunii..* Ibi col. 709.

(XIX). *Ab ipso promotionis nostre... plane exequimur libertate.* Ibi col. 710.

Pag. 88 — (XX). *Ex quo civitas sancta ierusalem... honorare decrevimus et cetera.* Ibi col. 711.

(XXI). *Ab ipsis fere pueritie nostre... Sapienti credimus ista sufficere.* Ibi.

(XXII) *Omnis Vobis venerabilis frater... nec panem ociosa manducat.* Ibi.

(XXIII) *De nobili providentia.... fama celebri predicantur.* Ibi.

(XXIV). *Scimus te... debeas affectione diligere.* Ibi.

(XXV). *Nobilitatis tue... notissimum reddunt.* Ibi col. 712.

Pag. 89 — (XXVI). *De dilectione tua... venire festines et cetera.* Ibi.

(XXVII). *Dilectionis tue... cognoscimus et cetera.* Ibi.

(XXVIII). *Omnipotenti deo... manifestat et cetera.* Ibi.

(XXIX). *Quod tue prudentie... et exaltare. Datum apud Sanctum Petrum.* Ibi col. 713.

(XXX). *Veniens ad nos... commendamus in domino. Datum Rome apud sanctum Petrum.* Ibi.

Pag. 90 — (XXXI). *Gravissimo de vestro episcopo... providere possimus. Datum Rome apud sanctum Petrum.* Ibi.

(XXXII). *Si pastoralis officii... gratiam consequatur. Datum apud sanctum Petrum.* Ibi.

(XXXIII). *Et antiqua regionis tue... constantia perseveres.* Ibi.

(XXXIV). *Ab ipso nostre ordinationis... intendamus. et cetera.* Ibi.

Pag. 91 — (XXXV). *Sacerdotali sollicitudini... decrevimus destinare et cetera.* Ibi col. 715.

(XXXVI). *Dilectionis tue... nullatenus reformides.* Ibi col. 717.

Pag. 92 — (XXXVII). *Mandata celestia... exequi valeamus. et cetera.* Ibi col. 718.

(XXXVIII). *Apostolice sedis providentia...* Desinit incompleta, deficientibus aliis foliis Codicis.

CODEX CLX.

SIGNATUS NUMERIS EXTERIORIBUS 160 ET 110-387, INTERIORI VERO 690. PLUTEO FF.

Codex in quarto membranaceus longitudinis metri 25/₀, latitudinis 17/₀, paginarum 496. quinque columnis distinctis characteribus latinis. Continet *Concordantias Bibliae* a voce: *A. a. a* usque ad vocem *Zorobabel*. Sub eodem titulo et numero Montfauconius eum recenset. In fine auctor harum *Concordantiarum* se prodit his verbis: *Expliciunt concordantiae de sancto Iacobo. Petrus Flocvent montis moratiati hoc fecit.* Vide Cod. LXI. cui fere cohaeret.

CODEX CLXI.

SIGNATUS NUMERIS EXTERIORIBUS 161 ET 236, INTERIORI VERO 514. PLUTEO L.

Codex membranaceus in folio parvo, longitudinis metri 30/₀, latitudinis 19/₀, paginarum 238 foliorum scilicet 116, charactere Latino saeculi XIII scriptus. Exteriori titulo insignitur. CONFESSIONES, RETRACTATIONES ET ALII TRACTATUS S. AUGUSTINI. Snb hoc num. de eo Montfauconius sic: *Retractatio Augustini in lib. Confessionum. Confessiones eiusdem Augustini. Idem Augustinus de natura et origine animae ad Vincentium Victorem. Retractatio eiusdem in lib. de Immortalitate animae. Liber de immortalitate animae eiusdem.* Habet pro compactura folium Missalis XI saeculi, et aliud XIV. Codicem contulimus cum editione Parisiensi Migne.

Pag. 2 — Prima pagina Codicis ab amanuensi vacua scriptura relicta fuit. In secunda vero legitur: INCIPIT RETRACTATIO IN LIBRIS CONFESSIONUM SANCTI AUGUSTINI EPISCOPI. Incipit: *Confessionum mearum libri tredecim...* Desinit: *quia in abdito res est (valde).* EXPLICIT RETRACTATIO. Tom. I. *Opp. S. Aug.* edit. cit. col. 632. cap. VI.

Pag. 3 — INCIPIT PRIMUS LIBER CONFESSIONUM SANCTI AUGUSTINI EPISCOPI. Incipit: *Magnus est domine...* Desinit: *tu dedisti mihi.* EXPLICIT LIBER PRIMUS. Ibi col. 659.

Pag. 15 — INCIPIT LIBER SECUNDUS. Incipit: *Recordari volo...* Desinit: *regio egestatis.* EXPLICIT LIBER SECUNDUS. Ibi col. 675.

Pag. 23 — INCIPIT TERCIUS. Incipit: *Veni cartaginem...* Desinit: *de caelo sonuisset.* EXPLICIT LIBER TERCIUS. Ibi col. 683.

Pag. 33 — INCIPIT QUARTUS. Incipit: *Per idem tempus...* Desinit: *eternitas tua.* EXPLICIT QUARTUS. Ibi col. 693.

Pag. 44 — INCIPIT LIBER QUINTUS. Incipit: *Accipe sacrificium...* Desinit: *quo cursum dirigerem.* EXPLICIT LIBER QUINTUS. Ibi col. 705.

Pag. 55 — INCIPIT SEXTUS. Incipit: *Spes mea a iuventute mea...* Desinit: *et ibi ego feram.* AMEN EXPLICIT LIBER SEXTUS. Ibi col. 717.

Pag. 69 — INCIPIT SEPTIMUS. Incipit: *Iam mortua erat...* Desinit: *et expaveram.* EXPLICIT LIBER VII. Ibi col. 733.

Pag. 84 — INCIPIT VIII. Incipit: *Deus meus in graciarum...* Desinit: *de nepotibus carnis meae requirebat.* EXPLICIT LIBER OCTAVUS. Ibi col. 747.

Pag. 99 — INCIPIT NONUS. Incipit: *Domine ego servus tuus...* Desinit: *per orationes meas.* EXPLICIT LIBER IX. Ibi col. 763.

Pag. 114 — INCIPIT X. *Cognoscam te cognitor...* Desinit: *qui requirunt eum.* AMEN. EXPLICIT LIBER DECIMUS. Ibi col. 779.

Pag. 140 — INCIPIT XI. Incipit. *Numquid domine...* Desinit: *quorum celsitudo tu es.* EXPLICIT XI. LIBER CONFESSIONUM SANCTI AUGUSTINI EPISCOPI. Ibi col. 809.

Pag. 154 — INCIPIT XII. Incipit: *Multa satagit cor meum...* Desinit: *dixit quod voluit.* EXPLICIT LIBER XII. Ibi col. 825.

Pag. 170 — INCIPIT XIII. Incipit: *Invoco te deus meus...* Desinit: *sic invenietur.* AMEN. EXPLICIT LIBER CONFESSIONUM SANCTI AUGUSTINI EPISCOPI. Ibi col. 845.

Pag. 193 — INCIPIUNT AD VINCENTIUM VICTOREM DE NATURA ET ORIGINE ANIME SANCTI AUGUSTINI LIBRI DUO. INCIPIT LIBER PRIMUS. Incipit: *Quod mihi ad te scribendum...* Desinit: *renovetur exordio.* EXPLICIT LIBER PRIMUS DE NATURA ET

ORIGINE ANIME AD VINCENTIUM VICTOREM. Tom. X edit. cit. par. I. col. 509.

Pag. 203 — INCIPIT LIBER SECUNDUS. Incipit: *Accipe nunc iam etiam...* Desinit: *remotis plausibus alienis.* EXPLICIT LIBER SECUNDUS AD VICTOREM DE NATURA ET ORIGINE ANIMAE. Ibi col. 523.

Pag. 225 — INCIPIT TRACTATUS SANCTI AUGUSTINI EPISCOPI IN LIBRO DE IMMORTALITATE ANIME. Incipit: *Post libros soliloquiorum...* Desinit: *temere dictum est.* EXPLICIT RETRACTATIO. Tom. I. ed. cit. col. 590, cap. V.

INCIPIT LIBER. Incipit: *Si alicubi est disciplina...* Desinit: *de quo dictum est probatur.* Ibi col. 1021. Et statim sequitur: *Quam sit appetenda gratia penitentie omnis auctoritas clamat omnis beatorum vita conatur ostendere. langores enim sanat. leprosos curat. mortuos suscitat. sanitatem auget. et conservat. claudis gressum. aridos in opus. cecis restituit visum. vita fugat. virtutes exornat mentem munit. et roborat. Omnia sanat omnia redintegrat. omnia letificat. Temperat successum. constringit impetus. moderatur excessibus. Ignorans se. per hanc se cognoscit. querens se. per hanc se invenit. Hec est que homines ad angelos duxit. et creaturam reddidit creatori. Ista ovem perditam monstravit querenti. et decimam dragmam obtulit anxianti. Hec dissipatorem filium ad patrem reduxit. et vulneratum a latronibus custodi curandum reservavit. In hanc omne bonum nititur. Per hanc omne bonum conservatur. fugat tenebras. inducit lucem. excoquit omnia. ipsa ignis consumens. Hec omia provida virago sensisti. quod hoc bonum tantum dilexisti. Vix enim diligitur quod omnino ignoratur. Super hoc bonum innixa. fortis esse poteris ad omnia bona. Itaque voluntatem tuam quam super hoc bono cognovi. libenter adiuvo. et suavem laborem super hac re ut rogasti desideranter suscipio. sperans dei adiutorium merito. Scio intentionem tuam numquam frustrandam. sed in omnibus que desiderat ditandam. Nam cum esses dives pauperem te pro christo reddidisti et in anima dives eris sancti commercii. Unde felix ego...* Sic desinit Codex in pag. 238, cuius tantum superior pars remansit ob recisionem alterius.

CODEX CLXII.

SIGNATUS NUMERIS EXTERIORIBUS 162 ET 385, INTERIORI VERO 544.
PLUTEO L.

Codex membranaceus longitudinis metri $27/_0$, latitudinis $19/_0$, paginarum 328, charactere longobardico X. saeculi ad finem, vel potius, ni fallimur, XI. incipientis conscriptus. Exteriori titulo insignitur: D. Augustini Opusculorum Tomus primus. De eo mentionem facit Montfauconius his verbis: *Augustinus de Septem Quaestionibus, seu tomus primus Opusculorum eius.* Continet Codex Quaestiones, Dialogum de qualitate vel quantitate animae, Ipognosticum, de Praedestinatione, Epistolam ad quemdam Comitem, Expositionem fidei, Epistolam Volusiani ad Augustinum et istius ad eumdem, Libellum adversus Felicianum, de Praesentia Dei ad Dardanum, De decem Virginibus, De tribus mortuis. Haec opuscula Divi Augustini cum editione Parisiensi I. P. Migne contulimus. Confer Reifferscheid *Bibl. PP. Latin. Ital.* II. 339.

Pag. 1 — In prima pagina huius Codicis, pene deleta scriptura, alia super exarata sunt. Haec adhuc tantum legi possunt: *In hoc codice quaestiones LXXXV. sed sicut augustinus ipse in libro retractationum disposuit LXXXIII tantum esse debent. ergo tres sunt questiones in hoc codice que ab ipso augustino hic ..... antur. idest una de magis pharaonis. Alia de quinquaginta tribus piscibus .... Tertia de pascha .... hoc codice deest.*

Quae superscripta sunt in prima pagina legi nequeunt. In ora inferiori alterius scriptum est: *suo in christo patri et benefactori precipuo domino. I. columpna tituli sancte praxedis prope .... apostolice sedis legato fr. V. decanus et totus Casinensis Conventus cui fideles et devoti.* Ioannes Columna creatus ab Honorio III Cardinalis tituli S. Praxedis, postea anno 1215 Legatus apud Cruce signatos in Oriente, deinde a Gregorio IX. apud Fridericum II, de Casinensi monasterio bene meritus fuit, et forte a V. Decano Casinensi tempore vacationis Abbatiae (28 Iul. 1236 — 8 Ianuar. 1237.) hoc Codice donatus.

In tertia vero pagina haec leguntur... *Unc. III. Item de statio. Molendini de ovo Unc. I. Item pro anima dompni Theodini fratris Robberti augustal VI. Magister Raymundus de cayra. unc. II. Domnus Stasius de sancto andrea. unc. I. Domnus Iohannes de Zacharia. unc. I. et M. Archipresbiter Apiensis. unc. I. Bartholomeus de minardo. unc. I. A famulo abraymantis. unc. I. minus quarta.*

In septima pagina ad cap. *De muliere samaritana* notatur: *Usque hic habentur. ceterae desunt.*

Post praefationem, sequitur caput XXVI *Retractationum* S. Augustini, in quo agitur *De diversis quaestionibus octoginta tribus.* Incipit: *Est etiam inter illa que scripsimus quoddam...* Desinit: *excepta causa fornicationis.* Tom. XXXII *Patrol. Lat.* Migne, *Opp.* S. August. Tom. I. col. 624. Differt tamen non parum ab ed. En totum caput *Retractationum.*

(Ex libro) retractationum.

Est etiam inter illa que scripsimus quoddam prolixum opus, qui tamen unus deputatur liber cuius est titulus de diversis quaestionibus octoginta tribus. Cum autem disperse fuissent per cartulas multas quoniam ab ipso primo tempore conversionis meae posteaquam in africam venimus. sicut interrogabar a fratribus quando me vacantem videbant nullo servato ordine dictate sunt iussi eas iam episcopus colligi. et unum ex eis librum fieri. adhibitis

numeris. ut quod quisque legere voluerit facile inveniat. Harum questionum est.

I. Utrum anima a semetipsa sit.

II. De eo quod scriptum est michi autem adherere deo bonum est (1).

III. De libero arbitrio (2).

IIII. Utrum deo auctore sit homo deterior (3).

V. Que sit causa ut sit homo deterior (4).

VI. Quod animal inrationale non possit beatum esse (5).

VII. De malo (6).

VIII. Que proprie in animante anima dicatur (7).

VIIII. Utrum per se anima moveatur (8).

X. Utrum corporis sensibus percipi veritas possit. in qua illud quod dixi omne quod corporeus sensus attingit. quod et sensibile dicitur sine ulla intermissione moveatur temporis. sine dubio verum quidem non est in corporibus resurrectionis incorruptibilibus. sed nunc ea nullus nostri corporis sensus attingit. nisi forte divinitus tale aliquid reveletur (9).

XI. Utrum corpus a deo sit (10).

XII. Quare cristus de femina natus sit (11).

XIII. Loco ubi titulus est. Sententia cuiusdam sapientis. non est mea. sed quia per me innotuit quibusdam fratribus. qui tunc a me ista diligentissime consulebant. et placuit eis inter nostras ea scribere voluerunt. Est autem cuiusdam forte cartaginensis. De mente mundanda ad videndum deum. quod paganus scripsit. sed christianus est mortuus (12).

XIIII. Quo documento satis constet hominem bestiis excellere (13).

XV. Non fuisse corpus domini christi phantasma (14).

XVI. De intellectu (15)

XVII. De filio (16).

XVIII. De sententia (scientia) dei (17).

XVIIII. De trinitate (18).

XX. De deo et creatura (19).

XXI. De loco dei (20).

XXII. Utrum deus mali auctor non sit. ubi videndum est. ne male intellegatur quod dixi. mali auctor non est. quia omnium que sunt auctor est. quia in quantum sunt in tantum bona sunt. et ne hinc putetur non ab illo esse penam malorum que utique malum est his qui puniuntur. Sed hoc ita ut dixi quemadmodum dictum est. Deus mortem non fecit. cum alibi scriptum sit. Mors et vita a domino deo est. Malorum ergo pena que a deo est. malum est quidem malis. sed in bonis dei operibus est. quoniam iustum est ut mali puniantur. et utique bonum est omne quod iustum est (21).

XXIII. Deum uon pati necessitatem (22).

XXIIII. De patre et filio (23).

XXV. Utrum et peccatum et recte factum in libero sit voluntatis arbitrio quod ita esse omnino verissimum est. sed ut ad recte faciendum liberum sit. dei gratia liberatur (24).

XXVI. De cruce domini christi (25).

XXVII. De differentia peccatorum (26).

XXVIII. De homine facto ad imaginem et similitudinem dei. Ubi quod dixi homo sine vita non recte appellatur. cum dicitur homo etiam cadaver hominis. ergo saltem dicere debuit non proprie dicitur. ubi dixi. non recte dicitur. Item dixi. neque inscite distinguitur. quod aliud sit imago et similitudo dei. aliud ad imaginem et similitudinem dei. sicut hominem factum accepimus. quod non ita est intellegendum quasi homo non dicat imago dei cum dicat apostolus. vir quidem non debet velare caput cum sit imago et gloria dei. sed dicitur etiam ad imaginem dei. quod unigenitus non dicitur. qui tantummodo imago est non ad imaginem (27).

XXIX. De providentia (28).

XXX. Quare deus mundum facere vuluerit (29).

XXXI. Utrum aliquid sit sursum aut deorsum in universo (30).

XXXII. Quod dictum est penitet me hominem fecisse (31).

(1) Est quaestio LIV edit. et deest in Cod. explicatio quaestionis. (2) Est II. edit. (3) Est III. edit. (4) Est IV. edit. (5) Est V. edit. (6) Est VI. edit. (7) Est VII. edit. (8) Est VIII. edit. (9) Est IX. edit. (10) Est X. edit. (11) Est XI. edit. (12) Est XII. edit. (13) Est XIII. edit. (14) Est XIV. edit. (15) Est XV. edit. (16) Est XVI. edit. (17) Est XVII. edit. (18) Est XVIII. edit.

(19) Est XIX. edit. (20) Est XX. edit. (21) Est XXI. edit. (22) Est XXII. edit. (23) Est XXIII. edit. sed deest in Cod. explicatio. (24) Est XXIV. edit. (25) Est XXV. edit. (26) Est XXVI. edit. (27) Est LI. edit. (28) Est XXVII. edit. (29) Est XXVIII. edit. (30) Est XXIX. edit. (31) Est LII. edit.

XXXIII. Utrum omnia in hutilitatem hominis creata sint (1).

XXXIIII. Utrum rem ullam alius alio magis intellegat. atque ita eiusdem rei per infinitum eat intellegentia (2).

XXXV. De metu (3).

XXXVI. Utrum non aliud amandum sit quam metu carere (4).

XXXVII. Quid amandum sit. in quo illud quod dixi esse amandum quod nichil est. aliud habere quam nosse non satis adprobo. neque enim deum non habebant de quibus dictum est. Nescitis quia templum dei estis et spiritus dei habitat in vobis? Nec tamen eum noverant. vel non sicut noscendus est noverant. Item quod dixi nemo igitur beatam vitam novit et miser est. novit dixi. quomodo noscenda est. Nam quis eam penitus nescit? eorum dumtaxat qui iam ratione utuntur. quandoquidem beatos se esse noverunt (5).

XXXVIII. De nutrienda caritate.. ubi dixi Deus igitur et animus quo amatur caritas proprie dicitur. purgatissima et consumata si nichil aliud amatur. quod si verum est. quomodo apostolus ait. Nemo umquam carnem suam odio habuit? et ex hoc admonet ut diligantur uxores. sed ideo dictum est proprie dilectio dicitur. quoniam caro diligitur quidem. nec tamen proprie sed propter animam. cui alibi dicitur subiacet ad usum. Nam etsi propter seipsam videtur diligi. cum eam volumus esse deformem. ad aliud referendum est decus eius. ad illud scilicet a quo decora sunt omnia (6).

XXXVIIII. De tempore noto (7).

XL. De formatione anime (8).

XLI. De alimentis (9).

XLII. Cum anime natura una sit. unde hominum diverse voluntates (10).

XLIII. De eo quod apostolus dicit. absorta est mors in victoriam. ubi est mors aculeus tuus. aculeus autem mortis peccatum. virtus vero peccati lex (11).

XLIIII. Cum omnia deus fecerit. quare non aequalia fecit (12).

XLV. De magis pharaonis (13).

XLVI. De verbo (14).

XLVII. Quemadmodum dei sapientia dominus noster ihesus et in utero marie fuerit et in caelis (15).

XLVIII. Quare filius dei in homine apparuit et spiritus in columba (16).

XLVIIII. Quare tanto post venit ihesus. et non in principio peccati hominis. ubi cum generis humani tamquam unius hominis etates commemorarem. dixi. Nec oportuit divinitus venire magistrum cuius imitatione in mores optimos formaretur. nisi tempore iuventutis. et adiunxi ad hoc valere quod apostolus dicit. Sub lege tamquam sub pedagogo parvulos custoditos. Sed movere potest cur alibi diximus christum in generis humani sexta etate tamquam in senectute venisse. Hoc ergo quod de iuventute dictum est. ad vigorem fervoremque fidei refertur. que per dilectionem operatur. Illud autem de senectute ad temporum numerum. Potest enim intelligi utrumque in universitate hominum. quod non potest in aetatibus singulorum. sicut in corpore non potest. simul et iuventus esse et senectus. in animo autem potest. illa propter alacritatem. ista propter gravitatem (17).

L. De die autem et hora nemo scit neque angeli celorum. neque filius hominis nisi pater solus (18).

LI. Adversus mathematicos (19).

LII. De centum quinquaginta tribus piscibus (20).

LIII. De pulchritudine simulacrorum (21).

LIIII. De annis quadraginta sex aedificationis templi (22).

LV. Item de quinquaginta tribus piscibus (23).

LVI. De hereditate dei (24).

LVII. De eo quod scriptum est. Existimo enim quod non sunt condigne passiones huius temporis ad futuram gloriam quae revelabitur in nobis. usque in id quod dictum est. spe enim salvi facti sumus. Ubi cum exponerem quod scriptum est.

(1) Est XXX. edit. (2) Est XXXII. edit. (3) Est XXXIII. edit. (4) Est XXXIV. edit. (5) Est XXXV. edit. (6) Est XXXVI. edit. (7) Est XXXVII. edit. (8) Est XXVIII. edit. (9) Est XXXIX. edit. (10) Est XL. edit. (11) Est LXX. edit. (12) Est XLI. edit. (13) Est XLIII. edit. (14) Est IV sententia libri *Viginti unius sententiarum* eiusdem Augustini. Migne tom. VI. *Opp.* S. Aug. col. 726. (15) Est XLII. edit, (16) Est XLIII. edit. (17) Est XLIV. edit. (18) Est LX. edit. (19) Est XLV. edit. (20) Est n. 3. Quaest. LVII. edit. (21) Est LXXVIII. edit. (22) Est XLVI. edit. (23) Est XLVII. edit. (24) Est LXXV. edit.

et ipsa creatura liberabitur a servitute. interius dixi. et ipsa creatura idest et ipse homo. cum iam signaculo imaginis propter peccatum amisso remanserit tantummodo creatura. Quod non ita est accipiendum quasi totum amiserit homo quod habebat imaginis dei. Non si omnino amisisset. non esset. propter quod diceretur. reformamini in novitate mentis vestre. et in eandem imaginem transformamur. sed rursus si totum amisisset nichil muneret unde diceretur quamquam in imaginem perambulat homo tamen vane conturbabitur. Item quod dixi spiritualiter summos angelos vivere. infimos vero animaliter. audacius dictum est de infimis quam ut possit vel scripturis sanctis. vel ipsis rebus ostendi. qui etsi forsitan potest difficillime potest (1).

LVIII. De eo quod scriptum est. O homo tu quis es qui respondeas deo. Ubi dixi. quia etiam si levioribus quisque peccatis aut certe quamvis gravioribus et multis tamen magno gemitu et dolore puniendi misericordia dei dignus fuerit. non ipsius est qui si relinqueretur interiret. set miserentis dei. qui eius precibus doloribusque subvenit. parum est enim velle nisi deus misereatur. sed deus non miseretur qui ad pacem vocat nisi voluntas precesserit ad pacem. Hic dictum est post penitentiam. Nam est misericordia dei etiam ipsam preveniens voluntatem. que si non esset. non prepararetur voluntas a deo. ad eam misericordiam pertinet ipsa vocatio que fidem prevenit. de qua paulo post cum agerem dixi. Haec autem vacatio quae sive in singulis hominibus sive in populis atque in ipso genere humano per temporum oportunitatem operatur. alte et profunde ordinatiouis (in margine: *al. operationis*) *erit quo pertinet etiam illud. in utero sanctificavi te. et cum esses in renibus patris tui vidi te. et iacob dilexi. esau autem odio habui. et cetera. quamvis testimonium illud cum esses in renibus patris tui vide te. unde mihi tamquam scriptum sit occurrerit nescio* (2).

LIX. De auro et argento quod ab egiptiis israhelite acceperunt (3)

LX. De iohanne baptista (4).

LXI. De decem virginibus (5).

LXII. De muliere samaritana (6). In margine: *Usque hic habentur. ceterae desunt.*

LXIII. De timore utrum peccatum sit (7).

LXIIII. Eum qui ut vult vivit beatum esse. nec ipsa mea est. sel ciceronis. verum quia et hec per me innotuit fratribus. inter ista quae colligebant scripserunt eam. volentes nosse quemadmodum virtutes anime ab illo divisae atque diffinite sint (8).

LXV. De equalitate filii (9).

LXVI. De quadragesima et quinquagesima (10).

LXVII. De eo quod scriptum est. An ignoratis fratres. scientibus enim legem loquor. quia lex dominatur homini in quantum tempus vivit. usque ad eum locum in quo scriptum est. Vivificavit et mortalia corpora vestra per inhabitantem spiritum eius in nobis. Ubi illud quod ait apostolus. Scimus autem quia lex spiritualis est. ego enim (*autem*) *carnalis sum. exponere volens dixi idest carni consentio. nondum spirituali gratia liberatus. quod non sic accipiendum est. quasi spiritualis homo iam sub gratia constitutus etiam de se ipso non possit haec dicere. et caetera. usque ad eum locum ubi scriptum est. Miser ego homo quis me liberavit de corpore mortis huius quod postea didici sicut sum ante professus. rursus exponens quod ait apostolus. Corpus quidem mortuum est propter peccatum mortuum inquam corpus dicit. quandiu tale est ut indigentia rerum temporalium militet anima. Set istud melius mihi postea visum est. Ideo mortuum corpus dictum quod habeat iam moriendi necessitatem. quam non habuit ante peccatum* (11).

LXVIII. De eo quod scriptum est ad colosenses. in quo habemus redemptionem in remissionem peccatorum qui est imago dei invisibilis (12).

LXIX. De eo quod scriptum est. habitu inventus ut homo (13).

LXX. De eo quod scriptum in evangelio est. Turbas dominum in heremo pavisse de quinque panibus. ubi quod dixi duo pisces duas illas significare personas regiam scilicet et sacerdotalem. ad quas etiam sacrosancta illa unctio pertinebat.

(1) Est XMVII. edit. (2) Est XLVIII. edit. (3) Est LIII. edit. (4) Est LVIII. edit. (5) Est LIX. edit. (6) Est LXIV. edit. (7) LXXVII. edit. (8) Est XXXI. edit. (9) Est L. edit. (10) Est LXXXI. edit. (11) Est LXVI. edit. (12) Est LXVIV. edit. (13) Est LXXIII. edit.

dicendum potius fuit. maxime pertinebat quoniam unctos aliquando legimus et prophetas. Item quoniam dixi. lucas qui tamquam ascendentem post abolitionem peccatorum sacerdotem christum insinuavit. per nathan ascendit ad david. quia nathan propheta missus erat ad huius correptionem. per quem david ipsius peccati abolitionem penitendo impetravit. Non sic accipiendum est tamquam ipse fuerit nathan propheta qui filius david. quia nec hic dictum est. quia ipse propheta missus erat. set dictum est. quia nathan propheta missus erat ut misterium non in eodem homine. set in eodem nomine intellegatur (1).

LXXI. De eo quod scriptum est invicem onera vestra portate (2).

LXXII. De ideis (3).

LXXIII. De eo quod scriptum est sexaginta sunt reginae et octoginta concubine et adolescentularum non est numerus (4).

LXXIV. De temporibus eternis (5).

LXXV. Utrum aliquando cogitationes nostras videre possimus. ubi quod dixi angelica corpora qualia nos speramus habituros lucidissima atque etheria esse credendum est. si hoc sine membris quae nunc habemus et sine substantia quamvis incorruptibilis tamen carnis accipiatur. erratur. multo melius in opere de civitate dei quaestio ista retractata est de videndis cogitationibus nostris (6).

LXXVI. De credibilibus (7).

LXXVII. Quare filii israhel sacrificabant visibiliter pecorum victimas (8).

LXXVIII. Ad id quod scriptum est in evangelio. quod baptizabat ihesus plures quam iohannes. quamvis ipse non baptizaret set disciputi eius. ubi quod dixi latro ille cui dictum est. Amen dico tibi. hodie mecum eris in paradiso. qui nec ipsum baptismum acceperat. hoc quidem et alios ante nos posuisse rectores sancte ecclesie in suis litteris invenimus. set quibus documentis satis possit ostendi quod non fuerat ille latro baptizatus ignoro. De qua re in posterioribus quibusdam opusculis nostris diligentius disputatum est. maxime in eo quod ad vincentium victorem de animae origine scripsimus (9).

LXXIX. De eo quod scriptum est. Tunc et ipse filius subiectus erit ei qui illi subiecit omnia (10).

LXXX. Quare magi pharaonis fecerunt quedam sicut moises famulus dei (11).

LXXXI. De pascha (12).

LXXXII. De resurrectione lazari (13).

LXXXIII. De eo quod iacobus apostolus dixit. Vis scire o homo inanis quoniam fides sine operibus otiosa est (14).

LXXXIV. Adversus apollinaristas (15).

LXXXV. Utrum autem infidelitas ad fornicationem pertinere intellegenda sit. in eo quod dominus ait. si quis dimiserit uxorem suam excepta causa fornicationis (16).

Deest quaestio LXXXII. in hac enumeratione; supersunt vero duae aliae quaestiones, scilicet sententia IV, *libri XXI. Sententiarum*, quae est XLVI in ordine, et quaestio LXXXI.

Incipit: *Utrum anima a semetipsa sit. Omne verum*... Desinit in quaest. LXII: *De muliere samaritana... non est tuus vir quia*... Inter *Opp.* S. Augustini edit. Migne, tom. VI, col. 11.

Pag. 89 — Praecedenti pagina ab amanuensi sine scriptura relicta, in hac legitur: INCIPIT DIALOGUS DE (QUALITATE VEL) QUANTITATE ANIME. CUM ADEODATO CARNALITER SIBI FILIO. Incipit: ADEODATUS. *Quoniam video te*... Desinit: *opportuniorem observabo*. Tom. I. *Opp.* S. Augustini edit. Migne, col. 1035. Dialogus iste in editione habetur inter Augustinum et Evodium; in Codice vero inter Augustinum et Adeodatum. Editores Benedictini testantur se inspexisse veteres Codices, et numquam eis occurrisse nomen Adeodati. Notandum vero est quod titulus huius Dialogi in nostro Codice est eiusdem characteris ac reliqua, non posteriori manu adiectus.

Pag. 154 — Expleto praecedenti dialogo, legitur in Codice sequens arbor de *Usia*, seu de substantia, eiusque generibus et divisione. USIA.

Quae dividitur in corporali. et incorporali.

(1) Est LXI. edit. (2) Est LXXI. edit. (3) Est XLVI. edit. (4) Est LV. edit. (5) Est LXXII. edit. (6) Est XLVII. edit. (7) Est XLVIII. edit. (8) Est XLIX. edit. (9) Est. LXII. edit. (10) Est LXIX. edit. (11) Est LXXIX. edit. (12) Est LXI. edit. (13) Est LXV. edit. (14) Est LXXVI. edit. (15) Est LXXX. edit. (16) Est LXXXIII. edit.

Et quod est genus generalissimum. ultra quod nec inveniri aliquid. nec cogitari potest. et in quo sunt omnia que sunt et quae non sunt. CORPUS.

GENUS. *quod dividitur in animato et in inanimato. ut lapides.* SPECIES.

Ita et in aliis subalternis. ANIMATUM CORPUS.

Quod divditur in sensibili et in insensibili. ut arbores. ANIMAL.

Quod dividitur in rationali et inrationali. ut leo. RATIONALE.

quod dividitur in mortali et in immortali. ut angeli. HOMO.

Quod est species specialissima. Sub qua nulla species. quod dividitur non specie sed numero. UT CICERO.

ET HIC ET ILLE. *Quae sunt individua.*

Sequuntur postea sequentes versus in laudem Sancti Augustini, et oratio:

Mentitur qui te totum legisse fatetur
Aut quis cuncta tua lector habere potest.
Namque voluminibus mille Augustine refulges
Testantur libri quid loquor ipse tui.
Quamvis multorum placeant volumina libris
Si augustinus adest . . . . ipse tibi.

Comitetur nos, quesumus domine, semper gratia tua et in finem usque custodiat, ut quod bono inchoamus principio meliori exitu consumemus. Per christum.

Pag. 155 — INCIPIT LIBER PRIMUS YPOMNESTICON SANCTI AUGUSTINI EPISCOPI. (Manu recentissima: *Hypognosticum contra Pelagianos et Celestianos. To. 2.*) Incipit: *Adversarii catholicae fidei... agere non habebit.* YPOMNESTICO LIBER I EXPLICIT. Tom. X. *Opp.* S. Aug. edit. Migne col. 1611. *App.* .

Pag. 165 — SANCTI AUGUSTINI INCIPIT LIBER II. Incipit: *Item peccatum aiunt...* Desinit: *morte redemit.* YPOMNESTICO LIBER II. EXPLICIT. Ibi col. 1617.

Pag. 170 — INCIPIT LIBER III. Incipit: *Item posse dicunt...* Desinit: *terminum posuit.* EXPLICIT LIBER III. YPOMNESTICON SANCTI AUGUSTINI. Ibi col. 1621.

Pag. 200 — INCIPIT IIII. Incipit: *Item aiunt. Libidinem...* Desinit: *salutaris. Amen.* EXPLICIT LIBER IIII. YPOMNESTICON SANCTI AUGUSTINI. Ibi col. 1639.

Pag. 216 — INCIPIT LIBER V. Incipit: *Item inquiunt parvulos...* Desinit: *in omnibus nobis. Amen.* YPOMNESTICON LIBER V. EXPLICIT. Ibi col. 1647.

Pag. 230 — INCIPIT DE PREDESTINATIONE DISPUTANDO. (In margine, recentiori charactere: *Incipit tractatus de predestinatione Beati augustini*). *Addere etiam hoc quammaxime huic operi oportet...* Desinit: *Gratiam predestinationis indebitam praerogare. Amen.* Ibi col. 1657, *App.*

Pag. 241 — INCIPIT SANCTI AURELII AUGUSTINI EPISCOPI AD QUEMDAM COMITEM... Caetera legi nequeunt ob abrasionem tituli. Incipit: *Karissime frater. Si cupis scire quantum....* Desinit: *discretionem elemosinae ita ut ni...* Caetera desiderantur, nec in editis invenimus.

Pag. 223 — INCIPIT EXPOSITIO FIDEI. SANCTI AUGUSTINI EPISCOPI. Incipit: *Fides unius substantiae....* Desinit: *virtus et unitas trinitatis.* Inter *Opp.* Vigilii Tapsensis edit. Migne *Patrol. Lat.* Tom. LXII, col. 285, Lib. VIII.

Pag. 245 — *Domino inlustri merito prestantissimo filio volusiano. Augustinus episcopus.* Incipit: *De salute tua...* Desinit: *cum voles ponitur.* Tom. II. *Opp.* S. Aug. edit. Migne, col. 508.

Domino vere sancto ac merito venerabili patri. Augustino episcopo. Volusianus. Incipit: *Petis me...* Desinit: *quidquid contigerit ignorare. Et alia manu incolumem venerationem tuam divinitas summa tueatur. domine vere sancte. et venerabilis pater domna mater larga salutat. da veniam temeritati quam ipse esse iussisti. te domnum meum possidium cum meis veneror.* Ibi col. 512.

Pag. 247 — *Domino inlustri et merito insigni et prestantissimo filio volusiano. Augustinus episcopus. in domino salutem.* Incipit: *Legi litteras...* Desinit: *multum salutat.* Ibi col. 515.

Pag. 261 — INCIPIT BEATI AUGUSTINI EPISCOPI LIBELLUS ADVERSUS FELICIANUM. Incipit: *Extorsisti michi...* (in margine legitur: *In ista epistola continetur firmitas totius nostre fidei.*) Desinit: *reddere mercedem.* EXPLICIT. LIBELLUS SANCTI AUGUSTINI CONTRA FELICIANUM ARRIANUM. Tom. VIII. col. 1157, edit. Migne, et inter *Opp.* Vigilii Tapsensis, Tom. LXII, *Patr. Lat.* Migne. col. 333.

Pag. 300 — INCIPIT AD DARDANUM. DE PRESEN-

TIA DEI. Incipit: *Fateor me frater...* Desinit: *felicissima est.* EXPLICIT EPISTOLA DARDANI. Tom. II. *Opp.* S. Aug. col. 832, usque ad cap. VII.

Pag. 312 — INCIPIT SERMO SANCTI AUGUSTINI. DE DECEM VIRGINIBUS. Incipit: *Hexterno die qui affuistis...* Desinit: *potius quam extinguat.* EXPLICIT DE DECEM VIRGINIBUS. Tom. V. col. 573, edit. Migne.

Pag. 322 — INCIPIT DE TRIBUS MORTUIS QUOS DOMINUS SUSCITAVIT. Incipit: *Miracula domini...* Desinit: *qui secretam dat vitam.* Cetera desiderantur. Ibi col. 591, usque ad medium Capitis VI.

CODEX CLXIII.

SIGNATUS NUMERIS EXTERIORIBUS 163 ET 384, INTERIORI VERO 228. PLUTEO L.

Codex membranaceus longitudinis metri 26/₀, latitudinis 16/₀, in quarto paginarum 448. characteribus longobardis Saeculi XI. forte inter Codd. recensendus Abbatis Desiderii iussu conscriptos. Continet S. Augustini *De Remissione peccatorum et Parvulorum Baptismo*, seu eiusdem *Opusculorum* Tomum II. Montfauconius eius meminit eodem numero et hoc titulo: *Augustinus de remissione peccatorum, et Baptismo parvulorum, seu Tomus secundus opusculorum eius.*

Pag. 2 — *Augustinus de peccatorum meritis et remissione. et de Baptismo parvulorum ad marcellinam Liber primus.* Incipit: *Venit etiam necessitas. quae me cogeret adversum novam pelagianam heresim...* Desinit: *quamvis in mediis et magnis curarum aestibus.* Aug. Tom. I col. 644, Migne.

Pag. 3 — Incipit: *Quamvis in mediis et magnis curarum aestibus atque tediorum quae nos detinebant...* Desinit: *ut illud ab alio quaeramus exordio.* Aug. tom. X 109, Migne.

Pag. 74 — In nomine domini contuli ut potui. Explicit liber primus. Incipit liber. II. Incipit: *De baptismo parvulorum marcelline karissime...* Desinit: *nisi id vererer facere defendendo prolixius.* Ibi 151.

Pag. 141 — Per leo. I. per finum. Liber. (sic) II. Incipit epistola de causa baptismi parvulorum. Incipit: *Karissimo filio marcellino augustinus episcopus servus christi servorumque christi in domino salutem. De questionibus quas michi proposueras...* Desinit: *quam tandem aliquando finitus.* Ibi 135.

Pag. 169 — Explicit liber III. Incipit liber de spiritu et littera. *Hoc de libro retractationum.* LXIII. de spiritu et littera ad marcellinum. liber. I. Incipit: *Ad quem scripseram tres libros quorum titulus est de peccatorum meritis...* Desinit: *fili karissime marcelline.* Aug. Tom. I. 645.

Sequitur: *Lectis opusculis quae ad te nuper elaboravi...* Desinit: *quoniam ex ipso. et per ipsum et in ipso sunt omnia. ipsi gloria in secula seculorum. Amen.* Aug. Tom. I. 201.

Pag. 253 — In nomine domini contuli ut potui. Explicit liber de spiritu et littera feliciter. *Hoc de libro retractationum. De cura pro mortuis gerenda. Liber unum ad paulinum episcopum. Librum de cura pro mortuis... hic liber sic incipit* (Tom. I. 655). *Diu sanctitati tuae coepiscope venerande...* Desinit: *mea responsio defuisset.* Aug. tom. VI col. 591. Desunt aliqua in Codice. In pagina enim 257. post verba: *oxortans ne timeant* legitur: *sustulerunt. rident haec illi contra* etc. fere integra col. 594 editionis omissa.

Pag. 285 — Explicit liber sancti augustini ad beatissimum paulinum episcopum. Incipit hoc de libro retractationum de octo dulcitii questionibus liber I. *Liber quem prenotavi... hic liber sic incipit. quantum mihi videtur dilectissime fili dulcitii* (Tom. I. 656). Incipit: *Quantum michi videtur...* Desinit: *nemo vos seducat inanibus verbis.* Tom. VI. 147.

Pag. 303 — Explicit questio prima. Incipit secunda. Incipit: *Utrum oblatio quae fit...* Desinit: *fiat ipsa damnatio.* Ibi 157.

Pag. 306 — Explicit secunda. Incipit tertia. Incipit: *Tertio tua questio est. utrum statim...* Desinit: *videmur esse doctores.* Ibi 159.

Pag. 311 — Explicit tertia. Incipit quarta.

Incipit: *Quarta tua questio est quare dixerit...* Desinit: *ardens lingua clamavit.* Ibi 161.

Pag. 313 — Explicit quarta. Incipit quinta. *Quinto autem loco id posuisti unde post omnia disputaturum me esse promisi.* Ibi 162.

Explicit quinta. Incipit sexta. Incipit: *Sexta tua propositio est. utrum iuxta historiam...* Desinit: *quae nunc de pithonissa et samhuele scripsi.* Ibi 162. Desunt in Codice reliqui tredecim versus huius quaestionis.

Pag. 318 — Explicit sexta. Incipit septima. Incipit: *Septima tua propositio est qualiter...* Desinit: *abimelec autem somno commonitus et edoctus similiter fecit.* Ibi 165.

Pag. 321 — Explicit. VII. Incipit. VIII. questitio (sic) Incipit: *Novissime exponendum poscis...* Desinit: *ac praecellente potentia.* Ibi 166.

Pag. 323 — Explicit questio. VIII. Incipit illa quam quinto loco distulerat vitiam responsurum. Incipit: *Iam nunc illud quod differendum...* Desinit: *magis animo dicere quam docere.* Explicit ad dulcitium de urbe roma. Sancti Augustini de questionis octo. (sic) Ibi 168.

Pag. 328 — Incipit: *In tribus libris contra epistolam parmeniani...* Desinit: *adversus donatistas.* Tom. I. 637.

Incipit: *Multa quidem alia adversus donatistas...* Desinit: *intellectum catholice veritatis aperire. Amen.* Tom. IX. 33.

Pag. 348 — Explicit liber. I. Incipit liber. II. Incipit: *Quae tandem vis nisi caecitatis...* Desinit: *consideranda atque tractanda sunt.* Ibi 49.

Pag. 410 — Explicit liber. II. Incipit liber III. Deo gratias. Incipit: *Cum omnis pia ratio...* Desinit: *saltem non audeant gloriari.* Explicit liber III. Ibi 81.

CODEX CLXIV.

**SIGNATUS NUMERIS EXTERIORIBUS 164 ET 358, INTERIORI VERO 247.
PLUTEO L.**

Codex membranaceus longitudinis metri 28/$_0$, latitudinis 20/$_0$, in quarto characteribus longobardis Saeculi X. vel XI. incipientis continet Tomum tertium *Operum* D. Augustini nempe *contra Iulianum*. Licet Benedictini S. Mauri in S. Augustini editione Codicibus Saec. IX. usi sint, saepe tamen Codicis nostri lectio magis facienda est. Montfauconius eius eodem numero et hoc titulo meminit: *Augustinus contra Iulianum Haereticum Pelagianum*.

Pag. 1 — Incipit liber Sancti Augustini episcopi contra Iulianum hereticum pelagianum. Incipit: *Adversus hereticos pelagianos*... Desinit: *satis apteque repellerim*. Aug. Tom. X, col. 1049, Migne.

Iulianus dixit. *Magnis licet impeditus angoribus... et indissimulabili necessitate suspensus*. Ibi 1050.

Pag. 2 — Augustinus respondit. *Utinam imiteris turbantium... idest manichaeorum appellatione offuscare coneris*. Ibidem.

Nullum, praeter verborum discrimen, quod tamen non parvi faciendum est, inter Codicem editionemque invenimus; sed ne fatigemus lectorem, initium et finem tantum cuiusque libri dabimus.

Desinit liber primus: *si eum tantummodo manichaeorum non omnium hereticorum damnatorem demonstrare possetis*. Expxicit Augustini episcopi liber I. contra Iulianum hereticum. Incipit eiusdem liber II. feliciter.

Pag. 125 — Iulianus dixit. *Commode nobiscum ageretur si aut aput heruditos iudices*... Desinit liber secundus: *ut sane homo secundus victi correctique permittite*. Ibi 1141. Saepe amanuensis alterius interlocutoris verba alteri tribuit; sed eius errorem recentissima manus emendavit. Passim integras propositiones et saepe etiam periodos praetermisit. Sed maioris momenti est, quod in pag. 218 Codicis lin. 23 post verba: *lex enim inquit iram operatur* desunt septem integri versus, qui sunt in edit. col. 1210, usque ad verba: *non vitio suo* etc.

Pag. 274 — Augustini episcopi catholici contra iulianum hereticum Pelagianum liber. II. explicit. Incipit liber. III. O Iulianus dixit. *Oportuerat quidem aput humanum genus reverentiam omnium vigere virtutum*... Desinit liber tertius: *ut per se ipsum advertat et inveniat dimitto lectori*. Ibi 1247.

COD. CLXIV.

PAGINA LXVIII.

COD. CLXV.

PAGINA LXIX.

COD. CLXVI.

PAGINA LXVII.

COD. CLXVII.

PAGINA XVII.

COD. CLXVIII.

PAGINA XCIV.

LIT. CAS.


UNIV. OF MICH.

CODEX CLXV.

SIGNATUS NUMERIS EXTERIORIBUS 165 ET 437, INTERIORI VERO 243. PLUTEO L.

Codex membranaceus in quarto longitudinis metri 25/₀, latitudinis 17/₀, paginarum 184. nitide conscriptus duplici columna characteribus longobardis Saeculi XII. incipientis. Ei assuta occurrunt initio et fine nonnulla folia, quae habent regulas quasdam de Arithmetica ac Trigonometrica proportione, figuris explanata, et nonnullos Virgilii versus ex Aeneadis ac Georgica. Exteriori titulo notatur: *Opera Divi Augustini Tomus 4. et aliqua astronomica.* Montfauconius eum recenset sub eodem numero his verbis: *Liber Augustini de Sancta Virginitate, de Adulterinis coniugiis. Tractatus eiusdem de Sermone Domini in monte; Epistola eiusdem ad Valentinum; de gratia Dei et hominis arbitrio.* Qui Operum Augustini tituli in prima pagina rubro colore eadem manu, ac Codex, describuntur.

Pag. 2 — Incipit liber Augustini episcopi De Sancta virginitate. Incipit: *Librum de bono coniugali nuper edidimus...* Desinit: *et orantes etiam suo nobis. Benedicite sancti et humiles corde dominum. ymnum dicite et superexaltate eum in saecula. Amen.*

Explicit liber augustini de Sancta virginitate. Augustinus, Tom. VI. col. 395, Migne. Nullum prorsus, facta collatione, discrimen inter Codicem et editionem deprehendimus.

Pag. 34 — Incipit liber primus Augustini ad pollentium de adulterinis coniugiis. Incipit: *Prima questio est frater dilectissime, Pollenti...* Desinit: *nec ipsos enim ex hac vita sine arra sue pacis exire velle debet mater ecclesia.* Ibi 451.

Pag. 52 — Explicit liber Primus de adulterinis coniugiis. Incipit liber Secundus. Incipit: *Ad ea quae mihi scripseras frater religiose Pollenti. iam rescripseram...* Desinit: *ut timor periclitantis salutis fiat illis amplioris. sive probationis occasio castitatis.*

Explicit secundus liber Augustini ad pollentium de adulterinis coniugiis. Ibi 471.

Pag. 67 — De sermone domini nostri ihesu christi in monte. Liber primus Sangti aurelii augustini. Incipit feliciter. Incipit: *Sermonem Quem locutus est dominus noster ihesus christus in monte sicut in evangelio...* Desinit: *et ad cetera se reficiat consideranda sunt.* Tom. III, 1229.

Pag. 109 — Explicit de sermone domini in monte. liber primus. Incipit Liber Secundus. Incipit: *Misericordiam usque ad cuius tractationem liber primus...* Desinit: *si volumus edificare super petram.* Explicit liber Sancti augustini de Sermone Domini in monte. Ibi 1269.

Pag. 151 — Incipit epistola ad valentium monachum adrumentinum In librum aurelii augustini episcopi de gratia dei et de hominis libero arbitrio. Incipit: *Domino dilectissimo et in christi membris honorando fratri valentino. et fratribus qui tecum sunt. Augustinus in domino salutem. Cresconium felicem et alium felicem. dei servos...* Desinit: *veniat ad me frater florus.* Tom. II, 971.

Pag. 154 — Explicit epistola augustini. Incipit eiusdem augustini liber de gratia dei et de libero voluntatis arbitrio. Incipit: *Propter eos...* Desinit: *et manifestationem domini ac salvatoris nostri ihesu christi. Cui est honor... saeculorum. Amen.* Explicit liber Augustini de gratia et libero arbitrio.

CODEX CLXVI.

SIGNATUS NUMERIS EXTERIORIBUS 166 ET 436, INTERIORI VERO 668. PLUTEO L.

Codex membranaceus in quarto, longitudinis metri 25/₀, latitudinis 16/₀, paginarum 290. eodem manu et ordine exaratus ac praecedens saeculi XII. ineuntis. Exteriori titulo designatur: *Augustini Operum Tomus V.* De eo Montfauconius sub eodem numero et titulis, in prima pagina eiusdem Codicis descriptis.

Pag. 1 — In hac pagina alba relicta haec recentiori manu scripta leguntur. *Iste liber est monasterii casinensis. In hoc volumine continentur liber sancti augustini. primus contra achademicos. secundus de beata vita. tertius de immortalitate anime. Quartus de ordine rerum. Quintus de quantitate anime. ypognesticon per sex libros. Item de nuptiis et concupiscentiis.*

Pag. 2—INCIPIT LIBER PRIMUS AURELII AUGUSTINI DE ACHADEMICIS ET CONTRA ACHADEMICOS. Incipit: *O utinam romaniane hominem*... Desinit: *atque surreximus*. T. I. *Opp.* Aug. ed. Migne col. 905.

Pag. 14 — EXPLICIT LIBER PRIMUS ACHADEMICORUM. INCIPIT SECUNDUS. Incipit: *Si quam necesse est*... Desinit: *domum revertimus*. Ibi col. 916.

Pag. 29 — EXPLICIT LIBER SECUNDUS ACHADEMICORUM. INCIPIT TERTIUS. Incipit: *Cum post illum sermonem*... Desinit: *citius quam speraveram fecimus*. Ibi col. 933.

Pag. 54 — EXPLICIT LIBER TERTIUS BEATI AUGUSTINI CONTRA ACHADEMICOS, et in sequenti pagina: AURELII AUGUSTINI DE BEATA VITA. LIBER INCIPIT. Incipit: *Si ad philosophie portum*... Desinit: *discessimus*. Ibi col. 939.

Pag. 72 — EXPLICIT LIBER AUGUSTINI DE BEATA VITA, et in sequenti pagina: DE IMMORTALITATE ANIME LIBER BEATI AUGUSTINI. INCIPIT. Incipit: *Si alicubi est disciplina*... Desinit: *dictum est probatur*. Ibi col. 1021.

Pag. 85 — EXPLICIT LIBER BEATI AUGUSTINI DE IMMORTALITATE ANIME. INCIPIT PRIMUS LIBER BEATI AUGUSTINI DE ORDINE RERUM. Incipit: *Ordinem rerum*... Desinit: *negotium meum* Ibi col. 977.

Pag. 101 — EXPLICIT LIBER BEATI AUGUSTINI PRIMUS DE ORDINE RERUM. DE ORDINE RERUM LIBER AUGUSTINI SECUNDUS INCIPIT. Incipit: *Interpositis deinde*... Desinit: *possimus*. Ibi col. 993.

Pag. 130 — Post duas paginas albas relictas Codex prosequitur: INCIPIT LIBER BEATI AUGUSTINI DE QUANTITATE ANIME. SUB DIALOGO COMPOSITUS CUM ADEODATO CARNALITER SIBI FILIO. Incipit: ADEODATUS. *Quoniam video*... Desinit: *oportuniorem observabo*. Ibi col. 1035.

Pag. 172 — EXPLICIT DIALOGUS AUGUSTINI DE QUANTITATE ANIME. INCIPIT LIBER PRIMUS YPOGNESTICON SANCTI AUGUSTINI EPISCOPI. Incipit: *Adversari catholice fidei*... Desinit: *non habebit*. T. X. col. 1611.

Pag. 179 — YPOGNESTICO LIBER I. EXPLICIT. INCIPIT LIBER. II. Incipit: *Item peccatum aiunt ade*... Desinit: *morte redemit*. Ibi col. 1617.

Pag. 192 — YPOMNESTICON LIBER SECUNDUS EXPLICIT. LIBER TERTIUS INCIPIT. Incipit: *Item posse dicunt*... Desinit: *terminum posuit*. Ibi col. 1621.

Pag. 212 — YPOGNESTICON. LIBER TERTIUS EXPLICIT. INCIPIT LIBER QUARTUS. Incipit: *Item aiunt. Libidinem*... Desinit: *subvenerit salvatoris. Amen*. Ibi col. 1647.

Pag. 223 — YPOGNESTICON. LIBER QUARTUS EXPLICIT. INCIPIT LIBER QUINTUS. Incipit: *Item inquiunt*... Desinit: *omnibus nobis*. Ibi col. 1647.

Pag. 233 — Incipit de praedestinatione. Liber VI. Incipit: *Addere etiam hoc...* Desinit: *indebitum prorogare. Amen.* Ibi col. 1657. Nonnulla initio desunt.

Pag. 242 — Explicit sextus liber ypognesticon. Incipit proaemium in librum de nuptiis et concupiscentiis. Incipit: *Domino Inlustri et merito praestantissimo atque in christi dilectione karissimo filio valerio. Augustinus in domino salutem. Cum diu moleste haberem...* Desinit: *commodius intimavit.* T. II. col. 925 et X. col. 411.

Pag. 243 — Incipit liber augustini de nuptiis et concupiscentiis. Ad valerium comitem. Incipit: *Heretici novi...* Desinit: *vigilanter impendas.* T. X. col. 413.

Pag. 265 — Liber primus de nuptiis et concupiscentiis explicit. Incipit Secundus ad eundem valerium magistrum equitum. Incipit: *Inter militie tue curas...* Desinit: *possit esse et ipsorum.* Explicit liber secundus. de nuptiis et concupiscentiis. Ibi col. 437.

CODEX CLXVII.

SIGNATUS NUMERIS EXTERIORIBUS 167 ET 435, INTERIORI 338.
PLUTEO L.

Codex membranaceus in quarto, longitudinis metri $25/_{0}$, latitudinis $16/_{0}$, paginarum 208, characteribus longobardis Saeculi XII. incipientis, duplici columna, eadem manu, qua duo praecedentes, exeratus. Hunc titulum exterius praefert: *Operum Divi Augustini Tomus 6 et alia*. Ita Montfauconius de eo, sub eodem numero: *Tomus sextus Opusculorum Divi Augustini. Adnotatio de formatione foetus*. Quae in Codice continentur, prima eius pagina exhibet.

Pag. 1 — In ea haec rubro colore scripta tantum leguntur: IN HOC VOLUMINE CONTINENTUR LIBRI BEATI AUGUSTINI. PRIMUS DE OCTO QUESTIONIBUS DULCITII. SECUNDUS CONTRA EPISTOLAM PARMENIANI. TERTIUS DE BAPTISMO PARVULORUM. QUARTUS DE SPIRITU ET LITTERA. QUINTUS DE CURA PRO MORTUIS GERENDA. Et in margine inferiori: *Iste liber est sacri monasterii Casinensis N.° 338. quinque libri augustini in diversos tractatus.*

Pag. 2 — DE OCTO DULCITII QUESTIONIBUS LIBER I. Incipit: *Quantum michi videatur*... Desinit: *discere quam docere*. Aug. *Opp.* ed. Migne T. VI. col. 147.

Pag. 24 — EXPLICIT LIBER AUGUSTINI DE OCTO QUESTIONIBUS DULCITII. INCIPIT LIBER PRIMUS AUGUSTINI ADVERSUS EPISTOLAM PARMENIANI QUAM DEDIT AD SICHONIUM. Incipit: *Multa quidem alia*... Desinit: *veritatis aperire. Amen*. T. IX. col. 33.

Pag. 39 — EXPLICIT LIBER PRIMUS CONTRA EPISTOLAM PARMENIANI. INCIPIT LIBER SECUNDUS. Incipit: *Que tandem vis*... Desinit: *tractanda sunt*. Ibi col. 49.

Pag. 82 — EXPLICIT LIBER SECUNDUS CONTRA EPISTOLAM PARMENIANI. LIBER TERTIUS SANCTI AUGUSTINI CONTRA EPISTOLAM PARMENIANI QUAM DEDIT AD TICHONICUM. INCIPIT. Incipit: *Cum omnis pia ratio* Desinit: *non andeant gloriari*. Ibi col. 81.

Pag. 109 — EXPLICIT LIBER TERTIUS CONTRA EPISTOLAM PARMENIANI. AUGUSTINI LIBER PRIMUS INCIPIT DE MERITIS ET REMISSIONE PECCATORUM ET BAPTISMO PARVULORUM AD MARCELLUM. Incipit: *Quamvis in mediis et magnis*... Desinit: *queramus exordio*. T. X. col. 109.

Pag. 157 — IN NOMINE DOMINI CONTULI UT POTUI. EXPLICIT LIBER PRIMUS DE MERITIS ET REMISSIONE. PARVULORUM BAPTISMATE. INCIPIT LIBER II. DE BAPTISMO PARVULORUM. Incipit: *De baptismo parvulorum*... Desinit: *descendendo prolixius*. Ibi col. 151.

Pag. 190 — EXPLICIT SECUNDUS LIBER DE BAPTISMO PARVULORUM. INCIPIT EPISTOLA DE CAUSA BAPTISMI PARVULORUM. Incipit: *Harissimo filio marcellino augustinus episcopus servus christi servorumque christi in domino salutem. De questionibus quas michi*... Desinit: *aliquando finitus*. Ibi col. 185.

Pag. 203 — EXPLICIT EPISTOLA SANCTI AUGUSTINI DE CAUSA BAPTISMI PARVULORUM. INCIPIT LIBER SANCTI AUGUSTINI EPISCOPI DE SPIRITU ET LITTERA. Incipit: *Lectis opusculis*... Desinit: *et in ipso sunt omnia. Ipsi gloria in saecula seculorum. Amen.* Ibi col. 201.

Pag. 250 — EXPLICIT LIBER SANCTI AUGUSTINI EPISCOPI DE SPIRITU ET LITTERA. INCIPIT LIBER BEATI AUGUSTINI AD PAULINUM EPISCOPUM DE CURA PRO MORTUIS GERENDA. Incipit: *Diu sanctitati tuae*... Desinit: *mea responsio defuisset. Amen.* EXPLICIT LIBER SANCTI AUGUSTINI AD PAULINUM EPISCOPUM DE CURA PRO MORTUIS GERENDA. T. II. col. 591.

CODEX CLXVIII.

SIGNATUS NUMERIS EXTERIORIBUS 168 ET 308, INTERIORI VERO 227. PLUTEO L.

Codex membranaceus in quarto, longitudinis metri 27/₀, latitudinis 19/₀, paginarum 208 characteribus longobardis, quem Fridericius Saeculo X. exeunti vel XI. incipienti amandat, hoc titulo exteriori insignitus: *Operum Divi Augustini Tomus* 7. Sub eodem numero Montfauconius eum recenset his verbis: *Liber Augustini de Natura boni adversus Manichaeos. Liber eiusdem de Genesi contra Manichaeos. Libri duo eiusdem de mendacio et contra mendacium. Tractatus eiusdem de fide et operibus. Aliae quaestiones eiusdem Augustini. In primo folio huius Codicis continentur pauca de passione S. Andreae et in ultimo etiam pauca de vita S. Barberae.*

Pag. 1 — Incipit Liber Beati augustini de natura boni. Deinde hoc totius Operis summarium Codex continet: *Liber de natura boni adversum manicheos. est ubi ostenditur naturam incommutabilem. atque ab illo esse ceteras naturas sive spirituales. sive corporales. Atque omnes in quantum naturae sunt bonas esse. Et quid vel unde sit malum. et quanta mala manichei ponant in natura boni. et quanta bona in natura mali. quas naturas finxit error ipsorum.*

Hic Liber sic incipit. Incipit: *Summum bonum quo superius non est...* Desinit: *eternamque preponant. Amen.* Aug. *Opp.* T. VIII. col. 551. ed. Migne.

Pag. 27 — Post duas fere integras paginas albas relictas legitur: Incipit liber I. aurelii augustini de genesi contra manicheos. Incipit: *Si eligerent manichei....* Desinit : *otio perfruantur. Amen.* T. III col. 173.

Pag. 61 — Explicit Liber I. De principio Genesis contra manicheos. Incipit liber II. Incipit: *Post enumerationem et expositionem...* Ibi pag. 195.

Pag. 93 — Explicit de genesi contra manicheos aurelii augustini liber II. Incipit. Deinde hi versus sequuntur:

Si quis nosse cupit quantum mendacia
Humanum vitient inficiantque malis,
Dicere cuncta grave est, tamen adsit bona voluntas
His poteris geminis edidicisse libris.
Decipiunt miseros variis malesuada figuris,
Promittuntque novum posse deum fieri.
Ast alios paulo submissius arte nefanda
Deponunt formis ut creant propriis.
Hic celat rabiem sub ovina pelle lupinam,
Ille tegit sancta calliditate canem.
Iste nimis iustus frendens feritate leonis,
Hic simulat sanctum subdola vulpicula.
Vitare ut possis contagia tanta malorum,
Hunc lege devota sed ulitate (sic) *librum.*
Nam si nequitiis fueris depressus ab istis,
Divine mentis quam male imago peris.

Pag. 94 — Incipit contra mendacium aurelii augustini. Incipit: *Multa michi legenda misisti consenti...* Desinit: *fiximus veniremus* T. VI. col. 517.

Pag. 150 — Explicit contra mendacium. Incipit de mendacio. Incipit: *Magna questio est de mendacio...* Desinit: *ut possitis sustinere.* Ibi col. 486.

Pag. 195 — Explicit de mendacio. Incipit de fide et operibus. Incipit: *Quibusdam videtur indiscrete...* Desinit: *facillime posset.* Ibi col. 197.

Pag. 236 — Explicit liber beati augustini de fide et operibus. Questio ad inquisitione

IANUARII. SI COTIDIE CORPUS DOMINI ACCIPIENDUM SIT. NEC NE. Incipit: *Dixerit aliquis non cotidie...* Desinit: *horum diversitate variatur. Epist.* LIV. a Cap. III. ad IV. Sequuntur haec alia quae in ed. desunt: *Item cetera autem cum venero ordinabo unde intellegi datur quia multum erat ut in epistola totum illis agendis ordinem insinuaret quae universa per orbem servat ecclesia ab ipso ordinatum esse quod nulla horum diversitate variatur.*

Pag. 238 — QUESTIO DE PROVIDENTIA DEI. AUGUSTINI. Incipit: *Hinc maxime credendum est...* Desinit: *etiam oculos impiorum.*

Pag. 239 — QUESTIO DE REBUS QUALITER UTATUR. AUGUSTINI. Incipit: *Quisquis autem rebus...* Desinit: *inprobandum quod facimus.*

Pag. 240 — QUESTIO AUGUSTINI. Incipit: *De pueris sedentibus...* Desinit: *perpetuo retineri.* Aug. *Quaest. Evang.* Lib. II. n. XI. T. III. col. 1337.

Pag. 241 — QUESTIO IEIUNII. AUGUSTINI. Incipit: *Item ieiunium aut in tribulatio* (ne) *est...* Desinit: *venerat. Explicit.* Ibi n. XVIII. col. 1339.

Pag. 242 — SANCTUS AUGUSTINUS DE SANCTO IERONIMO DICIT. Incipit: *Infelix est enim qui non tantos...* Desinit: *paria esse peccata.* Haec desumpta sunt partim ex Cap. II. n. 4. partim ex Cap. VI. n. 21. *Epist.* CLXVII. Aug.


UNIV OF MICH.

COD. CLXIX.

PAGINA CXXIX.

LIBELLUS SCI AUGUSTINI EPI. DE
DISCIPLINA XPIANORUM.

[illegible]

COD. CLXX.

PAGINA LXX.

[illegible]

COD. CLXXI.

PAGINA XXV.

[illegible]

CODEX CLXIX.

SIGNATUS NUMERIS EXTERIORIBUS 169 ET 405, INTERIORI VERO 238.
PLUTEO L.

Codex membranaceus in quarto, longitudinis metri 25/₀, latitudinis 16/₀, paginarum 208. Saeculi X. characteribus longobardis, sed non una exaratus manu; nam characterum forma a pag. 130 usque ad finem omnino a praecedenti differt. Exterius notatur: *Opera Divi Augustini Tomus 8.* a Montfauconio vero sub eodem numero his verbis: *Liber Augustini de vera Religione. Libellus eiusdem de Disciplina Christianorum. Tractatus eiusdem de Cupiditate et poenitentia peccatorum.* Habet pro compactione folia duo characteribus Latinis antiquis Saeculi XI. scripta, quae fragmentum continent de Furto cavendo et puniendo ex Codice Iustinianeo.

Pag. 1 — INCIPIT LIBER AURELII AUGUSTINI. DE VERA RELIGIONE. Incipit: *Cum omnis vitae bonae...* Desinit: *Unum deum ex quo omnia per quem omnia. in quo omnia. ipsi gloria in saecula caeculorum. Amen.* T. III. col. 121. *Opp.* ed. Migne. In margine passim notulae adsunt; quarum ut ratio innotescat, hanc, in fine Libri adiectam, damus: *Proprietates personarum in trinitate intimari simul etiam ammoneri qualiter accipiendum sit quod ait in libro de doctrina christiana in patre unitas. in filio equalitas, in spiritu sancto unitatis equalitatisque concordia.*

Pag. 129 — LIBELLUS SANCTI AUGUSTINI EPISCOPI. DE DISCIPLINA CHRISTIANORUM. Incipit: *Locutus est ad nos sermo dei...* Desinit: *conversi ad dominum. Amen. Explicit de disciplina christianorum.* T. VI. col. 669.

Pag. 157 — Deest titulus; in margine alienae manus characteribus haec conscripta leguntur: *Iste libellus loquitur de cupiditate et de penis peccatorum.* Incipit: *Sanctorum ecclesiam fratres karissimi esse dei agrum...* Desinit: *Mediatorum dei et hominum hominem christum ihesum. Qui... saeculorum. Amen.* Hic sermo Autperto tributus lucem aspexit in *Amplis. Coll.* T. IX. Martene ex Ms. Cod. dom. Chauvelin, ante annos 800 exarato. Migne Tom. LXXXIX. col. 1277. *Patrol. Lat.* eumdem retulit, ac tandem Caillau ex hoc Codice edidit. Observandum nobis hic videtur huius Sermonis auctorem esse Ambrosium Autbertum, alias Ansbertum, monachum et Abbatem S. Vincentii de Volturno, non Authpertum, Abbatem Cassinensem. Mari in nota 14. ad librum de *Vir. Illustr. Casin.* Petri Diaconi et Gattula *Hist. Cass.* pagg. 69. 863. quid cuique adiudicandum sit, recensent.

CODEX CLXX.

**SIGNATUS NUMERIS EXTERIORIBUS 170 ET 312, INTERIORI VERO 246.
PLUTEO L.**

Codex membranaceus in quarto, longitudinis metri 27/₀, latitudinis 17/₀, paginarum 242. characteribus longobardis Saeculi XI. desinentis, exteriori titulo designatus *S. Augustini Operum Tomus 9.* Sub eodem numero ita de eo Montfauconius: *Libri Augustini di Disciplina Christianorum de bono perseverantiae, de Nuptiis et concupiscentiis, et quibusdam aliis.*

Pag. 1 — Incipit Liber Sancti augustini episcopi.
De disciplina christianorum
Eiusdem De evangelio dimitte e dimittetur tibi
Eiusdem De bono patientiae
Eiusdem De bono coniugali

Eiusdem De sancta virginitate, et aliena manu adiunctum fuit: *De adulterinis coniugiis.*

Eiusdem De nuptiis et concupiscentiis. Libri duo.

In primis incipit de disciplina christianorum. Incipit: *Locutus est ad nos sermo dei...* Desinit: *unum sumus. Conversi ad dominum.* Aug. *Opp.* T. VI. col. 669. ed. Migne.

Pag. 13 — De doctrina christianorum. Explicit. Incipit de evangelio dimitte et dimittetur tibi. Incipit: *Preceptum saluberrimum audivimus...* Desinit: *date et dabitur nobis.* Sermo IX. inter editos a P. Octavio Fraia Frangipane huius Bibliothecae Praefecto, et extat T. XI. col. 997. ed. Migne.

Pag. 19 — Explicit. Incipit eiusdem de bono patientiae. Incipit: *Virtus animi quae patientia dicitur...* Desinit: *donatum est caritati.* Explicit de bono patientiae. T. VI. col. 611.

Pag. 37 — . . . . . *complentur. si se ipsa veritas et praecedentibus vocibus...* Desinit: *aut mirabili pertinacia durus ac rerum nolit habere.* T. VI. col. 176. Initium occurrit sub fine Cap. IV. Quae in margine leguntur eiusdem Doctoris sunt, et in ed. Codicis textum praecedunt.

Pag. 40 — Explicit. Incipit eiusdem de bono coniugali. Incipit: *Quoniam unusquisque homo...* Desinit: *propter christum patres fuerunt.* Ibi col. 373.

Pag. 69 — Explicit de bono coniugali. Incipit de sancta virginitate. Hoc de libro retractationum. XLVIIII. Incipit: *De sancta virginitate liber unus. Postea quam scripsi...* Desinit: *Nuper edidimus.* T. I. col. 640.

Pag. 70 — Explicit. Incipit liber. Incipit: *Librum de bono coniugali nuper edidimus* (haec verba rubro colore scripta sunt) *in quo etiam...* Desinit: *virginitatis incedit.* T. VI. col. 397.

Pag. 83 — De octo beatitudinibus. Incipit: *Beati pauperes spiritu. imitamini eum...* Desinit: *ymnum dicite et superexaltate eum in saecula. Amen.* Ibi col. 411. Initium occurrit lin. 6. Cap. XXVIII.

Pag. 107 — Incipit liber beati Augustini ad polentium de adulterinis coniugiis. Incipit: *Scripsi duos libros...* Desinit: *mihi scripseras.* T. I. col. 653.

Prima quaestio. haec est. *Prima quaestio est frater dilectissime Pollenti...* Desinit: *velle debet mater ecclesia.* T. VI. col. 451.

Pag. 129 — Explicit liber I Incipit II. Ad eundem de eadem re. Incipit: *Ad ea quae mihi scripseras...* Desinit: *occasio castitatis.* Ibi col. 471.

Pag. 151 — Explicit de Sancta virginitate.

INCIPIT DE NUPTIIS ET CONCUPISCENTIIS AD VALERIANUM MAGISTRUM EQUITUM. HOC DE LIBRO RETRACTATIONUM. CAPITULUM LXXVIIII. LIBER II. Incipit: *Scripsi duos libros ad inlustrem virum...* Desinit: *inter militiae curas...* T. I. col. 651.

EXPLICIT. INCIPIT PRAEPHATIO Incipit: *Domino inlustri... Cum diu moleste haberem...* Desinit: *commodius intimavit...* T. X. col. 411.

Pag. 153 — EXPLICIT PRAEPHATIO. INCIPIT LIBER PRIMUS. Incipit: *Heretici novi dilectissime...* Desinit: *vigilanter impendas.* Ibi col. 413.

Pag. 187 — SANCTI AUGUSTINI DE NUPTIIS ET CONCUPISCENTIIS. EXPLICIT LIBER PRIMUS. INCIPIT LIBER SECUNDUS. Incipit: *Inter militiae tuae curas...* Desinit: *possit esse et ipsorum.* Ibi col. 457. In margine inferiori Codicis haec verba leguntur: *In nomine domini Contuli ut potui.* Quae monent hunc Codicem cum alio collatum fuisse; et re quidem vera passim in margine notulis textus emendatur.

Pag. 240 — Sine titulo incipit: *Ante diem festum paschae sciens ihesus quia venit...* Desinit: *quae amamus. Ihesus christus dominus noster. qui vivit... saeculorum. Amen.* Ex S. Augustini *Operibus* haec conflata videntur, uti argui potest ex eo quod fere totum Cap. I. *Tractatus LV.* in Ioannem initio hic contineatur.

CODEX CLXXI.

SIGNATUS NUMERIS EXTERIORIBUS 171 ET 386, INTERIORI VERO 226. PLUTEO L.

Codex membranaceus in quarto, longitudinis metri 26/$_0$, latitudinis 19/$_0$, paginarum 238. characteribus longobardis Saeculi X. desinentis, exteriori titulo notatus: *Augustinus contra Achademicos*, et sub eodem numero et titulo est a'Montfauconio recensitus.

Pag. 1 — In fronte primae paginae posteriori manu Saeculi XIII. *Liber fratrum casinensium. Si quis eum furatus fuerit vel hunc titulum deleverit anathema sit.* Deinde rubro colore: INCIPIT LIBER PRIMUS AURELII AUGUSTINI ADVERSUS ACHADEMICOS. Incipit: *O utinam romaniane hominem sibi aptum...* Desinit: *atque surreximus.* In margine primae paginae iuxta titulum huius Libri recentiori manu scriptum est: *Hic liber est... Dialogus beati augustini habitus cum beatis discipulis et sociis suis sancto alivio videlicet qui fuit postea episcopus, vivente et ipso sancto augustino de quo in multis libris facit mentionem maxime in libro Confessionum licentio tyrgitio atque navigio. Viris sapientibus et de...* Aug. T. I. col. 905 ed. Migne.

Pag. 24 — EXPLICIT LIBER PRIMUS ACHADEMICORUM. INCIPIT LIBER II. EIUSDEM. Incipit: *Si quam necesse est disciplina atque scientia...* Desinit: *domum revertimus.* Ibi col. 919.

Pag. 52 — Liber tertius sine titulo incipit: *Cum post illum sermonem...* Desinit: *speraveram fecimus.* Ibi col. 933.

Pag. 91 — AURELII AGUSTINI ACHADEMICORUM LIBER III. EXPLICIT. INCIPIT LIBER DE BEATA VITA Incipit: *Si ad philosophiae portum...* Desinit: *disputationis finem discessimus.* Ibi col. 959.

Pag. 116 — Incipit sine titulo de Immortalitate animae. Incipit: *Si alicubi est disciplina...* Desinit: *de quo dictum est probatur.* Ibi col. 1021.

Pag. 135 — Sine titulo incipit de Soliloquiorum liber primus: *Volventi michi multa...* Desinit ad haec verba: *ad illa sua obscura conf...* Caetera desunt vitio amanuensis, qui imperfectam vocem reliquit usque ad alia: *propterea tibi videri.* Desinit integre: *iam visus ipse praeceperit.* Ibi col. 869.

Pag. 157 — EXPLICIT SOLILOQUIORUM LIBER I. INCIPIT LIBER SECUNDUS. Incipit: *Falco* (hac vox adiuncta fuit) *satis intermissum...* Pag. 169 ad ea verba: *ad insidiandum obambulavit,* interrumpitur ab amanuensi, qui albam reliquit sequentem paginam, quique pag. 171. scripturam repetiit his verbis: *quantum possumus...* Desinit integre: *sine ullo mendacio pollicetur. A. fiat ut speramus.* EXPLICIT SOLILOQUIORUM DEO GRATIAS. Ibi col. 885.

Pag. 174 — Incipit sine titulo de Ordine rerum: *Ordine rerum zenobi...* Animadvertendum ex hac pagina usque ad finem Codicis posterioris aevi amanuensem se prodere. Desinit: *illo die negotium meum.* Ibi col. 977.

Pag. 195 — Incipit sine titulo Liber secundus de Ordine rerum. Incipit: *Interpositis deinde...* Desinit cum Codice ad haec verba: *venerabilis ac prope divina quae iure et ha...* Caetera amanuensis omisit. Ibi col. 993.

FLORILEGIUM CASINENSE

FLORILEGIUM CASINENSE

EX CODICE CX.

(Pag. 189.)

Octava epiphaniae

Veri amatores christi. dilectores fratrum atque hospitales, ospitalis vice; meam suscipite linguam. et hodie aures vestras seu ianuas aperientes; in eas meum recondite sermonem. vestrisque mentibus salubrem predicationem reponite. Propter id quod in iordanem mersus est salvator noster ihesus christus; diligamus eum qui tum nobis condescendit dominum. epulemurque ei avidis animabus. bona enim est in salutaribus negotiis aviditas. Et venite omnes a galilea in iudeam. comitemus christum. beatus est qui comitatur eum via vite. Venite mentis vestre pedibus; ad baptizatorem dominum. Videamus eum qui baptismo non indiget; ut baptismi nobis gratiam condonet. Venite conspiciamus nostrae regenerationis imaginem; depictam in illis laticibus. *Tunc venit ihesus a galilea in iordanem ad iohannem; ut baptizaretur ab eo.* O quanta domini humilitas. O quanta condescensio. Rex caelorum, ad iohannem suum praecursorem currebat. Non commovens angelorum exercitum. nec praecursores praemittens incorporeas virtutes. sed simplex militari habitu ad suum militem advenit. et sicut unus ex multis eis adiit. Connumerans se captivis liberator. computat se iudex cum reis. aggregat se perditis avibus, pastor bonus. qui propter errantem ovem e caelis descendens. caelos non reliquid. commiscuit se zizaniis, celestem trilicum.

Videns igitur eum iohannes baptista. et agnoscens eum quem ex utero suae matris agnoverat. adoravit. et diligenter intellegens eum illum esse pro quo in utero super etatem tripudiabat; cognoscens ordinem naturae; contraxit intus dyploidis dexteram; et caput inclinans. sicut servus dilectus domini sui; his ad eum utebatur vocibus. *Ego opus abeo a te baptizari. et tu venis ad me?* Quid facis o domine? Quid servi tui immutas ordinem? Quid cum servis a servis ea quae servi sunt expetis? Quid vis quae non indiges accipere? Quia per multam condescensionem. grabas me tuum proprium? *Ego opus abeo a te baptizari*; tu autem non indiges a me baptizari. Inferior a meliore benedicitur. non melior ab inferiore sanctificatur. Lucerna a sole obumbratur; non sol ab stuppis radiatur. Lutum a figulo perficitur; non figulus a luto conficitur. Edificium ab opifice renovatur; non opifex ab edificio emendatur. Egrotus a medico sanatur; non medicus ab egroto medetur. Egenus a divite feneratur; non dives ab inope mutuatur.

Ego opus abeo a te baptizari. Nunquid ignoro quis es; et ex qua refulsisti; vel unde advenisti? Nunquid quoniam propter me factus es quod ego sum; magnalia abnego tuae deitatis? Nunquid quia tantum mihi condescendisti ut etiam propinquares corpori, ut totum me ferres in te ut salves totum hominem. despicio quod est in te invisibile? Nunquid quoniam propter meam salutem indues meam cutem; ignoro eam quam amictus es lucem sicut vestimentum? Nunquid quoniam meam co-

gnitam carnem indutus es; et appares hominibus quantum ipsi conspicere prevalent; latet me radius tuae coruscationis? Nunquid quoniam meam in te cerno formam; despicio tuam substantiam divinam quae est invisibilis atque incompraehensibilis? Scio te domine. et scis quoniam scio te? Scio te diligenter. Scio te domine. a te edoctus. Nullus enim te intelligere poterit; nisi perfruatur lumine tuae splendidissime caritatis. Scio te domine bene. Vidi enim te spiritualiter priusquam vidissem hoc lumen.

Non sum dignus solvere corrigiam calciamenti tui. et quo contingam Sanctum tuum caput? Quomodo extendam dexteram super te; qui extendis caelos sicut pellem? Quomodo expandam serviles meos digitos; super dignum tuum verticem? Quomodo lavem immaculatum sine peccato dominum? quomodo in lumine lumen? qualem faciam orationem super te: qui suscipis et ignorantium obsecrationes? Alios baptizo in nomine tuo; ut credant in te qui post me venis. Te baptizans; cuius memor ero? in cuius nomen te baptizem? In patris? Sed totum patrem in te habes. et totum existis in patre. In filii? sed non est alius praeter te: naturalis filius dei. In spiritus sancti? sed tecum est semper. sicut consubstantialis. seu omnipotens. Simul et tecum suscipit omnium orationes. Baptiza iam me tu si vis domine baptiza baptistam. regenera quem nasci fecisti. extende terribilem tuam dexteram. quam perfecti. et corona palmas meum caput. Ut ante tuum currens regnum; sicut precursor soli te evangelizem peccatoribus. clamans eis et dicens. *Ecce agnus dei. ecce qui tollit peccata mundi.*

Pag. 240 — Sermo sancti Epiphanii Episcopi.

Omnis cibus qui ad horam conditur; vel calidus appositus fuerit esurienti; optime et suaviter comeditur. etiam si parum. etiamsi amplius quam ille frigidus et fatigatus: qui ante fuerat preparatus. Ita et sermo de presenti lectione, etiamsi quid parum exibitum fuerit; fidelis anima desideranter suscipiet. Itaque Dilectissimi sicut audistis evangelistam canentem. *Egressus est ihesus in virtute Spiritus in galileam.* Ideo dominus noster galileus et nazareus vocatur; quia in galilea est nutritus in civitate david. quae vocatur nazareth. Ergo nazareus et galileus. idest unus sanctus et perfectuchristus. ideo et nos ab ipso nomen christianum accepimus, galilei vocamur. ut imitantes sanctitatem ipsius; sanctificemur ab ipso. Dicente propheta. *excelsus dominus in excelsis. et sanctus in sanctis.* Et iterum domino provocante nos et dicente. *estote sancti. quoniam et ego sanctus sum.* Sed requiramus quare dixerit evangelista *regressus est ihesus in virtute spiritus.* Unde regressus? de deserto. et de praelio est reversus. Ideo in virtute spiritus; quia spiritum malum superaverat; qui est diabolus. Nam quadraginta diebus et quadraginta noctibus ieiunans; cum eo conflixit. Et quid de nobis suspicandum est qui nec domino pepercit? nec enim accessisset ad eum; si ipse non voluisset. Sed quia diabolus a nullo hominum poterat superari; necesse erat ut pro nobis ipse dominus spiritualibus armis pugnaret cum eo. Diabolus enim non isto visibili arcu, sagitta et spata et clypeo et lorica vel muro expugnatur. sed armis spiritualibus. Dicente apostolo. *Arma militiae nostrae; non sunt carnalia; sed potentia deo adversus spirituales nequitias in caelestibus.* Et instruit nos dicens. *ideoque assumite omnia arma dei; ut possitis resistere in die malo.*

Assumite ergo scutum fidei; ut possitis omnes sagittas maligni ignitas extinguere. loricam iustitiae. galeam salutis. gladium spiritus. His ergo armis spiritualibus expugnatur hostis invisibilis. his superatur. Dicente propheta. *Draco iste quem formasti ad illudendum ei.* Ergo post triumphum diaboli reversus est dominus in patriam suam in galileam. et fama exiit de illo. et magnificabatur ab omnibus. De nullo enim poterat fama vera exire; nisi de solo deo. quia solus deus verax *omnis autem homo mendax. Et venit nazareth;* ubi erat nutritus. *et intravit secundum consuetudinem suam die sabbato in sinagogam; et surrexit legere.* Surrexit, ut iacentes de terra ad caelum levaret. Nam ubi revolvit librum; invenit scriptum quod olim ipse per prophetam fuerat locutus dicens. *Spiritus domini super me*; quia de spiritu sancto natus est de virgine. Sive quando baptizatus est; spiritus sanctus descendit super eum in specie columbae. Ideo ait. *propter quod unxit me.* Unctus christus; christus rex et iudex omnium seculorum. *Evange-*

lizare pauperibus misit me. Pauperes erant. omnes gentes a deo; a iustitia et sanctitate. et a vita aeterna. Praedicare *captivis remissionem.* omnes enim homines in peccatis a diabolo tenebantur captivi. Ideo ait, captivis remissionem; quia in baptismo omnia remittuntur peccata. et liberantur a diaboli captivitate. *et cecis visum*; Quia omnes homines sedebant in tenebris; et umbra mortis.

Dimittere confractos in remissionem. Confracti erant omnes homines. conscissi et afflicti a diabolo; serviendo peccatis. Omnia enim ista dominus salvavit. et in integrum reparavit. Ideo ait. *predicare annum domini acceptum; et diem retributionis.* Ipse est enim annus aeternus. cuius adventum omnes sancti expectabant. et cotidie expectant. Diem retributionis diem iudicii ostendit. in quo retribuet singulis secundum opera sua. Unde dilectissimi quia haec omnia dona caelestia in nobis completa sunt. Sicut evangelista in presenti lectione ostendit dicens. *et cum plicasset librum; reddidit ministro. Et ait ad populum. quia hodie haec scriptura completa est in auribus vestris.* Superest ergo dilectissimi ut custodientes cum timore et tremore dominica precepta. expectemus diem retributionis; qui est dies iudicii. ubi probantur merita bonorum et malorum. in die quo iudicavit deus occulta hominum per christum ihesum dominum nostrum, quia caelum et terra transibunt; verba vero domini non praeteribunt.

EX CODICE CXI.

(Pag. 1.)

SERMO BEATI HIERONYMI PRESBYTERI DE VESPERE SABBATI PASCHALIS.

Editus inter Opp. *S. Hieronymi, T. I. col. 987. Epist. CXX, cap. IV.*

Pag. 89 — SERMO SANCTI LEONIS PP. (DE) DOMINICA ASCENSIONE.

Dum enim christus ascendit ad caelum. et nostris aufertur optutibus; desiderium enim quendam nostri sustinent oculi. dum non respiciunt quem requirunt. Sicut ait propheta. *defecerunt oculi mei. dum spero in deum meum.* Defecerunt enim oculi prophetae; quia nondum videbat quem sperabat esse venturum. Sic namque et apostolorum defecerunt oculi; cum euntem in caelum deum nequeunt intuere. Saecundum quod ait lucas dicens; *Et videntibus illis elevatus est. et nubes suscepit eum ab oculis eorum.* Stabant enim beati apostoli toto suspensi corpore et ascendentem ad caelum dominum. quia incessu non poterant; oculis sequebantur. Et licet ad deducendum salvatorem visio humana defecerit, fidei tamen devotio non defecit. Usque ad nubem enim christum deducunt oculi. usque ad caelos autem cum christo fidei devotione comitantur. Unde ait apostolus. sciens fidem nostram in caelo esse cum domino. *nostra autem conversatio in caelis est.* Nubes ergo ab oculis apostolorum suscepit salvatorem. Videamus ergo quae in ista nube sit. quam splendida. quam preclara. quae lucem mundi christum suscipere promeretur. Neque enim poterat obscura esse. tetra. et tenebrosa. quia scriptum est. *Et tenebre eum non comprehenderunt.* Tenebre enim; lucem gestare non poterant. Illa est ergo nubes quae ascendentem suscipit christum. quae et testimonium christo etiam in monte perhibuit. De qua ait evangelista. *Vox de nube dicens; hic est filius meus dilectus. ipsum audite.* Non igitur nubes suscepit christum. sed deus pater recepit filium. et occursu quodam pietatis ascendentem illum gremio molliore complectitur. Nam ideo pater dicitur suscipere filium nubis obumbraculo; ut ostendatur refrigerio quodam fovere eius vulnera passionis. Post crucem enim. post iniurias. post inferos. non est maius christo refrigerium; nisi virtute divinitatis obumbretur. Sicut de nativitate eius ad mariam dicitur. *Et virtus altissimi obumbrabit tibi.* Altissimus ergo pater qui nascente christo obumbravit in virtute mariae; Ascendentem enim suscepit in nubem. Unde et danihel dicit. *Aspiciebam in visione noctis. et ecce in nubibus caeli quasi filius hominis veniebat. et usque ad antiquum dierum pervenit.* idest usque ad patrem. Post haec dicit. *Et in conspectu eius optulerunt eum. et dedit ei potestatem et regnum. et omnes populi. et tribus et linguae ipsi serviunt.* Potestas eius potestas aeterna quae non aufertur. et regnum eius non corrumpitur. Ecce ostensum est. quomodo in nubibus caeli filius hominis est sublatus; et ad omnipotentem usque perductus. Set tamen cuius ascensus in caelum vel introitus. quibus tandem gaudiis declaratur. psalmographus indicat dicens; *Ipse tamquam sponsus procedens de thalamo. Exultavit ut gigans ad currendam viam. A summo caelo egressio eius. et occursus eius usque ad summum eius.* Veniens enim ad caelum. usque ad inferos descendit. Regressusque petit mansionem suam. Ascendens ad sedem patris de qua antea solus exivit. cuius ascensus in caelum. vel introitus quibus gaudiis declaratur psal-

mographus indicat. Videntes enim potestates aetheriae carnem christi ascendentem in nubibus. et portas caeli ingredientem. dixerunt. *Tollite portas principes vestri* (*vestras*). *et elevamini portae aeternales. et introibit rex gloriae. Dominus fortis et potens. dominus potens in praelio.* Tunc de ascensu eius et alibi commemorat david dicens; *Ascendit super cherubin et volavit. volavit super pennas ventorum. Et iterum. Ascendit in altum. captivam duxit captivitatem. dedit dona hominibus.* Qui utique nisi fuisset in terra. non diceretur ascendere. Quid est *captivam duxit captivitatem.* nisi quia devicta morte. ipsam carnem qua(m) matris assumpserat. quasi captivam in caelo ducebat? Unde et post haec propheta oriatur. omnes gentes provocans ad laudem christi. eundemque ascensum eius eisdem iterum sic praenuntiat. *Regna terrae cantate deo. psallite domino. psallite deo. qui ascendit super caelos caelorum ad orientem.* Quia idem locus in orientis partibus est ubi christus resurrexit. et unde in caelum ascendit. Et post haec subdidit. *Visi sunt gressus tui deus. ingressus dei mei regis.* Videntibus enim omnibus apostolis. atque quinquagenis viris. sic ascendit in caelum. Huius ascensionem. et salomon in canticis canticorum praedicat. *Ecce hic saliens in montibus. transiliens super colles.* Et amos dicit. *Aedificavit dominus in caelo ascensum suum. et pollicitationem suam in terra firmavit.* Set et illud quod per esaiam dominus dicit; *Nunc exurgam. nunc exaltabor et nunc sublevabor.* Testimonium resurrectionis et ascensionis christi declarat. Quasi aperte diceret. Nunc exurgam a mortuis. nun cexaltabor in caelo. nunc sublimabor in regno. Unde alibi ipse esaias. *Ecce intellegit servus meus. et exaltabitur. et sublimis erit valde.* Qui utique ad ascensionem caeli et gloriam pertinet regni. Sicut ait propheticus psalmus. *dixit dominus domino meo. sede ad dexteram meam.* Secundum consuetudinem nostram. illi consessus offertur. qui aliquo opere perfecto victor adveniens honoris gratiam promeretur ut sedeat; ita ergo et homo ihesus christus passione sua diabolum superans. resurrectione sua inferna reserans tamquam perfecto opere ad caelum victor adveniens. audit a deo patre. *sede ad dexteram meam.* Nec mirum si unius sedis offertur filio consessus a patre. qui unius est substantiae natura cum patre. Quur autem ad dexteram filius esse dicatur. moveat aliquem fortasse. licet enim dignitatis gradus non sit ubi plenitudo divinitatis est. tamen ideo ad dexteram sedit filius. non qui praeferatur patri. set ne inferior esse credatur. Et ideo ad dexteram sedit filius. quia secundum evangelium. ad dexteram oves. Ad sinistram vero constituentur hedi. Necesse est enim patrem ovium prius agnum optineat. et subsecuturo inmaculato gregi locum dux inmaculatus anticipet. Sicut ait iohannes in apocalypsi dicens; *hi qui secuntur agnum dei quocumque vadit. qui se cum mulieribus non inquinaverunt.* Refert ergo propheta david. *Dixit dominus domino meo. sede ad dexteram meam.* hoc est dominus. domino deo christo filio throni sui offert sublime consessum et honoris gloriam ad dexteram sui illum aeternam sedem constituit. Legimus autem in actibus apostolorum dicente beato stephano cum lapidaretur a iudaeis; *Ecce video caelos apertos. et stantem dominum ihesum ad dexteram dei.* Videamus. ergo quae sit ratio. qui (qua) idem dominus a david sedens prophetatur. Stans vero a stephano praedicatur? primum omnium deus qui incorporalis est et invisibilis. Est enim spiritus. sicut ait dominus. *deus spiritus est.* Sedere aut stare quomodo potest? Aut deinde quali subsellio sedeat deus qui infinitus est et immensus. et intra se ipsum magis creaturarum cuncta contineat? Haec autem propterea a sanctis viris scripta arbitror esse de domino. non quo sint contraria sibi. set ut modo eius potentia. modo misericordia describatur. Nam utique pro potestate regis sedere dicitur. pro bonitate intercessoris stare suggeritur. Ait enim beatus apostolus. *quia advocatum habemus apud patrem ihesum christum.* Iudex ergo est christus cum resedit. Advocatus est cum adsurgit. Iudex plane iudaeis est. advocatus est christianis. Sic enim stans apud patrem. christianorum licet peccantium causas exorat. Ibi resedit cum patre. pharisaeorum persequentium peccata condemnans. Illis indignans vehementer ulciscitur. his interveniens leniter miseretur. Hic stat ut suscipiat stephani martyris spiritum. Ibi resedit ut condemnet iudae proditoris admissum. qui vivit et regnat cum patre et spiritu sancto sempiternus in saecula saeculorum. Amen.

Pag. 212 — LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM IOHANNEM.

In illo tempore. Dixit ihesus discipulis suis. Nisi granum frumenti cadens in terra mortuum fuerit ipsum solum manet. Et reliqua.

OMELIA LECTIONIS EIUSDEM DOMNI AYMONIS.

Clemens et pius dominus noster et incomprehensibilis misericordia. frequenter in scripturis. ut sacramenta divina et invisibilia nobis patefaceret ex rebus terrenis visibilibusque quasdam similitudines nobis dedit. ut per cognitam incognitam noscere possemus. Quod ut luculenter noscere possimus. superiora paulisper adtendamus. Commemorat supra lectio evangelica. quod domino praedicante in hierusalem. Accesserunt gentiles ad phylippum et dixerunt ei, Domine volumus ihesum videre. Phylippus vero dicit andreae. Rursum phylippus et andreas dixerunt ad ihesum. Ihesus autem respondens ait; *Venit hora ut clarificetur filius hominis.* Set mox de qua clarificatione diceret. *Nisi granum frumenti cadens in terra.* Et caetera. Ergo dominus populum gentium cum misericordia suscepisse dicit. non quod aliquid ei gloria ex nostro profectu crescat. set ut nos per eius claritatem ab eo clarificati essemus qui in tenebris et umbra mortis eramus. Impleto Vaticinio Isaiae. *Populus qui ambulabat in tenebris vidit lucem magnam.* Et psalmista: *Tunc exultabunt omnia ligna silvarum ante faciem domini.* Et alibi; *Laetamini gentes cum plebe eius.* De hac clarificatione quidam ait; *Nunc dimittes domine servum tuum in pace. quia viderunt oculi mei salutare tuum. quod parasti ante faciem omnium populorum.* Granum ergo frumenti seipsum dominus voluit comparari qui erat mortificandus. Nec indignum videri debet creatori nostro si in forma servi positus granum frumentii comparatur; qui etiam vilissimis vermiculis. se comparari voluit. Dicens cum psalmista; *Ego autem sum vermis et non homo.* De quo esayas; *Vidimus eum et non erat aspectus.* Quod autem dicit; *nisi granum frumenti cadens in terra mortuum fuerit ipsum solum manet.* ita est. quia nisi granum frumenti in terra iacietur et moritur. ipsum solum manet. quia unde moritur inde magis fructificatur. Hinc est quod paulus ait; insipiens tu quid seminas. non vivificatur. non prius moriatur. Pulchrae itaque creator grano frumenti se asserit. quia sicut in generibus annonae nihil est dulcius nihilque carius frumento. ita dominus noster ihesus christus in ipsa forma humanitatis omnes homines antecellit. Sicut de eo scriptum est. *Speciosus forma prae filiis hominum.* Et rectae grano frumenti assimilatur. quia mentes fidelium cotidie interna satietate reficit. qui de se ipso ait; *Ego sum panis vivus qui de caelo descendi.* Bene quoque grano frumenti assimilatur. quia sicut granum frumenti ex eo quod perire videtur multiplicius surgit. ita dominus ex eo quod mortuus est multiplicius in fide nostra surrexit. Ex eo enim quod perire visus est. apud impios. gloriosius atque sublimius surrexit in fide nostra. que gloriosius surrexit apud pios. Mortuus nempe est in infidelitate iudaeorum. surrexit in fides multitudinis populorum. Unde scriptum est. *Verbum misit dominus in iacob. et cecidit in israhel.* Ante enim quam moreretur. notus tantummodo erat in israhel. At vero postquam surrexit. A solis ortu et occasu ab aquilone et mari. venerunt ad fidem eius. Sicut ipse ait; *Multi venient ab oriente et occidente. et recumbent cum abraham ysaac et iacob in regno caelorum.* Sicut enim verbi gratia homo habens agrum excultum. de domo exiit. semen secum defert. et in agrum spargit. ita dominus ihesus quasi de domo exiit. quando sicut ait paulus apostolus. *Semetipsum exinanivit formam servi accipiens.* qui habuit agrum excultum. corda scilicet iudaeorum a patriarchis et prophetis. ut semetipsum qui est granum frumenti. hoc est verbum patris in illorum pectoribus insereret. set illis nolentibus recipere verbum fidei. a gentibus est susceptus. in quorum cordibus fidem fructificando cresceret. Tunc enim in terra hoc semen caecidit. quando verbum caro factum est. Mortuus est autem quando pendens in cruce Dixit. *Consummatum est.* Mortuus vero dominus. multum fecit fructum. quia per illius mortem. multi iacentes surrexerunt. et de laqueis plurimis sunt liberati. in quo inretiti fuerant. Set sicut granum frumenti nisi in terra iacietur. ipsum solum manet. ita dominus noster ihesus christus nisi carnem assumendo moreretur. ipsum solum maneret in sua divinitate,

At vero per assumptam carnem mortalitatis mortuus. multum fecit fructum. quia tam ex iudaeis quam ex gentibus multos Sibi adobtavit atque reconciliavit. *Ipse est enim pax nostra* ut ait apostolus. *qui fecit utraque unum*. Enim vero quia mortuus est pro nobis. debemus et nos mori pro illo. non solum corpore pro eius fide. set etiam vitiis et peccatis mortificando membra nostra quae sunt super terram. Quia enim superius dominus similitudinem proposuit quod ad se ipsum referre voluit. nunc autem quid eius membra agere debeant. insinuat dicens; *Qui amat animam suam perdet eam*. Anima nempe in scripturis sacris. duobus modis ponitur. Aliquando significat interiorem. animum nostrum. ex quo corpus animatur et vivit. Aliquando praesentem vitam. Interiorem animum designat. Sicut ipse dominus ait. *Stulte hac nocte anima tua tolletur a te. quae autem parasti cuius erunt*. Praesentem vitam significat. sicut ipse iterum dicit. *Anima plus est quam aesca. et corpus quam vestimentum. Qui* ergo *amat animam suam perdet eam*. quia qui praesentem vitam plus diligit quam christus futuram nihilominus amittet vitam. *Et qui odit animam suam in hoc mundo in vitam aeternam custodit eam*. Sicut enim qui amat perdet. ita et is qui odit. in vitam aeternam custodit eam. Set quaerendum est quare dicat. qui odit animam. cum alibi dicat. *diligite inimicos vestros*? Et apostolus de uxoribus praecipit dicens: *Viri diligite uxores vestras*. Numquid enim dominus animas. nostras odio habere iubet. qui inimicos praecipit diligere? Aut certe aliud iudex. Aliud praeco clamat? An simul odire possumus et diligere? Set si vim praecepti perpendimus. utrumque per discretionem adtendere valemus; Iubemur ergo inimicos et parentes diligere. inimicos propter deum. et amicos in deum. Parentes quoque in quantum nobiscum amatores dei fuerint diligendi sunt. At vero si se subtraxerint ut nobis obsistant in servitio dei. utique ab illis recedendum est. Diligamus autem in illis naturam. et odio vitium habeamus. *Qui autem odit animam suam in hoc mundo. in vitam aeternam custodit eam*. quia qui praesentem vitam pro nihilo ducit propter christum. futuram vitam accipiet cum christo. Juxta quod ipse dicit. *Omnis qui credit in me etiam si mortuus fuerit vivet*. Quod probatum sancti dei martyres *tradiderunt corpora sua propter deum ad supplicia*. ut coronas perpetuas acciperent cum christo. Taliter animam suam oderat Beatus martyr laurentius cuius hodie festa caelebramus. qui praesentem vitam pro nihilo ducens. sempiternamque diligens. corpus suum igni torreri permisit. In tantum ut cum ab impiissimo tyranno assaretur. dicebat illi. *Assatum est. iam versa et manduca*. Et quia praesentem vitam pro nihilo duxit. futuram cum christo accipere promeruit. Et contra nos rectae animas nostras odimus. et odiendo custodimus. si eius. voluptatibus et desideriis contradicimus. eiusque appetitum frangimus. Taliter etiam paulus apostolus animam suam oderat cum agebat; *Mihi vivere christus est. Et mori lucrum*. Et iterum; *non solum alligari in hierusalem paratus sum pro nomine domini nostri ihesu christi set et mori*. Nam et psalmista. *Anima mea exultabit in domino. Et delectabitur in salutari suo*. Et dominus taliter animam nostram dixit custodire. ut purificatam eam habeamus in die iudicii. Et iterum. *Si quis venit ad me non eiciam foras*. Qui odit animam suam propter christum. debet ministrari christo. Unde recte subditur. *Qui mihi ministrat me sequatur*. Ministrat christo qui omnia quae agit. Aut in opere. Aut in sermone. in nomine christi agit. Sive certe ministrat christo. qui verbum dei annuntiat propter christum. Qualem ministrum se noverat. paulus apostolus cum dicebat; *Minister christi sum et ego*. Et iterum. *Sic nos existimet homo ut minisros christi. et dispensatores ministeriorum dei*. Ad quod ministerium petrus apostolus. fideles ortabatur. cum dicebat; *Si quis minister est christi. christum sequatur*. Non solum episcopi. sacerdotes. et levite christo ministrant. set et fideles laici. quando esurienti cibum ministrant. sitienti potum. nudum vestiunt. in carcere positum requirunt. infirmum visitant. mortuum sepeliunt. caeteraque opera misericordiae exhibent. qui etiam in fine dicturi sunt. *Domine quando te vidimus esurientem. sitientem. et ministravimus tibi*. Quibus protinus responderunt; *quod uni ex minimis meis fecistis mihi fecistis*. Qui autem ministrant christo. debent eum sequi. Sequi enim christum imitari est. Hinc et petrus fideles ad sequendum dominum invitans ait: *Christus passus est pro nobis. vobis relinquens exem-*

plum. ut sequamini vestigia eius. Quisquis ergo christo ministrat et sequitur. quid remunerationis accipiet manifestatur cum subditur; *Et ubi ego sum. illic et minister meus erit.* Quam enim maiorem remunerationem potest habere adobtatus servus. quam ut sit ibi ubi est unigenitus filius? non natura sed adobtione. Qui non secundum divinitatem aequalis erit filio. set quia aeternam vitam accipiet cum christo. De qua remuneratione adhuc subditur. *Si quis mihi ministraberit. honorificabit eum pater meus qui est in caelis.* Qui enim ministrat filio. ministrat patri spirituique sancto. quia quibus una est natura. non dispar est ministerium. Et ideo qui honorificat patrem. honorificat filium et spiritum sanctum.

Pag. 341 — Incipit sermo in festis apostolorum.

Dixit ihesus discipulis suis. Ecce mitto vos sicut oves in medio luporum. Quia ipse pastor est ovium et magister in evangelio testatur dicens. *Ego sum pastor bonus. pastor bonus animam suam ponit pro ovibus suis.* Merito discipulos suos propter innocentiam ovibus conparavit. Lupos autem hos significat qui post passionem domini apostolos et caeteros credentes propter filium dei persecuti sunt. Inter quos qualiter ambulare deberent praemonet. *Estote* inquit *simplices sicut columbae.* Vult ergo dominus. sicut columba est sine dolo. sine felle quod est amaritudo peccati. obliti iracundiae et iniuriarum presentis saeculi vivamus. iter angustum vitae aeternae ingressi. *Quam* inquit *angusta via est quae ducit ad vitam.* deposita superficie veteris. idest pristinae ut promissa divina capiamus. *Et astuti* inquit *ut serpentes.* haec est quam imitare debemus. Serpens enim certo tempore per foramen angustum fulciri se dicit. ubi cum magno labore deposita exsubia veteri velut novus efficitur. Cuius astutia(m) nos imitantes. iter angustum conversationis. velut novi homines in seculo apparere debemus in novitate ambulantes. Est et alia serpentis astutia. si venerit in manus se volentis occidere. totum corpus suum plagis et vulneribus tradit. et nihil aliud gestit. nisi caput integrum custodire. Ad quod exemplum et nos provocamur. ut si tempore persecutionis in manus inimicorum devenimus. pro capite nostro. idest pro filio dei totum corpus tormentis et suppliciis etiam ipsi morti subiciamus. quia caput nostrum christus est. Iterum alibi dixit ad discipulos. *vos testimonium perhibebitis de me. quia ab initio mecum estis. Haec locutus sum vobis. ut non scandalizemini. absque sinagogis facient vos. set venit hora ut qui interficit vos. arbitretur obsequium se praestare deo. Et haec facient. quia non noverunt patrem. neque me. Set haec locutus sum vobis. ut cum venerit hora eorum reminiscamini. quia ego dixi vobis.* Quid hoc pertinet ad illud quod dixerat. *nunc autem et viderunt et oderunt me et patrem meum? Set ut impleatur sermo qui in lege eorum est. quia odio habuerunt me gratis.* Eos qui viderunt et oderunt eum testimonio manifestiore convicti. immo vero etiam aliquos ex illis qui viderant et adhuc oderant. ad fidem quae per dilectionem operatur sua manifestatione convertit. et tanti sanguinis impiae atque inaniter fusi indulgentiam perceperunt. ipso redempti sanguine quem fuderunt. Christi enim sanguis sic in remissionem peccatorum omnium fusus est. ut ipsum etiam peccatum possit delere quo fusus est. Hoc ergo intuens dominus dicebat. *odio me habuerunt gratis.* tanquam si diceret. odio me habuerunt et occiderunt videntes. Set tale de me paraclytus testimonium perhibebit. ut eos faceret in me credere non videntes. *Et vos inquit testimonium perhibebitis. quia ab initio mecum estis.* Perhibebit spiritus sanctus. perhibebitis et vos. quia enim ab initio mecum estis. potestis praedicare quod nostis. quod ut modo non faciatis illius spiritus plenitudo nondum adest vobis. Ille quippe testimonium exhibens et testes fortissimos faciens. abstulit christianicis timorem. et vos testimonium perhibebitis. idest. quia deus sum. quia ab initio mecum estis. hoc est ab initio praedicationis. *Haec locutus sum vobis.* idest haec verba. *ut non scandalizemini.* hoc est ut non negens in his exemplis praecedentibus. Docuit discipulos suos dominus ut eum imitando fierent fortiores. Adiciens et promittens eis. quod venturus esset spiritus sanctus. qui de illo testimonium perhiberet. et adiciens quod et ipsi fierent testes eius. operante hoc ubique in eis spiritu sancto. Deinde quae passuri essent etiam exprimens ait; *Extra synagogas facient vos.* Quid autem mali

erat apostolos expelli de iudaycis synagogis? quasi non inde se fuerant separaturi. etiam eos nullus expelleret? Set nimirum hoc voluit denuntiare. quia iudaei christum non fuerant recepturi. a quo isti non fuerant recessuri. Et ideo futurum erat ut foras mitteretur cum illis. hi qui esse non possent sine illo. ab eis qui esse nolent in illo. Discipuli ergo sicut in eum credentibus. ut impleti spiritu sancto. hoc est dono gratiae dei non sint de numero eorum qui ignorantes dei iustitiam. et suam volentes constituere. iustitiae dei non sunt subiecti. De quibus dictum est; *dilexerunt gloriam hominis magis quam dei.* Illo congruit prophetiae quae de ipsis invenitur impleta. *Domine in lumine vultus tui ambulabunt. et in nomine tuo exultabunt tota die. et in tua iustitia exaltabuntur. quoniam gloria virtutis eorum tu es.* Merito eis dicetur. *extra synagogam facient vos.* Illi scilicet qui zelum dei habent. set non saecundum dei scientiam propter quod ignorantes dei iustitiam suam. volentes statuere. et eos expellunt qui non sua. set in dei iustitia exaltabuntur. nec expulsi ab hominibus erubescunt. quoniam *gloria virtutis eorum tu es.*

Deinde subicit. *Set venit hora ut omnis qui interfecerit vos arbitretur obsequium se praestare deo. et hoc facient. quia non noverunt patrem. neque me.* hoc est non cognoverunt deum. nec eius filium cui se in vobis occidentes. praestare arbitrantur obsequium. Quae verba dominus ita subicit. tamquam ex hoc consolaretur suos qui de synagogis iudaicis pellerentur. Praenuntians enim quae mala essent pro eius testimonio perpessuri. Quid sibi ergo vult *extra synagogas facient vos? Set venit hora.* tamquam hoc dicturus fuisset. Separabunt illi inquit vos. set ego vos colligam. aut separabunt quidem illi vos. Set venit hora vestrae laetitiae. Set cum dixisset absque synagogis facient vos. ideo addidit. *Set venit hora.* et caetera. Ut intellegerent atque gauderent multos se christo adquisituros cum iudaeorum congregationibus pellerentur. ut eos non sufficeret pellere. set non sinerent vivere. ne omnes ad nomen christi sua praedicatione converterent. Iste itaque sensus est in his verbis *extra sinagogam facient vos.* set nolite solitudinem formidare. Separati quippe a congregatione eorum. tam multos in meo nomine congregabitis. et illi metuentes ne templum quod erat apud eos et omnia legis veteris sacramenta deserantur. *Interficient vos.* sic fundentes sanguinem vestrum. ut deo se praestare arbitrentur obsequium. Nam mori pro christo nondum erant idonei apostoli. quibus dicebat. *non potestis me sequi modo.* Unde primus eorum petrus. qui hoc se iam posse praesumpserat. Aliud expertus est quam putabat. et tamen postea viri et mulieres. pueri et puellae. iuvenes et virgines. senes cum iunioribus innumerabiles martyrio coronati sunt. Si ergo in caritate proficiatis. quam diffundit in cordibus spiritus sanctus. *docebit vos omnem veritatem.* Proinde ait; quod vel *docebit vos omnem veritatem.* vel deducet vos in omnem veritatem. Set cum discipuli prohiberentur. ne omnino loquerentur. neque docerent in nomine ihesu. Set ipsi dixerunt eis. *si iustum est in cospectu dei vos potius audire quam deum iudicate. Non enim possumus nos quae vidimus et audivimus non loqui. Et illi convocantes eos caesos dimittebant. Et illi quidem ibant gaudentes a conspectu concilii quoniam digni habiti sunt pro nomine ihesu contumelias pati. Omni autem die in templo circa domos non cessabant docentes et evangelizantes christum ihesum. Opturaverunt ora leonum. extinxerunt impetum ignis. effugerunt. aciem gladii. convaluerunt de infirmitate. fortes facti sunt in bello. Nam et alii ludibria et verbera experti. insuper et vincula et carceres. lapidati sunt. secti sunt. temptati sunt. in occisione gladii mortui sunt. Circumierunt. in melotis. in pellibus caprinis. egentes. angustiati. afflicti. quibus dignus non erat mundus. In solitudinibus errantes. et in montibus et in speluncis. et in cavernis terrae. Et hi omnes testimonio fidei probati sunt.* Sicut scriptum est. *non veni pacem mittere in terra. set gladium.* Quomodo non venit pacem mittere dominus? cum ipse pacem attulerit generi humano. et cum ipse diversarum gentium hominum inimicos sibi invicem in unitate fidei addictos pacificos fecit. quando et apostolis hoc reliquerit dicendo. *pacem meam do vobis. pacem relinquo vobis.* Sed hic gladium spiritum sanctum dicit; sicut alio loco manifestat. *Qui habet* inquit *tunicam vendat eam. et emat sibi gladium.* Et paulus apostolus gladium spiritum sanctum ostendit dicens. *Assumentes scutum fidei et gladium spiritus.* Hic ergo gladium. idest spiritum sanctum

missurum se orbi terrarum. dominus dicebat. per quem in terra parentes et proximos eos qui crediderunt. et illos qui credere noluerunt inimicitias viri propter verbum veritatis demonstrat. Et omnia completa tam in actibus apostolorum. quam et diversis temporibus facta invenimus. Praestante ipso domino nostro ihesu christo. qui vivit et regnat cum patre in unitate spiritus sancti. in saecula saeculorum. Amen.

Pag. 411 — Passio sanctae Restitute virginis et martiris gloriose.

Regnante impiissimo adriano imperatore in urbe roma. qui crudelitate sua. totum pene invaserat mundum. Ita ut per omnes terminos regni sui. crudelissimos dirigeret viros. sue nequitie obtemperantes ob necem christianorum. Discurrentes autem per omnes provincias. ubicumque christi inveniebantur cultores. alios ferro truncatos; alios multis supplicils deditos; crudelissime perhimebantur. His et huiuscemodi peractis; sue crudelitatis finem. miserabiliter cum regno vitam finivit. Quo defuncto. aurelianus non minus crudelis. successit in regnum qui tantum contra christi famulos exarsit in iracundia; ut etiam pro nefas putaret; si vel eos audiret. vel nomina eorum sua presentia intonuisset. Eodem itaque tempore claruit in urbe roma; in regione que trans tyberim dicitur; puella nomine Restituta; cuius pater ethel nomine. mater quoque eius dabia vocabatur; pulchra valde. et decora nimium; nobilitate et facultate precipua. Ob nimia autem pulchritudine eius. quamque etiam et pro immensas divitias que pollebat; multi illustres et nobiles viri; eam disponsare querebant. Offerebant itaque ei aurum et argentum; vestes quoque gemmis micantibus; ac deauratas; varioque colore depictas set illa nichil amori christi preponens; omnia velut stercora refutabat. Denique orta seva crudelitatis tempestas in christianos. territa dei famula se in abditissimo domus sue cubiculo clausit. atque in eodem loco; die noctuque dominum supplicabat.

Prosternens se itaque in pavimento cubiculi sui. et extendens manus in celum hanc orationem fudit ad dominum. Domine deus omnipotens qui ab initio mundi; superbientium bella comprimens; et tumentium colla allides; et qui per gabrielem archangelum gloriosissime marie virgini matri tue nuntiatum fuisti. qui in chana galilee tua potentia aquam convertisti in vinum; et qui samaritane mulieris sensum aperuisti; ut agnosceret te aquam vivam; qui etiam aperuisti oculos ceci nati; aperi aures cordis mei ut timeam te et intelligam; ut te super omnia et per omnia diligam; et glorificem nomen gloriae tue sanctum quo possit mihi adesse gratia tua; et illumina faciem tuam super me ancillulam tuam. et dignare mittere angelum sanctum tuum qui me custodiat iugiter; protegat; ac defendat. Pone itaque custodiam oris mei et hostium circumstantie labiis meis. ne quando egrediatur pollutum verbum ex ore meo. et confirma me in bonis operibus. ut merear sequi te Agnum inmaculatum. qui cum eterno deo patre et Spiritu sancto vivis et regnas in secula seculorum. Amen.

Expleta itaque oratione; ecce angelus domini apparuit preclaro vultu veste candida. O restituta famula christi. exaudita est oratio tua; et ego veni ut protegam te. cui virgo christi respondit. quis es tu? qui ista ad me loqueris? dixitque angelus ei. ego enim sum gabriel archangelus unus ex septem. qui in conspectu domini semper assistimus; misit me dominus ut adiuvem te; et confortem te ut non possit invidus diabolus vincere te. Igitur beatissima restituta. territa valde et tremefacta de tormentis que christianis fiebant; dixit ad angelum; dum video christianos torquentes ut bestias; et eos multis suppliciis affici. concutit(ur) cor meum et contremiscit. Ad haec angelus ad eam. certius te scire volo quia corona martirii, tibi a domino preparabitur. Hec audiens beatissima christi famula amplius in dei operibus confortabatur. atque in oratione posita. diutius permanebat. Angelus vero astante et conloquente cum ea. migravit ad celum. Tunc beatissima christi virgo restituta. tam ex dulcedine angelice visionis quam etiam ex repromissione martyrii stupe ninium facta obdormivit.

Et dum soporata fuisset mox iniquus diabolus affuit. furibunda facie et orrendo aspectu. dixit ad eam. O restituta. in repromissione angelica delectaris? quid tibi prodest? ego autem suscitabo adversum te in nimio furore iniquum consulem; qui meis optemperatur votis; et gladio te faciat inte-

rire. Nam ego agnosco per te meum perdere locum. vibransque flammigerum gladium contra eam. quod manu gestabat dicens ei; hunc gladium dabo amico meo. et caput tuum amputare faciam cum tormentis. Ad hec christi virgo respondit. Dominus mihi adiutor est et non timebo te inique diabole. Et hec dicens armavit se signo crucis. et consignavit se totam; et statim diabolus ab oculis eius velut fumus evanuit. Tunc beatissima christi virgo; prona se in terra proiciens; his verbis dominum supplicabat. Domine deus omnipotens pater domini mei ihesu christi; qui ad restaurationem humani generis. eundem unicum filium tuum dominum nostrum ihesum ad salutem nostram misisti; in cuius amore et fide valde delector; et quem puro corde et ore laudare non cesso. te suppliciter rogo. ut digneris ad me ancillulam tuam sanctum angelum tuum mittere; qui me confortet in hac ora; in amore filii tui domini mei ihesu christi ut possim vincere minas diaboli; qui valde cor meum contremescere fecit; et nunc domine deus; qui tuis semper fidelibus presto es; auxiliare mihi ancille tue; quemadmodum in te confido; quia tu es deus benedictus vivens et regnans in secula seculorum. Amen.

Completa itaque oratione. mox pius et clemens dominus. qui suos aliquando sanctos non deserens. set vocantibus se in veritate exaudit. et cuius oculi super iustos; et aures eius ad pedes eorum sunt. ut suis electis fidelibus repromittere est dignatus; ecce ego vobiscum usque ad consummationem seculi. quemammodum pollicitus est. per se ipsum sue dilecte famule apparere dignatus est dicens. surge fidelissima mihi; et noli timere diabolum; set magis illum contempne et despice; ac pro nichilo computa. quoniam debilis factus; nulla virtus in eo manet; quia ab initio mendax fuit; et in veritate non stetit. sed invidia passus hec que superbiendo ammisit; dum vos humiliando acquiritis; ipse perditus invidendo gemescit; unde vobis minatur facere que non valet; et quamvis iniquus quamvis perversus et fallax; hoc mea voluntate denuntiat.

In tantum confortare et esto robusta; et vade ad civitatem que dicitur sora; et ego ero tecum et non te deseram. et confudam omnes adversarios tuos; electa mea dulcissima; et scias quia iam preparatum tibi celeste regnum paradysum te triumpho expectat. Ad hec christi virgo respondit. Domine nescio quo vadam aut cum quo iter arripiam; quia numquam ad civitatem illam perrexi; vel in quibus partibus nescio. Cui dominus dixit. surge mane valde diluculo; et vade ad portam huius civitatis que dicitur lateranensis. et ibi invenies angelum qui te in momento ad civitatem quam prephati sumus deducet. Surgens autem mane valde diluculo iuxta preceptum domini; pergens ad portam quam ei deus predixerat; et egressa urbem; invenit ibi angelum domini. ut ei dominus repromisit.

Cumque ei verba domini retulisset; ait ad eam angelus preceptum domini est ut eamus ad urbem que dicitur sora. set quia longa via nos diu expectat oportet nos aliquantulum pausare et requiescere. Ad hec christi virgo; faciamus inquid ut dicis; et cum hec diceret continuo collocavit. Cumque a sommo arrepta fuisset; ilico apprehendit eam angelus in capillo capitis sui; ut olim abbacuc propheta; de iudea in caldea transposuit; ita et istam dei famulam de roma transvexit in soram. Cumque evigilasset a somno invenit se ante portas civitatis sore. et ingressa eandem civitatem; ospitata est in domibus cuiusdam vidue cuius filius a morbo elefantie erat valde afflictus. Ingressa igitur domum salutavit eam dicens; requiescat pax et sanitas domini nostri ihesu christi. Cui mulier dixit; gaudium tibi semper sit domina mea; quoniam sanitas longe a nobis facta est; eo quod filius meus per duos annos et octo menses; ulceribus plenus nec ambulare nec sedere. nec ullam requiem habere potuit; et neque a nullo medico aliquod remedium sanitatis valuit invenire. Tunc dixit ad eam christi virgo. est deus omnipotens qui vobis absque aliquo medicamine potest prestare solacium; et non tantum corporis set etiam anime si in eum creditis prebet salutem. Respondit mulier et dixit, que es tu; vel unde? que hec nobis promittis vel que virtus in te est; que talia adimplere proponis. nam si aliqua scientia medicine artis in te est caro huic meo filio succurre et adiuva; et ne videatur contrarietatem facere meo karissimo filio; si adimpleveris que promittis. faciam quae ortaris. Nam ego credo quod non est alius deus preter eum per quem recuperatur filius meus salutem.

Hec audiens christi virgo restituta leta facta est et ponens genua sua in terra et expandens manus suas ad celum. huiusmodi preces fundens ad dominum dixit. Domine deus omnipotens; qui famulum tuum tobiam illuminasti et qui socrum petri apostoli filii tui domini mei ihesu christi; a febribus liberasti; et qui per eundem dominum nostrum ihesum christum; nobis repromittere dignatus es dicens; quodcumque petieritis in nomine meo dabitur vobis. Memento mei queso domine; et esto mecum; sicut mihi repromittere dignatus fuisti; quia in tuis sanctis verbis confidimus et speramus. qui numquam falleris; et ideo deprecor domine exaudi me ancillam tuam quia non est mihi alia fiducia; nisi in te solum per quem patrantur mirabilia magna in celo sursum et in terra deorsum. Et nunc domine deus meus deprecor te ut reddas sanitatem filio huius vidue; ut per hanc virtutem quam dignaris ostendere; credat populus iste qui usque modo obtenebratus tenebatur a nefandissimo demone. Tu. es enim indeficiens lumen. et vera lux que illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum. Quapropter eos illuminare digneris ut credant in te et cognoscant te verum deum; quoniam tu es benedictus vivens et regna(n)s in secula seculorum. Amen. Et dum complesset orationem; cunctis videntibus illico ei restituta es(t) sanitatem. Factumque est gaudium magnum in populo in illa (h)ora; laudantes omnes et benedicentes dominum per beatissimam restitutam.

Peracto itaque hoc miraculo; subito omnis civitas cucurrit ad hoc spectaculum; cupientes videre hominem qui sanus fuerat factus quam maxime et beatissimam Restitutam. per quam deus dignatus est hoc miraculum perficere. Crediderunt autem in illa hora numero quadraginta ex(c)eptis parvulis et mulieribus; clamantes et dicentes benedictus es deus; qui nobis perditis ad restaurationem nostram secundum nomini(s) sui ethimologiam; predestinavit. Inter hec igitur beatissima restituta; declinavit aspectu eorum. populus autem inquirebat hominem quis esset qui eum sanum fecisset? Ille autem dixit eis; quedam puella nomine restituta; ab urbe roma ab angelo huc deducta est; que docet nos colere dominum ihesum christum; in cuius nomine et virtute me quem cernitis incolumen red(d)idit. Hec eo dicente; ceperunt nonnulli furiose agere contra eum; ad quos ille locutus est dicens. O stulti et tardi corde ad credendum; quare vos contra me stulte agitis? Cur sine intellectu estis? Quare vos coartat diabolus; tradere animas vestras ad interitum? Credite in deum patrem omnipotentem; et unicum filium eius. dominum nostrum ihesum christum; et spiritum sanctum; ut possitis habere vitam eternam. Hec et his similia predicante populum; nunciatum est iniquo agacio consularis; quod his qui a morbo sanatus fuerat; publice de ihesu christi nazareni populo predicaret. Tunc iratus agacius iniquus civitatis consul; iussit ministris; ut tunc illum ad se adducerent. Concito itaque gradu perrexerunt ministri; et ligatis a tergo manibus duxerunt eum ad consulem; quem videns iniquitatis iudex; irato vultu ait ad eum; Quare cirille insanus factus es? Ut quid deos blasphemas quos imperator et omnes adorant? Cui ille respondit; quia ego christianus sum; et christum regem confiteor et adoro; qui creavit omnia; qui etiam me salvum fecit per dilectissimam suam famulam; nomine restitutam; que vos suo creatori cupiens restaurare; hanc civitatem veniens predicare.

Cui consul dixit; et ubi est illa? cirillus ait; in domo matris mee; ubi pridie est ospitata. Tunc iussit ministris; ut festinanter irent; et eam honorifice suo conspectui presentarent. Fecerunt autem ministri sicut eis fuerat imperatum. Videns itaque agacius pulchritudinem eius; cupiens eam sibi desponsari; ait ad eam. Ingenua es; An ancilla? Vel quo ex genere es? Michi edicito; quia volumus te sponsam habere. Beatissima christi virgo et martyr respondit. Ingenua quippe romano genere procreata. nobiliterque roma nutrita. et a cunabulis christi fide imbuta. pro cuius amore persisto modo ad passionem. Sponsa(m) me nullatenus habere potes. quia sponsus meus christus est qui est amator castitatis. cuius pulchritudo precellit omne quod pulchrum est. Nam omnes angeli suo famulantur obsequio; et dum ego iunior talem sponsum; tam bonum et speciosum possideo; quare me adhortas temporalem te et mortalem atque deformem accipere sponsum. Et quamvis nobilis nobiliterque nutrita; tamen ancilla domini mei ihesu christi me esse confiteor. Vos quippe estis in putredine et in fetore; qui deum creatorem omnium abnegatis; et

idola manu facta hominum; adoratis et colitis; que nec sibi nec vobis possunt adiuvare. Dixit ad eam agacius; dimitte verbo si tamen tuam; accede ergo et sacrifica diis nostris omnipotentibus; ut possim te digne accipere coniugem. Ad hec beatissima christi virgo et martyr respondit; procul dubio scias inique agaci; quia nunquam adoro idola; set dominum meum ihesum christum toto corde adoro et credo.

Tunc consul agacius iratus valde; fremens ut leo iussit scorpionibus eam cedere; et dum cederetur; leta facie permanebat et gaudio magno dicebat. Gratias tibi refero deo omnium redemptori; quia si amplius pro tua dilectione tormenta non patior. hec quantumcumque pro tuo amore sustineo. Cumque hec diceret iussit impius in carcere intromittere eam. et septem ponderis libras ferri. ad collum eius ligari precepit. et per septem dies nullum cibum. nec aqua sibi nullo modo ei dare contestans. Retrusa vero in carcere. ecce angelus domini. iuxta eam splendidus astitit. de quo nimium leta effecta. gratias omnipotenti deo referebat et statim liquefactum est ferrum ut cera; angelus vero confortans eam recessit. Post hec pius conditor et redemptor humani generis qui semper in se sperantes non spernit sed visitare et confortare dignatur ipse per se ad eam venit in carcerem. deferens sibi prandium; confortans et benedicens eam dimisit. Nulli dubium videatur; si hanc gloriosissimam martyram cum prandio dominus visitavit. quando post resurrectionem suam suos discipulos de se dubitantes. prune apposito pisce. ad prandium invitavit. Tunc ministri iniquitatis explorantes eam; qualiter angelus ad eam ingressus esset; et quomodo ferrum sicut ceratiquus ad eius ingressum dissolutum fuisset; et quomodo eam dominus per se ipsum visitare dignatus esset. compuncti sunt corde; statim ceciderunt ad pedes eius dicentes; nos credimus in filium dei quem tu predicas; quia vidimus stupenda et admiranda mirabilia hodie. Ad hec beatissima christi virgo et martyr statim venerabili cirillo presbitero hoc factum innotuit; qui continuo baptizavit eos in nomine patris et filii et spiritus sancti. Fuerunt autem qui crediderunt in illa (h)ora numero triginta novem. laudantes et benedicentes dominum nostrum ihesum christum.

Audiens hec iniquissimus consul agacius; iratus valde iussit beatissimam martyram cum omnibus illis triginta novem qui crediderant christo; suo conspectui ex(h)iberi. Adstante vero beatissima christi famula; simul cum illis; dixit ad eos agacius; verum est hoc quod audio de vestra vesania; quod christum regem dominum fatemini; et nostrorum deorum cultura(m) respuitis et abnegatis. Cui omnes uno ore dixerunt; nos christum regem dominum fatemur et colimus; quem hec beatissima christi famula predicat; qui nos de tenebris ad lucem perduxit. Nam oculis nostris vidimus quem firmiter credere et adorare debemus. Tunc nefandissimus consul vehementer iratus iussit omnes illos capitale(m) subire sententia(m). Ducti sunt autem foras muros civitatis; in locum qui forus dicitur ad antiquissimum phanum; et ibi decollati sunt ubi tempore pacis purificato simulacro in honore sancte marie matris domini; sanctique apostoli petri; templum domini consecratum est. Videns hec beatissima christi martyr una cum beatissimo cirillo presbitero glorificabant dominum dicentes; gratias tibi referimus conditor omnium rerum; quia quod semper obtabimus modo aperte videmus. Ad hec verba vehementer agacius iratus iussit ut lampades ad latera eorum accenderentur. Leta autem et ilari vultu virgo christi exultabat et magnificabat dominum una cum beatissimo cirillo presbitero dicentes benedicimus te domine deus in omni tempore; et semper laus tua in ore nostro permaneat. Gratias agimus tibi conditor rerum; qui nos ad palmam martyrii perduxisti. Et dum hec diceret; statim extincte sunt lampades; et ministri qui hec faciebant ceci facti sunt. Territi autem et nimio timore perculsi. ceperunt clamare dicentes; preclarissima christi virgo succurre nobis et respice ad honorem nominis tui et restitue nobis lumen. quod merito nostro ammissimus; ut credamus christum tuum quod ipse sit verus deus per quem omnia in celo et in terra patrantur. At illa hec audiens ait ad eos. dominus meus ihesus christus qui ceco nato oculos aperuisti ipse vos in anima et corpore illuminet. Ad hec verba anima et corpore illuminati. crediderunt in dominum nostrum ihesum christum et dixerunt; Unus est deus quem predicat restituta martyr christi. ipse est verus deus. et hi duo ad corona(m) martyrii evo-

cati. et baptismatis unda perfusi ad veram pervenerunt hereditatem.

Post hec autem accersiri fecit beatissimam christi martyram restitutam et licet angustiatus et nimis territus; tamen dolenti animo prorupit in vocem ; heu heu ; quid de ista malefica facturi sumus ; cui tanta prestitit maleficia. Ferrum ut ceraliquus fecit; ardentes extincxit lampades; et militum animum immutavit; me autem contempsit et deorum culturam evacuabit. Per deos deasque. quod nisi sacrificaverit diversis eam tormentis interficiam; quod si vero meis acquiescet consiliis sponsam illam accipiam et magnis honoribus magnisque divitiis decorabo. Ad hec christi famula dixit; firmiter audi que dico; et certius tene; quia neque te putredo qui vermis et cinis es sponsum accipiam; neque deos tuo adorabo; tantum modo fac quod facturus es. His et quamplurimis dictis; agacius in ira valde commotus dedit sententiam dicens; restituta in nostris mandatis rebellis qui nostris noluit obedire preceptis ducatur ad flumen carnellum in cuius ripam capite cum suis sociis detruncetur; atque eorum capita in eodem flumine demergantur. Apprehendentes itaque eam ministri; duxerunt ad predestinatum locum. Cumque pervenissent ad locum oratione facta commendaverunt se domino deo; ut in pace reciperet animas eorum. Tunc carnifices acceptis gladiis amputaverunt capita eorum et in gurgite ea proicientes; secesserunt a loco illo corpora eorum inumata derelinquentes. Audientes autem hec populus cucurrerunt post eam; plangentes et lamentantes; de tantis tormentis et cruciatibus que dei famula perpessa fuisset. et quod tam crudeliter suam ammiserat iuventutem. Cumque pervenissent ad locum invenerunt corpora sine capita inhumata iacentes; et contristati nimium ceperunt hinc et inde per flumen conspicere; et non invenientes; tulerunt sancta corpora et cum hymnis et spiritualibus canticis; pervenerunt ad civitatem. et cum omni honore sepelierunt eam iuxta ecclesiam beati baptiste iohannis ubi postea constructa in eius honore ecclesia est. In quo loco fiunt multa miracula domino cooperante; ipsius intercedentibus meritis usque in (h)odiernum diem; et non tantum in quo quiescit loco; verum etiam ubicumque in eius nomine fabricata ecclesia fuerit fiunt virtutes et beneficia; ad gloriam et laudem domini nostri ihesu christi. ac si in eo loco quo passa est vel corporaliter requiesce(ret).

Post septem autem dies apparuit beatissima christi virgo et martyr restituta; cum tribus sociis suis cum quibus passa est; fulgens in medio angelorum; venerabili amasio huius civitatis sorane episcopo in somnis dicens. Surge velociter; et ad locum quo passi sumus; cum sacris perge ministris: et capita nostra que antea flumen retinuit in litore illius invenies; que deo iuvante levabis et nóstra cum corpora iunges. Experge itaque a somno factus episcopus; perrexit ad locum stipatus catervis fidelium; cum accensis cereis; et cum omni ritu ecclesiastico; cum turibulis. et ceraptatis; cum ymnis et canticis spiritualibus. elevans illa secum ad civitatem deduxit; et cum corpora honorifice collocavit. Passa est autem vensrabilis virgo et christi martyr restituta. Una cnm beatissimo cirillo presbytero; et aliis duobus;sexto kalendas iunias. Regnante domino nostro ihesu christo cui est honor et gloria imperium et potestas in secula seculorum. Amen.

EX CODICE CXII.

(Pag. 40.)

Lectio sancti evangelii secundum Mattheum.

In illo tempore. Egressus ihesus secessit in partes tyri et sidonis. et reliqua.

Omilia sancti iohannis constantinopolitani episcopi.

Multae tempestates; sed desiderium anime vestre nichil potuerunt impedire. Multae temptationes; sed laborem vestrum non dissolverunt. Non cessat ecclesia impugnari. non cessat insidias pati. Sed in nomine christi semper superat. semper vincit. et quantum alii insidiantur tantum ista dilatatur. et fluctus quidem illiduntur; sed fundamentum quod super petram est non quassatur. Per diem doctrina. in nocte vigiliae. labor vester non querit requiem sed coronam. Nox contra diem certat ibi congregatio; et hic collectio. Nox per plateam; ecclesia aperta est. desiderium vestrum igni vehementius est. non indigetis exhortatione. non queritis monitorem. Sponte properatis voluntarie concurritis. Quis non stupeat? quis non miretur? Non solum qui erant perseveraverunt: sed et qui non erant adiuncti sunt. Tales quippe temptationes lucra esse consueverunt. Sicut enim pluvia in terra descendens elevat semina; sic et tribulatio animam penetrans erigit desiderium. Sermo enim dei est immobilis. quia portae inferi non praevalebunt adversus eam. Qui impugnat seipsum dissolvit et fatigat. ecclesiam autem fortiorem ostendit. Qui adversatur virtutem suam destruit; Nobis vero patientiae coronas operatur. Iob ante temptationem praecipuus erat; sed postea melior apparuit. nec tantum bonus erat cum inlesum haberet corpus. sed multo melius ostensus est cum de corpore eius vermes cum sanie defluebant. Numquam formidines times temptationum. si animam preparatam habes. non nocebit tibi tribulatio. si tolerantiam operatur. Sicut enim aurum in camino non leditur. sic nec stabilem animam nocebit tribulatio. Quid operatur caminus? Aurum mundum facit. Quid operatur tribulatio? tolerantiam et ampliorem patientiam. Abscidit enim tristitiam. et coadunat animam et sobriorem reddit. Ubi sunt nunc qui tribulant? nusquam comparent. plateas circumeo. et neminem illorum video. folia erant; et flante vento dispersa sunt. paleae erant; et aspirante aura raptae sunt. et purum remansit triticum. Plumbum erat; et liquefactum est. et aurum remansit purissimum. Quis eos repulit? Quis perturbavit hominum? nullus. sed propria conscientia praeliante; senserunt post peccatum quid fecerint. Nam et caim quando cogitabat interficere fratrem suum; ardebat animo. cum autem consumavit parricidium; gemens et tremens erat super terram. Quod et si conatus eorum effectum non habuit; attamen voluntas in crimine est. quantum ad malignitatem eorum; homicidia perpetrarunt. sed nobis propter dei clementiam vita concessa est. Haec dico voluntati vestrae; desiderium augens. ut numquam paveatis temptationes. Petra es; ne timeas fluctus. *Super hanc petram inquit aedificabo ecclesiam meam. et portae inferi non praevalebunt adversus eam.* Quamvis de foris movean bella; et de intus timorem incutiant; navem ihesu non possunt summergere. Sed non omne tempus illorum crimini expendamus tradentes eos tortori conscientiae eorum. tamquam carnifici. ungula livoris pulsante; ut corruant in desideriis suis; et fugiant perse-

quentem. Redeamus ad solitum studium. et debitam apponamus mensam. Nec enim iustum est omne tempus ad inimicorum crimina accusare; et filios esurientes relinquere.

Hesterno die beatus nobis paulus epulas preparavit. hodie sanctus matheus. Haeri blasphemus; hodie raptor. Haeri persecutor; hodie fraudator. sed blasphemus non permansit blasphemus. Sed factus est apostolus. et fraudator non permansit fraudator; sed evangelista apparuit. Dico priorem conversationem. dico et posteriorem immutationis virtutem. ut discas quanta sit conversatio. ut et tu non desperes de tua salute. Doctores nostri et tunc cum essent peccatores manifesti erant. et nunc iusti sunt. clari habentur. Publicanus et blasphemus; principia malignitatum. Quid enim est thelonia aliud nisi legitima rapacitas; violentia; fiducia; iniustitia; legem habens patrocinante rapina? Latro deprehensus confunditur. Iste rapiens fiducialiter agit. Sed hic talis tantusque publicanus; subito evangelista apparuit. Sed forsitan addiscere cupis quem ad modum et qua arte. Transiens inquit ihesus vidit matheum sedentem in theloneo. et dixit ei sequere me. O virtus sermonis. quasi quidam introivit hamus; et captivum militem fecit. et ex luto aurum est operatus. Venit uncinus; et statim secutus est eum. in profundo malignitatis erat; et usque ad verticem virtutis conscendit. ut nobis ostenderet neminem debere desperare salutem. quia naturalis malignitas non est. Liberi quippe arbitrii nos creavit deus. ut voluntate nostra cum adiutorio dei quod volumus faciamus. Si publicanus es; potes fieri evangelista. Si blasphemus es; potes fieri apostolus. Si latro es; poteris colonus paradysi effici. Si malignus es; poteris deum adorare. Nec est ulla malitia; quae per penitentiam non salvetur. Et ideo tamquam principia malignitatum elegit christus; ut nemo usque in finem semet ipsum despiciat. Noli michi dicere perii. quid iam? noli michi dicere peccavi. et quid iam? habet medicus voluntatem suam; si volueris emendantem et penitentem et cupientem. Cum enim non subsisteres; fecit te. et quia perversus effectus es; multo magis emendare te poteris. Accepit enim ex limo terrae; et formavit hominem. Dicito michi si nosti quomodo terram carnem fecerit; quomodo nervos; quomodo ossa; quomodo cutem; quomodo venas; quomodo oculos; quomodo palpebras; quomodo odoratum; quomodo linguam; quomodo pectus; quomodo manus; quomodo pedes; quomodo viscera; quomodo singula operatus sit membra. Nonne terra erat quod iacebat? nonne una substantia? sed introivit artificis virtus; et variam operatus est creaturam. Numquidnam poteris dicere qua arte creatus sis? sic neque dicere poteris quo genere curantur vulnera tua. Ut enim ignis cum in vepres ac spinis immissus fuerit comburit et consumit fragilem materiam; sic multo magis voluntas dei nostra delet et expiat peccata. et radicitus avulsa consumit. sed forsitan dicis. quomodo poterit peccator similis esse sanctis? Noli requirere qua arte. noli requirere rationem. Sed crede clementiae benignitatis divinae. Sed dicis. grandia sunt peccata mea. et immensa scelera mea. et quis est sine peccato? sed ego inquit pessime. et super omnem hominem. Sufficit tibi ad placandum deum peccare desinere; et bene facere. Dic inquit tu prior iniquitates tuas ut iustificeris. recognosce quia peccasti. Si agnoveris; et initium correctionis factum est tibi. Suspira. mestus esto. effunde lacrimas. Neque enim aliud quid effudit meretrix illa; sed lacrimas ad penitentiam sociavit. et ipsa comite pervenit ad fontem. Sed iam veniamus ad causam.

Egressus inde ihesus; venit in partes tyri et sydonis. et ecce mulier chananea a finibus illis egressa; clamavit dicens. Miserere mei fili david. filia mea male a demonio vexatur. Qui non respondit ei verbum. Et accedentes discipuli eius; rogabant eum dicentes. dimitte eam quia clamat post nos. Miratur evangelista dicens; *et ecce mulier.* Vetus telum. arma diaboli. quae hominem de paradyso expulit. Mater peccati. initium iniquitatis. prevaricationis materia. Ipsa mulier. illa venit. ipsa natura. Nova res et admiranda iudei fugiunt; et mulier sequitur. *Et ecce mulier a finibus illis egressa rogabat eum dicens; miserere mei domine fili david.* O preclara confessio. evangelista fit mulier. deitatem eius et dispensationem annuntians. confitetur enim et dominationem; et incarnationem eius. *Miserere mei.* Vide philosophiam. vide mulieris animam dicentis. *miserere mei.* Non inquit habeo conscientiam bonorum operum. nec rectae vitae fiduciam. Ad misericordiam tuam confugio. ubi cessat iudi-

cium. Dic michi mulier; quem admodum ausa es cum sis peccatrix et iniqua accedere ad deum? Ego inquit novi quid agam. Vide prudentiam mulieris. non rogat iacobum. non obsecrat iohannem. neque pergit ad petrum. Sed nec intercedit apostolorum chorus. Non quaesivit mediatorem. sed pro omnibus illis penitentiam accepit comitem; quae advocati locum implevit. et sic ad ipsum fontem perrexit. Propterea inquit descendit; propterea carnem assumpsit; et homo factus est; ut ego audeam ei loqui. Sursum in caelis cherubin trement et seraphin metuunt; et deorsum meretrix loquitur cum eo. *Miserere mei.* Nudus quidem sermo; sed immensitatem salutis continens. *miserere mei.* Propterea inquit venisti. propterea carnem assumpsisti. propterea factus es quod ego sum. O admiranda res. Sursum tremens. et deorsum fiduciam praestans. *Miserere mei,* Quid opus habet? Misericordiam inquit quero. Quid pateris? *Filia* inquit *mea male a demonio vexatur.* Egressa est advocatrix filiae. Non affert infirmantem puellam. sed fert fidem devotam. Haec enim intra semet ipsam conferens dicebat. deus est ad quem vado. absentia videt. occulta inspicit. omnia novit. *Miserere mei. filia mea male a demonio vexatur.* Dolor pessimus stimulus naturae viscera mea dirumpit. quid faciam misera? Vide mulieris prudentiam. Non dixit miserere filiae meae; sed dixit *miserere mei.* Illa enim insensibili passione tenetur. nescit quid habet. non sentit dolorem. velatum cor habet nequissimo spiritu opprimente. *Miserere mei* spectatrici diurnorum malorum. Cotidie cruciatus meos video. Quo vadam? Quo pergam? In heremum ire non audeo. nec illam solam relinquere. In domo sedere non possum; quia intrinsecus est inimicus. Fluctus in portu sunt. In tranquillitate tempestas est. et quo nomine eam vocem. invenire non possum. Mortuam dicam; sed movetur. Vivam appellem; sed nescit quid facit. Invenire non possum quo eam appellem nomine. *Miserere mei.* Si mortua esset filia mea; non talia pateretur. Tradidissem utique corpus eius terrae in sinu. transacto tempore oblivionem malorum haberem. et dolor conquiesceret. Nunc autem mortuam habeo pertinacem. corpus sine sensu vivum. spectaculum lamentabile. increscentia per momenta vulnera passionum. multiplicati doloris. Cerno enim oculos eius transversos. Aspectum sanguineum. manus intortas. crinem dissolutum. contorto collo. ora spumantia. inimicum incidentem et non apparentem. tortorem clausum et flagella resonantia. neminem interrogantem et illa cum clamore loquentem. Assum sermocinatrix malorum. praesto sum stipulante natura. *Miserere mei.* Pessima tempestas. passio et timor. passio naturae et timor demonis. Accedere non possum; neque continere. abicit me passio; explodit timor. *Miserere mei.* Considera mulieris philosophiam. Inspice animam nobilem. non perrexit ad divinos. non vocavit magos. Non alligaturas quesivit. non impostrices mulieres adduxit. Illas que solent demones provocare; et incantationibus suis vulnus augere.

Reliquid ommia. dimisit diaboli falsitatem. Omnia purgamenta contempsit. et venit ad salutarem animarum nostrarum portum. *Miserere mei domine fili david. filia mea male a demonio vexatur.* Vidistis perseverantiam mulieris. vidistis constantiam. vidistis longanimitatem. vidistis fidem? *Qui non respondit ei verbum.* O nova rerum materia. rogat mulier. obsecrat. deprecatur. deflet casum suum. auget tragaediam suam. enarrat passionem. et amator hominum non respondit. Sermo tacet. solus clausus est, medicus medicamenta retinuit. O novum quid admirabile. alios provocas ad sequendum; et hanc miserabilem insequentem abicis? sed considera medici sapientiam. *Qui non respondit ei verbum.* Cur non respondit? quia fidem illius provocabat. et animi perseverantiam exercebat. *Dicunt* quippe *ad eum discipuli eius. dimitte eam quia clamat post nos.* Vos inquit de foris clamorem audistis. ego autem intrinsecus video. grandis vox ore procedit; sed maior est mentis. *Dimitte eam; quia clamat post nos.* Diversi quidem sermones. sed una sententia est. nec est mendacium in utrisque. Utrumque enim faciebat mulier incensa dolore. Prius post (t)ergum clamabat. et cum vidisset quia non respondit. in ante cucurrit. quasi canis domini vestigia lambens. *Dimitte* inquiunt *eam.* Theatrum novis clamoribus excitavit. omne convocavit vulgus. Et illi quidem quasi homines ad clamores illius erubescebant. sed dominus temperamentum misericordiae suae noverat. *Dimitte eam quia clamat post nos.*

Ipse autem respondens ait; non sum missus nisi

ad oves quae perierunt domus israel. Et cum hoc dixisset. peius ei vulnus affecit. medicus enim erat secans non ut dividat. sed ut coniungat. Hic paululum karissimi accommodate aurem vestram. thesaurum enim investigare volo obsconditum. *Non sum* inquit *missus nisi ad oves quae perierunt domus israhel.* O domine. hoc est totum? ideo homo factus es. ideo carnem assumpsisti? ideo virtutes tantas operatus es. ut unum salvares angulum; et hunc pereuntem orbem terrarum universum deserturus es? Traces. indos mauros. fenices. cappadoces. sirios. cylices. quantascumque sol respicit terras transisti. et propter iudeos solos venisti? Gentes autem in desolatione constitutas despicis? et illos quidem comtempnentes patrem tuum. et idola colentes; et incensum illis offerentes. et filios suos demonibus consecrantes. haec omnia dissimulas. et nos miseros expectantes despicis? Et certe omnes prophetae. et ipse proavus tuus david secundum carnem dicit. *postula a me et dabo tibi gentes haereditatem tuam; et possessionem tuam terminos terrae.* Esaias qui te in sede maiestatis tuae contemplatus est dicit; *et erit radix iesse qui exurget imperare gentibus. in ipsum gentes sperabunt.* Et iacob patriarcha dicit. *Non deficiet princeps ex iuda; et dux de femoribus eius; donec veniat cui repositum est. et ipse erit expectatio gentium.* Malachias quoque propheta dicit. *A solis ortu usque ad occasum glorificabitur nomen meum in gentibus. et in omni loco sacrificia munda offerentur domino.* Et ipse david. *Omnes gentes plaudite manibus. iubilate deo in voce exultationis. quia magnus est super omnem terram. Rex magnus super omnes deos. Ascendit deus in iubilo. et dominus in voce tubae.* Et alter propheta. *Laetamini gentes cum populo eius.* Et reliqui omnes adventum tuum salutare gentibus annuntiarunt. Nam et ipse adventu tuo magos ab oriente vocasti. et principia gentilitatis per illos cessare fecisti. et evangelistas eos ad sua remisisti. et tu quidem per stellam magos convocas. prophetae autem gentibus annuntiant. Exurgens quoque ab inferis dicis discipulis tuis. *euntes docete omnes gentes. baptizantes eos in nomine patris et filii et spiritus sancti.* Et nunc cum venisset misera et infelix pro filiae suae infirmitate obsecrans; et casus suos deplorans; dicis *non sum missus nisi ad oves quae perierunt domus israhel.* Nam cum accessisset centurio rogans pro famulo suo. dicis. *ego veniens curabo eum.* et latroni obsecranti respondes. *Hodie mecum eris in paradyso.* Et paralitico dicis; *Surge tolle lectum tuum; et vade in domum tuam.* Et lazaro quatriduano mortuo etiam fetenti dicis. *Lazare veni foras.* Et qui leprosos mundas. mortuos suscitas. paralyticos sanas; cecos illuminas; latrones salvas; meretricem castigas. et huic miserae nichil respondes? O nova res et admiranda.

Considerate karissimi constantiam et virilitatem mulieris. et domini benignam sapientiam pariter et clementiam. quomodo dilatio et excusatio eius est. Divitias contulit obsecranti. Ut et tu si oraveris si statim non acceperis quod rogasti; non desinas deprecando. Considera diligentius karissime legis divinae secretum. quando iudaei de egyptiorum dominatione et tyrannide sunt liberati; et effugientes manus pharaonis ad heremum perrexerunt. intraturi terram chananeorum repletam idolorum cultibus adorantium ligna et lapides; legem acceperunt. ut cum fuissent ingressi terram ipsorum; non acciperent filias eorum in matrimonium. neque connubia mutuo iungerent. neque convivia sociarent. ne per societatem mutuam averterent illos a mandatis domini; et depravarent mores eorum. *Nichil tibi* inquit *et chananeis. sed esto in finibus tuis; et in gente tua. Negotia exerce. et connubia coniunge. quia linguam tuam habes. et legem quae tibi per moysen data est; quam sicut maceriam et sepem quandam inter vos et illos posui. Sicut enim vinea et hortus maceria circumdatur; sic iudeis data est lex ut transgredi non liceret.* Prohibitum itaque erat in lege; ut non commiscerentur chananeis. neque ullam communicationem haberent cum eis. ne amicitiae causa impietatis occasio fieret. Cum ergo abominabiles iudaei essent chananeis; tanquam idolatriae et immunditie; cum quibus nec confabulari fas erat. Et quia ista mulier de finibus chananeorum esset egressa; accessit ad christum. et christus iudaeis dicebat insidiantibus sibi; *quis ex vobis arguit me de peccato?* Eo quod prevaricaverim legem? Quoniam ergo homo erat; et omnia que legis sunt implevit; et sicuti iam dixi abominabiles erant chananaei iudeis; qui sub lege mandati tanquam sepe erant vallati. Veniens autem christus hoc est natus de virgine;

octava circumcisus die; pro quo in templo oblatio celebrata est. et omnia caerimonia impleta sunt legis. Et ideo implevit legem; ne dicerent iudei. non potuit implere legem; propterea dissolvit eam. Prius eam complet; postea solvit. ut omnem illis caerimoniarum auferret occasionem. Clamabat enim et dicebat *quis* enim *arguit me de peccato*? Ne ergo occasione accepta dicerent iudaei non credimus tibi quia inique fecisti solvens legem. quia perrexisti ad fines chananeorum; et confabulatus es cum illis; quod ne fieret lege prohibitum est. Ideo interim nichil loquitur mulieri. sed legem custodiens. retardat salutem. Iudeam refrenat; et hanc recreat. *Qui non respondit ei verbum.* Nolo mihi occasiones cerimoniarum inveniatis O iudei. ecce non loquor. ecce non respondeo. adest occasio bene faciendi; et pietatem meam iterum differo. Ecce naufragium imminet; et gubernator quiescit. et increscente calamitate differtur sanitas. propter vos qui ingrati extitistis; ut omnis vobis auferatur occasio detrahendi. Ecce mulier multitudinem michi clamoribus suis congregavit; et nondum accepit responsum. ne forte dicatis quia vobis praeposui chananeos; et transgressurum legem. et ideo mihi non creditis. *Qui non respondit ei verbum.* Subauditur eo quod ad iudeos sermonem faceret qui beneficiis eius erant ingrati.

Haec autem omnia pro ineffabili clementia sua faciebat. ut illos paulatim ab infidelitate erigeret; et omnem cavillationem de animis eorum tolleret. Nam et cum leprosum curasset dicebat; *Vade ostende te sacerdotibus. et offer munus quod precepit moyses* pro emundatione tua. O inaudita res. dominus mundat eum; et mittit eum a lege moysi. et cur hoc facit? considerat ne iudei redarguerent eum. tanquam prevaricatorem legis. Nam quomodo curaverit leprosum; curationis modum non invenio. *Et ecce* inquit *leprosus accedens. rogabat eum dicens. domine si vis potes me mundare. et extendens manum suam tetigit eum dicens. Volo. mundare.* Imperativo modo legendum est; non interrogativo. Quia dixerat ille *si vis*; Respondit dominus. *volo. Potes* inquit *me mundare.* et ipse ait. *mundare.* In lege non licebat tangi leprosum. quia quicumque tetigisset immundus fiebat. Nam et beatus heliseus hoc sciens; cum ad eum neeman venisset leprosus alienigena missus a rege suo; mandat illi per discipulum suum dicens. *Vade ad iordanem fluvium; et lavare septies. et mundaberis a lepra tua.* Ipse vero non fuit ausus exire et videre leprosum. vel tangere eum. Et ipse quidem mundavit leprosum. et christus curavit leprosum. Ne ergo dicerent iudei; quid magnum fecit quod fecerat heliseus? Sed ille quidem. tangere ausus non fecit. Iste tetigit et mundavit. Et ideo tetigit; quia servus est subditus legi. *Volo. mundare. et statim mundatus est.* Non invenit evangelista verbis edicere velocitatem curationis; statim dicendo aliud quod diceret non invenit. Tanta enim fuit imperantis auctoritas; ut ingressu sermonis fugaretur infirmitas. et ideo dicit; *vade ostende te sacerdotibus; et offer munus pro emundatione tua; quod praecepit moyses in testimonium illis.* Quibus? iudaeis. ne dicant praevaricasse me legem. Nam et occulte divinitatem suam manifestabat illis. ut ex operibus crederent quia filius sit dei. ut in illa die veniens leprosus coarguat eos. cui praeceptum fuerat munus secundum legem offerre. et ideo multa propter iudeos faciebat. Sic et nunc responsionem suam ad preces mulieris temperat et retardat. *Miserere* inquit *mei; quia filia mea male a daemonio vexatur. Qui non respondit ei verbum. Accedentes autem discipuli eius dicebant. dimitte eam quia clamat post nos.* Respondit dominus. *non sum missus nisi ad oves quae perierunt domus israhel.* Ne forte dicerent iudei. dimisisti nos et ad extraneos perrexisti; et ideo non credimus tibi. Ecce de gentibus veniunt et non suscipio. Vos fugientes convoco dicens; *venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis*; et venire non vultis. hanc repello; et recedere non vult. Vere impletur illud quod scriptum est. *populus quem non cognovi servivit michi. in obauditu auris obaudivit michi.* Et alibi. *apparui his qui me non querebant. Inventus sum ab illis qui me non interrogabant.* ex quibus et chananea erat. *Dimitte* inquit *eam*; *quia clamat post nos.* Videamus ergo quid dicit dominus. *non sum missus. nisi ad oves quae perierunt domus israhel.* Considerate clementiam domini. Non dixit recede a me; sed non sum ad vos missus. non veni propter te. sed propter iudaeos. oves perditas domus israhel. *Quem cum audisset. accessit et adorabat eum.* Considera precantis instantiam. Qui respondens ait. *non est bonum sumere panem filio-*

rum et mittere canibus. O clementia medici. in desperationem adducebat eam; ut amplius rogaret; et augmentum fidei faceret. *Non* inquit *bonum est sumere panem filiorum.* Quorum? Judaeorum videlicet. *Et mittere canibus.* Quibus? sine dubio vobis. Et ad opprobrium dicebatur iudeorum; qui filii vocati canes effecti sunt. Dicente paulo. *videte canes. videte malos operarios.* videte concisionem. Nos enim sumus circumcisio. gentes canes appellati; facti sunt filii. *Filioli* inquit *mei quos iterum parturio. donec formetur christus in vobis.* Laus iudaeorum. accusatio illis erat. *Non est bonum sumere panem filiorum. et mittere canibus.*

At illa dixit; etiam domine. O violentia mulieris. O intentio anime. O profectus fidei. Medicus dicit *non;* ista dicit *etiam.* Dominus dicit *non;* haec dicit *etiam.* Non quasi procax aut impudens reputanda est. sed laudanda magis; quia expectabat salutem. *Non est* inquit *bonum sumere panem filiorum; et mittere canibus.* Et illa. *etiam domine.* Tu canem me vocas; ego te dominum voco. Tu me iniuriis afficis; ego te glorifico. *Etiam domine. Nam et catelli edunt de micis quae cadunt de mensa dominorum suorum.* Non respuo opprobrium. tantum accipiam vel micas panis. Dicis rem quae in consuetudine est. tu fac quod debetur cani. Qui canem me vocas. Dominus advocatus meae factus es postulationis. abnegando promittis. *Etiam domine. Nam et catelli edunt de micis quae cadunt de mensa dominorum suorum.* Quid ergo? qui abnegabat; qui repellebat; qui non respondebat; qui dicebat *non est bonum sumere panem filiorum et mittere canibus.* Qui dicebat *non sum missus nisi ad oves quae perierunt domus israhel;* in laudes mulieris subito erumpit dicens. *O mulier.* Propterea inquit laudo constantiam eius. laudo fidem; quae iniuriis affecta permansit. Si enim ab initio dimi(si)sset illam; nec paulatim erudita fuisset; nec tu scires virtutem animi eius. et latentem fidei thesaurum. Et ideo suspendit donationem; ut tu agnosceres fidem. *O mulier.* Deus dicit *o mulier.*

Audiant haec qui iactanter orant et fastidiose precantur. Quando dico karissime roga Deum; obsecra eum; famulare illi; dicis. rogavi semel. secundo. et tertio. et decies. et aliquid non accepi; Ne recedas quousque accipias. Finis postulantis acceptio deprecantis est. Tunc quando acceperis; immo magis nec tunc cesses. Sed tunc persevera. agens gratias pro eo quod accepisti. Nonnulli introeuntes ecclesiam in mille versus extendunt orationem suam. quasi apud deum multitudo sermonum opus sit. tanquam ignoranti quid postules; qui ante novit quid cogites. Nonnulli quidem quid dicant nesciunt. labia moventur solummodo; mens autem sine fructu est. et aures eorum surdae sunt. Tu non audis orationem tuam. deum vis audire precem tuam? et flectis quidem genua. curvasti inquit genua intus. sed mens tua foris vagatur. Corpus tuum intus. sed sensus foris. Os quidem loquebatur. sed mens usuras cogitabat. possessionum reditus supputabat. amicorum verba volvebat. neglegentias intuebatur famulorum. parentum urbanitatem scribebat. Mulierum species considerabat. Diabolus enim cum sit astutus; scit quoniam in tempore orationis grandia postulemus; et sepius impetremus. impedire festinat improvidas mentes. Nam aliquotiens. cum resupini iacemus in lectulo. nichil tale cogitamus. sed cum venimus ad orationem; cogitationum nos opprimunt nubes. ut nos advoces et sine fructu efficiant. Haec igitur in orationibus fieri novimus. Imitare chananeam vir mulierem. quam vigilanter. quae cum summa sapientia rogabat deum. et ideo meruit impetrare. Sed forsitan dicis; non habeo filiam quae demonio plena sit sed habes animam peccatis refertam. Et quia dixit chananea *miserere mei domine quia filia mea male a daemonio vexatur.* dicito et tu; miserere mei domine quia anima mea male a daemonio vexatur. Grandis enim demon peccatum est. et ille quidem in palam illum habens; velocius curari potest. qui autem occultat peccata sua hominibus; et penitere non vult. sed contemnens securus delinquit; odibilis est. et ille quidem pro ipsa vexatione veniam habebit. Iste vero; responsione privabitur. *Miserere mei*; modicus quidem sermo; sed immensum benignitatis continens pelagus. Ubi enim misericordia postulatur; ibi universa comprehensa sunt bona. Quod si foras ecclesia es; dicito *miserere mei domine.* Non labia movens; sed mente ingemescens. quia et tacentes audit deus. Non quaeritur locus; sed devotio mentis. Ieremias in loco caeni demersus erat. et fideliter orans deum promeruit. Danihel in lacum leonum missus; ad se misericordiam dei inclinavit. Tres pueri in cammi-

num ardentem erant immissi; et placuerunt. Latro in cruce erat; et exauditus est fideliter postulando. et nichil offuit crux; sed confessio fidei paradysum aperuit. Iob in sterquilinio erat; et per patientiam suam deum sibi repropitiabat. Quod et si in balneis sis ora. templum dei es; ne quaeras locum. dicente paulo; *templum dei estis; et spiritus dei habitat in vobis.* Voluntate solummodo ac devotione mentis opus est. Quod si in iudicio assistis, ora. ubique deus presens est. non clauditur loco. Invocanti sibi dicit. *ecce adsum.* Nam cum eduxisset moyses populum de egypto; et per desertum ad mare rubrum venissent. egyptii post (t)ergum erant insequentes populum. In ante mare fremebat fluctibus. moyses in angustia erat. Tacebat quidem; sed mente grandia cogitabat. in medio tribulationis erat. Inde egyptii insequentes; hinc mare intumescens. ad deum igitur mente clamabat; et vox eius non audiebatur. Item dominus dicit ad eum. *Quid clamas ad me?* cum ore quidem non clamaret; sed corde. Et quando asteteris furenti iudici; ac rabido tyranno; ora deum tuum. et orante te fluctus mitigabitur. Iudex ad te; tu ad deum confugito. Iudex pro te; tu deum invoca qui in te est. Numquid longe a te est ut vadas ad locum aliquem? Deus non clauditur loco; sed semper in proximo est. et qui loco non clauditur; fide tenetur. Nam si hominem rogare volueris; interrogas quid facit. et audiens dormit. aut non vacat. aut certe non dignabitur minister respondere tibi. Ad deum autem nichil horum opus est. Sed ubicumque fueris et invocaveris eum; audit te. Non ostiario. non mediatore. non ministro opus est. Sed dicito *miserere mei;* et deus illico aderit. et adhuc loquente te dicit *adsum.* O sermo mansuetudine et benignitate plenus. Non expectat consummari orationem. sed statim tribuit petitionem. *Miserere mei.* Hanc imitetur chananeam. *Miserere mei domine. filia mea male a daemonio vexatur. O mulier magna est fides tua. fiat tibi sicut vis.* Ubi sunt heretici? Numquid dixit rogabo patrem meum? obsecrabo genitorem meum? Numquid orationem egit? et cur non oravit? quia grandis est fides. copiosa effusa est gratia. Ubi oratio necessaria est; ibi infirmum est vas. *O mulier magna est fides tua.* Non vidisti mortuum suscitatum. nec leprosum mundatum. nec prophetas audisti. nec legem meditata es. nec mare in divisionibus scindi vidisti. Nichil horum contemplata es. insuper despecta et contemplata a me es; et non recessisti sed perseverasti petendo. *O mulier grandis est fides tua.* Ubicumque ieris audies christum dicentem. *O mulier grandis est fides tua.* Vade in persarum ecclesiam. audies eum ibi dicentem. *O mulier magna est fides tua.* In gothiam. in indiam. In mauritaniam. quantascumque sol respicit terras. clamat christus. et non tacet verbum. *O mulier magna est fides tua. fiat tibi sicut vis.* Tu inquit eam cura. Tu esto medicus, tibi committo medicamentum. Invenit eam sanae mentis. et voluntate immo fide matris curatam. Pro his autem omnibus gratias agamus deo patri. per ihesum christum dominum nostrum. per immortalia saecula saeculorum. Amen.

Pag. 130 — Lectio sancti evangelii secundum lucan.

In illo tempore. Dixit ihesus discipulis suis. Homo quidam habuit duos filios. et dixit adolescentior ex illis patri; Pater. da mihi portionem substantiae quae me contingit. et reliqua.

Omelia sancti augustini episcopi de eadem lectione.

In rebus iam pertractatis immorari non oportet. sed sicut in eis non oportet immorari; sic eas oportet commemorari. Meminit vestra prudentia superiore dominico die de duobus filiis qui et hodierno ex evangelio recitati sunt disserendum nos suscepisse sermonem; qui non potuit ad finem usque perduci. Sed dominus deus noster post illam tribulationem voluit nos et hodie loqui vobiscum. reddendum est debitum sermonis. semper tenendum est debitum dilectionis. Aderit dominus. ut humilitas nostra sufficiat expectationi vestrae.

Homo habens duos filios deus est habens duos populos. maior filius populus est iudeorum. Minor populus gentium. Substantia a patre accepta mens. intellectus. memoria. ingenium. et quicquid nobis deus ad se intellegendum et colendum dedit. Hoc patrimonio accepto filius minor; *in longinquam regionem profectus est.* In longinquum scilicet. usque ad oblivionem creatoris sui. *Dissipavit*

substantiam suam vivendo prodige. erogans et non adquirens. expendens quod habebat. et non accipiens quod non habebat. Idest omne ingenium suum consumens in luxuriis. in idolis. in omnibus cupiditatibus pravis. quas meretrices veritas appellavit. Nec mirum quod istam luxuriam fames secuta est. *Erat autem egestas in illa regione.* Non egestas visibilis panis. sed egestas invisibilis veritatis. Ab egestate irruit in quemdam principem regionis illius. Intellegitur iste princeps demoniorum diabolus. in qualem irruunt omnes curiosi. Omnis enim curiositas illicita pestilens inopia est veritatis. Ille vero fame ingenii avulsus. adeo. in servitutem redactus est. et in pascendis porcis sortitus est officium. idest cuius servitutem solent gaudere demonia extrema et immunda. Neque enim frustra et dominus in gregem porcorum permisit ire daemonia. Pascebatur autem hic de siliquis. de quibus ipse non satiebatur. Doctrinas saeculares. siliquas intellegimus. Sonantes non saginantes dignas cibis porcorum non hominum. Idest unde daemonia laetentur. non unde fideles iustificentur. Tandem aliquando vidit ubi esset. quid perdidisset. quem offendisset. et in quem irruisset. Et reversus est ad se. Prius ad se; et sic ad patrem. Dixerat enim forte cor meum dereliquid me. Unde oportebat ut prius ad se rediret; et sic se longe esse a patre cognosceret. Hoc quibusdam increpat scriptura dicens. *Redite prevaricatores ad cor.* Reversus ad se. invenit se miserum. *tribulationem* inquit *et dolorem inveni. et nomen domini invocavi. Quanti* inquit *mercenarii* (*in domo*) *patris mei abundant panibus. ego autem hic fame pereo!* Unde hoc ei veniret in mentem nisi quia iam predicabatur nomen dei? et erat panis apud quosdam, non bene quidem tenentes et aliud querentes. de quibus dicitur. *Amen dico vobis receperunt mercedem suam.* Tales enim mercenarii habendi sunt non filii. quales apostolus designat cum dicit. *Sive per occasionem. sive per veritatem christus annuntietur.* Quosdam enim vult intellegi; qui sua quaerendo mercenarii sunt. christum annuntiando pane abundant.

Surgit et redit. iacendo enim et cadendo remanserat. Videt eum pater de longinquo et occurrit illi. Eius enim vox est in psalmo; *Tu cognovisti cogitationes meas de longinquo.* Quas cogitationes? quibus apud se ipsum dixit. *dicam patri meo. Peccavi in caelum et coram te. iam non sum dignus vocari filius tuus. fac me sicut unum ex mercenariis tuis.* Non enim iam dicebat; sed dicere cogitabat. ille tamen iam tanquam dicentem audiebat. Aliquando enim positus quisque in aliqua tribulatione et temptatione. cogitat orare. et in ipsa cogitatione quid sit deo dicturus in oratione meditatur. tanquam iure suo filius exigens misericordiam patris. et dicit apud se; dicam deo meo hoc et illud. Non enim vereor cum hoc dixero. cum ita flevero. non me exauditurus est deus meus. Haec dicentem plerumque iam exaudit. neque enim quando ista cogitavit abscondit cogitationem suam ab oculis dei. ille ibi erat cum disponeret orare; qui ibi futurus erat cum inciperet orare. Ideo dicitur in alio psalmo; *dixi proloquar adversus me delictum meum domino.* Videte quemadmodum adhuc quid apud se dixerit. quid disposuerit. et statim subiecit; *et tu remisisti impietatem cordis mei.* Quam proxima est dei misericordia confitenti. Non enim longe est deus a contritis corde. Sic enim habes scriptum. *prope est dominus eis qui obtriverunt cor.* Iam ergo iste obtriverat cor in regione egestatis. redierat enim ad cor ut obtereret cor. reliquerat cor superbus; redierat ad cor iratus. Iratus est sibi puniturus; sed suum malum. promeriturus patris bonum redierat. Dixit iratus secundum quod dicitur; *irascimini et nolite peccare.* Omnis enim penitens irascitur sibi. nam quia irascitur punit se. Inde motus illi omnes in penitente. quem vere paenitet. qui vere dolet. inde avulsio capillorum. inde circumcinctio cilicii. inde pectoris tunsio. Certe omnia haec; indicia sunt hominis sevientis in se. et irascentis sibi. Quod facit forinsecus manus. hoc facit intrinsecus conscientia. In cogitationibus percutit se. cedit se et ut verius dicamus; occidit se. Offert enim occidendo se. *sacrificium deo spiritus contribulatus. cor contritum et humiliatum deus non spernit.* Proinde ille atterens cor suum humilians cedens occidit cor suum. Quamvis adhuc disponeret patri dicere; et diceret apud se ipsum *surgam et ibo et dicam.* Cum cognosceret cogitationes eius de longinquo; occurrit illi pater. Quid est occurrere nisi misericordiam prerogare? *Cum adhuc* inquit *longe esset. occurrit illi pater misericordia motus.* Quare ille motus

misericordia? quia iam iste confectus miseria. *incubuit in illum* occurrens. idest. super collum eius posuit brachium suum. Brachium patris; filius est. dedit ut christum portaret. quae sarcina non onerat. sed sublevat. *Iugum meum* inquit *leve est. et sarcina mea levis est.* Super erectum incumbebat, Super incumbens rursus cadere non sinebat. Iam levis est sarcina christi; ut non solum non premat sed etiam allevet. Neque enim quem ad modum leves dicuntur sarcinae. quae minus onerosae sunt. Habent tamen aliquod pondus suum. et aliud est portare sarcinam gravem; aliud est portare sarcinam levem. aliud est portare sarcinam nullam. Premi videtur qui portat sarcinam gravem. minus premitur qui portat sarcinam levem. Sed tamen premitur. expeditissimus autem videtur humeris ambulare; qui nullam sarcinam portat. Non est talis sarcina christi. expedit enim eam portare ut subleveris. si illam deponas. magis premeris. Nec hoc vobis fratres tamquam impossibile videatur. forte invenitur aliquod exemplum unde etiam corporaliter quod dico videatis. et mirum est etiam. et omnino incredibile. Advertite hoc in avibus. Omnis avis portat pennas suas. Attendite et videte quem ad modum complicent alas suas cum descendunt in terram ut requiescant. et imponant eos quodammodo lateribus suis. Oneratas putas? Detrahunt onus et cadent. Quanto minus sarcinam illam avis portavit; tanto minus volavit. Ergo deponis eis sarcinam illam. quasi misericors. Si vis esse misericors. parce. aut si iam dempte sunt pennae; nutri ut crescat onus. et volet de terra. Tale quippe onus desiderabat ille qui dicebat; *quis dabit michi pennas sicut columbae et volabo et requiescam*? Quod ergo incubuit pater super collum filii; sublevavit non pressit. honoravit; non oneravit. Quomodo est enim homo idoneus ad portandum deum nisi quia portat portatus deus?

Iubet ergo pater proferri ei stolam primam; quam peccando adam perdiderat. In accepto in pace iam exculto filio. iubet proferri stolam. spem immortalitatis in baptismo. Iubet dari annulum. pignus spiritus sancti. et calciamenta in pedes in preparatione evangelii pacis; ut speciosi essent pedes annuntiantis bonum. Hoc ergo deus per servos suos facit. hoc est per ministros ecclesiae. Nunquid illi de suo dant stolam? de suo anulum? vel calciamenta? Ministerium debent. officium impendent. Ille dat de cuius recessu et de cuius thesauro ista proferuntur. Iussit occidi et vitulum saginatum. Idest ut admitteretur ad mensam. in qua christus pascitur occisus. Unicuique enim de longinquo venienti et ad ecclesiam concurrenti tunc occiditur. quando predicatur occisus. cum ad corpus eius admittitur. Occiditur vitulus saginatus; quia qui perierat inventus est. Et irascitur maior frater rediens de agro. et non vult. intrare. Ille est populus iudaeorum. cuius animus apparuit et in illis qui iam crediderant in christum. Nam stomachati sunt iudaei venire gentes de tanto compendio nullis impositis oneribus legis. non dolore circumcisionis carnalis in peccato accipere baptismum salutarem. Epulari de vitulo saginato stomachati sunt. equidem iam illi crediderant. et reddita est illis ratio. et conquieverunt. Cum autem et nunc forte aliquis iudaeus qui in mente habuit legem dei et conversatus est ibi sine querela; qualem se ibi fuisse saulus dixit apud nos factus paulus; et maior quo minor. eo sublimatus quo minimus factus. Paulus enim minimus est. unde dicimus paulo post tibi loquor. paulo ante. Videte quid est paulo ante; modico ante. Quid est ergo paulus? *Ego enim sum minimus apostolorum.* ipse dixit. Ergo quicumque iudaeus ibi talis est ut sciat se; et habeat in conscientia sua; qui ex ineunte etate sua deum unum coluit deum abraam et ysaac et iacob; deum predicatum per leges et prophetas; observaverit iustificationes legis; incipit de ecclesia cogitare; videns in nomine christi currere genus humanum. cum cogitat de ecclesia appropinquat domui de agro. Sic enim scriptum est. cum adveniret maior frater de agro. et appropinquaret domui. Quomodo enim minor filius cotidie crescit in paganis credentibus; sic maior filius quamvis raro redit tamen in iudaeis. cogitant ecclesiam. mirantur quid illud est. vident apud se legem; apud nos legem. apud se prophetas; apud nos prophetas. apud se iam nullum sacrificium; apud nos cotidianum sacrificium. Vident se in agro patris fuisse. sed tamen de vitulo non manducare.

Auditur etiam de domo symphonia sonans et chorus. Quid est symphonia? concordia vocum. qui discordant dissonant qui concordant consonant. Ipsam symphoniam docebat apostolus dicens; *obse-*

cro autem vos fratres ut idipsum dicatis omnes. et non sint in vobis scismata. Quem non delectet ista sancta symphonia. idest consensus vocum non discrepans; non in aliquo absurdus et dissonus; qui boni intellectoris offendat auditum? Et chorus ad concordiam ipsam pertinet. In choro non delectat. nisi vox una multorum temperata. habens ex omnibus unitatem; non dissonans in aliquam discordantem varietatem. Haec ille cum audisset sonare de domo; iratus nolebat intrare. Quomodo vere contigit boni meriti apud suos iudeus; ut dicat tantum posse christianos. Nos tenemus leges paternas. ad abraam locutus est deus de quo nos nati sumus. moyses legem accepit qui nos de terra egypti liberans. per mare rubrum duxit. Ecce isti tenentes scripturas nostras. cantant psalmos nostros per totum mundum. et habent cotidianum sacrificium. Nos autem et sacrificium perdidimus et templum. Interrogat et servum. quid hic agitur? Quemlibet servum interroget iudeus. aperiat prophetas; aperiat apostolum; quemlibet interroget; nec vetus testamentum nec novum tacuit de vocatione gentium. Servum interrogatum intellegamus librum scrutatum. invenies ibi dicentem tibi scripturam; frater tuus rediit. et pater tuus occidit illi vitulum saginatum. quia salvum illum recepit. Dicat hoc servus. quem recepit salvum pater? eum qui mortuus erat et revixit. eum recepit salvandum. et debebatur interfectio vituli saginati. ei qui longe abierat. Longe enim abeundo a deo; impius erat. Respondit servus apostolus paulus; etenim *christus pro impiis mortuus est.* Stomachantem se non intrat iratus. sed. alloquente patre. intravit. introire noluit ad servi responsum. Et vere fratres mei fit hoc. convincimus plerumque iudaeos de scripturis dei. sed servus adhuc loquitur; filius irascitur. sicut vincuntur nolunt intrare. Quid est hoc? Symphoniae voces te moverunt. chorus te movit. celebritas et festivitas domus. epulatio occisi vituli saginati haec te moverunt. Nemo te excludit. Cui dicis? quandiu servus alloquitur. ille irascitur non vult intrare. Redi ad dominum dicentem. *nemo venit ad me. nisi quem pater attraxerit.* Pater ergo egreditur. et rogat filium. hoc est trahere. maior vim adhibet rogando superior. quam iubendo. Hoc est autem quod fit carissimi. cum audierint tales homines occupati circa scripturas. et habentes qualemcumque conscientiam in bonis operibus. ut possint dicere patri suo. pater mandatum tuum non preterivi.

Tunc ergo convincitur de scripturis. et non inveniunt quid respondeant. Irascuntur. resistunt. velut vincere volentes. Postea relinquens illum cum cogitatione sua. et incipit interius loqui deus. Hoc est egredi patrem; et loqui ad filium. intra et epulare. Et ille contra. *ecce tot annis servio tibi. et nunquam mandatum tuum preterivi. et nunquam dedisti michi hedum quem cum amicis meis manducarem.* Ecce hic filius tuus advenit. qui consumpsit patrimonium tuum cum meretricibus. et occidisti illi vitulum saginatum. Cogitationes sunt interiores. ubi iam occultis modis loquitur pater. Agit enim et respondet intra se ipsum. Iam non servo responsum reddente; sed patre quodammodo rogante. leniter admonente. Quid est hoc? Nos tenemus scripturas dei. et non recessimus ab uno deo. Non expandimus manus nostras ad deum alienum. Unum illum novimus. ipsum semper coluimus qui fecit caelum et terram. et non accepimus hedum. Ubi invenimus hedum? Ubi invenimus hedum? inter peccatores. quare iste filius maior sibi conqueritur hedum datum non esse? peccare querebat de quo epularetur. Plane inde stomachabatur. hoc est quod iam dolent iudaei. hoc est quod resipiscunt. et intellegunt ideo sibi non datum christum; quia putarunt hedum. Agnoscunt enim vocem suam in evangelio in illis iudaeis superioribus dicentibus. *Scimus quoniam iste peccator est.* Ille vitulus erat. sed cum hedum putas; sine ista epula remansisti. Nunquam dedisti michi hedum. Quia non habebat pater hedum. quem sciebat vitulum. foris es; quia non accepisti hedum. intra iam ad vitulum.

Quid enim pater respondet? *fili; tu mecum es semper.* Attestatus est pater in propinquo fuisse iudaeos. qui semper uuum coluerunt deum. Habemus testimonium apostoli pauli dicentis; quod ipsi essent procul. gentes autem longe. Gentibus autem loquens ait; *Veniens scilicet christus evangelizavit pacem vobis qui eratis longe. et pacem his qui prope.* Longe tanquam minori filio. Ostendens iudeos. quia longe non abierunt porcos pascere. unum deum non deseruerunt. Idola non adoraverunt. daemoniis non servierunt. Non de omnibus

loquor. ne vobis occurrant perditi et seditiosi iudaei. Illi occurrant; a quibus isti reprehenduntur. graves. servantes mandata legis. nondum intrantes ad vitulum saginatum; sed iam valentes dicere mandatum tuum non preterii. Qui quando intrare caeperit; dicat ei pater *tu mecum es semper*. Mecum quidem es; quia non longe profectus es. Sed tamen male adhuc extra domum es. Praeter epulas nostras nolo te esse. Noli invidere fratri minori. tu mecum es semper. Non quidem attestatus est deus ad illum; ad illud quod minus forte incaute atque iactanter dictum erat; nunquam mandatum tuum preterivi. Sed ait; mecum es semper. Non ait nunquam mandatum meum preteristi. hoc est verum quod deus dixit. non unde se forte temere ille iactavit. Quamvis in quibusdam forte transgressor; tamen non recedens ab uno deo. ut verum dicat et pater. *tu mecum es semper; et omnia inquit mea tua sunt.* Nunquit quia tua sunt fratris non sunt? Quomodo tua sunt? communiter habenti; non separate iurganti. Omnia inquit mea tua sunt. Quae dicit ipsius esse; tanquam in possessione dedit. Nunquid caelum et terram subdidit? Aut sublimitates angelorum? Non oportet sic intellegi. neque enim vere subdendi nobis erunt angeli. ad quorum aequalitatem nos perverturos dominus in magna mercede promittit. Erunt inquit aequales angelis dei. Sed sunt alii angeli de quibus iudicabunt sancti. Nescitis ait apostolus quia angelos iudicabimus? Sunt enim angeli semper sancti? sunt angeli prevaricatores. equavimur bonis angelis ; iudicabimus malos angelos. Quomodo ergo omnia mea tua sunt? Vere omnia dei nostra. non tamen omnia subdita. Aliter enim dicis servus meus. Aliter frater meus. quicquid dicis meum; verum dicis. cum vero loqueris ; tuum est. Sed nunquid eo iure frater pro servus ? Aliter dicis domus mea; Aliter dicis coniux mea. Aliter dicis filii mei. Aliter dicis pater. Mater mea. Absque me audio; tua sunt omnia. Deus meus dicis. sed tamen deus meus numquid sicut servus meus ? Immo deus meus; sicut dominus meus. Ergo habemus superiorem deum nostrum. quo fruamur, habemus inferiora caetera quibus dominemur. Omnia nostra ergo. si nos ipsius. Omnia inquit mea tua sunt. Si pacificus fueris; si placeris. Si de reditu fratris gaudeas; Si epulae nostrae non te contristent ; Si non remaneas preter domum; quamvis iam ab agro veneris; omnia mea tua sunt. Epulari autem nos oportet et gaudere. quia christus pro impiis mortuus est; et resurrexit. Hoc est enim quod dictum est; *quia frater tuus mortuus erat et revixit. perierat et inventus est.*

Pag. 147-150 — LECTIO SANCTI EVANGELII SAECUNDUM LUCAM.

In illo tempore. Dixerunt pharisaei ad ihesum. quanta audivimus facta in capharnaum; fac et hic in patria tua. et reliqua.

OMELIA VENERABILIS BEDE PRESBITERI DE EADEM LECTIONE.

Quanta audivimus facta in capharnaum; fac et hic in patria tua. Quorum insana perfidia... hoc ipsi de se iudaei facto testantur. Nam sequitur. *Et repleti sunt omnes in synagoga ira haec audientes. et surrexerunt et eiecerunt illum extra civitatem.* Sinagoga grece. Latine proculdubio congregatio dicitur. Hoc quoque nomen iudaeorum populus sibimet privatum tenuit. Ipsorum enim conventicula proprie synagoga dici solet. quamvis sit et ecclesia dicta. Apostoli nempe nunquam synagogam; sed dixerunt semper ecclesiam. *Et repleti sunt omnes in synagoga ira.* Ubi frequens est populus; ibi scilicet et crebra seditio. *Repleti sunt ira.* Cum humani generis redemptor adfirmans ; ubi duo vel tres in nomine meo congregati fuerint se dicat in medio fore. Iure isti irae insania sunt referti; quia suo noluerant in caetu patientiae habere autorem. Unde et subditur. *et surrexerunt et eiecerunt illum extra civitatem.* Extra civitatem quidem pulsus fuerat; qui extra portam pro nostris fuerat crucifigendus sceleribus. *Et duxerunt...* terram tegunt.

EX CODICE CXIII.

(Pag. 54.)

Sermo sancti Effrem monachi.

De regionibus messis; gaudium. de vinea; fructus suavitatis. de scriptura autem; doctrina vivificans. Regiones; uno tempore habent messis (messem); et vinea; vindemiam. scriptura vero; semper effluit doctrina(m) vivificantem. Regio quando metitur. amittit gratiam. et vinea postquam videmiata fuerit; humiliatur. Scriptura autem; cotidie metitur. et spice interpretatorum; non deficient. Cotidie vindemiatur; et botrones spei eius non desinent. Appropinquemus quippe huic regioni; et de vivificante sulco eius satiemur. Et metamus de ea spicas vitae aeternae. Verba domini nostri ihesu christi qui dixit; *Sunt hic viri astantes qui non gustabunt mortem; donec videant filium hominis in gloriam suam. Et post dies sex; assumpsit symonem petrum; et iacobum fratrem suum; et iohannem. et duxit illos in montem excelsum seorsum; et transfiguratus est ante eos. Et facies eius refulsit sicut sol; et vestimenta eius tamquam nix.* Viri enim quos dixit ut non gustarent mortem donec viderent locum adventus eius: sunt hi tres apostoli; quos accipiens posuit in montem; et ostendit illis quomodo oportet eum venire in novissimo die in gloria deitatis; et in corpore humanitatis suae. Iterum quidem assumpsit eos in montem; ut ostenderet eis quis est filius; et cuius. Quando enim interrogavit eos; *quem dicunt esse homines filium hominis? Dixerunt ei. quidam heliam. Alii hieremiam. aut unum ex prophetis.* Propterea assumsit eos in montem; ut ostendat eis quia non est helias; sed deus heliae. nec iterum hieremias; sed qui sanctificavit hieremiam in utero matris. Neque unum ex prophetis; sed dominus prophetarum; et qui misit eos. Rursumque ostendit eis quoniam hic est factor caeli; et ipse est dominus vivorum ac mortuorum. Imperavit enim caelo; et deposuit heliam. precepit terrae; et resuscitavit moysen. Et illis; item ostendit; quoniam dominus est vivorum. et ipse est qui resuscitavit moysen a mortuis. *Et iterum assumpsit eos in montem;* ut ostendat illis quia filius dei est. Si enim dixisset quia ego deus sum ex deo; non satis faceret eis; propter carnem qua erat indutus; et quia cum eis conversabatur. Videntes enim beatam mariam genitricem eius. et ioseph qui enutriit eum. et quia nominabatur pater eius; et quia filii ioseph nuncupabantur fratres eius. Et iterum. quia sicut ipse esuriit; et recubuit. et dormitavit. propterea assumpsit eos in montem; ut pater vocet filium et doceat eos quia filius eius est in veritate. Assumpsit quidem eos; ut ostenderet illis regnum suum ante mortem. et potentiam suam; ante passionem. et gloriam suam; ante iniuriam suam. et honorem suum; ante imperium suum. Ut quando tenuerint eum iudaei; cognoscant quia non propter potentia(m) eorum crucifigitur; sed propter benivolentiam suam pro salute mundi. Et rursus ostendit eis gloriam suam ante resurrectionem; ut quando resurrexerit a mortuis in gloria naturae deitatis; cognoscant quia non mercedem propter laborem suum honoris accepit velut indignus; sed quia fuit ei gloria ab olim et a saeculo; cum patre et cum spiritu sancto. sicut dixit. *Pater clarifica me gloria quam habui ante quam mundus formaretur a te.*

Haec ergo gloria deitatis eius incerta et occulta. et in humanitatem suam ostendit apostolis in ascensione montis. *Facta est enim facies eius sicut sol. et vestimenta eius candida tamquam nix.* Duos

soles in monte; oculi discipulorum viderunt. unus qui videbatur ab eis in firmamento. et mundum totum illuminabat. et unus qui solum modo videbatur facies ihesu. Et facta sunt candida vestimenta eius. et in illis ostendit quia ex toto corpore suo emanabat gloria eius: et de tota carne eius refulsit lumen eius. et de ipso toto refulserunt radia eius. Non enim sicut moyses a foris caro eius fulsit decore; et in eo remansit. Sed de ipso orta est lux; et in ipsum collecta est. Non enim in alia parte discessit; et eum reliquit. quoniam non venit ab alio latere; et ornavit eum. Non fuit illi unctio; neque tota(m) profunditatem gloriae suae demonstravit. sed quantum sustinuit mensuram palpebris eorum. *Et apparuit eis moyses et helias cum eo loquentes*. Et verba eorum quae apud eos fuerunt; talia fuerunt. Gratias confitebantur. quoniam vera fuerunt verba prophetarum in adventum eius. Adorabant eum propter salutem quam fecit generi humano. et sacramentum quod depinxerunt ipsi; ipse adimplebit. Gaudium prophetis et apostolis; in ipsa ascensione montis factum est. Gavisi sunt prophetae; videntes humanitatem eius quam nesciebant. Et laetati sunt apostoli; cum audirent vocem patris; et didicerunt de humanitate eius; quae erat incerta ab eis. Non enim potuerant per aliam rationem discere de incarnatio(ne) eius; nisi a patre qui eum genuerat. et confirmavit eos vox paterna; et gloria quae apparuit in corpore eius. Et signatum est testimonium horum trium; in moysen et heliam. qui velut servi astabant; et unus ad alterum aspiciebat. Prophetae; apostolos. et apostoli prophetas. Et in adventu eorum quod fuerat factum ante ihesum; didicerunt apostoli; quoniam ihesus sepelivit moysen; et ipse vocavit et eduxit heliam. Non erat enim qui sciret sepulcrum moysi. nisi qui eum sepelierat. Neque aliquis sciebat ubi esset helias; nisi qui iussit et assumpsit eum. Et non erat qui potuisset eos reduci a mortuis; nisi omnium dominus; qui habebat potestatem caelestium et infernorum. Et viderunt se invicem; principes testamenti veteris; et principes novi. Moyses senctus; Symonem sanctificatum. Ecce dispensator patris; vidit praepositum filii. Unus quidem divisit mare; ut ambularet per medium fluctuum. Hic autem suscitavit illum; ut aedificaret aecclesiam. Et vidit castus veteris testamenti; castum novi. Helias; iohannem. qui ascendit currn igneo. ille qui recubuit super pectus flammeum. Factus est terminus aecclesiae; et adunavit eis duo testamenta; unum ad alterum. et ita suscepit aecclesia eius. et innotuit nobis quia ipse est doctor duorum. Quoniam assumpsit secreta eius; et alter manifestavit gloriam operum eius.

Dixitque symon. domine. bonum est nos hic esse. O symon; quid dicis? Si hic manserimus; verba prophetarum quis adimplebit? Et voces praedicantium quis designabit? Et secreta sanctorum et iustorum. quis finiet? Et si hic manserimus. *Foderunt manus meas et pedes meos.* In quem adimplebitur? *Et diviserunt sibi vestimenta mea et super vestem meam miserunt sortem.* Cui erit? *Et quia dederunt in aescam meam fel. et in siti mea potaverunt me aceto.* Cui contigit? *Et quod inter mortuos est liber.* quis implebit? Si hic manserimus. cyrographum adae. quis dividet? Et debitum et indumentum gloriae eius quis restituet ei? Si hic manserimus; quae dixi tibi quomodo fient? Et aecclesia super te; quomodo aedificabitur? Et claves regni caelorum quas accepistis. cui sunt opus? aut quem solves? vel quem ligabis? Si hic manserimus; cassa sunt omnia quae dicta sunt. Et dicit iterum symon ad ihesum; *Si vis faciamus hic tria tabernacula. tibi unum. moysi unum; et heliae unum.* Symon missus est ut aedificaret aecclesiam in mundo. et stetit facere tabernacula in monte? Adhuc enim tamquam hominem intuebatur ihesum; et cum moyse et helia eum aestimabat. Et ut ostenderet illis; quoniam non habet opus tabernaculum eorum. ostendit eis; quoniam ipse est qui fecit patribus eius quadraginta annos tabernaculum; et in nube lucida obumbravit eos. En vides symon tabernaculum qui prohibet aestum. non habens in se tenebras. Ecce tabernaculum coruscans et refulgens. *Discipulis quippe ammirantibus; ecce vox audita est de nube dicens; hic est filius meus dilectus in quo michi bene complacui; ipsum audite.* Et post vocem patris; moyses reversus est in locum suum; et helias in regionem suam. et apostoli ceciderunt in faciem; et ihesus stetit solus. quia vox illa in eum solum adimpleta est. Fugerunt prophetae; et apostoli ceciderunt; quoniam non eis adimplebatur vox quae dicebat; *hic est filius meus dilectus. in quo michi bene com-*

placui. ipsum audite. In hoc verbo docuit eos. quia adimpleta est dispensatio. Et moyses et helias iussi sunt. ut ihesum audirent. Ne dicatis haec dixit moyses; et haec ait helias. Servi enim cum essent; sicut praeceperat eis locuti sunt. et ut dictum est illis praedicaverunt. Hic enim filius est; et non vernaculus. et dominus; non servus. dominator et non dominaturus. auctor legis; et non sub lege doctus. In natura deitatis; *hic est filius meus dilectus.* Apostoli autem quod fuerat ab eis incertum; hic manifestavit pater filium suum. hic est qui annuntiat nativitatem eius. In ipsa enim voce. apostoli ceciderunt in facie. Tonitruum quidem fuit terribile; qua propter; ex ipsa voce terra sub ipso contremuit. Simili modo et ipsi prae timore ceciderunt; et ostendit illis quoniam pater eius est in natura deitatis suae. Appropinquavit ergo ihesus; et vocavit eos in voce sua; et erexit eos. Sicut vox paterna terribiliter prostravit eos. in gloria deitatis suae. Et deitas eius; et caro eius humana; una facies videbatur. Nam non sicut moyses extrinsecus decorus factus est; sed ut deus in gloria coruscabat. Moysi enim in lumine vultus sui; datum est decus. Ihesus autem toto corpore suo radiis coruscabat. et gloria deitatis eius operuit eum. et ipsius clamavit pater. *Hic est filius meus dilectus.* Non separatim gloriae deitatis; sed unius exclamavit vox; in corpore exiguo et gloria terribili. Et maria filium eum individuum corpori suo humano; a gloria deitatis suae. Unus enim est in corpore suo; et gloria qua apparuit in mundo. Et gloria eius; annuntiavit natura(m) deitatis quam a patre habuit. Et corpus eius annuntiavit naturam eius humanam; quam de sancta maria traxit. Et unus est filius unigenitus a patre; et ex maria. Et qui dividit eum. dividatur de regno eius. et qui confundit eum; pereat in vita sua. Qui abnegaverit quia non genuit deum maria; non videat gloriam deitatis eius. Et qui abnegaverit quia non induit carnem. privatus sit a salute et vita; quae per corpus eius data est. Ipsas causas docent eos qui discere velint quia virtus divinitatis eius canet; quoniam deus verax est. Et passiones eius testantur. quia homo est verus. et corpus est ex filia hominis. Et si non adimplemini sed hesitatis corde; quia egri esti(s) intellectu; requirite iudicium de evangelio salvatoris nostri ihesu christi. Si non erat caro; maria in medio qua de causa profecta est? Et si non esset deus. gabrihel. quem deum vocat? Si non erat caro; in praesepio quis recubuit? Et si non esset deus; angeli descendentes quem glorificabant? Si non erat caro; pannis quis involvebatur? Et si non esset deus; pastores quem adorabant? Si non erat caro; ioseph quem circumcidit? Et si non esset deus; stella in cuius honore praecedebat? Si non erat caro; maria quem lactabat? Et si non esset deus; magi cui offerebant munera? Si non erat caro; Symeon in ulnis quem portabat? Et si non esset deus; cui dicebat *dimitte me in pace?* Si non erat caro; soseph quem accipiens fugit in egyptum? Et si non esset deus; *Vocavi ex egypto filium meum* in quem adimplebitur? Si non erat caro; iohannes quem baptizavit? Et si non esset deus; pater de caelo cui dicebat *hic est filius meus dilectus*? Si non erat caro; quis ieiunavit et aesuriit in deserto? Et si non esset deus; angeli astantes. cui ministrabant? Si non erat caro; quis est invitatus ad nuptias in cana galileae? Et si non esset deus; aquam in vinum quis convertit? Si non erat caro; panis in cuius manus iacebat? Et si non esset deus; multa milia hominum in deserto quis saturavit? Si non erat caro; in navicula quis dormiebat? Et si non esset deus ventis et mari quis imperabat? Si non erat caro; symon pharisaeus cum quo comedebat. Et si non esset deus; delicta peccatricis quis remittebat? Si non erat caro; super puteum in itinere fatigatus; aquam quis postulabat? Et si non esset deus; aquam vivam samaritanae quis dabat et comprobabat? Si non erat caro; indumentum hominis quis induebatur; Et si non esset deus; de indumento quomodo exiebant virtutes? Si non erat caro; in terra quomodo expuit? Et si non esset deus; de luto oculos quomodo fecit videre? Si non erat caro; ad sepulcrum lazari quis flevit? Et si non esset deus; cum mortuus esset quatriduanus ad cuius nutu(m) exiebat? Si non erat caro; iudaei quem tenuerunt? Et si non esset deus; quis imperavit terrae; et super faciem suam iactavit eos? Si non erat caro; ante tribunal praesidis quis stabat? Et si non esset deus uxorem pilati in somnis quis terrebat? Si non erat caro; alapas quis sustinebat? Et si non esset deus; auriculam quam petrus absciderat. quis curavit et recondidit in locum suum? Si

non erat caro? sputum in faciem quis suscepit? Et si non esset deus; spiritum sanctum in faciem apostolorum quis insufflavit? Si non erat caro; qualia vestimenta exuerunt et diviserunt milites? Et si non esset deus; sol quomodo obscuratus est? Si non erat caro; in cruce quis pendebat? Et si non esset deus; a fundamento terram quis concussit? Si non erat caro; clavos in manibus et pedibus cui confixerunt? Et si non esset deus; velum templi quomodo scissum et petrae? Si non erat caro; lancea cui latus perforavit et exivit sanguis et aqua? Et si non esset deus; infernus cuius voce(m) audiens contremuit? Si non erat caro; acetum et fel cui offerebant? Et si non esset deus; mortui resuscitati cuius nutu exiebant? Si non erat caro; *deus meus deus meus quare me dereliquisti* quis clamavit? Et si non esset deus; *pater ignosce illis* quis ait? Si non erat caro ; in cruce cum latronibus quis pendebat? Et si non esset deus; ad latronem quomodo dicebat *hodie mecum eris in paradyso?* Si non erat caro; ioseph et nicodemus quem condiderunt aromatibus et sepelierunt? Et si non esset deus; in die tertia quis est qui resurrexit? Si non erat caro; apostoli in cenaculo quem viderunt et palpaverunt? et si non esset deus; quomodo ad eos introivit ianuis clausis? Si non erat caro; thomas cuius plagas clavorum et lanceae. palpavit? Et si non esset deus; qua ratione ei dixit. *quia vidisti me credidisti. beati qui non viderunt et crediderunt?* Si non erat caro; ad mare tyberiadis quis manducavit? Et si non esset deus; retia in cuius nomine repleta sunt? Si non erat caro; apostoli et angeli quem viderunt quando assumptus est? Et si non esset deus; caelum et terra quem adoravit? Si non erat caro; mentita est salus nostra; quia filius hominis factus est ex filia hominis. in carne qua(m) induit ex ipsa. et ipse christus unigenitus filius; et dei verbum. Ipsum confiteor deum summum. in duabus naturis secundum unitatem substantiae genitum. Indivisum etiam et inconfusum. intemeratum et ex dei genitrice natum. carnemque assumere dignatum. et anima(m) et corpus. Purificatumque spiritum sine coitu peccati. et natura verbi conceptum. Summus assistens homo; simul etiam secundum carnis assumptionem. animam habens rationabilem et sensibilem. factus est quod non erat. et perseverans quod fuit. In utraque summus cum esset; existebat terrenus ac caelestis. modernus et sempiternus dictus. Principalis; et sub tempore creatus increatusque. Passus etiam impassibilis. et homo unus. et in duabus, summus. Secundum substantiae unitatem una facies patris; et una facies filii. et una facies spiritus sancti. In tribus personis. unus consubstantialis. Una potentia una deitas in qua clamabat pater. *hic est filius meus dilectus. in quo bene complacui. ipsum audite.* Haec suscepit sancta aecclesia dei. in his baptizat in vitam aeternam; et in his sanctificat. Una aequitate. et in ipsis confitetur individue. et eos adorat sine errore. Cui videlicet filio; una cum patre et spiritu sancto. eadem est gloria et honor. magnitudo et magnificentia. virtus et potentia. regnum et imperium. nunc et semper per infinita saecula saeculorum. Amen.

Pag. 258 — LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM LUCAM.

In illo tempore. Ibat ihesus in civitatem que vocatur naim; et ibant cum illo discipuli eius; et turba copiosa. Et reliqua.

OMELIA VENERABILIS BEDE PRESBITERI DE EADEM LECTIONE.

Naim civitas est galileae; in saecundo miliario tabor montis contra meridiem. iuxta endor qui est vicus grandis; in quarto miliario eiusdem montis ad meridiem. Interpretatur autem fluctus instabilis; sive commotio. Mundum istum significat: quod in fluctuatione et commotione positus est. Fluctuatur enim a malignis spiritibus; vel membris ipsius. idest. perversis hominibus. In quo dei filius per incarnationem verbi; mysterii venire dignatus est. non ut peccatis nostris communicaret; quod utique non fecit. *qui peccatum non fecit; nec inventus est dolus in ore eius.* Sed ut genus humanum de potestate diaboli liberaret; ideo venit. Bene instabilis quia transit et concupiscentia eius.

Et ibant cum eo discipuli eius; et turba copiosa. Quantum ad litteram attinet; ita est. Spiritualiter autem turba illa; significabat turba credentium; qui secuuntur eum per fidem.

Cum autem appropinquaret portae civitatis; aec-

ce defunctus efferebatur filius unicus matris suae. Et hoc ad literam; ita est. Spiritualiter autem portae civitatis; sunt sensus hominis exterioris. Videlicet; visus. auditus. gustus. odoratus; et tactus. Civitas autem; est ipse homo. Qui enim seminat inter fratres discordias; qui iniquitatem in excelso loquitur; per oris sui portam extrahitur mortuus. Qui fabulis otiosis et scenis sive carminibus philosophicis et detractionibus aurem libenter accomodat; per aurium suarum portas extrahitur mortuus. Similiter; et de ceteris sensibus intellegi potest. quos qui male utuntur; per ipsorum portas; suae mortis indicia profert. Defunctus autem qui extra porta(m) civitatis efferebatur; eos significat peccatores; qui iam ad multorum notitiam devenerunt. Qui bene unicus matris fuisse perhibetur. quia sancta aecclesia quamquam ex multis nationibus sit collecta; unum tamen deum. unam fidem. unum baptisma; confitetur et praedicat. Nam quilibet electus et perfectus vir; quando ad fidem imbuitur; filius est. quando alios imbuit; mater efficitur. An non materno affectu agebat erga parvulos apostolus cum diceret; *Filioli mei quos iterum parturio?*

Et haec vidua erat; et turba civitatis multa cum illa. Nutu dei actum est. ut resuscitante domino filium viduae; multa cum eo turba comitaret; multa cum vidua. ut viso tanto miraculo; multi testes dei; multi fierent laudatores. Bene sancta Ecclesia vidua dicitur; quae sponsi dominique sui viduata est. De quo per prophetam ipse ait; *Viduam eius; benedicens benedicam.*

Quam cum vidisset dominus; misericordia motus super eam. dixit illi; Noli flere. Desiste inquit mortuum flere; quia mox viventem videbis resurgere. quem facile resuscitare possum. Misericordia motus est; quia *misericordia domini plena est terra.* Et bene primum misericordia motum dixit evangelista dominum; ac deinde filium resuscitasse viduae. Ut in eo quo misesicordia motus est; exemplum imitandae pietatis ostenderet. In id vero quod mortuum suscitat; fidem mirandae potestatis astrueret. Sic enim quilibet vir perfectus agere debet. scilicet cum quemlibet peccatorem flentem conspexerit; et converti volentem. consoletur eum. Monente apostolo; *Vos qui spirituales estis; huiusmodi instruite in spiritu lenitatis.*

Et accessit et tetigit loculum. Loculus in quo mortuus efferebatur; mala desperati peccatoris conscientia est.

Hi autem qui portabant; steterunt. Hi vero qui portant; intellegi possunt desideria nociva et immunda; quae hominem ad interitum rapiunt, Vel certe adulatores; qui peccatores favere solent dum laudibus attollunt. Sicut scriptum est; *Laudatur peccator in desideriis animae suae; et iniquus benedicitur.* De quibus dominus. *Sine mortuos sepeliant mortuos suos.* Mortuus mortuum sepelit; cum peccatores quique sui similes favore demulcent. Dominum vero accedere et loculum tangere est; quemlibet peccatorem ut ad penitentiam convertatur; interius mente conpungere. Domino tangente loculum; funeris baiuli portitores scilicet steterunt quia conscientia peccatoris aeterni iudicii formidine tacta; ad se ipsam revertitur. carnalium voluptatum affluentia; et turba mala blandientium vitiorum resecatam vel coercitam.

Et dixit adolescenti; tibi dico; surge. Ac si dicat; qui diu iacuisti in vitiis et peccatis; surge et eleva te in virtutibus.

Et resedit qui erat mortuus. Residet quippe qui erat mortuus; cum interna conpunctione revivescit peccator. Omnis enim peccator quamvis vivere videatur; tamen interius mortuus est. Iuxta quod paulus apostolus de vidua divitiis fruente dicit; *Vidua in deliciis vivens et nutriens carnem suam; vivens mortua est.*

Incipit loqui; quando relicta pristina conversatione; incipit deum laudare.

Redditur matri cum peracta poenitentia; in sinu matris aecclesiae per misterium sacerdotum recipitur; eiusque communioni sociatur.

Accepit autem omnes timor. Nutu dei actum est ut resuscitante domino filium viduae; omnes qui aderant timore perculsi; eius potentiam collaudarent. Sicut iam supra dictum est. Videntes eum de quo desperatio facta fuerat; pristinae sanitati redditum.

Quia propheta magnus surrexit in nobis. Male forsitan erraverunt; cum eum prophetam esse dixerunt. Sed quanto mors animae desperatior; tanto plures eodem corriguntur exemplo; cum ad vitam a mortuis revocatur. Vide david; qui adulterium simul et omcidium patravit. Considera pe-

trum; qui dominum negavit. quorum quo altior gradus; eo gravior casus; eo pietas erigentis gratior; quo autem pietas erigentis est in eis gratior; eo cunctis certior poenitentibus spes salutis apparuit. Ut iure omnes qui audiunt dicant; *Quia deus visitavit plebem suam.* Primo; per adventum unici filii sui. non quod sua invenit. sed visitando fecit suam. Visitat cotidie per respectum divinae clementiae: mittendo in cordibus nostris; ut a morte animae resurgere debeamus. Sed non est praetereundum. quod dei filius; tres solummodo mortuos suscitavit. Quartum vero suscitare noluit. sed nuntianti cuidam dixit; *Sine mortuos sepeliant mortuos suos.* Primo videlicet; filiam archisynagogi; Saecundo; de quo nunc presens lectio loquitur filium viduae. Tertio; lazarum. Qui tres mortui; tria genera peccatorum significant. Filiam archisinagogi que in domo mortua iacet; foris eiecta; ad multorum notitiam nondum veniens. eos significat. qui in conscientiam perpetrant peccatum. et ideo mortui sunt interius. *quia mors secus introitum delectationis posita est.* Sed hos dominus resuscitare non cessat; cum interius conpungit ut ad poenitentiam redeant. Unde non alta voce. sed blande hanc alloquitur dicens. *Tabita cumi. quod est; puella surge.* quia tales. non acriter. sed spiritu mansuetudinis sunt arguendi. Filium vero viduae extra portam elatum; eos significat qui iam ad multorum notitiam devenerunt. qui non interius sua tegunt peccata. sed foris proferunt. quem altiori voce appellat dicens; *Adolescens; tibi dico surge.* quia tales; acrius increpandi sunt. Lazarus quatriduanus. in monumentum iam fetens; eos significans qui in diuturno iam tempore mortui sunt in vitiis atque peccatis. Et ideo non solum ante deum verum etiam et ante homines iam fetent. Unde sorores eius domino dicunt; *domine. iam fetet.* De talibus scriptum est; Peccatum suum; sicut sodoma praedicaverunt; nec absconderunt. Sed neque hos tales dominus repudiat; immo resuscitare non cessat. Sed assunt fideles sorores; quae praecantur. quem bene magna voce clamans sic dicit; *lazare veni foras.* Quia hi tales; acriter sunt increpandi. Quartum; suscitare noluit. sed ait; *Sine mortuos sepeliant mortuos suos;* Eos significat qui in vitiis et peccatis permanentes; nolunt converti ad paenitentiam. sed obstinata mente considerata multitudine peccatorum; in desperatione veniunt. De qualibus scriptum est; *Peccator cum in profundo malorum venerit contemnit.*

Obsecro domine ihesu in portas civitatis meae; portas iustitiae facias; ut ingressus. in eas; confitear nomini tuo. tuaeque maiestati. Cum ministris caelestibus crebrius etiam eam invisenti; non fetor elati cadaveris occurrat. sed occupet salus muros illius; et portas eius laudatio.

EX CODICE CXVI.

(Pag. 301.)

Sermo sancti augustini episcopi.

Hodie verus sol ortus est mundo... Nemo enim potest peccata dimittere nisi solus deus. Sive hodie stella magis apparuerit; unde et epiphania greco sermone vocatur; quod nos possumus dicere apparitio vel ostensio. sive hodie sit baptizatus; diversa quippe opinio fertur in mundo. et pro traditionum varietate sententia est (diversa). Nobis illud constat ad liquidum; quod sive hodie magos duce stella ad se adorandum perduxit; sive renatus est in baptismo; utrumque nobis proficit; Utrumque mysterium est. Utraque utilitas nostra est. Dei filius non habebat necessarium ut renasceretur. neque enim peccatum fecerat... cesarum et dapes; christianorum subiectionem et nuditates et ieiunia pertimescunt... crucis pictura signaverat. Itaque dilectissimi fratres pauca etiam de baptismi sacramento accipite. Baptizatur dominus a servo; et a deo filius appellatur. Quid hac humilitate sublimius? Vilitate nobilius? Inter publicanos et meretrices et peccatores ad lavacrum venit. et sanctior est baptizatore suo. lavatur a iohanne in carne; in spiritu lavat. Aquae quae cetera mundare consueverant; domino nostro lavante mundatae sunt. Iordanis; fluvius qui eo tempore quando populum israhel dux ihesus ad terram repromissionis induxit fuerat exiccatus; nunc totis si potuisset undis in unum locum voluerat congregari. ut domini corpus attigeret. Exultemus itaque fratres karissimi; et ad crucis similitudinem sanctas in caelum levemus manus. cum sic nos daemones armatos viderint; opprimentur. Nam primus ille populus. habuit hostem amalech. Tunc oravit moyses. Tunc extendebat manus. At ubi deponebat manus; convalescebat amalech. ubi extendebat manus; deficiebat amalech. Et tuae manus si extensae sint; deficiet amalech temptator. et huius itineris impeditor. Esto vigil. Esto sobrius in orationibus et operibus bonis. sed non preter christum. quia extensio manuum christi crux fuit. In illa extenditur apostolus cum dicit; *michi mundus crucifixus est et ego mundo*. Ergo deficiat amalech: Vincatur. Non impediat transitum populi dei. sed si remittis manum a bono opere; a cruce christi; praevalet amalech. Tamen non omnimodo aut continuo te fortem futurum putare; Aut penitus desperando deficere debes. Alternatio enim illa defectus et fortitudinis in manibus servi dei moysi; forte alternatio tua fuit. Aliquando enim in temptatione deficis; sed non omnino succumbis. Deponebat manum; sed populus non omnino ruebat. Si dicebat motus est pes meus; ecce misericordia tua domine adiuvabat eum. Noli ergo timere. adest in itinere auxiliator; qui in egypto non defuit liberator. Noli timere. aggredere viam. praesume securus. Aliquando ille deponebat manus; Aliquando; erigebat; tamen victus est amalech. Rebellare potuit. superare non potuit. Contradicente domino et salvatore nostro ihesu christo. qui est benedictus in saecula saeculorum. Amen.

Pag. 312 — Sermo sancti Augustini Episcopi.

Non explicare possumus fratres karissimi quantam gratiam christo domino debeamus; qui vota votis accumulat. Gaudet et gaudia nostra multiplicat. Ecce enim adhuc exultamus salvatorem natum; etiam nunc eum laetamur esse renatum. Nec-

dum ortus eius est expleta festivitas; etiam baptismatis eius est caelebranda sollemnitas. Vix aliquando natus est dominus terris; etiam nunc renascitur sacramentis. Hodie enim licet post multa annorum curricula consecratus est in iordane. Ita ergo disposuit dominus; ut vota votis suggereret. hoc est uno eodemque tempore et ederetur per virginem; et per mysterium gigneretur. essetque nati continuata festivitas; carnis utique, atque baptismatis. et quem ad modum tunc miramur eum impolluta matre conceptum; ita et nunc suscipimus illum pura unda summersum. Et gloriamur in utroque facto: quia filium genuit mater et casta est. et quia christum unda lavit et sancta est. Nam sicut post partum glorificata est mariae castificatio; ita et post baptismum aquae est purificatio comprobata. nisi quod maiore munere quam maria unda ditata est. Illa enim sibi tantum meruit castitatem; ista etiam nobis contulit sanctitatem. Illa meruit ne peccaret; ista ut peccata purgaret. Illa propria delicta a se repulit; ista in se aliena condonat. Illi est collata virginitas; isti est donata fecunditas. Illa unum procreavit et pura est; Ista cotidie generat plures et virgo est. Illa praeter christum filium nescit. Ista christo mater est populorum. Natalis ergo hodie alter est quodammodo salvatoris. Nam isdem eum signis ísdemque miraculis videmus esse progenitum. sed maiore mysterio. Denique spiritus sanctus qui tunc affuit illi in utero; modo eum circumfulsit in gurgite. qui tunc castificavit illi mariam nunc illi fluenta sanctificat. Pater qui tunc illi obumbravit in virtute. nunc clamat in voce. Et quasi maturiore consilio qui tunc umbram praestitit nativitati. modo testimonium perhibet veritati. Ait enim deus. *Hic est filius meus dilectus in quo bene complacui. ipsum audite.* Praeclarior plane est secunda quam prima nativitas. Illa enim sine teste silentio genuit. Ista cum divinitatis professione gloriose dominum baptizavit. Ab illa ioseph qui pater putabatur excussus est. In hac se deus pater qui non credebatur insinuat. Ibi laborat suspicionibus mater; quia professioni deerat pater. Hic honoratur genitrix quia divinitas filium protestatur. Honoratior inquam secunda est quam prima nativitas. Siquidem pater huic deus maiestatis inscribitur. illius ioseph artifex estimatur. Et licet in utroque dominus per spiritum sanctum et natus sit et baptizatus; tamen honoratior est qui de caelis clamat quam in terris laborat. Ergo ioseph faber in terris pater putabatur esse domini christi. nec ab hoc opere deus qui vere est pater salvatoris excluditur. Nam est et ipse faber. ipse enim artifex huius mundi machinam fabricatus est. et tanquam sapiens architectus caeli subtilitatem suspendit. terrae molem fundavit. maria calculis alligavit. Ipse est artifex qui ad mensuram quandam superbiae deponit fastigia. humilitatis extrema sublimat. qui in nostris moribus recidit superflua opera. utilia quaeque conservat. Ipse est artifex cuius securem ad radicem nostram positam iohannes beatissimus protestatur. ut arbor quae normam iustam excesserit; excisa radicitus tradatur incendio. quae autem mensuram veritatis habuerit; caelesti fabricae deputetur. Hodie ergo baptizatus est dominus in iordane. quale est hoc baptismum fratres ubi purior ipso fonte ille qui mergitur? Ubi dum susceptum aqua diluit; non sordibus inficitur. sed benedictionibus honoratur? Quale inquam baptismum est in quo purgantur magis fluenta quam purgant? Novo enim sanctificationis genere christum non tam lavit unda quam lota est. Nam ex quo salvator in aquas mersus est; ex eo omnium gurgitum tractus consecravit. ut quisquis ubi in nomine domini baptizari voluerit. non illum mundi aqua diluat. sed christi unda purificet. salvator autem ideo baptizari voluit; non ut sibi munditiam adquireret; sed ut nobis fluenta mundaret. Ipse qui est benedictus in saecula saeculorum. Amen.

EX CODICE CXVII.

(Pag. 1.)

Incipit de ortu vel obitu Ysaiae prophete

Isayas in hierusalem nobili genere natus est. ibique prophetavit sub manasse rege sectus in duas partes occubuit. Sepultus est sub quercu rogel. iuxta transitum aquarum. quam olim ezechias rex iacto ostruxerat pulvere.

Pag. 105 — In natali domini. Sermo S. Augustini Episcopi.

Audite fratres karissimi quemadmodum nobis beatus evangelista hodie generationis christi retulit sacramentum. *christi* inquit *generatio sic erat.* Dominus noster ihesus christus fratres karissimi qui in eternum est cunctorum... Innovatus est in etate quia plenus erat pietate. Rogo vos fratres karissimi quis iste sit senex simeon. quam magnitudinem sentiebat in parvo quem videbat. Mater portabat quod intellegebat puer mundum regebat. Ipse ferebat. christum (,Christus) regebat symeonem senem. Quid ergo dixit symeon audite. *nunc domine dimitte servum tuum in pace.* In pace inquam commendatus est dicens discipulis suis. *Pacem meam do vobis pacem meam relinquo vobis.* Dictum ei fuerat a domino. quod non gustaret mortem nisi videret christum domini natum. Natus est christus. ille veniebat. et ille ibat. Sed nisi veniret ille. ille ire nolebat. Iam senectus matura excludebat. sed sincera pietas detinebat. At ubi natus est christus. at ubi eum manibus matris portatum vidit. et divinam infantiam pia senectus agnovit. *Nunc dimittis domine servum tuum in pace.* Impletum est desiderium senis in mundi ipsius senectute. Ipse ad se hominem venit qui mundum inveteratum invenit. In isto quidem seculo diu esse nolebat. et christum in hoc seculo videre cupiebat. cantans cum propheta et dicens *ostende nobis domine misericordiam tuam et salutare tuum da nobis.* Denique ut noveritis ita esse istius letitia(m) conclusit dicens. *Nunc dimittis servum tuum in pace. quia viderunt oculi mei salutare tuum.* (H)ec sunt testimonia tua domine ihesu. antequam tibi externerentur fluctus maris... descendit ad iacentem. Veniamus ad eum credendo... saeculorum. Amen.

Pag. 126 — Fabulosa vita S. Stephani Protomartyris.

Temporibus cesaris regis urbis iudeorum cum esset de patrociniis romanorum. Pylatus ductus per verbum pontificis in ga(li)lea regnum iudeorum iudicare. quia iam erat consuetudo romanorum urbibus in omni comitatu. Ita sic fuit pylatus in galilea positum erat ad iudicandum ad illis diebus legem moysi. et erant omnes credituri per eius legem. sed lex autem non erat subintrare delictis. Pylato legem cessare iudicantis. et inter eos. In istis autem temporibus erat antiochus in iudeam civitatem cum uxore sua nomine perpetua. Multa divitia eo quae erat in eis posita usque ad annos XLVI. cottidie deprecabantur ut estenderet in eis filiis. Quia in illis diebus cum oblatione in ecclesia non incrediebant nec communionem accipiebant. sine genere filii. Permissaque eis divina mysteria in ea que dedit eis spiritus filium in utero suo conciperet. gaudens tota domus propterea pregnatione. Cum pervenisset tempus nature pueri stephani ab angelo nomen eius est prenuntiatum. Sed repleta familia domus magna beatitudo propter natu-

ram masculini hominis. Nocte quoque tempore venit sathanas in figura hominis introivit in eius domum ubi infans stephanum est. Et venit in presepio. ubi requiescebat. et detulit puerum stephanum in brachio suo substento. Et posuit idolum in eius lectulo permanere. in persona patris familia domus. Et detulit beatum stephanum per medium mare. intra ianuam regni ante hostium iuliani episcopi. posuit eum pannis involutum. Et regressus post tergum sathanas denesivit (?). infans cepit voces suas flentiora facere. Cum autem ita episcopo vigilans cetera (celebrare?) mysteria et dixit fletus pueri est. hoc quod audivi. Tunc dixit ministris suis. Quia non est nisi fantasma inimicorum. Episcopus somnus gravis recepit. Ecce iam preparavit enim deus cervum non nigrum sed candidum qui dedit tunc puero lacte. ante hostium episcopi. Cum audissent fretu cervorum consurrexit de lecto suo. et venit ad hostium ubi infans erat. Et aperuit hostium. et vidit custodire viscera pueri. et timore magno irruit super eum et dixit. Deus aeterne absconditor. et qui divina mysteria in terra misisti. et per angelos prenuntiatus fuisti. noe hedificare altare de terra. et offerre super illum holocausta. ita mittere digneris misteria tua. Si est homo loquatur. et si est fantasma fugiat. Statim aperta est lingua eius et os loquitur cervi. Quia hic est homo quem tibi deus transmisit. Sanctus vero episcopus de terra in brachio suo recepit. et benedicens deum. Deus gratias ago tibi qui dedisti michi filium sine peccato. Et dedit illum ad nutricem suam ut detraheret et custodiret usque dum iuventute sit repletus. Crescit enim deus cito plenitudo temporis usque dum cepit deus littera sic aperire. Aperuit enim deus corda et scientiam de eius aecclesiastice episcopis ministrari. O mira quamdiu erat prudentia et scientia contra homines et deo servire. custos nobilis et viros. Diligebant autem eum propter humilitatem et pulcritudinem suam. Faciebat inter eos signa in populo. Angelus autem domini nocte venit in sompno dicens. Vade predicare cirenensi. et alexandria. et cilicia. et asia. Sed deputantes foras eicere. sed sermonibus tuis operiantur super eos doctores erunt. Stephanus autem cito surrexit in asia. Dum pervenisset ad portam civitatis septem ydolis sedentem in fronte super portam civitatis. Cum illos vidit timor irruit super eum et dixit. Deus omnipotens qui dignatus es servis tuis concedere salutem dignare hanc civitatem ab omni hoste iniquo. Et introivit in eius civitatem. et cepit predicare. Convertit quatuor civitates ad aulam dei. Idest cirenentia. alexandria. cilicia. et asia. disputantes cum stephano. Tunc vidit infra portam homine(m) mortuum. in feretro. et turbam civitatis plorantem super eum. Beatus stephanus clamavit. et dixit. Deponite eum. et deposuerunt. Et ille expandit manus ad celum orabat dicens. Domine deus omnipotens qui in nomine tuo cuncta resurgunt. adiuva mysteria facta hominem istum cunctis videntibus resurgere in isto corpore. ut credant in eum cuncti infideles. quia tu es deus et non est alius preter te. Et hoc cnm dixisset surrexit a mortuis. proiciens ad pedes sancti stephani. exclamavit dicens. O beatissimus iuvenis. ego vidi te principem magnum coram deo tuo. Et cum oratio tua fuit completa. frequenter adduxerunt animam meam in corpus meum. Modo scio quia tu es princeps militie. et viderunt cuncti civitatis prudentia et mirabilia et crediderunt in eum. Quia hic est vere propheta quem nobis dominus ostendit. Nocte vero in sompnis. dixit angelus ad eum. Vade in civitate que dicitur galilee. ubi est domus patris tui. et pone in ea gaudium propter tristitiam. qui ibi est figura sathane. et posuit in lecto et tibi attulit. Cum audito verbo sollicitus et mirans. Venit ad iulianum episcopum ut acciperet benedictionem ut revertatur in domum patris sui. Episcopus vero tristis factus est. quia noluit dimittere eum. Deus qui es absconditor. et conditor. qui benedictionem habraham dedisti. multiplicabo semen tuum sicut stellas celi. ita multiplicet te deus benedictionem et gratiam. et sapientiam. et intellectum. ut ante suam maiestatem pariter coronatus pervenire merearis ad eius vocem nobis cum ante tribunal iudicis. Introivit in navicula et venit in galilea ad domum patris sui cepit orationem facere et diabolus tacitus factus est. Dixit beatus stephanus. Unde est ista tristitia que inter vos est. Ille vero ignorabat dicens. Deprecabatur deum propter coniunctionem filii. Det mihi tribulationem post gaudium Dixit beatus stephanus. Adiuro te per deum vivum ut dicas michi cuius filius es tu. Respondit demon et dixit. Noli me interficere stephane et ego revertor ad cunctos inimicos tuos. Beatus stephanus in-

quisivit in populum ut eius signis adducere ante eum. Cepit sathanas stridere ante eum. et mugitus tauri. et omnes voces bestiarum facere. et dixit beatus stephanus ad patrem suum. Ego sum vester filius quia in nocte te tulit michi sathanas de presepio. et posuit suum genitum. Gaudens tota domus illa de specie pulcritudinis et de dulcedine sapientie. Mane autem facta crastina perrexit in civitatem iudeorum cepit predicare populum. et non poterat resistere sapientie et spiritui qui loquebatur. et convertit nongentos viros. exceptis parvulis et mulieribus. Et ascendit in pontifici cayphe. et convertit quingentos viros. et cepit devota lege solvere. Cayphas autem dixit. Unde est iste pulcher iuvenis? cognoverunt eum sui omnes et antiochus. cuius filius est. Dixit autem cayphas. legem filie Marie pronuntians. dixit ad populum. Morte turpissima condempnemus eum. Beatus stephanus dixit. Vox de tribu non est. sed camini ignis ardentis. Erant enim quinque pueri. thomas. et bartholomeus. saulus. et iudas. arianus. et imperavit pontifex ut lapidarent eum. Et acceperunt lapides cum funiculis. et flagellis. et percusserunt super eum. Isti lapidabant ille vero orabat. Et eiecerunt eum extra civitatem. et percussus est lapis sauli in verticem stephani. Et testes deposuerunt vestimenta sua secus pedes adolescentis qui vocabatur saulus. Et stephanus clamabat dicens. Domine ihesu christe accipe spiritum meum. et ne statuas illis hoc peccatum quia nesciunt quid faciunt. Deinde vidit celos apertos. et filium hominis stantem a dextris virtutis dei. et ihesus clamavit voce magna dicens. Quisquis persequeris servum meum. ad eius divina mysteria assumptum in celum. Venerunt christiani cum parentibus eius et fecerunt plantum magnum super eum. Ipse vero dominus noster ihesus christus qui collocavit sanctos suos. et stephano primum martyrem ipse gubernet nos. et collocet eum inter agmina sanctorum. Qui vivit et regnat in secula seculorum.

Pag. 130 — Passio S. Ioannis Ap. et Evang. Incipit prologus.

Iohannes hebraice latine dei gratia seu columba. aut apertius interpretatur. Quodam vaticinio ex merito nomen accepit. Nam amplius eum ceteris apostolis dilexit christus. Figuram autem habet aquile. unde dominus post resurrectionem carnis demonstrat revolasse in celos. De quo dicitur more volans aquile. verbo petit astra iohannes. Hic est apostolus evangelista domini filius zebedei. frater iacobi. virgo electus a domino. Qui etiam supra pectus magistri recumbens. evangelii fluenta de ipso sacro dominici pectoris fonte potavit. Et quasi unus de paradisi fluminibus verbi dei gratiam in toto terrarum orbe diffudit. Quique in loco christi. christo iubente successit. Dum suscipiens matrem magistri discipulis par post christum. alter quodammodo derelictus est filius. Hic dum evangelium christi in asia predicaret a domitiano cesare in pathmos insula metallo religatur. Ibi etiam positus apocalipsin scripsit. Interfecto autem a senatu domitiano exilio resolutus. recessit ephesum. ibique ob hereticorum refutandas versutias. flagitatus ab asie episcopis. evangelium novissimus dedit. Cuius quidem inter alias virtutes. magnitudo signorum hec fuit. Mutavit in aurum silvestres frondium virgas. Item gemmarum fragmina in propriam reformavit naturam. Viduam quoque precepto populi suscitavit. et redivivum corpus ieiuniis revocante anima reparavit. Bibens mortifero austum, non solum evasit periculum. sed eodem prostrati poculo in vite reparavit. statum. Hic autem anno sexagesimo septimo post passionem domini salvatoris sub traiano principe longevo vetustatis senio fessus cum diem transmigrationis sue imminere sibi sepulchrum. atque inde valedicens fratribus. facta oratione vivus tumulum introivit. deinde in eum tamquam in lectulo requievit. Unde accidit ut quidam eum vivere. asseverant. nec mortuum in sepulchro. sed dormientem eum iacere contempdunt. Maxime pro eo quod illic terra sensim ab imo scaturiens. ad superficiem sepulchri conscendit. et quasi flatum quiescentis deorsum ad superiora pulvis ebulliat. Quievit autem apud ephesum septimo kalendas ianuarias.

Pag. 145 — (In Natali Innocentum Sermo S. Augustini episcopi?)

Cum magno gaudio. letanter ac reverenter fratres karissimi hodiernum diem celebrare debemus. in quo parvuli vice domini. beatam mortem sum-

pserunt. Testes quippe christi erant et confessores. qui nondum fuerant agnitores. Et ante passi segregati ab uberibus. quam membra adessent passionis. Prius lucrati virtutes. ante quam linguas solverent in verba predicationis. O beata mors infantie. que vita in parvulis est ostensa. Ioseph in aegypto vitam abscondit fugiens. parvuli beati facti sunt. eius presentia morientes. Vitam virgo celavit gremio. herodes funestus pueros interfecit gladio. Dum vita(m) mundi quesivit extinguere. celos ornavit etate puerili. Qui dum regno metuit ne privaretur. celeste simul et terrestre regnum amisit. Qui dum regem celi simul et terre quesivit interimere. amisit delicias terre et paradysi. Nato quippe domino ihesu christo in bethleem iude stella apparuit in horiente. Qui dum esset natus et in presepio positus. meruit eum terra simul et celum. Terra eo contremuit moriente. cui celum stellam misit nascenti. Angelos non retinuit celum. qui gaudium nuntiarent pastoribus. stella moriente clariter fulget. gaudium magis cum timore nuntiat. Nisi gauderent. de tam longinquo; regem non requirerent. Et si timor in eis non accessisset. munera minime attulissent. Propterea munera domino sollicite adferebant. et ubi natus esset nesciebant. Hierusalem regiam civitatem venientes. herodem de domino interrogabant dicentes. Ubi est qui natus est rex iudeorum? vidimus enim stellam eius in oriente. et venimus cum muneribus adorare eum. Herodes vero audita voce magorum turbatur. et quo tempore ipsa eis apparuisset stella diligenter inquisivit. Non recte exquirens ad studium bonitatis. sed cause exercende iniquitatis. De morte ihesu christi domini et salvatoris nostri cogitabat. unde ei ab ipso potestas data non erat. Magos illum perquirere cogat. adorare eum velle se simulat. quem occidere amplius quam adorare desiderabat. Renuntiari sibi a magis evidenter postulat. cui angelus de longinquo viator pacificus fuerat. Sed ad eundem herodem eos redire non permisit. qui in somnis ne ei renuntiarent ammonuit. Post alia oblata domino munera. alia sunt via regressi. qui eundem angelum (h)abebant pacificum ducem. Herodes vero cum vidisset sibi a magis non renuntiari. graviter iracundiam gerebat in pectore. Et qui dum ipsum christum quis esset non agnoscebat. pro ipso bethlehemiticos parvulos in unum congregabat. Ut dum ipsi advenirent ut morirentur. christus inter ipsos etiam moriturus inveniretur. Qui dum unum vellet puerum interficere. centum quadraginta quattuor milia parvulos fecit paradysum introire. Sicque actum est. ut pro uno parvulo. multi pueri necarentur. quia postmodum per ipsius mortem multi salvarentur. Nunc pro uno plurimi parvuli gladio sunt perhempti. ipse vero pro peccato mundi cruce se permisit suspendi. Istorum mors celum ornavit. ille pro nobis omnibus. infernum momordit. Iste rex lucem oculis humanis invisibilem introivit. ille cum ingenti lumine tenebras infernorum inlustravit. Angeli gaudent parvulorum consortio. demones contremescunt de tam preclaro adventu. Inter se mutuo interrogant. quis tam preclarus de mundo processerat? Gaudium fit in celo de tam preclaris animabus. gemitus fit inter demones in inferno. eius vectibus ferreis confractis. Gaudent angeli tam magnum preclarum exercitum recepisse in celum. lugent demones. dum vident ab uno sic expoliari infernum. Parvuli autem per parvam transierunt mortem. vitam perhennem sunt consecuti. christus triduo mortem gustavit. vitam multis donavit. Christus moriendo pro omnibus. et aliis vitam eternam tribuit. et parvulos in celo inter angelos exaltare concessit multos. et pia infantia ante agnum letatur in gloria. In medio vestri ille agnus exultat. qui pro mundo in cruce pependerat. O felix puerorum infantia. qui ante sanguinem pro christo fudistis. quam peccata agere potuissetis. Dulce vestrum martyrium quod pro christo fuit peractum. O beata puerorum infantia. quia sine longo terreno labore. adepti estis gloriam. Quantum vos beatificare debeam nescio. qui mortem recepistis pro christo. Altius cunctis est vestrum martyrium quia cum coronis palmas vobis tribuit dominus ihesus christus. Stola candida estis induti. qui baptismi unda per aquam non fuistis loti. Solus cruor sanguinis perfusus sacratus in vobis fuit pro baptismo. qui immolati ut vera hostia fuistis pro christo. nos quidem videre vos optantes. non merito sed voluntate. Rogamus vos pro nobis dominum interpellare. ut digne possimus canticum audire. quod vestro procedit ex ore. hec infantia absque etate meruit celestem patriam penetrare. nos quibus etas intellectum adduxit. imitemus eos quos infantia

tenuit. et mors gloriosa ad regna celorum perduxit. Si gladio pro christo mori non possumus. mala in nobismetipsis mortificemus. Ut qui coram deo iniqua gessimus. penitendo resolvamus. Ut dum iam per gladium pro eo mori non valemus. bonis operibus inherendo in conspectu eius vivamus. Haec fratres karissimi agite. ut qui culpis se plenum agnoscit. per penitentiam curet ne pereat. Et qui pauca in se peccata considerat. videat ne pro minimis celestem patriam perdat. Quia et si hominum non sunt peccata. que plangat. vita tamen est regnumque quod comparet. Sicque beati martyres innocentes qui dum peccata non gesserunt. per sanguinem suum vitam celestem mercaverunt. Quia etsi in illis pro ferro est palma martyrii. tamen in nos tempore isto est martyrium in occulta cogitatione. Vere martyres fratres mei esse possumus. si amicos diligimns in deum. et inimicos diligimus propter deum. et si eis illa impendimus que ab aliis in nobis impendi desideramus. Sicut dominus in evangelio ait. *Quod vultis ut faciant vobis. et vos facite illis.* Et verum. *Dilige proximum tuum tanquam te ipsum.* Tunc vere diligimus proximos si eum esurientem. aut sitientem. aut nudum. aut hospitem. aut in carcere positum. vel infirmum conspicimus. unicuique que necessaria fuerint benigno animo tribuamus. Quoniam sicut aqua extinguit ignem ita helemosina extinguit peccatum. Et iterum. (D)ate helemosinam et ecce omnia munda sunt vobis. Haec fratres dilectissimi vobiscum agite. paenitentiam de peccatis preteritis cum lacrimis deo offerre. helemosinis ex pietate. ut cum martyribus regna celestia adsequi valeatis. Adiuvante ihesu christo dei filio. qui pro omnibus nobis mori dignatus est. ut nos de inferno eripiat. et cum sanctis suis in celesti regno heredes constituat. Ihesus christus dominus et redemptor noster. qui cum patre et spiritu sancto vivit et regnat deus per omnia secula seculorum. Amen.

Pag. 147 — Lectio sancti evangelii secundum Matheum.

In illo tempore. Angelus domini apparuit in sompnis ioseph dicens. Surge accipe puerum et matrem eius. et fuge in aegyptum. Et reliqua.

Omelia lectionis eiusdem.

Nato domino et salvatore nostro ihesu christo in civitate bethleem secundum dicta sancti evangelii. in diebus quibus herodes rex erat in iudea de oriente venerunt magi. percontantes ab herode ubi nam esset rex iudeorum. qui nuper natus est christus. dicentes se in nova stella. qui tunc primo oriebatur in oriente cognovisse regem natum in terra. et eum adorandum in bethleem pervenisse quo eos eadem stella perduxit. Audiens autem herodes qui alienus erat a regali genere natum valde pertantus ne a regno pelleretur accersitisque legis doctoribus requirit ubi ipsum regem christum nasci sperarent. Et illi in bethlehem eum nasci dixerunt. iuxta verba prophetarum. Tunc herodes uno precepto ut in presenti lectione audistis. omnes pueros a bimatu et infra. non solum apud bethlehem sed in omnibus finibus eius interimi iussit. si forte et ihesum cum equevis eius posset extinguere.

Sed angelus domini de celo prevenit regis insidias parentibus dolum regis pronuntians puerum in egyptum ducere. et regis insidias fugere premonuit. Fuga ihesu in egyptum significat christum ad gentes iturum et iudeam relicturum. ignorantibus se gentibus demonstrandum. Sicque factum est ut gentilitas que per egyptum figuratur. peccatis ante tenebrosa. lumen aeterni verbi percipiet. Christus ergo dei filius fratres karissimi omnem utilitatem nostre salutis negligeret. si se parvulum permisisset occidi. Sed herodes prophanus cum pro christo insidiatur infantes occidi iussit. Infantes vero illi vite perpetue coronam acceperunt. qui pro christo occidi meruerunt. Herodes vero aeterne dampnationis recepit supplicium.

Tunc adimpletum est quod dictum est per ieremiam prophetam dicentem. Vox in rama audita est ploratus et ululatus multus. rachel plorans filios. suos. et noluit consolari quia non sunt. Rama excelsa interpretatur. Vox igitur in excelso audita est. longe lateque resonans matrum lugentium clamor. Rachel ovis interpretatur. Figurat sanctam ecclesiam que plangit filios suos discedentes a se per opera malitie. quos in infernum viventes descendere vidit. idest permanentes in peccatis mori deo. et vivere diabolo. Voluit consolari rachel de

planctu filiorum suorum. ita sancta ecclesia de pereuntibus filiis non potest consolari. antequam resurgant per penitentiam. et confessionem peccatorum suorum. et redeant ad sinum matris aecclesie. per emendationem sancte conversationis. Non potest interdum ecclesia consolari quousque non sunt in voluntate dei. Ergo pueri isti occisi. significant omnes martyres quorum sancta ecclesia ablationem de hoc seculo aliquo modo plorare dicitur. Sed alio modo non vult consolari. ut qui seculum morte vicerunt. ad seculi iterum certamina secum tolleranda redeant. non vult eos redire ad pristinam vitam quos credit mortem evadere aeternam. Parvuli quidem ipsi quorum hodie dies martyrii celebratur pro christo sunt occisi. Sed christus qui querebatur vivens evasit. insinuat corpora quidem martyrum ab impiis posse perimi. sed christum pro quo martirizantur nullatenus ab eis posse auferre. sed eos veraciter testari. quia sive vivimus sive morimur domini sumus. Quod ita etiam spiritualiter in sancta agitur ecclesia quia antiquus hostis qui mille habet artes nocendi christum. in similitudine herodis. extinguere nititur. dum alium in ad(ul)terium pertrahit. alium in homicidium. alium in rapinam. alium in periurium. alium in avaritiam accendit. alium in superbia(m) erigit. alium in iracundiam inflammat. alium invidie et hodii fomite succendit. ceterisque vitiis que dinumerare longum est studet decipere. Proinde fratres karissimi quisquis in se suadente diabolo de istis predictis malis aliquid dominari cognoverit. digna penitentia. simulque lacrimarnm fonte pura confessione festinet eicere. Quia nemo mundus a sorde. nec si unius diei sit vita illius. Ideo curemus omni tempore. bonis moribus inherere. Quicquid in nobis bonis operibus deesse viderimus. citius acquirere satagamus. Evulsis de cordibus nostris omnium vitiorum incentivis. plantemus in nobis karitatem. gaudium. pacem. patientiam. benignitatem. fidem. mansuetudinem. continentiam. deo nostro bene vivendo placeamus. ut in eternum cum illo regnare mereamur. Per dominum nostrum ihesum christum qui vivit et regnat deus. per omnia secula seculorum.

Pag. 179 — Lectio sancti evangelii secundum lucam.

In illo tempore. Erant ioseph et maria mater ihesu. mirantes super his que dicebantur de illo. Et benedixit illis symeon. et dixit ad mariam matrem eius. Et reliqua.

Lectio sancti evangelii que nunc lecta est fratres karissimi. manifeste nobis tradit quod virginis filius est ihesus. non de humano semine conceptus. sed sancti spiritus cooperatione incarnatus. Quamvis lucas evangelista patrem eius ioseph testaretur dicens. *Et erat pater eius et mater mirantes super his quae dicebantur de illo.* Nos autem simpliciter intelligamus per spiritum sanctum eum esse honoratum patris vocabulo. quia nutricius erat domini salvatoris. Mirabantur autem de eo vel his que ab angelo in ipsa nativitate vel a multitudine celestis exercitus. velut etiam a pastoribus audierant. Mirabantur. quia inusitatum viderant et audierant miraculum virgine(m) peperisse. angelosque mirifice gratulantes. et in excelsis deo gloriam decantantes. et pacem in terra hominibus predicantes. Adducentes autem puerum in ierusalem ad templum domini. obtulerunt pro eo hostias domino. Et symon homo iustus per spiritum sanctum cognoscens virtutem eius benedicensque patri et matri eius. prophetavit dicens. Ecce inquid positus est hic in ruinam. et in resurrectionem multorum in israel. Bene ergo dicitur et in ruinam. et in resurrectionem multorum esse positum dominum salvatorem nostrum quia fidelibus suis utrumque est qui ruere facit in eis peccatum superbie. et totius malitie. et exurgere facit in eis opera iustitie et misericordie adquisitionem. Quia nisi exciderit in homine quod malum est in penitentia et confessione. non resurgeret in eo bone voluntatis operatio. per quam pervenire valeat ad patriam regni celestis. Ad hanc ruinam bene pertinet. quod paulus apostolus docet dicens. Mortificate membra vestra que sunt super terram. Fornicationem. immunditiam malam. superbiam. iactantiam. odium et invidiam. et cetera his similia quae nisi ceciderit in homine nequaquam in eo bona opera valent resurgere.

Sequitur. Et in signum cui contradicetur. Ac si

diceret. Omnia que de eo sive de veteri testamento sive in novo dicta vel scripta sunt in signum sunt posita contradicentibus veritati. Nam subditur. *Et tuam ipsius animam pertransiet gladius.* Passio ergo domini salvatoris non solum cor beate marie pertransiit set etiam apostolorum cum omnes scandalizati esse dicuntur. que non sine magno dolore potuit videre crucifixum quem a se noverat incarnatum. Qui gladius etiam ut cor nostrum pertranseat. necesse est. quia hoc cum magna formidine debemus assidue cogitare quod ipse dei filius pro nobis passus est. Quasi (Quod si) hoc in memoria nostra sepius retinere ceperimus. omnem innocentiam vitiorum omnesque temptationes diaboli cum dei adiutorio facile superare valebimus. Unde subditur. *Ut revele(n)tur ex multis cordibus cogitationes.* Cum ergo cogitationes nostre. per diversa distrahant. ad memoriam reducamus. quod ipse dei filius crucifigi et mori dignatus est pro nobis. et ad postremum lacrimabiliter pro ipsius persecutoribus exoravit et dixit. *Pater ignosce illis quia nesciunt quid faciunt.* Et cum nostram istius doloris gladius pertransiet animam maiestatim (sed statim?) cogitationes deo miserante secedunt et compungimur ad penitentiam malorum quae fecimus aut cogitavimus vel etiam locuti sumus. Et libet nos per confessionem venenum peccatorum nostrorum evomere de cordibus nostris, Mala enim opera vel cogitationes fratres mei. propterea revelanda sunt in confessione. ut extinguantur et deleantur ab eo. qui pro nobis mortuus est et resurrexit. Quandiu enim nos abscondimus cogitationes et peccata nostra impossibile est eas interfici. Unde et nos cum peccavimus. *Peccatum meum domine notum tibi feci. et iniquitatem meam non abscondi. Dixi confitebor iniustitias meas coram te domine.* Si enim hoc fecerimus et revelaverimus peccata nostra non solum deo. sed et his qui possunt nobis mederi delebuntur peccata nostra ab eo qui ait. *Ecce ego deleo ut nubem peccata vestra. et sicut caliginem iniquitates vestras.* Non enim vult deus ut confiteamur peccata nostra quod eum ex eis aliquid lateat. sed quia dia(bolus) desiderat ut ea minime confiteamur. ut nos ante tribunal eterni iudicis accusare valeat. contrario autem deus noster. quia pius et misericors est. vult ut ea confiteamur in hoc seculo. ne pro illis confundamur in futuro. Si enim nos confitemur. ille dimittit. Si nos ipsi et aliis ignoscimus ille ignoscit. Ihesus christus dominus noster. qui cum eterno deo patre et spiritu sancto. vivit et regnat deus. Per omnia secula seculorum. Amen.

Pag. 180. — In vigilia epyphanie.
Lectio sancti evangelii secundum Mattheum.

In illo tempore. Defuncto herode ecce apparuit angelus domini in somnis ioseph in egypto dicens. Surge et accipe puerum et matrem eius. et vade in terram israhel. Et reliqua.

Omelia lectionis eiusdem.

Redemptoris nostri domini ihesu in carne ostensionem veneranda prevenientes sollempnitate. oportunum est ex lectione sancti evangelii pauca verba ad utilitatem vestram proferre. Ait namque evangelista. *Defuncto ergo herode ecce angelus domini apparuit in somnis ioseph in aegypto dicens. Surge et accipe puerum et matrem eius et vade in terram israhel defuncti sunt enim qui querebant animam pueri.* Obitus quippe herodis terminum intentionis malitiose qua nunc contra aecclesiam inimici seviunt insinuat. Quod autem defuncto herode ihesus redit ad terram hisrahel finem seculi denuntiat. quando enoch. et helia predicantibus iudeis sopita moderne invidie flamma. fidem veritatis accipient. sive aliter accipiendum. mortuus herodes christus vivit significat persecutores aecclesie deficientes. ecclesiam tamen christi semper esse viventem. Sequitur. *Audiens autem ioseph quod archelaus regna(re)t in iudea pro herode patre suo. timuit illuc ire. et admonitus in somnis recessit in partes galilee. et veniens habitavit in civitate que vocatur nazareth. ut adimpleretur quod dictum est per prophetam. Quoniam nazareus vocabitur.* Quod dampnato herode ioseph timore archelai filii eius in iudeam ire formidet. monente angelo in nazareth galilee secedit. ultima tempora christiani popoli designat. Quia ergo antiquus hostis christianos omnimodis persequi non desistit. novissimis tamen temporibus adversus fideles antichristi persecutio consurgit. Tunc quidem plurimis per predicationem enoch et helie de populo israhel ab infidelitate con-

versis. ceteri ab instinctu antichristi tota intentione contra dimicantis christi. Galilea namque transmigratio facta interpretatur. Nazareth flos munditie. aut virgultum eius dicitur. Quia nimirum fideles in sancta ecclesia. quo ardentiori desiderio a concupiscentia mundi ad celestia promerenda transmigrant. eo maiore spiritualium abundant flore ac germine virtutum. Quapropter dilectissimi vobis recogitate dominum nostrum ihesum christum quantas ab ortu nativitatis sue pro nobis sustinuit iniurias quantas a peccatoribus adversus semetipsum habuit coutradictiones. Ne fatigemini in tribulationibus mundanis que supervenient vobis ne deficiatis adversus peccata repugnantes. Nolite oblivisci consolationis eius. quia vobis deus tam pro filiis loquitur dicens. Filioli mei nolite negligere disciplinam domini. nec fatigemini cum hab eo arguemini. Omnis autem disciplina in presenti quod est videtur esse tristis in novissimo autem magnum affert letitie fructum. Pacem igitur sequimini sine qua nemo videbit deum. considerantes invicem in amore dei. Ne quis se subtrahat gratie dei per malam fidem vel voluntatem. ne qua radix amaritudinis sursum germinans impediat viam salutis aeterne. ne quis formicator aut immundus quia fornicatores et adulteros iudicabit deus. Caritas fraternitatis inter vos maneat. Hospitalitatem nolite oblivi(sci). per hanc enim quidam placuerunt deo. ut angelos sanctos in hospitio recipere meruerunt. Sint mores vestri sine avaritia contenti quod habetis. Mementote quod dominus dixit. *Non te deseram. neque derelinquam*. Deus autem pacis qui resuscitavit a mortuis pastorem ihesum christum dominum nostrum. apud vos in omni bono. ut faciatis eius voluntatem. faciens in vobis quod placeat coram se. per ihesum christum dominum nostrum. Cui est honor et gloria in secula seculorum. Amen.

Pag. 186 — DOMINICA I.ª POST EPIPHANIAM.
SERMO SANCTI AUGUSTINI EPISCOPI.

Intellegere possumus fratres karissimi. quantam gratiam christo domino debeamus. qui vota votis accumulat. gaudia gaudiis multiplicat. Ecce enim adhuc exultamus christum dominum natum. et iam eum letamur pro salute humani generis baptizatum. Necdum ortus eius est expleta festivitas. et iam baptismatis eius est celebranda sollemnitas. Vix natus est hominibus et iam renascitur sacramentis. Hodie enim licet post multa annorum curricula consecratus... (*Vide supra pag. 34*)... Salvator autem ideo baptizari voluit. ut non sibi munditiam adquireret sed ut nobis fluenta mundaret. interea magorum beata legatio perducta ad sacra cuanbula radio desuper currente miratur. iudeam precedit ethiopia peccati exunda (exuenda) nigredine. et fidei induenda candore. Quam stupenda dignatio inter amplexum genitricis includitur. qui terram celumque complectitur. In sinu matris latet qui regnum patris excedit. Per stelle officium spirituale revelatur archanum. humanitas cernitur. et divinitas adoratur. Ex(h)ibent aurum thus et mirram plus in ministeriis quam in conscientiis offerentes. In auri munere regia dignitas in thuris vapore divina maiestas. in myrre specie sepelienda demonstratur humanitas. Ac sic trinitatem oblationum numerus loquitur. unitatem devotio una testatur. Per hoc ergo pervigilii temptatione (pervigili cunctatione) cordis celum semper studeamus aspicere. si ad christum cupimus pervenire. Dirigatur ergo nobis semita vite perfecte stella iustitie. qui dixit. *Non apparebis in conspectu meo vacuus*. Offeramus ei aurum fidei; pietatis aromata. castitatis holocausta. Spiritualem quoque myrram habeamus in nobis. que ita animas nostras condiat. ut illesas a peccati corruptione custodiat ipse qui vivit et regnat in secula seculorum. Amen.

Pag. 188 — DOMINICA I.ª POST EPIPHANIAM.
LECTIO SANCTI EVANGELII SEVUNDUM LUCAM.

In illo tempore. Cum factus esset dominus ihesus annorum duodecim; ascendentibus illis ierosolimam secundum consuetudinem diei festi. Et reliqua.

OMILIA LECTIONIS EIUSDEM.

Lectio sancti evangelii que modo le(c)ta est fratres karissimi infantiam domini salvatoris annuntiat dicens. *Ibant parentes ihesu per omnes annos in ierusalem in die sollemni pasc(h)e. Et cum esset annorum duodecim.* Iste numerus annorum chri-

sti. misterium sancte trinitatis in se continet. Nam quater tria. faciunt duodecim. Sic per quattuor evangelia cognoscimus sanctam trinitatem. patrem scilicet et filium et spiritum sanctum. Item ter quattuor faciunt eundem numerum. per quem significatur. quod fides eiusdem sancte trinitatis; per quattuor plagas mundi predicanda est. et ex omni parte venient ad fidem christi sicut per prophetam ait. Ab oriente et occidente; ab aquilone et austro laudate nomen domini. Sive quia per duodecim apostolos totus mundus convertendus esse(t) ad fidem.

Ascendentibus illis ierosolimam secundum consuetudinem diei festi. Quis (Quia) ergo dominus per omnes annos cum parentibus hierosolimam venit humilitatibus (humilitatis) indicium est. Non nostrum est ergo ad offerenda sacrificiorum spiritualium vota ad ecclesiam assidue concurrere. et auctori nostro nos deo orationibus lacrimisque reconciliare profusis. Fecit ergo deus inter homines humanitus quod faciendum hominibus per angelos in lege mandaverat. Servavit ipse legem quam dedit ut nobis servandum quicquid deus iubet ostenderet. Si ergo ad eternitatis gloriam cupimus pervenire sequamur iter conversationis eius humane. Si optamus habitare in eterna domo eius in celis. meminere debemus sanctam ecclesiam necessariis mundarum precum frequentare muneribus.

Sequitur. *Consumatisque diebus cum redirent remansit puer ihesus in hierusalem. et non cognoverunt parentes eius. Existimantes autem eum esse in comitatu. venerunt iter diei. et requirebant eum inter cognatus et notos. Et non invenientes regressi sunt in hierusalem requirentes eum.* Quando enim quis sperat dominum ihesum christum. purum tantum hominem esse. et negat eum verum filium dei esse numquam invenit eum. Cum ad hierusalem venerit; idest a(d) catholicam fidem convertitur ad fidem rectam statim dei misericordiam recipit. Et si bonis moribus in sancta ecclesia permanere contenderit. merebitur invenire deum et dominum suum in eterne beatitudinis visione.

Et factum est post triduum invenerunt in templo sedentem in medio doctorum. audientem illos. et interrogantem. Quod ergo ipse duodennis in templo sedet in medio doctorum audiens et interrogans illos. eximium est discende humilitatis exemplum. Ne quis discipulus ad discendum verbum dei fieri rennuat. et magister efficiatur erroris. Ne infirmus et inperitus docere quis audeat. dum ille puer discere interrogando voluit qui divinitatis sue potentia verbum scientie ipsis suis doctoribus ministravit. Ergo quanto quis intentius divina ascultare precepta studuerit. quanto ei que didicerit in sancta ecclesia diligentius observare contenderit tanto et nunc dignis ad predicandum aliis et in futuro sublimius ascendet ad beatitudinem sempiternam cum christo regnaturus.

Sequitur. *Stupebant autem omnes qui eum audiebant super prudentia et responsis eius. et videntes admirati sunt.* Ignorabant enim quia infans ille qui videbatur; deus erat ante ex deo natus. et in fine seculorum pro nostra salute homo humilis natus. Nos autem laudemus humilem pietatem salvatoris nostri qui ab hominibus discere dignatus est ut nobis exemplum daret. Ut ubicumque doctorem sapiente(m) inveniamus. discere ab eo nequaquam despiciamus. quia deus superbis resistit. humilibus autem dat gratiam.

Et dixit mater eius ad illum. Fili quid fecisti nobis sic? Et cetera. *Nesciebatis quia in his que patris mei sunt oportet me esse?* Simpliciter et aperte quis sit verus eius pater nobis pariter et illis insinuat. quia videlicet se coaeterne deo patri potestati sunt et glorie esse ostendit.

Et illi non intellexerunt verbum quod locutum est ad illos. Et descendit cum illis et venit nazareth. et erat subditus illis. Quantum simul pietatis exemplum. In ea namque natura subditus erat parentibus in qua minor est patre. In illa autem natura in qua ipse et pater unum sunt. in ipsa sese dicit oportere esse. in his que patris eius sunt. idest ante omnes et super omnes. ut nos videlicet exemplis eius admoniti. quid parentibus nostris debeamus. qui magna pro nobis patiuntur. agnoscamus si his qui in celis semper regnat cum patre. propter nos subditus erat parentibus in terra cui omnis subiacet altitudo.

Et mater eius conservabat omnia verba hec conferens in corde suo. Omnia que a domino dicta vel facta cognoverat mater. diligenter in corde retinebat. ut cum tempus predicande vel scribende incarnationis eius adveniret. universa prout essent gesta possent enar(ra)re querentibus.

Et ihesus proficiebat sapientia et etate et gratia apud deum et homines. Iusta hominis naturam proficiebat sapientia non quidem ipse sapientior existendo. qui a prima conceptionis hora spiritu sapientie plenus erat. sed eandem hominibus paulatim demonstrando. Iusta hominis naturam proficiebat etate consueto hominum ordine crescendo. Iusta hominum naturam proficiebat gratia. non accipiendo quod non habebat. sed pandendo donum gratie quam habebat.

Nos ergo fratres karissimi imitemur piam domini humilitatem. intento semper animo recolentes. quantum nos pro divino timore quantum pro nostra salute aeterna oporteat humiliari non respuit ut homo pro nobis. et pro nostra redemptione fieret. Speremus et credamus nos per misericordiam eius. ad visionem aeterne claritatis eius posse pervenire. si mandata eius pio studio et voluntate quantum et nos possumus observare contendimus. eiusque doctrine quam nobis in humanitate sua ex(h)ibuit inhaerere studeamus. Quapropter. karissimi filii gratia dei heredes regni dei. coheredes autem christi. in omnibus operibus et sermonibus cogitationibus nostris sectemur humilitatem et pietatem salvatoris nostri. Rogemus dominum ut ipsam quam nobis scientie gratiam contulit. ipse ad summa solum querenda ac sapienda convertat. Ihesus christus dominus noster qui cum deo patre et spiritu sancto vivit et regnat deus per omnia secula seculorum. Amen.

Pag. 189 — In octava epiphaniae. Lectio sancti evangelii secundum Matthaeum.

In illo tempore. Venit dominus ihesus a galilea in iordanem ad iohannem ut baptizaretur ab eo.

Omilia.

Sancti evangelii lectio quam audistis dilectissimi magnum nobis demonstrat humilitatis exemplum. quia dominus noster ihesus christus non solum ab homine baptizari voluit. sed etiam ipse ad baptizatorem suum baptizandus venire dignatus est, ut ipsa lectio refert. *Venit* inquid *ihesus a galilea in iordanem ad iohannem ut baptizaretur ab eo.* Venit filius dei baptizari ab homine. non necessitate propria abluenda peccata qui peccatum non fecit nec inventus est dolus in ore eius sed abluendo omnium nostrum delicta. Venit baptizari in aquis. ipsarum conditor aquarum. ut nobis qui (in) iniquitatibus concepti et in delicti(s) sumus geniti secunde nativitatis que per aquam et spiritum celebratur appetendum insinuaret mysterium. Dignatus est lavari aquis iordanicis. qui erat mundus a sordibus cunctis. Ut ad diluendas omnium nostrorum scelerum sordes omnium fluenta sanctificaret. aquarum. Sed quia humillimam domini dispensationem audivimus nunc etiam servi humillimam obeditionem sollicita intentione ad utilitatis nostre exemplum audiamus.

Iohannes autem prohibebat eum dicens. Ego a te debeo baptizari. et tu venis ad me. Deus ergo ab homine baptisma non dedignatur accipere. in cuius nomine omnes baptizantur fideles. Expavit autem iohannes venisse ad se dominum ut baptizaretur ab eo in aqua. in quo nulla erat que in baptismo dilueretur culpa. immo qui per sancti spiritus gratiam cunctis in mundo credentibus perdonavit culpas. ut ipse iohannes ait. *Ecce agnus dei. ecce qui tollit peccata mundi.* Ab illo enim debemus baptizari qui ad hoc venit in mundum. ut peccata tolleret mundi.

Sequitur. *Respondens autem ihesus dixit ei. Sine mundo (modo). sic enim decet nos implere omnem iustitiam.* Tu ut a me baptizeris postulas. Ideo baptiza me in aqua. ut a me baptizeris in spiritu sancto. Quia ideo formam servi accepi. ut expleam humilitatem eius et tuam sanctificem. obedientiam. Sic enim decet nos exemplum prebere omnis iustitie. ut videlicet discant omnes fideles neminem posse absque baptismo iustificari. quamvis innocenter et iuste vivat. Sed necesse est eius baptisma sanctificationis. cum me qui sancti spiritus opere conceptus et natus sum cognoverint secunde nativitatis subisse lavacrum. et sibi potissime consecrare baptismum. Iustum est enim ut quisquis docet alios. faciat prior ipse. ut exemplis ceteri plusquam verbis erudiantur.

Tunc dimisit et baptizavit eum. cum tali ordine cognovit omnem iustitiam debere compleri.

Baptizatus autem ihesus confestim ascendit de aqua. Quando autem ihesus descendit in aqua.

nostra secum traxit peccata. quia in similitudine peccatoris hominis illuc venerat qui est solus absque peccato. Quando autem baptizatus ascendit omne humanum genus in peccatis iacens ad suum elevavit regnum.

Ecce aperti sunt celi. et vidit spiritum dei descendentem super eum. Hinc nimirum fides nostra confirmatur per mysterium sacri baptismatis. aperiri nobis aditum regni caelestis. et spiritus sancti gratiam ministrari. Nobis ergo fratres karissimi hic virtus baptismi ostenditur de quo cum quisque egreditur regni caelestis ianua aperitur. Nam quod alter evangelista statim post baptisma dominum orasse dicit. ad nos informandos actum non dubitatur. quibus lavacro baptismatis. dum porta celestis panditur. non otiose vivendum est. sed ieiuniis precibus atque elemosinis insistendum. Quia etsi peccata sunt in baptismo laxata. non tamen adhuc caro est a peccato refrenata. Sed occurrerunt nobis instigante adversario multorum noxia peccatorum. que iterum aqua baptismatis non deleantur. sed etiam mortificatione corporalis concupiscentie in ieiuniis ac vigiliis. orationumque instantia sedula confessione cum contritione spiritus largitate elemosinarum. vel etiam lacrimarum fonte deleantur. et ita ad promissam vite aeterne patriam pervenire mereamur. Bene autem spiritus sanctus in specie columbe super dominum venit quod simplex est anim(al) quia omnes qui gratia dei sunt renovati simplices et mansuetos misericordesque monet fieri.

Sequitur. *Et ecce vox de celo dicens. hic est filius meus dilectus. in quo michi complacui.* Filius dei baptizatur in homine. Spiritus sanctus descendit in columba. pater adest in voce. tota simul sancta et individua trinitas monstratur adesse quia discipulis suis. et omnibus sancte aecclesie doctoribus erat precepturus docere omnes gentes baptizari eos in nomine patris et filii et spiritus sancti. Primus ipse in suo baptismate totam panderet adesse trinitatem. ut inde cognoscerent homines in baptismate suo gratiam se sancti spiritus accepturos. in remissionem omnium peccatorum. Et qui erant ante filii dei. Nos autem quia humilitatem domini nostri. et obedientiam servi audivimus. per humilitatem (et) obedientiam baptisma quod suscepimus. servare curemus. mundantes nos ab omni inquinamento carnis et anime. perficientes in nobis sanctificationem in timore dei. Studeamus omnes solliciti ut ianuam patrie celestis. que nobis est divinis patefacta mysteriis humanis ipsi nobis non intercludamus illecebris. Et quia christi membra per baptismum efficimur. post acceptam remissionem omnium peccatorum quicquid deliquimus humillima penitentia lugeamus. et ploremus. puraque confessione diluamus. lavemus lacrimis et elemosinis redimamus. de cetero operibus misericordie et sancte caritatis fructibus ab omni labe delictorum custodire studeamus. Ipso auxiliante domino qui pro nobis humilis factus est. ut nos ad regnum sublevaret eternum. Cui est honor et gloria. potestas et imperium. simul cum deo patre et spiritu sancto. Per omnia secula seculorum.

Pag. 251 — LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM MATTHEUM.

In illo tempore. Dixit ihesus discipulis suis. parabolam hanc. Simile est regnum celorum homini qui seminavit bonum semen in agro suo. Venit inimicus et superseminavit zizania in medio tritici et habiit. et reliqua.

TRACTATUS SANCTI REMIGII EPISCOPI.

Hec enim secunda parabola cum interpretatione sua non statim posita est. sed interiectis aliis duabus parabolis postea est explicata. Refert sanctus evangelista in subsequentibus. quia cum venisset ihesus domum. *accesserunt ad eum discipuli eius dicentes. Edissere nobis parabolam zizaniorum agri.* Et notandum quia non ait alteram. sed ait aliam. Nam si alteram diceret. non expectaremus tertiam. Sed quia dicit aliam datur intelligi. quia secuntur plurime. Regnum celorum appellat ipsum filium dei. quod regnum simile dicitur esse homini qui seminavit bonum semen in agro. Ipse namque dominus exposuit quid significaret bonum semen. quid ager. quid sator. quid inimicus. quid zizania. quid messis. quidve messores. Sed non exposuit quod ait. cum autem dormirent homines. et cum crevisset herba. et cetera. Non etiam exposuit quid essent patresfamilias. Ea namque que

ipse exposuit pia fide et devotione suscipiam. Ea vero que nostre intelligentie. vel tacita derelicta sunt. pia devotione in quantum ipse dederit investigemus. Quid vero cum dicit. *cum autem dormirent homines*. intellegendum est cum predicatores remissius et neglegentius agerent. et prepositi ecclesiarum sive quando sancti apostoli somnum mortis acceperunt. *Venit inimicus et superseminavit zizania in medio tritici et habiit*. Nomine namque inimicorum dominus omnia segetis comprehendit. Et sciendum quia distat inter zizaniam paleas. et triticum. Zizania enim non eandem habent radicem. neque eiusdem sunt nature cuius et triticum. Similiter distat inter hereticos et scismaticos. et malos catholicos. Heretici sunt qui recte de deo non sentiunt. et in fide sancte trinitatis errant. Scismatici vero sunt quos non fides diversos facit. sed dirupta societas communionis. Mali autem catholici sunt qui recte quidem credunt. sed non sicut credunt vivunt.

Pulchre ergo heretici assimilantur zizaniis. qui non eandem fidem habent quam sancti viri. sed tamen flagitiose vivunt. Scismatici possunt assimilari spicis vacuis de quibus scriptum est. ventus corrumpit spicas idest societas malorum. Sive possunt assimilari aristis. quia quanto altiores idest superbiores. quanto fiunt leviores et flagitiores (*fragiliores?*). Et hoc sciendum quia non heretici corporaliter a societate sancte ecclesie repellantur. Multi enim latent apud homines. set tamen apud deum extra ecclesiam sunt. Similiter et scismatici non omnes corporaliter ab ecclesia repelluntur. Scismatici quippe (qui) invident et detrahunt bonis. et querunt occasionem persequendi et degradandi. et si eorum mala produntur. ita parati sunt defendere ut segregationes et conventicula faciant. et cogitent perturbationes excitare intra sanctam ecclesiam. Isti tales et accusentur. et ecclesiastica disciplina corrumpantur. et a societate sancte ecclesie repellantur. quamvis apud homines lateant. verum tamen apud deum extra ecclesiam sunt. Mali autem catholici sunt qui recte quidem credunt. et si quid discendum et interrogandum est. salva fide et pietate interrogant et discutiunt. et bonos illos quos bonos esse putant. amant et honorant in quantum possunt. Sed quia flagitiose et scelerate vivunt. apud deum extra ecclesiam sunt. Nam si eorum mala produntur. putant se debere expelli a comunione sancte ecclesie. ideoque semper locum satisfactione querunt. Nonnulli enim ex ipsis per penitentiam corriguntur. et de paleis putantur (mutantur) in triticum. Quia vero sub nomine penitentie sic vivunt sicut vixerunt. vel non multo minus. Quidam autem multo amplius. Sed si hostiatis (hos tales) mors invenerit in iniquitatibus suis. perseverantes palee deputabuntur. et ipsi credunt. Nam si aliter crediderint sub his rationabiliter esse misericordiam. et daturum veniam in magna iniquitate perseverantibus. inter hereticos sunt computandi. Boni siquidem catholici sunt. qui rectam et integram fidem servant. et bonos mores secuntur. et si quid interrogandum vel discendum est, ita interrogant et discunt. ut nulla sit concertatio vel dissensio. Ea vero que certissima et utilissima sunt et usitatissima. securissime et fidentissime et lenissime docent et insinuant. Ea vero que inusitata sunt et eorum sensum excedunt nonnumquam que intellegunt et usitatissima sunt; propter infirmitatem audientium suspendunt. Iuxta illud; *multa habeo vobis dicere. sed non potestis portare modo.*

Sequitur. *Cum autem crevisset herba et fructum fecisset. tunc apparuerunt et zizanie*. Hec sententia potest sic intellegi. *cum autem crevisset herba* hoc est cum bonis actibus crescit; et incipit fieri celestis et spiritualis diiudicans omnia. iuxta illud. *spiritualis omnia iudicat. et ipse a nemine iudicatur;* tunc incipit cognoscere; et possunt ei errores apparere. qui fiunt in ecclesia.

Et accedentes servi patrisfamilias. et cetera. Nonnulli per servos patrisfamilias intellexerunt angelos. Sed quomodo angeli satorem malorum ignorant esse diabolum? Dominus enim angelos in sequentibus messores appellat. et non dicit in tempore messis dicam vobis. sed dicam messoribus. Congruentius ergo per servos patrisfamilias possunt intellegi quique fideles in ecclesia. Hi nimirum accedent ad dominum. non corpore sed corde. et mentis desiderio. Fideles enim ante quam perfecte spirituales fiant stupescunt et admirantur; unde tot errores tantaque vitia horta sint in sancta ecclesia et dicunt. Sed intellegunt diaboli calliditate factum esse. quoniam diabolus cum intellegeret se nichil agere posse contra auctorita-

tem tanti nominis callide suas fallacias sparsit. et dum fideles agnoscunt quasi deus illis respondet. *Inimicus homo hoc fecit*. Solet enim nasci voluntas et oriri zelus. ut si boni tempus et facultates habeant mali de ecclesia repellantur. sed utrum hoc facere debeant. causam suam referant ad iudicium dei. et consulant iustitiam illius. utrum permittit an precipiat hoc fieri. Et dicunt. *Domine vis imus et colligimus ea? et ait non*. In eo sane quod dicit non demonstratur quia non est homo ita constitutus a deo in hac vita. ut certus possit esse quis qualis futurus sit. In eo vero quod dicit *non*; datur locus penitentie. et nos monemur ut fratrem nostrum non cito amputemus. Quia qui hodie malus videtur. qualis cras futurus sit ignoratur.

Quare autem non sint colligendi zizania; manifestat cum subiungit. *Ne forte colligentes zizania eradicetis simul et triticum*. Querendum est quomodo triticum eradicetur; cum zizania colliguntur. Duobus modis mali exercent bonos. et exercendo inutiles sunt. Cum ergo mali per sententiam mortis tolluntur. quasi triticum eradicantur. quia exercitatio a bonis aufertur. Et dum boni segnes et pigri efficiuntur pereunt. Aliter. Triticum eradicatur dum zizania colligitur; quia qui hodie mali videntur. cras futuri sunt boni. Et ideo triticum eradicatur cum zizanie colliguntur. quia mali cum per sententiam mortis tolluntur pereunt.

Sinite utraque crescere usque ad messem. Sensus iste contrarius videtur illi apostolico precepto quo ait. *auferte malum de medio vestrum*. Nichilominus et nos monemur nullam societatem et communionem habere cum malis. Si enim mali auferendi sunt de medio nostrum; quomodo servandi sunt usque ad messem? Sciendum est enim quia ea que incerta sunt temere iudicare non debemus. sed deo iudicium reservare. Dominus enim de occultis malis loquitur. apostolus vero de manifestis.

Et in tempore messis dicam messoribus. Messis enim appellamus tempus metendi. Per messem vero designatur dies iudicii. in quo separandi sunt boni a malis. Querendum est quare dominus non precepit fieri unum fasciculum. aut acervum. sed diversos fasciculos. propter diversas hereses et vitia peccatorum. Diverse sunt hereses et vitia peccatorum. Illi enim heretici qui sub uno errore detinentur. quasi unus fasciculus factus. in pena eterne dampnationis dimerguntur. Similiter et heretici quasi in uno fasciculo condempnabuntur. Sic et de ceteris vitiis intellegendum est.

Triticum autem congregate in horreum meum. Per triticum designantur electi. qui collocandi sunt in mansionibus regni celestis.

Simile est regnum celorum grano sinapis quod accipiens homo seminavit in agro suo. Sedebat dominus in navi. turbe stabant in littore. Illi procul. discipuli vicinius audiebant; et proposuit etiam parabolam. Et sicut dives paterfamilias suos invitatos convivas diversis cibis reficit. ut unusquisque secundum qualitatem stomachi sui varia alimenta perciperet. Parabola enim grece. latine dicitur similitudo; per quam rei veritas demonstratur. Ostendit quippe in ipsa similitudine quasdam figuras verborum. et imagines veritatis. Per regnum celorum quod grano sinapis simile esse dicitur. evangelica doctrina sive (predicatio est) intellegenda. sive notitia sanctarum scripturarum que perpetuam ducit ad vitam. Huiuscemodi regnum celorum. idest evangelica doctrina grano sinapis assimilatur propter fervorem fidei et vigorem et integritatem sui. Granum namque sinapis magne virtutis est. Fertur enim venena expellere. Nam si diligenter teratur et cribretur et mulse misceatur et in balneum vel ad solem gargarizetur. omnes noxios humores capitis aufert. Et ideo pulchre evangelica doctrina grano sinapis assimilatur quia venena diabolice temptationis sive deceptionis aufert. et omnes noxios humores et carnalium delectationum a capite mentis repellit.

Quod accipiens homo seminavit in agro suo. Homo iste qui seminavit a quibusdam intelligitur christus; qui seminavit sementem evangelice doctrine in animis credentium. A quibusdam vero intelligitur ipse homo qui seminavit semen evangelice doctrine. et fovens humorem fidei in agro pectoris nostri. et in animis credentium.

Pag. 292 — Lectio sancti evangelii secundum Mattheum.

Dixit symon petrus ad ihesum. Ecce nos reliquimus omnia. et secuti sumus te. Quid ergo erit nobis? et reliqua.

Omelia lectionis eiusdem.

Quia dominus et salvator noster divitias mundi diligentes. difficile in regnum celorum docebat intrare. statim discipuli eius fiducialiter responderunt dicentes. *Ecce nos reliquimus omnia. et secuti sumus te.* Grandis fiducia apostolorum. qui divites non fuerant. sed victum manu et arte querebant. et tamen confidenter dicebant. Omnia enim deserit. qui cuncta que temporaliter desiderari possunt. perfecte deserit. Nec hoc solum ad perfectionem sufficit. quod quis divitias huius mundi derelinquat. nisi post contemptas divitias; salvatorem sequatur. Idem relictis malis faciat bona. Facilius enim sacculus contempnitur quam voluntas. Multi divitias relinquentes. dominum non secuntur. Sequitur autem eum qui imitator eius erit. et per vestigia illius graditur. Unde dicit iohannes. *Qui enim se dicit in christum credere. debet quomodo ille ambulavit. et ipse ambulare.* Unde ipse in evangelio ait. *Non veni facere voluntatem meam; sed eius qui misit me.* Si enim dominus et salvator noster dixit se non venisse facere voluntatem suam. qui nulla contagione peccati. idest in verbo. vel in cogitatione. vel in opere potuit coinquinari. quid nos miseri acturi sumus? quid in eius districto iudicio dicturi. qui in omnibus vitiis et peccatis polluti sumus? Qui voluptates carnis magis quam domini voluntatem. exercere studemus. Igitur dum per indulti temporis spacium. licet. defleamus mala que fecimus. Defleamus penitendo. lavemus sordes delictorum. lacrimas et orationes puras ante dominum fundendo. Abstergamus a nobis omnes pollutiones cordis et corporis. Confitendo et plorando mala que fecimus. Studeamus nos de cetero exercere cum omni devotione in operibus sanctis. et ea in nobis adimplere. Nam sancti apostoli postquam se omnia reliquisse dicebant. secutos se esse addiderunt.

Tunc ihesus ait illis. Amen dico vobis quod vos qui secuti estis me: in regeneratione cum sederit filius hominis in sede maiestatis sue. sedebitis et vos super sedes duodecim. iudicantes duodecim tribus israel. Notandum quod non dixit tantum *vos qui reliquistis omnia.* Quia multi derelinquunt terrena commoda. sed non secuntur dominum. quia in eius voluntate non permanent. Sed dixit *qui secuti estis* meis preceptis obediendo. meaque vestigia imitando. In regeneratione futura cum ad iudicandum omnibus venero. cum omnes homines resurgunt. ut recipiat unusquisque prout gessit in corpore; tunc sedebitis in soliis iudicantium. condempnantes omnes qui vobis credentibus et docentibus. credere et obedire noluerunt. Hec est fratres illa quam psalmus canit. *immutatio dextere excelsi.* Ut qui nunc humiles gaudent ministrare conservis. tunc in sedibus honorabilibus vite perpetue gaudiis coronentur. Qui in temptationibus iniuste iudicati. cum domino semper permanent. cum eo super temptatores suos; iusti iudices veniant. Et quanto huic mundo in humilitate despecti sunt. tanto tunc acceptis sedibus maiori culmine potestatis excrescant. Quapropter karissimi nobis humiliamini sub potenti manu dei ut vos exaltet in tempore visitationis sue. Omnem sollicitudinem vestram proicientes in eum. quoniam ipsi est cura de nobis.

Pag. 293 — Passio sancti (Ae)miliani Martyris.

Etenim hermenia (Armenia) quidem tradidit ad correptionem eos. qui eius secundum gratiam filios atque heredem. Herminia autem martyres sibi elegit. usque ad sanguinem qui fusus est. Caritatem fidem atque confessionem ostensuros. Et quod melius est quia non solum viros. sed et mulieres omnes ostensuras agonem et certamen. et usque in finem pro christi fide per crucis exemplum coronam adepturi. Horum unus extitit et noster coronatur (ae)milianus (cu)ius vitam quam ab initio usque ad finem scribere iussus sum. ipsum preponens testem. Cumque ipsum confessus est deum et dominum ihesum christum. et sic incipiam enarrationis eius sermonem domino protegente. hic quidem erat de Hermenia regione. Accidit ut Sanctus (ae)milianus ex armenia veniens. pergeret in spoletanam civitatem que christiani exercebat opuscula. Et didicit eum esse virum sanctum. Ceperunt exquirere in qua urbe non esset episcopus. Et cum didicisset quia in civitate lucana non esset episcopus. miserunt ad eos viros prudentissimos. qui explorarent si in ea invenirentur fideles. Et dum reperissent viros nobiles ac muliere de anchorum genere. habito consilio. suasit eis ut postularent consecrari sibi

emilianum episcopum. Euntes ergo pariter ad urbem romam. petierunt a pontifice ut eis ordinatum donaret emilianum episcopum. Quod cum deo favente impletum est. Venerunt in civitatem suam lucanam cum sacrato (ae)miliano episcopo. Tunc cepit sanctus (ae)milianus claro sermone exortare populum ut converterentur ab ydolis. et christi efficerentur cultores.

Eodem tempore maximianus augustus tuscie. cepit curiose querere si alicubi occulti christiani invenirentur. Et divulgatum est episcopus (ae)milianus. Cumque venisset. maximianus dixit. Video te quia insaniam colis ad mortem. sacrifica diis. (Ae)Milianus episcopus dixit. Non sacrifico demoniis quia scriptum est. Omnes dii gentium demonia. Et qui sacrificat diis eradicabitur. Tunc maximianus iussit eum fustibus cedi. cui et dixit. Respice et agnosce potentes deos esse. quibus nos colimus. Maximiauus imperator dixit. Quare christiani coluntur omnia sicut ista? (Ae)Milianus episcopus dixit. Et feci et facio semper. Maximianus imperator dixit. Quomodo possumus scire. (Ae)Milianus episcopus dixit. Iube unum paraliticum de platea adduci. et veniant dii tui et sacerdotes tui. et invoca tu deos tuos. et ego invoco christum meum. et per cuius invocationem curatus fuerit paraliticus. ipsi iube omnes credere. Et iussit imperator adduci ad se paraliticum. et poni in medio. Et adductus est paraliticus cum lecto. et positus est in medio. et dixit imperator ad (ae)milianum episcopum. Prior redde honorem diis meis. (Ae)-Milianus dixit. Primo ipsi faciant et audiantur. Si non auditi fuerint invoco et ego deum meum. Imperator dixit. Bene dixisti ita fiat. Et ceperunt invocare deos suos. quidam asclepium. alius ypocrate. alius iovem. alius mercurium. alius gallienum. et ceteros deos invocabant. (Ae)Milianus episcopus ut vidit subrisit. Videns imperator quia nichil proficerent dixit. Et faciat (ae)milianus invocationem suam. (Ae)milianus episcopus respiciens in celum dixit. Domine deus exaudi orationem meam. et clamor meus ad te perveniat. Ne avertas faciem tuam. in quacumque die invocavero te velociter exaudi me. Ostende istis quia tu solus es deus. et curas qui in te credunt. Et tenuit manum paralitici. elevavit eum dicens. In nomine domini nostri ihesu christi esto sanus ab ista hora. Et statim surrexit et habiit in domum suam gaudens. et dans gloriam deo. Multi ex illa hora crediderunt in christo.

Et habierunt medici stridentes dentibus suis cum sacerdotibus adversus eum. Et dixerunt imperatori. Sacrificia deorum peribunt. nisi istum exterminaveris. Omnes enim isti incipiunt credere. Nam quem curavit per virtutem deorum curavit. Imperator consentiens dixit. (Ae)Miliane consenti michi. et sacrifica diis. Vides enim quanti mortui sunt proter deos? (Ae)Milianus episcopus dixit. Qui mortui sunt propter deos tuos. iu eternum mortui sunt. Nam qui pro christo mortui sunt in eternum vivunt. Maximianus dixit. Noli nominare christum. et libera iuventutem tuam. Multa enim et magna tormenta tibi parata sunt. si tu permanseris in eadem confusione. (Ae)Milianus respondit. Que dicis tormenta. celerius mihi adhibe. Ego enim paratus sum omnia tormenta sustinere propter christum. Maximianus dixit. (Ae)Miliane ante istos dies s(c)is quanta tormenta passi sunt propter christum? (Ae)Milianus respondit. Quanto magis ego debeo pati? Videns imperator quia ei non consensit. iussit eum in eculeo suspendi. et lampadas ad latus eius applicari. Sanctus autem (ae)milianus respiciens in celum. sustinebat tormenta et dicebat. Domine ihesu christe quomodo in cura preterita deprecationem meam exaudisti. et nunc esto mihi in adiutorium. Et apparuit ei christus et dixit. Noli timere (ae)miliane. ego tecum sum iu omnibus que incipies pati. Et statim manus carnificum aride facte sunt. Videns autem imperator que facta sunt. iussi eum deponi et dixit ei. Quale artificium nosti ut lampadas extinguas. et manus artificum arefeceris? (Ae)Milianus respondit. Artificium nostrum christus est. qui lampadas tuas extinxit. et ministris tuis manus arefacte sunt. Maximianus dixit. Si peiora tormenta tibi adhibuero. quid facturus es? (Ae)Milianus respondit. Si maiora tormenta ad me applicaveris. et christus meus maiores virtutes mihi prestat.

Hec audiens imperator. iussit sanctum (ae)milianum episcopum adduci. et mitti in sartaginem plumbi bullientem. Et respiciens in celum sanctus (ae)milianus dixit. Exaudi deus orationem meam dum deprecor. a timore inimici libera me. Protege me a conversatione malorum operantium iniqui-

tatem. Quia exacuerunt ut gladium linguas suas. Et orante eo apparuit illi christus et tenuit manus eius. et ascendit cum eo in sartaginem. Et mox ignis extinctus est. et plumbum refrigeravit. Sanctus autem (ae)milianus psallebat dicens. Ego autem clamavi et dominus exaudivit me. Vespere mane et meridie. et annuntiabo et exaudies vocem meam. Et omnes mirati sunt. Imperator autem circumstantibus dixit. Quid est plumbum frigidum factum est. et ignis extinctus est? Que tormenta possumus ei apponere. Et circumstantes dixerunt. Si iubes imperator. in fundum fluminis mittatur. Numquid flumini imperare habet? Et duxerunt eum et ligaverunt ei lapidem habentem talentum et in medium flumen qui cleoton vocatur proiecerunt eum. Et apparuit ei christus. lapis enim solutus est. Et tenens ei manus christus. et duxit ad litus et psallebat. Confitebor tibi domine in toto corde meo. narrabo omnia mirabilia tua. Letabor et exultabo in te. et psallam nomini tuo altissime. Dum convertentur inimici mei retrorsum. infirmabuntur et perient a facie tua. qui iudicas equitatem. Iudicasti gentes et perient iniusti et dominus in eternum permanet. Et venit ad litus. et dicit ei imperator. (Ae)Miliane iterum articula tua flumen imperaverunt. (Ae)Milianus respondit. Flumen iussum domini sui fecit. et faciet. Maximianus dixit. Ergo flumen tu dominaris. (Ae)Milianus respondit. Non ego sed qui mecum est. Tu non es dignus videre eum.

Imperator furore repletus. iussit. feras omnes ad eum parari. ut martyrem christi devorarent. Et dicit ei imperator. Vides (ae)miliane. omnes istas feras propter te preparantur. Ergo consenti michi et sacrifica diis. et consule inventuti tue ne pereas male. (Ae)Milianus dixit. Maximiane omni confusione plenus. volens mihi (me) terrore concutere. portiorem mihi (me) fecisti. Ignoras quia et omnes feras tuas mansuescere faciet? Ecce unus qui super feras erat. venit et dixit imperatori. Domine omnes fere sicut iussisti parate sunt. Et iussit imperator sanctum (ae)milianum adduci. Et omnis civitas currebat ut spectaret sanctum domini. Et sedens Imperator iussit martyrem introduci. Et apparuit ei christus et dixit ei. Serve meus (ae)miliane fidelis et bone. in pauca fuisti fidelis. in multa te confirmabo. Et iussit imperator omnes feras ad illum dimitti. Et circumdederunt sanctum (ae)milianum. leones autem faciem eius lingebant. et leopardi pedes eius. Similiter et omnes bestie se ipse (ipsas) occidebant certantes que prior ad manus eius excederet (accederet). Et non recedebant ex ipsis feris. nisi prius manus imposuisset eis benedicens. sic recedebant ab eo bestie. Et populus clamabat dicens. Magnus deus christianorum. dimittatur sanctus dei. Tunc iratus maximianus occidit plurimos populi viros mille. Et feras iussit occidi. Sanctus vero (ae)milianus benedicebat deum dicens. Gloria tibi christe magna est gloria tua. quia non solum homines propter nomen tuum patiuntur. sed et fer(a)e elegerunt magis mori. quam tangere unum de servis tuis. Tunc omnes qui occisi sunt. christiani furaverunt eos et sepelierunt. Multos dies iacuerunt foris. et nulla volatilia eos tetigerunt. Quoniam multi videbant mirabilia que faciebant. et confortabantur in fide.

Tunc imperator dixit domesticis suis. Quid faciam puero isti. quoniam omnis populus separat(ur) a sacrificiis deorum. Et dixerunt imperatori. Iube fieri rotam. et ligetur ab ea. et tollatur de alto loco. et dimittatur de alto. et sic male ex penis carnes eius dirrumpantur. et sic potest animam reddere. Et iussit imperator sic fieri. Et incluserunt (ae)milianum in carcerem. usque quo fabricata est rota. Et post dies triginta. nuntiaverunt imperatori. quoniam parata est rota. Et iussit imperator mitti preconem. ut omnis populus expectaret exitum eius ut omnes credentes in christo. si conversi fuerint ad sacrificandum dimittantur. si in christo permanserint occidantur. Et ivit ad theatrum. et iussit adduci (ae)milianum episcopum. Veniens. autem psallebat et dicebat. Inclina domine aurem tuam ad me et exaudi me. quoniam egenus et pauper sum ego. Custodi animam meam quoniam tu es iustus. et pius deus. et misericors in omnibus qui invocant. Intende orationem meam. in quacumque die tribulor et exaudi me. Non est similis tibi in diis domine. et non est secundum opera tua. Omnes gentes quascumque fecisti laudent te. et adorent et glorificent. Quoniam magnus es tu et faciens mirabilia. tu es deus solus. Deduc me in via tua. et ambulabo in veritate tua. Letetur cor meum ut timeat nomen tuum. quo-

niam magna est misericordia tua super me. et eripuisti animam meam ab inferis. fac mecum domine signum in bonum. ut videant qui me oderunt et confundantur. quoniam tu domine adiuvisti me et consolatus es me. Post orationem tulerunt eum et ligaverunt eum in rota. et dimiserunt eum de alto. et apparuit ei dominus ihesus christus. et statim rote ligature rupte sunt. Et erat sanctus (ae)milianus episcopus sedens sine lesione. Rota autem volvit se. et occidit de populo animas quingentas. Et factus est timor magnus in illa civitate.

Imperator timore ductus clamabat eum ad se. et dixit ei. (Ae)Miliane usque quo hec omnia facis? Alios vivos separasti a diis. alios occidisti. Beatus (ae)milianus opiscopus respondit. Infelix et miser. filius diaboli. bene de vobis dixit propheta. Convertantur mala eorum super capita ipsorum. iniquitas ipsorum descendet super eos. Maximianus dixit. Ergo de nobis dicta sunt verba ista? Quis te docuit? (Ae)Milianus respondit. Dominus meus hylarianus presbiter. Imperator dixit. Possum ego videre eum. ut ego discam aliquid ab eo? Hec enim dolose dicebat. volens eum punire. (Ae)Milianus respondit. si volueris apparebit tibi. Imperator dixit. Per meam salutem magnum beneficium. (Ae)Milianus respondit. Iube et adduco eum. Et iussit eum imperator ire cum custodibus. Et ingressus (ae)milianus ad hylarianum presbiterum dixit ei. Domine pater clamat te imperator. Hylarianus presbiter dixit. Venit tempus meum. in hac nocte venit ad me dominus dicens. Debetur tibi certamen sicut servo meo (ae)miliano. Et abierunt simul gaudentes. Et cum venissent imperatori nuntiaverunt ei. Et iussit eos ingredi. Et dixit imperator. Quid diceris? Et dixit ei presbiter. Quod a parentibus meis audivi. hylarianus in fide christianus. Imperator autem dixit. Abes alios tecum? Hylarianus dixit. Sunt duo fratres. Imperator dixit. adducantur. Et adducti sunt. Et iussit eos ingredi. et ingressi dixit eis. Vos estis qui (ae)milianum separastis a diis nostris? Illi dixerunt. Dignos clamat deus noster ad se. Maximianus respondit. Ite et suadete illi ut sacrificet diis. et eritis mihi amici karissimi. Illi dixerunt. Oramus ad deum ut nos eripiat in quem credimus. ut coronemur a deo. Orantibus autem illis simul apparuit illis christus. Et statim contremuit locus ille ubi fecerant orationem. Imperator timore ductus dicit eis. Videtis quomodo dii irati sunt. et commota est terra? Illi dixerunt. Bene dixisti. Si ergo terra mota est. puto et dii tui ceciderunt. Imperator dixit eis. Quid dicitis? Loquente adhuc maximiano. venit nuntius et dixit ei. Ceciderunt dii tui et confracti sunt. Imperator autem audiens dixit. Per salutem meam nisi celerius de hac civitate istos separavero. usque ad deos meos pervenerunt. Et iussit (ae)milianum in carcerem mitti. et illis tribus multas penas dari. et decollari. Et tulerunt christiani in absconso corpora eorum. et sepelierunt diligenter.

Et postea iussit imperator clamari ad se (ae)milianum episcopum (et) dixit ei. Quid te putas quia possis evadere de manu mea nisi sacrificaveris diis. (Ae)Milianus respondit. Non est mihi necessarium respondere tibi de hoc sermone. Imperator dixit. Ecce magister tuus hylarianus. dionisius et hernippus. consentientur mihi. et sacrificaverunt diis. et sunt nobiles in palatio meo. (Ae)Milianus cognovit per spiritum sanctum quia iam coronati sunt. et dixit imperatori. Iube ut videam illos ante te. non enim post multos dies ero in regno celorum. Imperator dixit. In aliam civitatem eos direxi. causas meas acturos. (Ae)Milianus respondit. Bene indigne canis soles mentiri. sed modo veritatem dixisti. Sunt enim in celo in civitate christi. Tunc ei multa adhibuit. iussit eum adduci. demandans spiculatoribus ut etiam carnes eius decollati ignem consumeret. Et ibat (ae)milianus gaudens psallebatque dicens.

Omnipotens dominus celi terreque creator.
Ihesu christe deus regum summa potestas.
Omnia qui iuste moderas moderamine sancto.
De celis veniens natus de virgine sacra.
Postquam mille modis miracula sancta dedisti.
In cruce confixus. salvasti sanguine mundum.
Unde tuis famulis donasti forte tropheum.
Demoniacas fraudes per quod confringere possint.
Terrore christe deus. humane gentis amator.
Demonis ut hujus. tu pandas contra nefanda.
Ac propriis dictis sua premat facta malignis.
Per que cecatis propinat tanta venena.
Quod videantur populi. te laudant semper in evum.

Teque deum promant. celi terreque salvatorem. (satorem ?).
Teque colant semper devoto mentis amore.
Qui cum patre deus regnat et flamine sancto.
Atque tuum regnum mundi per climata fulget.
Hec ubi dicta dedit precando martyr beatus.

Ad hanc igitur deprecationem beati (ae)miliani fusi ad deum precibus. plurimi ex eis crediderunt in dominum. Et baptizati sunt laudantes et benedicentes nomen domini nostri ihesu christi. laudabile et gloriosum in omnibus seculis. Quoniam te adiuvante hos tuos famulos de tenebris infidelitatis eruens. ad gremium sancte matris ecclesie perducere curavi. Custodi ergo et protege eos ab his qui in circuitu ambulant. Ut viam mandatorum tuorum absque errore curren(te)s. ad celeste regnum conscendere valeant. Meque tuum famulum de manu iniquorum eruens ad tuam sanctam gloriam perducere dignare. Deus angelorum et omnium virtutum deus benedicimus te. et totis nisibus glorificemus. Quia nos inmerito ad talem exitum perducere dignatus es. ut participes fieremus servorum tuorum. et calicis christi tui per passiones momentaneas quas pro tua fide libenter sustulimus. In quibus positum precamur humiles. ut suscipiamur hodie per manus angelorum tuorum sicut sacrificium matutinum. et acceptabile holocaustum ante conspectu tremende maiestatis tue. Implorantes simul et pro omnibus qui memores extiterint nostri ad reverentia nominis tui. tribuas eis quesumus domine fidei recte constantiam. infirmantibus medelam. titubantibus salutare(m) viam. pro nostri nominis humilitate te interpellantibus tue gratie dona. misericorditer indulgeas. Et si in delictis forte humano more ceciderint. et reminiscentes misericordiarum tuarum. que nobis clementer affuerunt. clamaverint ex gemitu cordis. et contritionem spiritu contribulati. tu deus qui peccatis involutos absolvere consuesti. exaudi in celo et propitiare impietati eorum. Verus es et sine mendacio deus. propterea laudem dicit tibi omnis creatura tua. per eternum deum et pontificem ihesum christum dilectum filium tuum per quem et cum quo tibi in spiritu sancto gloria. et nunc et in futura secula seculorum amen.

Et completa oratione. ibat (ae)milianus gaudens et psallebat dicens. Sepe expugnaverunt me a iuventute mea. etenim non potuerunt mihi. Dominus iustus confringet cervices peccatorum. Et duxerunt eum foras extra civitatem lucanam miliaria tria. et invenerunt locum ubi placuit deo. Et ligaverunt eum in novella oliva. et accessit ad eum unus de spiculatoribus et percussit eum. et gladius tamquam cera conspicatus est. et dicebant ad invicem. Venite cadamus ad pedes eius dicentes. Rogamus te ora pro nobis. ut indulgeat nobis dominus omnia que gessimus. et nos credimus in christum. Et levavit (ae)milianus manus suas ad celum dicens. Domine deus meus comple desiderium meum in loco isto. et omnibus istis da indulgentiam. et dimitte eis peccata eorum. Et quicumque colunt meam festivitatem. et faciunt commemorationem. habeant partem cum domino nostro ihesu christo. et beata maria matre domini nostri ihesu christi. et beato michaele archangelo cum omnibus sanctis in regno tuo. Et vox de celo audita est. (Ae)Miliane quecumque petisti. ego exaudiam te. Ingredere benedicte a domino in requiem sempiternam. Ecce enim preparata est habitatio tua. Et iterum facta est vox de celo dicens. Serve meus bone completa sunt desideria tua. aperti sunt tibi celi. Chori angelorum te expectant corona tua preparata est. Iam non diceris (ae)milianus. sed misericors vocaberis. Unde et tu multos liberaturus es. Tu autem es spes navigantium. et refugium eorum et susceptor qui opprimuntur. Rogantibus medicus. et demonum persecutor. Hec audiens (ae)milianus. clamavit homines illos et dixit eis. Percutite me. Illi autem nolebant. Et dixit eis. Nisi hoc feceritis. non habebitis mecum partem in regno dei. Et gaudentes accesserunt ad eum. et osculati sunt omnes membra eius. et percusserunt eum. Et apparuit corpus eius sicut nix. et pro sanguine lacte cucurrit. Et arbor illa ubi ligatus est. repleta est fruct(ib)us. Et omnis populus civitatis venerunt condire corpus eius. et lacte pro sanguine currere viderunt. Et arboris fructum. et dederunt gloriam deo. et multus pupulus crediderunt in christum.

Completum est martyrium beati (ae)miliani episcopi in loco qui dicitur carpiani. tertia pars miliarii de ipso flumine. qui cleoton vocatur. Venerunt christiani et tulerunt corpus eius. et sepelie-

runt eum sub die quinto kalendas februarias. Regnante domino nostro ihesu christo. qui vivit et regnat deus per omnia secula seculorum. Amen.

Pag. 298 — Passio sancti Constantii martyris.

Cum esset igitur temporibus antonini imperatoris devulgata est iussio eius. ut ubicumque homines invenire potuerit christianos. aut qui christum nominare(n)t vinctos eos deduceret ante illum. Sanctus vero constantius erat constitutus in civitate perusina. ex nobili genere natus. annorum vero eius. XXX. In tertio anno magnus in aspectu erat. et preclarus in claritate. astituitas et arguitas magna in illo erat. Perfectus factus est per dominum ihesum christum. Ubicumque audiebat. affectebant per inopia. studiose eum visitabat. Placuit ergo dominus omnipotens opera illius quia perfectum vidit illum. vocavit eum in congregatione iustorum.

Audivit igitur sanctus constantius quia in civitate asesinatim persecutio esset christianorum. gavisus est valde. Tollens itaque virga sua. et pergens iteravit. Cum autem venisset in locum qui dicitur danabus. homines crudeles obviaverunt eum. Qui cum vidissent salutavit eos et dixit. Gaudium sit vobis dilectissimi fratres. Illi furore repleti dixerunt ad eum. Unde es tu? aut ex qua natione. qui cum tali auctoritate salutas de longe? sanctus constantius dixit. Ego de civitate perusina sum. ex nobili genere et natione. Ad servitium christi pervenire desidero. Illi autem dixerunt. Inquiramus eum si vera sunt que loquitur. Ponamus super eum fortem sententiam. Dixerunt autem ad eum. Nos ab imperatore auctoritatem habemus. ut ubicumque hominem invenire potuerimus christianos. diversis penis et variis tribulationibus et facultatibus nudati interivimus. Sanctus constantius respondit eis. Istum sermonem quem vobis affirmo. numquam mutabo. nec mentem nec verba quod vobis loquor. Illi autem adprehenderunt eum. et ligaverunt acriter. Reversi statim post se ad flumen qui dicitur clasius. et extenderunt eum in terra. feceruntque sibi fustes nodosos et dissipaverunt dorsum eius. Beatus vero constantius oravit et dixit. Domine deus christianorum ego audivi ab infantia mea. quia tu potens es ex multis qui in te crediderunt. nullas plagas diaboli neque verbera sentire potuerunt. Fac domine peto mecum misericordiam. quia servus tuus ego sum libera me et noli me derelinquere. quia tu es deus fortis.

Aspiciens autem in celum vidit angelum venientem super se. et dicens ad eum. Constanti noli timere Dominus misit me ad te ut refrigerem te. quia fustes nodosos mactatus es nimis. Sanctus constantius dixit. Gratias tibi ago domine quia dignatus es venire ad me humilem servum tuum. Sed timeo ut non diabolus adfirmeris. Angelus domini dixit. Noli timere. quia non sum diabolus. Sanctus constantius respondit. Ergo si angelus dei es. fac tibi signaculum christi cum digito tuo in fronte. Angelus vero domini fecit sibi signaculum sancte crucis in frontem suam. Sanctus constantius dixit. Domine deus tibi gratias agere merear. quia dignatus es ad me indignus angelum tuum sanctum transmittere. et plagas meas refrigerasti. modo non timeo. Illi autem qui eum ligatum tenebant. nec videbant nec audiebant. quando ille cum angelo loquebatur. Aspicientes autem carnifices in dorsum eius. nulla macula in eum invenire potuerunt. et dixerunt. Iste forsitan magus est. et duxerunt eum ligatum in civitate asesinatim. ubi sanctum concordium et pontianum tenebant vinctos. Tunc sanctus constantius et hii duo concordium et pontianum. victi duxerunt ad civitate metropolitana que appellatur spellum.

Beatus constantius proiciens se in terra in faciem. orans et dicens. Domine quis est ille angelus quem ad me indignus transmittere dignatus es. Dixit angelus domini ad eum. Surge et ambula usque ad locum ubi sanctus daturus es. Ego sum custos anime tue. et ego tollam spiritum tuum. et deducam in paradiso dei. Ubi sancti sunt in deliciis. et gaudio pleni. Statim erigens se sanctus constantius. Hii qui eum trahebant percusserunt de fuste in capite eius. Et dixerunt ei. Quare magicas in terra precantas. Tunc abierunt per viam contra fulgineam civitatem. dixit autem unus ex eis. Magus est iste. venite occidamus eum. nec per magica sua occidat nos. et tollat nobis vinctos quem ducimus. Illi dixerunt. Sic faciamus. Venerunt itaque in tribio fulgineato. non longe a civitate. Tunc dixit. Iurnamus in eum hic locutus est de qua. diximus. et percusserunt eum gladio. et amputave-

runt caput eius. Et abierunt in civitate spoletana martyrizantes sanctos concordium et pontianum. quos vinctos ducebant.

In illis diebus erat in civitate fulgineata homo egenus. cui nomen erat leviamus. Vocavit eum in somnis angelus domini et dixit. Surge diluculo et vade in tribio fulgineato. et tolle corpus quem ibi invenis. et sepeli eum. ipse est enim divitias tuas. et habebis propter illum vitam eternam. et portionem in paradiso dei. Ille autem surgens diluculo et habiit in tribio. et invenit ibi angelum domini custodientem eum. anima vero eius ante se tenebat. Pre timore autem eius leviamus cessavit se. et facta est vox milia angelorum psallentes. cum gaudio perrexerunt in celum. Leviamus vero appropinquavit ad corpus beati constantii. et cecidit in faciem suam orans et dicens. Domine deus christianorum. si famulus tuus est iste. cuius corpus hic actractus est. fac virtutem tuam magnam. et presta michi solatium ad portandum eum. Et erexit se leviamus. et levavit corpus beati constantii. Cumque eum portaret. obviaverunt eum duo homines inter se intentionantes. et dixerunt ad levianus. Unde adducis hoc tale homicidium. forsitan christianus es. Levianus dixit. Christianus. Dixerunt autem inter se. quasi ad irridendum eum christum. Iura michi ad istum corpus. et dimittam tibi talentas meas quas michi rapuisti. Ille autem gavisus est. iuravit et dixit. Per istum corpus mortuum et non sit ego talis qualis est iste. aut deus eius. qui a iudeis mortuus est. quia non habeo talenta tua. statim crepuerunt ambo oculi eorum qui eum irridebant. Et ex illa hora lumen celi non viderunt. Leviamus levavit corpus beati constantii.

Tunc obviaverunt eum duo ceci. qui lumen nunquam potuerunt videre. Exiebat autem de corpore beati constantii odor inestimabilis. quasi aromata pretiosa. Ceci vero dixerunt ad leviamus. Qualia odoramenta portas domine leviane? Ex eo qua nati sumus. talem odorem nunquam sensimus. Leviamus pausavit corpus beati constantii. et dixit ad cecos. Corpus est quem ego porto humeris multum eum portare desidero. Ceci dixerunt. Ergo christianus es. Ille respondit. Christianus. Ceci vero dixerunt ad puerum qui eos comitatu prestabant. Porta nos usque ad illum corpus. Et portavit eos. Et ceciderunt in faciem suam adoraverunt eum dicentes. Salva nos in nomine domini dei tui. et portavimus te una cum levianus. et sepelimus te. et sepulchrum tuum construimus. et christianis veneramus. statim terremotus magnus factus est in eodem loco. de oculis eorum tamquam squame ceciderunt. et viderunt lumen. Ex illo die crediderunt domino ihesu christo. Levantes corpus una cum leviano. et invicem portaverunt eum usque prope civitate perusina. et ibi eum sepelierunt. gaudentes et psallentes cum hymnis et canticis. et aromatibus pretiosis. Et ibi prestantur beneficia dei usque in hodiernum diem. Ingressus est igitur beatus constantius in congregatione iustorum tertio kalendarum februariarum. Ragnante domino nostro ihesu christo. qui cum patre et spiritu sancto vivit et regnat in secula seculorum. Amen.

Pag. 299 — (VITA) S. SEVERI.

Post excessum beatissimi apolenaris. beatus severus decimus ravennalem cathedram suscepit. Cuius nomen intelligitur in compositione sevus verus. quod non ad sevitiam pertinet. sed ad fortitudinem. Sevus idest fortis verus. Pontifex maximus. cuius sacerdotium ab omnipotente deo tantum predestinatum fuit. ut nullius electione sanctus spiritus missus fuisset in specie columbe. quam omnis populus viderunt corporalibus oculis. et super caput eius requievit. Unde de eo in proverbium usque hodie dicitur a singulis gentibus. Beata terra illa ubi in lectione pontificis spiritus sanctus descendit in columbe similitudinem. et ordinatus super cuius caput requiescit. Restat autem ut qualiter ad pontificii venerit ordinem. sicut latine sanctorum virorum didicimus prosequamur.

Quadam die accidit ut marcellinus presul omni virtute decoratus migraret ad dominum. Cuius expletis obsequiis ut moris fuerat. clerus et populus ecclesiam ingressi unaminiter orationi instantes. petierunt ut electione sua deus. illi dare dignaretur episcopum. Dum multi ad tale festinarent miraculum. tunc beatissimus severus. cum lanisterii opere cum coniuge sua pregravatus. ait ad coniugem. Vadam et videbo. visionem mirabile(m). quomodo de celo columba adveniens. super

caput electi consedeat. Coniux vero eius cepit eum subsannare et increpare dicens. Sede hic. labora. noli otiosus esse. sive ieris sive non ieris. te pontificem populus non ordinabit. Revertere ad opus. Ille autem dixit illi. sine me ut vadam. Et illa. Vade. quia qua hora ieris. pontifex confestim ordinabis. Ille autem surgens perrexit ubi erat cetus cleri. et populi. et pro vestium deformitate quia squalido indumento indutus erat. abscondit se post ianuam ipsius loci ubi erant omnes congregati orantes. Et post orationem expletam. extimplo venit e celis columba. nive candidior. et requievit super caput eius beati severi confessoris christi. post valvas latitantis. Ille autem dum a se eam expulisset. volitans per aeram iterum requievit super eum secundo et tertio. Stupefactus omnis potentatus qui presentes astabant. maximas deo gratias agentes. ordinatus est pontifex. Quo audito coniux eius quod nuper desiderati admirans. super eum nimirum gratulabatur. Tunc impletus est evangelicus sermo qui scriptus est. quod impossisibile est apud homines. possibile est apud deum. Et iuxta pauli vocem infirma mundi elegit deus ut confundat fortia. Sed ve tibi ravenna misera. vicina destructe classi. quia nunc cum nimia altercatione et controversia pontifex in te ordinatur.

In sardicense concilio cum legatis romane ecclesie vir sanctus interfuit hic severus. Qui beatissimus severus dum quondam missam celebraret. cum ipsius diaconus in pulpitum ascendisset. et beati apostoli pauli epistolas legeret. ut populorum conventus spiritalibus verbis reficeret. subito sanctus vir in extasi factus est. velut sopore detineretur. nec pleniter dormiens. aut vigilans. Existimantes eum sui quod somno arreptus fuisset. ceperunt latera eius pulsare. Ille autem quasi de gravi somno erigit se sursum. et tristis animo dixit illis. O quid fecisti(s). quare inquietastis me? quamvis a vobis hic viderer in alio loco eram. At illi perseverabant interrogantes eum et dicentes. Dic nobis ubi fuisti pater? Quibus ille ait. Indulgeat vobis dominus dilectissimi filii. pro eo quod expergefactum fecistis me. Quia in sancta mutinense ecclesiam eram. et ibidem fratris et coepiscopi mei geminiani ipsius antistitis ecclesie omnipotenti domino animam commendavi. et ibidem steti quousque predictum sanctum corpus eius sepulchro poneretur. Propter hanc igitur causam ut veritas probaretur. cives ravennates et cives classenses. equites miserunt ad superius iam dictam urbem mutinensem. ut sancti viri eloquia conprobarent. Quibus dum requisitus fuisset dies vel hora qua sancta anima beati geminiani. migrasset ad dominum dixerunt. Nonne dominus severus pontifex vester ei animam commendavit. et tamdiu hic stetit. quousque corpus eius sepulchro claudereturs; Quo clauso ab oculis nostris repente evasit. Qui reversi nuntiaverunt per ordinem civibus suis. ut eis narratum fuerat. Ex illo iam die ceperunt sanctitatem eius amplius venerari. Cuius beate vite viri apud nos non reperiuntur descripte ystorie. Sed dicunt quidam quod multa mirabilia prodigiaque per eum dominus exercuit in populo. Quod non valuit patefacere filius noster.

Tanta illius sanctitate asseritur. ut eius defuncta coniux post plurima tempora. evoluta esset in latus. Dum filia beatissimi confessoris christi severi. innocentia nomine vitales auras ammisisset. Venerunt omnes ut infra sepulchrum minimum sue genitricis vincentie corpusculum ponerent. Viderunt sepulchrum minimum. et dixerunt. Non possunt hic duo requiescere corpora quia modicum est vas. Cum fletuque dominus ait severus. O mulier cur michi molesta es? quare non prebes locum filie tue? Suscipe quod portasti. ex tua sumpta es(t) carne. ne dubites recipere. Ecce tibi trado quod michi dedisti. ne torpeas. unde fuit reversa est. locum tribue noli me contristare. Ad cuius vocem sub tanta velocitate sue coniugis ossa ad semetipsa in partem aliam remota. quanta vix ea animata corpora hominum sic citius movere potuissent. et filie sue spatium loci tribuit ad sepeliendum.

Factum est autem post ut sanctam animam. quam homines diligebant in terra. divino iussu a sanctis angelis essent susceptura amena loca. Sicut enim narrantes audivi de transitu beati viri. ita vestris auribus intimabo. Quod quadam die missam celebrasset. et sacrum dominicum corpus et sanguinem percepisset. stola pontificali indutus. suum iussit aperire sepulchrum. Qui vivus ingressus inter coniugem et filiam iacens. se iussit claudi. Ibidemque orans pretiosam deo animam reddidit. in tali pace et tranquillitate defunctus est. sub die

kalendarum februarii. Et multa mirabilia ad sepulchrum eius ostendit ipsa sua ecclesia. que sita est in civitate dudum classis. non longe a regione que dicitur salutaris. usque in presentem diem.

Et iterum narrabo vobis. quod nostris temporibus factum conspeximus. quod ad memoriam revoco ut recordemini. Vir autem unus cuius hodie animatum vivit corpus. cum parvulus esset. et in infirmitate corporis eum sua mater ad sepulchrum beati christi confessoris severi prostravisset. somnoque omnes astantes arrepti fuissent solus ille infirmus puer intempestivum noctis expavit. et vocem emisit, cunctos excitavit. Videruntque candelas. que ante extincte fuerant congruo lumine fulgoreque micantes. Et cum vidissent cuncti immensum lumen territi mente. dederunt gloriam deo et severo confessori eius. Puer autem cum in medio eorum deductus fuisset. cepit mater eius interrogare eum. Quid tibi contigit fili? At ille coram omnibus dixit. Vidi ex hoc sepulchro egredientem virum. episcopali habitu. canitie capitis decoratum. angelico vultu tetigit me et expavi. Hec nostris temporibus facta sunt. et non solum hec sed et alia multa. Et aiunt quidam beatum eradianum pensaurensis civitatis episcopum huius beatissimi confessoris christi severi fuisse discipulum. ab eo eruditus sacra doctrina episcopalem tenuit sedem. Sufficiat vobis nunc obsecro quod (de) beati severi vita audistis. ut de reliquorum vita pontificum fari valeamus. Et ideo vobis plura non diximus. ut cum desiderio magis quam cum tedio legatis. et inmensas deo gratias agatis. Qui est benedictus in secula seculorum. Amen.

Pag. 303 — Augustini (Sermo).

Nuper dies natalis domini ihesu christi fratres karissimi magnum contulit gaudium generi humano... virginitatem non abstulit. Exultent senes. quia symeon ille pretiosus senex. qui diu vixerat. cuius etas comparata est anne. et audierat responsum quod non esset visurum mortem nisi videret christum domini. puerum ihesum accepit in manibus suis. et benedixit deum et dixit. *Nunc dimittis servum tuum domine. secundum verbum tuum in pace. quia viderunt oculi mei salutare tuum. quod parasti ante faciem omnium populorum. lumen ad revelationem gentium. et gloriam plebis tue israhel.* Intelligite fratres mei... quod ad christum pertineat. Sed numquid christus natus sic remansit?.. agnovit. Nemo contempnat christum natum. et infantem in templo presentatum. Qui vult esse renatus. ad illum pertingat qui propter nos nasci dignatus est. De quo iohannes in evangelio dicit. *Hic est agnus dei. hic est qui tollit peccata mundi.* Qui cum patre... seculorum. Amen.

Pag. 305 — Lectio sancti evangelii secundum Lucam.

In illo tempore. Postquam impleti sunt dies purgationis marie secundum legem moysi tulerunt illum in hierusalem ut sisterent eum domino. sicut scriptum est in lege domini. quia omne masculinum adoperiens vulvam sanctum domino vocabitur. et reliqua.

Omilia lectionis eiusdem.

Sollemnitatem nobis hodierne celebritatis... ecclesie conventus insinuat. *Et postquam impleti sunt dies purificationis eius secundum legem moysi. tulerunt illum in hierusalem ut sisterent eum domino.* idest sanctificarent. Quia dominus ihesus christus non venerat solvere legem sed adimplere. non solum octavo die iuxta ritum legis voluit circumcidi. sed etiam post hec tricesima die in templo presentari. Sic enim decretum erat in lege. ut cum mulier peperisset. octavo die circumcideretur infantulus. Ipsa vero XXX. et tribus diebus ab ingressu templi se abstineret. In quo facto ostendit nobis dominus. cum quanto studio evangelii precepta que per semetipsum nobis dedit observare debeamus. si ille cum tanta diligentia precepta legalia que per servum suum dederat observavit. Iuxta vero spiritalem intellectum. eo quod noluit templum ingredi priusquam circumcideretur et purificaretur. cum non (in)digeret. ostendit nobis quia prius membris ecclesie non possumus adunari. neque corporis et sanguinis ei participes fieri. nisi prius per baptismum purificati fuerimus. Dicente ipso in evangelio. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et spiritu sancto.* Et reliqua. Et adhuc secundum secratiorem intellectum. ostendit nobis.

quia templum eterne beatitudinis. idest celum nequaquam intrabimus. nisi prius per penitentiam et bona opera fuerimus purificati. Sicut ait psalmista. *Non habit(abit) iuxta te malignus.* et cetera. Et ut per apostolum dicitur. *Caro et sanguis regnum dei non possidebit.* Quemadmodum in ipsius materialis templi constructione prefiguratum est. quando lapides ex quibus domus domini fuit edificata politi sunt in tantum inventi. ut nulla vox mallei. neque securis audita sit in domum domini cum edificatur. Lapides quippe precordia sanctorum significant. de quibus per ysaiam dicitur. *Ego sternam per ordinem lapides tuos. et ponam te in sapyris.* Et idem. *Lapides vivi volvuntur super terram.* Talibus apostolus petrus dicit. *Et vos tamquam lapides vivi superhedificamini domus spirituales.* Alibi ergo lapides ceduntur. et alibi apte in edificio ponuntur. quia anime sanctorum in presenti vita per penitentiam et elymosinas. et cordis conpunctionem. atque proximorum compassionem preparantur. ut postea in edificio deo apti inveniantur. In cuius templi edificio ardentissimo amore inveniri propheta optabat cum dicebat. *Unam petii a domino hanc requiram. ut inhabitem in domo domini. omnibus diebus vite mee.* Cuius pulchritudinem idem ipse psalmista considerat dicens. *Quam dilecta tabernacula tua domine.* Verum si ipsius legis verba diligentius perpendamus. inveniemus non solum dominum ihesum christum a iugo legis solutum. sed etiam sanctam genitricem eius a constitutione legali esse liberrimam. Ait enim moyses. *Mulier que suscepto semine peperit puerum. immunda erit septem diebus iuxta dies separationis menstrue. Octavo die circumcidetur puer. ipsa vero XXX diebus manebit in sanguine purificationis sue. omne sanctum non tanget nec ingredietur sanctuarium.* Ubi notandum quia non dixit *omnis mulier que peperit puerum. immunda erit.* sed *que suscepto semine peperit puerum immunda erit.* Ad differentiam scilicet illius. que non susceptione virilis seminis sed obumbratione spiritus sancti concepit. et peperit filium dei.

Pag. 336 — Passio Sanctorum XL Martyrum.

Qui in sebastia civitate martyrio coronati sunt. quorum nomina hec sunt. Domitiani. eunocii. Sisinnii. Heraclii. Alexandri. Iohannis. Claudii. Ana(s)tasii. Valentii. Heliani. Melitu. Hedicii. Hachaici. Ubiani. Helii. Theodoli. Cyrilli. Flaviani. Severiani. Quirioni. Valerii. Vidioni. Sacerdone. Prisci. Eutichii. Smaragdi. Phyloctimi. Necti. Michalli. Lisimachi. Domni. Theophili. Euticii. Xathei. Aggei. Leontii. H(e)sichii. Gaii. Gorgoni. Candidi. Hii omnes simul XLta passi sunt temporibus litiani (licinii) imperatoris. et erat persecutio magna adversus christianos. et omnes pie viventes in christo conpellebantur sacrificare diis. Agricolaus vero erat preses de ministro. pestifero et crudelissimo. Erant milites capadotie regionis. in uno numero secundum deum viventes. numero XLta. Agricolaus preses dixit ad eos. Unum e duobus eligite. aut sacrifica(te) diis et vivetis. aut ego interficiam vos. Eligite de duobus unum quod vobis placuerit. Tunc responderunt sancti ad eum. Quod nobis expedit dominus curam regit. Preses dixit. Non multum loquimini set post triduum venientes. sacrificate diis. Et protinus iussit eos. mitti in carcerem. Cumque introissent in carcerem curvantes ienua sua. deprecati sunt dominum dicentes. Eripe nos a temptatione et a scandalis operantium iniquitatem. Vespere autem facto. ceperunt psallere hunc psalmum. *Qui habitat in adiutorio altissimi. in protectione dei celi commorabitur.* Et sequentis psalmi versiculum percurrentes oraverunt. et iterum psallebant. usque ad mediam noctem. Precellebant eos sanctus quirion in responsionibus et sanctus candidus. et sanctus domnus. Salvator itaque noster. apparuit eis dicens. Ecce propositum vestrum bonum. sed qui sustinuerunt usque in finem hic salvus erit. Omnes vero hanc vocem audierunt. et timore perculsi pervigiles duraverunt usque ad diluculum.

Convocans vero preses omnes amicos iussit sanctos perduci. Et adducti sancti XLta temti sunt a preside. et conpellebantur sacrificare demoniis. Ceperuntque eis ita dicere ministri. Unanimitatem vestram ostendistis in bello et per concordiam vestram exercitui victoriam prestitistis. Nunc vero coniurationem complete. et consentite in unum legibus imperatorum et sacrificate diis. Responderunt sancti et dixerunt. Pro rege mortali pugnantes. vincebamus inimicos. quanto magis pro rege immortali certantes. superavimus tuam inimice

dei male artis sententiam. Dixit preses. Quod dico ad gratiam dico. sed sicut est. Quicumque sunt milites sub imperatore. non sunt ut vos sapientes. et decori. sed ita a nobis amabiles. Non ergo dilectionem vertitis in odium hoc enim in vobis est dignum. aut dilectionem aut odium. Sanctus candidus respondit. Assertionem tuam et nomen tibi impositum dignum est. agricolaus. Agrestis enim blanditor es. Preses dixit. Nam predixi vobis quoniam in vobis est odiri et diligi. Sanctus candidus ait. Quoniam utrumque odimus. et te et patrem tuum diabolum. Diligimus itaque deum. et christum et spiritum sanctum. Tu vero silvester et odibilis deo. ne nos diligere amplectaris funeste et invide agrestis nomine et blanditor. Audiens vero hec preses fremens dentibus ut leo iussit alligari et mitti in carcerem. Sanctus quirion dixit. Non accepisti adversum nos potestatem torquendi. Tunc timens preses iussit eos absque tormentis duci in carcerem. Precipiens aglao cubiculario. diligenter custodiri eos. expectabat duci presentiam.

Per totum autem diem et noctem docebantur a sancto cyrione. Dicebat eis. Secundum gubernationem dei sodales fuimus in hac militia temporali. non ergo dividamur ad invicem. sed sicut proximos. unanimes fuimus. et unum sapientes. et sicut fuimus probati inveniri in christo magno regi. Peractis itaque diebus septem et sanctis positis in carcerem. venit dufra (dux lisia) ad cesaream capadocie. in sebastia civitate. et residens cum preside agricolaci. octavo die iusserunt sanctos perduci. Cumque ducerentur exorabat eos sanctus cyrion dicens. Fratres non timeamus. numquid non quando eramus in bello. invocabamus dominum. et dedit nobis virtutem. Et quosdam eorum occidimus. aliis vero in fugam vertimus. et unus ex nostris non est vulneratus a tanta multitudine. Nunc vero tres sunt qui nos impugnant. sathanas. dux. et preses. sed hii unum sunt. et hic unus quadraginta vincit. Absit. Deprecor itaque vos non timeamus sed invocemus deum sicut semper fecimus. et non contingit nos tormenta. Psallamus nunc sicut consuevimus hunc psalmum. *Deus in nomine tuo salvum me fac et in virtute tua libera me.* Et nunc istum dicamus psalmum et audiet nos et adiuvabit nos deus noster. et cum ducerentur ad tyrannos. hunc psalmum dicebant. Et cum vidisset eos dux ait eis. Unum e duobus eligite. aut sacrificate diis. et maximis donis honoribusque vos habere faciam. Si non adsenseritis. auferri vos precipiam ab hac vita. sevi a malitia (sed vi militia) privari iubeam. et trado vos tormentis. Sanctus candidus respondit ei dicens. Dux tenebrarum et totius iniquitatis magistri. incipite facere. et videbis vindictam domini mei. Fremens autem dentibus suis adversus milites dixit. O malignissimi ministri quare cel(er)iter non facitis que iussi? Levantes autem ministri lapides alterutrum se cedebant. Sancti autem videntes. confortati sunt. Iratus dux. tollensque lapidem ut percuteret aliquem sanctorum in faciem. iactavit lapidem. et comminuit faciem presidis. Sanctus quirion dixit. *Qui tribulant nos inimici nostri. ipsi infirmati sunt. et ceciderunt. Manifeste conversus est dolor eorum in capite eorum. et in vertice eorum iniquitas eorum descendet. Gladius eorum intret in cor ipsorum. et arcus eorum conteretur.* Preses dixit. Per deos quedam maleficia prevaluerunt. Respondens unus de sanctis dixit. Adiuro per deum maleficia in nobis non sunt. sed deus noster in vos rependidit. Impudentes vero que loquuntur adversus christum iniquitatem ignominia replevit. Non sentis profunde et tenebrose diaboli et minister scandali. caput diaboli tu es agricola. et cauda est dux lisias. qui tecum est et ministri estis sathane. Quoniam non satiat vos primum initium tormentorum incipe etiam ad secundum. Tunc ministri responderunt sancti(s) dicentes. Desperati et omnium dictorum benivolentie inimici. quare diis non sacrificatis? Sanctus quirion ait. Uni conamur deo per ihesum christum dominum. et spiritum sanctum complere. paratum cursum certaminis. et coronam immortalitatis percipimur. Tunc dux iussit eos duci in carcerem. cepit sanctus quirion cum omnibus psallere. *Ad te levavi oculos meos qui habitas in celis.* et sequentiam per ordinem psalmos canentes. Et post orationem circa hora(m) noctis sextam. vox facta est ad eos apparente eis salvatore et dicente. *Qui credit in me. etiam si mortuus fuerit vivet.* Confidite ergo. et nolite timere tormenta temporalia. Sustinete paulisper legitime certate. ut coro(na)mini.

Pergebant vero noctem illam. christi promissione gaudentes. Mane vero factus dies. nona iussit

dux educi eos de carcere. et stantes in conspectu tyrannorum dixerunt. Quod vultis facere citius facite. Apparuit autem eis et diabolus tenens dextera manu gladium. sinistra vero draconem. Dicebat autem ad agricola(u)m meus est certamen. Iussit ergo preses vinctos eos. et in colla eorum funibus missis duci ad stagnum. Est enim in sebasti(a) stagnum. habens aquam multam. Illo vero tempore quo sancti passi sunt. erat frigus nimium. et adducentes eos. posuerunt in medio stagni nudos. Erat autem tempus hyemis et hora acrior. Quando autem missi fuerunt in stagnum. hora vespertina erat. Posuerunt autem eis et custodes milites et clavicularium. Proxime autem stagni erat balneum calidum. ut si quis vellet transgredi fidem suam. exibat de stagno et ibat ad balneum. (H)ora autem prima noctis constringebantur sancti glacie. et districtum corpus corrumpebatur. Unus autem de numero XLta. pusillanimis effectus fugit ad balneum. et mox tetigit calorem statim mortuus est. et sic red(d)idit animam. Sancti vero hec videntes. dixerunt omnes una voce. *Ne in fluminibus irascaris domine* adversum nos. *neque in mari impetu(s) tuus.* Qui enim recessit a nobis. *sicut aqua effusus est. et dispersa sunt omnia ossa eius.* Nos vero concedimus Donec vivifica(s) nos. et nomen tuum invocabimus. quem laudant. et glorificant omnes creature *dracones. et omnes bayssi. Ignis grando nix glacies. spiritus procellarum. que faciunt verbum eius.* Qui ambulasti per mare sicut per aridam. et in tempesta positum. in ictu manus tue mitigas. Et nunc ipse es domine qui exaudisti iacob orantem. cum fugeret esau. et ioseph cum venundatus est salvasti eum. Qui exaudisti moysen dante signa. et prodigia in egypto. in pharaonem. et in populo eius. qui scidit mare et transvexit populum tuum in heremo. Qui exaudisti sanctos apostolos tuos. exaudi nos domine et *non demergat nos domine tempestas aque. neque absorbeat nos profundum. et non urgeat super nos puteus os suum.* Sed adiuva nos deus salutaris noster. quoniam pauperes facti sumus nimis. et stamus in profundum maris. et infecti sunt pedes nostri in sanguine nostro. Alleva pondus et amaritudinem maris. domine deus noster. et sciant omnes gentes quoniam ad te clamamus. et non sumus confusi.

Et circa hora(m) tertia(m) noctis. sol sp(l)enduit. et erat fortis sicut in estate. et glacies facta est sicut aqua calida. Illi vero qui custodiebant eos dormiebant. solus vero clavicularius vigilabat. Audiebat itaque orantes eos. et cognovit quoniam ille qui fugerat ad balneum mortuus est. et illi qui in glacie perdurabant vivunt et vidit lucem super eos. Inspiciensque ad celum ut videret unde lux adveniret. Vidit coronas descendentes super sanctos numero triginta novem. et cogitabat intra semetipsum dicens. Quadraginta sunt quomodo una corona deest. Et estimabit in corde suo quoniam ille qui fugerat ad balneum. non esset connumeratus cum XLta. Et perge faciens custodes qui erant cum eo. et proiciens vestimenta sua in faciem ipsorum. exiluit in stagnum clamans et dicens. quia ego christianus sum. Et exiliens in medio eorum stetit et dixit. Domine credo in te. in quem isti credunt. et me ipsum connumera. et dignum me fac his tormentis et temptationibus ut et ego probatus inveniar. Victus vero sathanas transfigurat semetipsum in virum ligatis manibus ienua sua dicens in conspectu omnium. Ve mihi victus sum ab histis et factus sum ridiculus omnibus. nam habui unanimes ministrum. nam victus numquam fuissem. Nun vero pervertam corda principum meorum. et heorum corpora concremabo in fluviumque proiciam. Hoc autem faciam ut nec reliquie eorum non inveniantur. Adscultantes vero sancti verba diaboli. respondens sanctus cyrion dixit. *Quis deus magnus sicut deus noster. tu es deus qui facis mirabilia magna solus.* Quos enim habuimus contra nos pro nobis fecisti. et separationem quam te decadis supplevisti tu. et sathanam confudisti. Ceperunt quoque psallere. *Salvum me fac deus quoniam intraverunt aque usque ad animam meam.*

Mane autem facto venerunt impii tyranni. et invenerunt clavicularium in medio eorum et didicerunt a militibus quod videns hoc fecerit. Dicuntque eis. Milites nostri frigore debriati dormientes. opterpuimus iussique sumus ab eodem hoc facere quod periculosus esset horum custodia. Et repleti tyranni iusserunt tractos adduci. et cum baculis crura eorum confringi. Unius autem mater durabat cum ipsis. Erat autem filius eius ceteris iunior. et timebat ne aliquando pertimesceret. et in eum semper intendebat. et extendens manus ad eum dixit. Fili dulcissime adhuc modicum sustine

ut perfectus efficiaris. Ne ergo timeas. ecce christus adest. adiuvans te. Perfecti vero adlete christi sanctas eorum animas deo reddentes dicebant. *Anima nostra (sicut) passer erepta est de laqueo venantium. laqueus contritus est et nos liberati sumus. Adiutorium (no)strum in nomine domini qui fecit celum et terram.* Et simul omnes dicentes *amen.* reddiderunt animas.

Filius vero quem exortabatur mater. nomen eius meliton adhuc spirans erat. Et iusserunt principes adduci plaustrum. et insuper ponente(s) sanctorum corpora ad ora fluminis relinquentes iuvenem sperantes eum vivere. Mater autem eius videns eum solum derelictum. abiecta infirmitate mulieris. suscipiens virilem prudentiam et fortitudinem. tollensque super humeros suos. viriliter sequebatur veicula. Et cum portaretur a matre sua reddidit anima letus. Mater vero eius proiecit eum super plaustrum. Et accedentes ad ignem combusserunt sanctorum corpora. et cogitantes tyranni. dixerunt ad invicem. Si sic dimiserimus eorum reliquias tollent christiani. et replebunt ex eis totum mundum. sed proiciamus eas in fluvium. et proiecerunt omnes reliquias in amnem. Congregate vero sunt sanctorum reliquie in loco precipiti et vadoso. et nihil earum imminuit fluvius. Et post dies tres revelati sunt episcopo civitatis dicentes. Ecce reliquie nostre conservate sunt in illo loco. veni nunc et perduc nos. Et alia nocte accipiens episcopus viros multos. et clericos. venit ad ora fluminis in loco illo quod fuerat revelatum. Et ecce fulgebant sanctorum reliquie in aque profundo sicut luminaria. Et si alicui reliquiarum fuerat aliquid derelictum a splendore demonstrabatur. Et ita sanctorum martyrum relevantes reliquias. reverentissimi viri una cum episcopo dei cultore posuerunt in loculis. donec impiorum in christianis per annos plurimos persecutores transirent. Ita certantes sancti XLta. martyres et sic consumati fulgentes sicut luminaria sancta. et vitam relinquentes pro salute omnium credentium in domino. Sub licinio imperatore consumati sunt sancti XLta. preside agricolao. et duce lysia sub die quinto idus martiarum. Apud nos vero regnante domino nostro ihesu christo qui vivit et regnat in secula seculorum. Amen.

Pag. 350 — (De sancto Ioanne Abbate et de S. Ioanne Episcopo Spoletino (1).)

Factum est autem in diebus illis. cum beatus iohannes egrederetur de provincia syria(e). oravit ad dominum dicens. Domine celi et terre. deus abraham. deus ysaac. et deus iacob. deus patrum nostrorum qui fecisti celum et terram cum omni ornamento suo. qui suspendisti mare sermone iussionis tue. Qui eduxisti abyssum et signasti desuper gloriosum et potentem nomen tuum. quem omnia verentur. et contremescent a facie virtutis tue. Te deprecor qui lumen es verum. illumina sperantes in te prosperumque facias iter meum. in quo nunc dirigor. ut hoc michi signum sit. ubicumque ambulavero. et psalterium meum dedero. ipsa die illum mihi non restituerit. ibi me facias permanere. Unde fac tu et factum est. Venit in Italia circa civitatem metropolim. iter plus minus miliario quinto. in fundo agello. et invenit ibi quandam ancillam dei. secundum orationem suam dedit psalterium suum ancille dei. et postmodum quesivit eum. Et dixit illa ancilla dei. Ubi vadis serve dei? Hodie mane. et crastino vadis. Et dum multis locutionibus detinuit eum in illa nocte. et mansit in eodem loco. Et memoratus est beatus iohannes orationem quam effuderat ad dominum ihesum christum. et dixit in corde suo. Vere hic est obsecratio mea. et hic permanebo. Mane autem facto recepto psalterio suo. perrexit inde non longe plus minus quasi sagittas duas. Et ecce angelus domini apparuit illi. et antecedebat ei. et cum venisset ad locum. dixitque illi angelus. Sede iohanne(s) serve dei excelsi. quia hic tibi precepit dominus permanere. Et hec dicens. applicuit eum sub mansiones magnas et requiem sempiternam. Et requievit ibi beatus iohannes confessor christi sub arbore. Hec acta sunt mense decembrio. In illo autem tempore secundum consuetudinem mensis pre nimium frigore gelavit fortiter; et omnis terra arida facta est. Arbor vero sub quam beatus iohannes requiescebat. florebat sicut lilium. Eodem vero tempore cumque transissent veneratores (venatores) per locum ipsum invenerunt beatissimum iohannem servum dei sub arbore sedentem estimave-

(1) *Vide Ferrarium* Catal. Sanctorum Italiae *ad diem XIX Septembris, pag. 602, et ad diem XIX Martii pag. 156.*

runt eum exp(l)oratorem esse. et interrogabant eum. Unde hic venisti? Tunc beatus iohannes narravit eis omnia quomodo in italiam advenisset. Tunc illi ammirati sunt omnes qui tale vestimentum numquam viderant. Et dixit ad illos beatus iohannes. Nolite filioli nolite inquit mihi molesti esse propter servitium domini nostri ihesu christi in isto loco adveni. Adtendentes autem ad arborem. arbor vero fulgebat sicut lilium. Tunc cognoverunt viri quia dominus erat cum eo. Et nuntiaverunt hoc factum beato iohanni episcopo spoletane civitatis. Et dum hoc audisset beatus iohannes episcopus. repletus est gaudio magno. Exurgens perrexit ad servum dei in loco ubi beatus iohannes confessor christi dominum deprecabatur. Et dum vidissent se invicem. pre gaudio lacrimas fuderunt ad dominum. Et requisivit eum beatus iohannes episcopus. et retulit illi sanctus iohannes que supra scripta sunt. Tunc omnes qui aderant egerunt gratias deo. Dominus autem misericordia collecta multitudo populi hedificaverunt ibi monasterium. habitavit ibi cunctis diebus vite sue et sedit in eodem loco annis XLta IIIIor. et requievit in pace. Et depositus est die quarto decimo kalendas aprilis. Cum ymnis et canticis. ubi prestantur beneficia dei usque in odiernum diem. Ceci ibidem illuminantur. demonia effugantur. leprosi mundantur. set fient ibi divina beneficia. usque in presentem diem. Prestante domino nostro ihesu christo qui vivit et regnat cum patre et cum spiritu sancto in secula seculorum. Amen.

Pag. 400

Si diligenter his que ex evangelica lectione audivimus vel apostoli lectione recitata sunt. animum intendimus. advertere possimus morum nobis et totius vite mutationem indici. a nove conversationis instituta proponi. Ecce enim ex evangelica lectione audivimus patremfamilias diversis (h)oris operarios ad laborem vinee conducentem. Audivimus ex epistola pauli apostoli. propositum nobis exemplum in stadio currentium propter corruptibilem coronam. ubi tamen si omnes currerent. unus bravium acciperet. Nos vero ad laborem spiritualis curriri convocamur. Nemo itaque putet hos dies nil a reliquis anni diebus differre cum et evangelica et apostoli vox concorditer nos moneat vitam mutare. mores corrigere. et ad virtutis studium. atque boni operis cursum fortiter per patientie laborem accingi. Sane hos dies consuetudo ecclesiastica. septuagessimam consuevit appellare. non absque magni misterii ratione. Quidam (Quondam) enim antiquus hebreorum populus. cum peccando mansuetudinem dei ad iracundiam provocasse(t). traditi sunt crudelissimo regi nabuchodonosor; qui eos duxit captivos in babillonem. et per septuaginta annos a regno et sancta exteres (extorres) alienigene regi servierunt. Sicque penitentes. tandem deo miserante; ad solum proprium redire meruerunt. Quid ergo in septuagesima (septuaginta) iudaice captivitatis annis. nisi hec omnis vita designatur. In qua peccato primi parentis exiliati. peregrini et exules vivimus; et ad supernam hierusalem tamquam ad patriam suspiramus. Nam idcirco his diebus alleluia non canitur; quia hoc canticum letitie gaudentibus ac triumphantibus non lugentibus et penitentibus convenit. Set et per hoc nobis innuitur. quod in hac mortis regione meroris ac erumnarum plenissima; canticum superne illius civitatis; et divinum celestis armonie melos frequentare non possumus. Cum adhuc corpore molis sarcina pregravati gemimus adoptivorum (adoptionem) filiorum expectantes redemptionem corporis nostri. Cum ergo septuagenarius vite presentis que septem dierum numero volvitur impletus fuerit; a servitute corruptionis; et longe captivitatis peregrinatione liberamur. Tunc feliciter ac secure cantabimus aeua (alleluia). Cum absterget deus omnem lacrimam ab omni facie. et mors ulla non erit. neque luctus. neque clamor. aut dolor erit ultra. que (quia) prima abierunt. Sciendum autem quod septuaginta non a numero dierum. sed ex ordine numeri naturalis dicitur. Neque enim a presenti die usque ad pascha repperiuntur. Ab hac namque dominica usque ad pascha. novem ebdomade veniunt. quarum dies nonnisi LX et tres colliguntur. Septuagesima ergo L. XL. ab ordine ut dictum est naturaliter sequentis numeri denominatur. Et XL. quidem quinta feria ante sanctum pascha quam cenam domini appellamus; dierum XL perficitur. Quinquagesima ipso die resurrectionis determinatur. Sexagesima vero quarta feria in medio videlicet pascha finitur.

LXX. autem concluditur sabbato ante octava pasche. quod ausum (usu) pascha vocamus.

Nec illud pretereundum quod inter septuagesimam. et XL. sex itidem dies computantur. Item inter quintam feriam cene domini. et diem sancti pasche. duo medii sunt dies. Et inter diem sanctum pasche; et quartam feriam medii pasche; similiter duo intersunt dies. Inter quartam feriam et sabbatum quando LXXma. terminatur. duo similiter dies medii inveniuntur. Et senarius quidem ter ductus decem. et VIII. perficit. in quo numero sunt sex et XII. Sex autem ad XII. simplum ad duplum sunt. At binarium ter ductus; senarium reddet; in quo sunt duo et quattuor. Simplum videlicet ad duplum. hos igitur numeros sex scilicet. et XIIcim. Itemque duo et IIII. si inter se conferantur. non nichil mysterii subrutilare videbuntur. Namque per duodenarium; quia ad sex duplus est; et quaternarium qui ad duos eandem servat proportionem. Per duplum mors nostra designatur. qui in anima simul et corpore mortui eramus. In anima quidem propter peccatum. in corpore propter penam peccati. Christi vero mors simpla fuit. quam designat senarius simplus ad duodenarium. et binarius simplus ad quaternarium; quia in corpore tantum mori potuit. in anima vero nunquam mortuus est; et quia nunquam peccavit. Set simpla mors eius; nos a dupla morte liberavit. Responsoria vel antifone que LXX. in ecclesiis canuntur. ex diversis sancte scripture locis; tam veteris quam et novi testamenti collecta sunt. Quedam enim ex libro iudicum; quedam ex parabolis salomonis. quedam ex psalmis. Nonnulla ex libro sapientie. decer(p)ta sunt. et ita effectate modificata. et coaptata sunt. ut de ipsis vel ad ipsa dicta videantur. Quod autem aeua (alleluia) multipliciter frequentatum atque alternatim ingemmatum reperitur. nichil aliud esse puto; nisi quod ipsum aeua dimittendum est. Et ideo tamquam salutantes. et complectentes et vale facientes. quasi recessuros aeua moras innectimus. adhuc si posset fieri; cum aeua retinere cupienter.

Alleluia namque hebreus sermo est et interpretatur latine laudate dominum. Denique in psalmis ubi nos canimus laudate dominum pro hoc verbo aput hebreos aeua canitur. Quod evangelista iohannes in apocalypsi sua celestium agmina virtutum canentia se audisse perhibet. Set et venerabilis pater tobias ex visione angelica intelligens qualis supernorum civium gloria; quanta ipsius hierusalem celestis sit claritas. hec mistica voce dicebat. Ex lapide pretioso et mundo omnes platee eius sternuntur. et per omnes vicos eius aeua. cantabitur. Rectissime autem et pulcherrime generalis sancte ecclesie mos inolevit; ut hoc divine laudationis carmen propter reverentiam prime auctoritatis; a cunctis per orbem fidelibus hebrea voce canitur. Quod ideo fit; ut p(ro) talis consonantia devotionis omnis admoneatur ecclesia. quia et nunc in una fide. confessione. ac dilectione christi consistere debeat. et ad illam in futuro patriam festinare. in qua nulla diversitas mentium. nulla est dissonantia linguarum. Perseveremus ergo et nos in doctrina sanctorum videlicet discendo; et operibus exercendo que docent. Orationibus incubamus assiduis. Dominice passionis communione digni satagamus existere. Unanimiter in ecclesia horis persistamus canonicis. Panem indigenti proximo. vel quicquid valemus pie consolationis porrigamus. Ita cibum corpori indulgeamus; ut memoriam vivi panis potius mentis intima letificet. Simplicitatem cordis in omnibus teneamus. quod est sola intentione superne retributionis bona operari. Et quod presentia festa maxime decet hymnum divine laudis consona voce simul et mente personemus. Sic enim solummodo deo nostro iocunda erit laudatio si quod ore canimus. non impugnemus opere. Si cum labiis aeua proferimus a turpi et maligna cogitatione precordia casta gestemus. Ea tantum ratione suavis erit ei laudatio nostra; si non in rebus caducis et infimis; sed in domino delectemur.

Pag. 434 — Lectio sancti evangelii secundum Mattheum.

In illo tempore. Cum venerit filius hominis in maiestate sua et omnes angeli cum eo. tunc sedebit super sedem maiestatis sue; et congregabuntur ante eum omnes gentes et separabit eos ab invicem. sicut pastor segregat oves ab hedis. Et reliqua.

Omelia lectionis eiusdem.

Post biduum dominus passurus tradendus. flagellandus. et illudendus. et sputis liniendus. ad ex-

tremum vero crucifigendus; aceto et felle potandus pulchre predixit se in maiestate venturum; et gloriam triumphantis premisit. ut scandala que secutura erant hoc premio recompensaret. Ait enim. *Cum venerit filius hominis in sede maiestatis suae.* Sed notanda est sententia filii dei adversus hereticos. Fuerunt enim nonnulli heretici qui negaverunt dominum in eadem forma servi nunc manere quam assumpsit ex virgine; propterea quod apostolus dicit. *et si noveramus christum secundum carnem. set iam nunc non novimus.* Si enim christus in eadem forma servi non manet. quam assumpsit ex virgine. quomodo verum est quod mirantibus apostolis protestati sunt angeli dicentes. *Hic est ihesus qui assumptus est a vobis; sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in celum?* Nulli enim dubium est quia in eadem forma servi habiit in celum quam ex virgine sumpsit. Ergo nullus ambigere debet; quia in eadem forma venturus est. Ecce ipse in hoc loco dicit *cum venerit filius hominis in maiestate sua.* Idem enim filius hominis filius est dei. et idem filius dei filius est hominis; set tamen aliud pro divinitate. et aliud secundum humanitatem. *Unus autem non conversione divinitatis in carnem; set assumptione humanitatis in deum.* et cetera. Destruitur ergo his verbis error illorum qui dixerunt dominum in eadem forma servi manere. Maiestatem appellat divinitatem. qualis est patri et spiritui sancto. Quia que invisibiliter simul cum patre et spiritu sancto impiis iudicabit. Verumptamen numquam visa est ab impiis nec videri poterit.

Et omnes angeli eius cum eo. Et notandum quia omnes angeli in illius obsequium venient ad iudicium; qui in ipsa passione sua paulominus minoratus est ab angelis.

Tunc sedebit super sedem maiestatis sue. Sedere enim iudicantis est. *Super sedem maiestatis sue* dicitur; quia iudex omnium est venturus.

Et congregabuntur ante eum omnes gentes. His namque verbis vera omnium futura demonstratur resurrectio.

Quod vero dicit. *et separabit eos ab invicem;* bonorum et malorum discretionem significat.

Quod autem dicit oves statuendas a dextris; edos vero a sinistris. iuxta illud est intellegendum quod alibi scriptum est. *cor sapientis in dextera eius. et cor stulti in sinistra ipsius.* Et dominus alibi dicit. *nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua.* Illi enim qui cor in dextera habuerunt; et in quibus sola dextera opera(ta) est. collocabuntur a dextris dei salvandi; et in perpetuum cum eo regnaturi. Qui autem cor in sinistra habuerunt et in quibus sola sinistra operata est. statuentur a sinistris dei condempnandi. et in perpetuo igne perituri. Nomine namque ovis in scripturis divinis. simplicitas et innocentia iustorum solet designari. Pulchre ergo in hoc loco per oves omnes electi designantur. Edus enim lascivum et petulcum est animal; et fervens ad coitum. Unde pulchre per hedos lascivia et petulantia malorum designatur. Et quia edus in veteri testamento pro peccatis offerri solebat adeo apte per edos omnes peccatores designantur qui collocabuntur a sinistris dei perituri.

Qua enim laude deus iustos glorificet; et quo premio eos remuneret; manifestatur cum subditur. *Tunc dicet rex his qui a dextris eius erunt. venite benedicti patris mei percipite regnum.* Regnum enim electis a constitutione mundi preparatum dicit. quia ut apostolus ait *quos prescivit predestinavit hos et vocavit et quos vocavit hos et iustificavit; quos autem iustificavit illos et magnificavit.* Quare autem eos remuneret manifestat. *Esurivi enim et dedistis mihi manducare* et cetera. Et notandum quia in hoc loco sex opera misericordie a domino commemorantur. Que quicumque implere studuerit. regnum electis a constitutione mundi preparatum percipere merebitur. Attamen quicumque aliis misereri vult; necesse est ut a se inchoet. prius sibi misericors sit; quoniam recte aliis misereri non potest. nisi sibi prius misereatur. Unde scriptum est. *Fili miserere anime tue placens deo.* Et hoc sciendum quia si ille remuneratur qui hec corporaliter implet; multo magis remunerabitur ille qui ea spiritualiter implere studuerit. Et si ille remuneratur qui corpus quandoque moriturum vestit; pascit et potat. multo dignius remunerandus est ille qui pabulis verbi dei animam reficit in eternum victuram.

Sequitur. *Tunc dicet et his qui a sinistris eius erunt. Discedite a me maledicti in ignem eternum. qui paratus est diabolo et angelis eius.* Et hoc sciendum quia due erunt differentie in die iudicii.

set tamen IIIIor erunt ordines. Duo bonorum a dextris; duo reproborum a sinistris. unus enim ordo electorum erit a dextris scilicet abrenuntiatorum mundi. qui simul cum domino iudicabunt. quibus dominus ait. *sedebitis et vos super sedes XII. iudicantes duodecim tribus israhel.* Et de quibus esaias dicit. *dominus cum senibus populi sui ad iudicium veniet.* Alter ordo electorum erit; qui iudicabuntur et salvabuntur quibus dominus dicet. *Esurivi enim et dedistis michi manducare.* et cetera. Unus autem ordo reproborum erit a sinistris scilicet impiorum. qui non iudicabuntur et condempnabuntur. De quibus psalmista dicit. *non resurgent impii in iudicio.* Resurgent quidem set non ut iudicentur; quoniam sicut dominus per iohannem dicit *qui non credit iam iudicatus est.* idest condempnatus. Alter vero erit qui iudicabuntur. et condemnabuntur; quibus dominus dicturus est. *esurivi enim et non dedistis michi manducare.* et cetera. Qui autem impii interrogando dicturi sunt. *domine quando te vidimus esurientem et non pavimus te? aut sitientem et non potavimus?* Volentes autem hoc ipsum denegare. *Amen dico vobis quia quod non fecistis uni ex minimis his fratribus nec mihi fecistis.* Ecce capud loquitur pro membris; et quod illis non fuerat impensum ostendit sibi esse subtractum. Si enim christus et ecclesia unum corpus sunt. et omnes electi membra sunt ipsius. ergo quod ministratur membris impenditur et capiti. Sed valde metuenda est haec domini sententia qui ait. *Esurivi enim et non dedistis michi manducare. Sitivi; et non dedistis michi bibere.* et cetera. Si enim sterilitas in igne mittetur. quid faciet rapacitas? et si ille perpetuo incendio concremabitur qui sua pauperibus non erogavit; quid faciet ille qui aliena tulit? et si ille absque iudicio non erit qui non facit misericordiam; quid erit illi qui rapinam commisit? Set dicit beatus hieronimus. non videtur dominus generaliter de omnibus pauperibus dicere. set de illis qui pauperes sunt spiritu ad quos etiam manus suas extendens dixit. *Ecce mater mea et fratres mei.* Fuerunt enim heretici qui dixerunt penam malorum non esse perpetuam. Aiebant enim. non patietur deus creaturam suam perire in eternum. Quorum error his verbis destruitur. quibus dominus ait. *Ibunt hi in supplicium eternum.* deinde subiungit; *iusti autem in vitam eternam.* Quoniam sicut scriptum est *tollatur impius ne videat maiestatem domini.* condempnatis impiis et in penam aeterne dampnationis dimersis. sancti et electi viri adsumuntur ad celestem patriam; et transiens ministrabit eis.

Pag. 436 — Lectio sancti evangelii secundum Lucam.

In illo tempore. Cum appropinquasset dominus ihesus iherosolimam; commota est universa civitas dicens. Quis est hic? Et reliqua.

Sermo sancti Remigii episcopi.

Introeunte domino ihesu hierosolymam commota et conturbata est universa hierosolimorum civitas mirans frequentiam populorum nesciens veritatem. Spiritaliter autem hierosolima que interpretatur visio pacis; significat illam celestem hierusalem que est mater omnium nostrum. Admiratio ergo turbarum admirationem significat angelorum. Introeunte domino ihesu hierosolimam cum laude turbarum hoc est ascendente eo ad celos cum turbis electorum quos de inferno liberavit. admirati sunt angeli dicentes. *Quis est iste qui venit ex edom. tinctis vestibus de bosra?* Quibus responsum est. *Ego sum dominus qui loquor iustitiam; et propugnator sum ad salvandum.* Alibi etiam legimus angelos respondisse dicentes. *Dominus virtutum ipse est rex glorie.* Scribis namque et phariseis. et senioribus iudeorum dubitantibus et interrogantibus *quis est hic?* vilis plebicula confitebatur eum esse prophetam dicens. *Hic est ihesus propheta a nazareth galilee.* Ac si diceret aliis verbis. Hic est hiesus propheta; ille quem moyses multo ante similem sibi predixerat esse venturum. Ihesus propheta a nazareth galilee dominus dictus est. quia ibi fuerat educatus. Et congrue quidem quoniam decebat ut flos campi nutriretur in flore virtutum.

Sequitur. *Et intravit ihesus in templum dei. et eiciebat omnes vendentes et ementes in templo. et mensas nummulariorum et cathedras vendentium evertit.* Per hoc enim quod dominus mox ut ingressus est hierusalem. primo templum adiit; moraliter nos instruxit. ut quotiescumque ad aliquam

villam vel op(p)idum; aut alium quemcumque locum intraverimus in quo sit domus orationis deo consecrata. primo eam ingrediamur. ut ubi (ibi) per orationum studia nos deo commendemus. Ac sic deinde celebrata oratione ad temporalium rerum negotia que agenda sunt convertamur. Hic namque de turbis vendentium a templo eiectis; omnes evangeliste commemorant. Set iohannes longe et vario ordine hoc factum commemorat. Narrat quippe post testimonium iisse in galileam; ubi aquam in vinum convertit. Deinde dicit eum descendisse capharnaum. et ibi mansisse non multis diebus cum matre et fratribus et discipulis suis. Post hec refert eum ascendisse hierusalem propter pasca; et ingressum fuisse templum. et facto flagello de resticulis eiecisse turbas. Ac per hoc aperte demonstratur non semel set iterum a domino factum. Et illud quod prius factum est a solo iohanne commemoratur. illud vero quod postea a reliquis tribus. Sed forte querit aliquis unde nacta sit occasio. ut animalia. et aves. et numularii essent in templo. Preceptum namque fuit in lege. ut filii israhel non in omnibus locis hostias deo offerrent. set in loco quem elegisset dominus deus eorum; ut esset nomen eius ibi. Elegit quippe iberusalem in qua hedificavit salomon templum quod fuit augustissimum et famosissimum in universo orbe terrarum. Unde non solum universus iudeorum populus. set et plurimi de aliis circumquaque regionibus illuc confluebant; ut hostias deo offerrent. Et maxime diebus festis innumerabiles hostie ibi immolabantur. Taurorum et hyrcorum. vitulorum arietum. et agnorum pinguium veniebant. non poterant omnia secum ferre; et idcirco iuxta legis preceptum vendebant omnia. et pretium secum ferebant. ut venientes hierusalem emerent que offerenda erant. Sacerdotes ergo ut predam facerent in populo idcirco statuerunt. ut animalia essent in templo; quatenus illic venientibus absque dilatione emerent que offerenda erant; et oblata illi rursum aliis venderent. quatenus sub hac occasione terrena lucra sibi accumularent. Et ne pauperes absque sacrificio essent; statuerunt etiam ut aves nutrirentur in templo. idest columbe. turtures. sive passeres. Set hanc eorum stropham frequenter inopia pauperum dissipabat; qui non solum non habebant unde emerent set etiam sumptibus indigebant; et propterea excogitaverunt ut nummularii essent in templo; qui sub cautione pecuniam comodarent. Sed quia preceptum erat in lege ut nullus usuram acciperet. et pecunia commodata prodesse non poterat. quoniam nullum commodum adquirebat; idcirco statueruut ut pro nummulariis colybiste essent in templo. Is uius quippe nominis interpretationem latina lingua non exprimit. Sed que apud illos dicuntur colibiste; nos appellamus tragemetras. vel vilia munuscula. Colybiste enim dum non auderent accipere usuras. pro usuris accipiebant alias res veluti cicer frixum. et uvam passam. et diversi generis poma. Sic enim pro usuris super habundantia accipiebant quasi et hoc non esset prohibitum a domino. cum ipse per iezechielem prophetam dicat. *Usuram et super habundantiam non accipietis.* Dominus vero videns huiuscemodi negotiationem; et quasi latrocinia fieri in domo patris sui ardore sancti spiritus accensus. iuxta hoc quod scriptum est. *zelus domus tue comedit me.* flagello de resticulis cepit eicere omnes vendentes et ementes de templo. et cathedras vendentium columbas evertit dicens. *Scriptum est enim. quia domus mea domus orationis vocabitur. vos autem fecistis illam speluncam latronum.* Qui enim in templo ad accipienda munera assistebant nulli dubium quia a quibusdam non dantibus lesiones exigebant. Domus ergo orationis spelunca latronum facta est; quia ad hoc sacerdotes in templo assistere noverant. ut aut non dantes corporaliter persequi studerent. aut dantes spiritaliter necarent. Allegorice templum dei et domus orationis sancta est aecclesia. Et quia spiritus sanctus in columbe specie super baptizatum dominum apparuit pulchre per columbas carismata sancti spiritus designantur. Sed qui sunt illi qui usque hodie in templo domini idest in sancta ecclesia columbas vendunt? Illi nimirum columbas vendunt. qui pro impositione manus qua spiritus sanctus celitus datur premium accipiunt. Tunc ergo columba venditur. quando impositio manus ad premium tribuitur. per quam sancti spiritus gratia datur. Illi vero emunt qui pro sacris honoribus premia tribuunt. Dominus namque ut ostenderet omnes venditores et emptores celestis gratie eliminandos esse a societate sancte ecclesie; idcirco cepit eicere omnes vendentes et ementes de templo. et ca-

thedras vendentium columbas evertit. ut doceret quia talium sacerdotium negotiatorum destruitur. Quamvis enim sint nonnulli qui corporaliter a societate sancte ecclesie non repellantur. verum tamen spiritaliter apud deum repulsi sunt. et a proprio honore privati. Hinc est quod sancti canones symoniacam heresym condempnant. Statuerunt quippe patres. ut illi qui pro sacris ordinibus premium accipiunt vel tribuunt; a proprio honore priventur. Interventores vero anathematizentur. Morale. Templum domini et domus orationis; mens et conscientia est fidelium. que dum malas cogitationes profert ad ledendum proximum quasi latrones in spelunca resident. ut simpliciter gradientes interficiant. Mens etenim et conscientia infidelium non domus dei set spelunca latronum appellatur; quando relicta simplicitate et innocentia sanctitatis. ea cogat unde proximus (agat unde proximum) nocere valeat.

Sequitur. *Et accesserunt ad eum ceci et claudi. in templo. et sanavit eos.* Dominus noster ihesus christus ut virtutis sue potentiam demonstraret. et laudem turbarum confirmaret. scribas et phariseos ad se in templo accedentes. coram suis calumpniatoribus sanavit. Ac si diceret. Ex hoc inspicite quam vera sit laus turbarum. quoniam ego rex israhel sum. et nisi rex omnipotens essem. nequaquam hec signa facere possem. Ceci sunt qui lumen vere fidei non habent. quibus orandum est cum propheta. *Revela oculos nostros* et cetera. Claudi sunt qui rectos gressus mentis in observantia mandatorum dei non habent. quibus necesse est orare et dicere. *Perfice gressus meos in semitis tuis ut non moveantur vestigia mea.* Cecos enim dominus quasi testes incredulorum...

Pag. 439 — Lectio sancti evangelii secundum matheum.

In illo tempore. Egressus dominus ihesus; secessit in partes tiri et sidonis. Ecce mulier chananea a finibus illis egressa clamabat dicens ei. Miserere mei fili david. et reliqua.

Omilia sancti iohannis os auri.

Miram rem evangelista loquitur. *Ecce mulier chananea.* Capud peccati. arma diaboli. expulsio paradisi. delicti mater. corruptio legis antique. Ecce mulier veniebat ad ihesum. Mulier alienigena de gentibus novella plantatio. Mirum negotium iudei fugiunt. chananea requirit. domestici derelinquunt. alienigena querit. *Et ecce mulier de finibus illis egressa.* Mulier ista evangelista efficitur. probavit enim divini consilii sacramentum. quando et virtutem obsecrat; et carnis naturam confitetur dicens. *miserere mei fili david.* Considera pulchram mulieris mentem. Vide quid dicit. Non est inquit in actibus meis iustitia non mihi de conversatione iustitia. Ad misericordiam tuam confugio; ubi non recedit. nec requiritur locus salvandi. Rogo quomodo ausa est mulier legis ignara. et tam iniqua sic arrupte. accedere ad fontem salutis? Non petivit iacobum. non rogavit iohannem; non accessit ad petrum. set hos intermittens quid dicit? Non est michi necessarius fidei iussor. suscepit in se penitentie patrocinium. et sola cucurrit ad dominum. Accessit ad eum in voce. ac dicit. *miserere mei fili david.* ideo descendisti. ideo carnem suscepisti. ut ego loquar ad te. et cum fiducia petam. Cherubyn eius aspectum tremit in celo; et in terra mulier non formidat? Angeli metuunt in excelsis; et mulier non veretur? Instat oportune. et vocem suam exagerat dicens. *Miserere mei fili david.* Non enim habeo opus sponsore. per me accedo. per me obsecro. *miserere mei.* Quid tibi opus est? Misericordiam quero. Quid pateris? Dolorem quem non suffero. Quid habes? Filia mea captiva tenetur. Quid illi est? *Male a demonio vexatur.* Et quid nunc clamas? miserere mei domine pignus consumitur. et pars corporis mei violatur. Tu es deus qui secreta consideras; filia mea a demonio vexatur. Quid desideras? Ut liberetur. Mirabilis luctus conclusit viscera mea. et animam meam perturbat seva tempestas. Quid faciam nescio. patitur misera nec sentit tormenta. Nec mortem scit timere nec vitam sperare; *miserere mei.* Iacet confusa. tormenta ignorat. Me aspice domine. me exaudi dedi vulnera mea diurna. Illa patitur; et ego deficio. Passio eius mihi pavorem incutit; cunctis facta sum hominibus spectaculum. *miserere mei.* Utinam defuncta fuisset filia mea. quam sic viveret. Si enim mortua fuisset. et sepulta. exacto tempore oblita fuissem. nec enim meminissem vulneris aut doloris. Nunc vero

cadaver in domo est semper. *miserere mei* domine quoniam filia mea erat; et facta est demonis esca. Prohibet me pavor *miserere mei.* Qui ex vobis patres fuerunt; adiuvent verba mea. Que meretrices (matres); lacriment una mecum. Non sufficiant deponere dolorem. quem mulier ista sustinuit. Vide prudentiam femine. non ivit ad homines seductores; non secuta est vanitates fallacium. non quesivit inanes ligaturas aut (ad) falsum confugit presidium. et omnem relinquens diaboli cultum. Venit ad dominum ihesum omnium salvatorem. et dicit *miserere mei fili david. filia mea a demonio vexatur.*

Vidisti sensum mulieris. probasti sapientiam eius. sed vide demum novum et inexpertum negotium. Petit. obsecrat. et lamentum suum producit in clamorem. et amator omnium deus non respondit ei verbum. Tacet fons vite. ut plus medicus conferat medicinam. abnegat curam. Quid est hoc domine? nescio si non suscipit pulsantem mulierem. O sapientia medici. *Dominus* inquit *non respondit ei verbum.* Quapropter nisi ut detegeret sapientia eius virtutem? propterea dicunt ei discipuli. *Domine dimitte illam quia clamat post nos.* Sed humanus deus. vitam mulieris. virtutemque pensabat. Et quid ait? *Non sum missus nisi ad oves que perierunt domus israhel.* Quid est hoc verbum? que est excusatio tua? Nunquid ideo homo factus es. et multa in te mysteria revelasti. ut unum tantummodo angulum liberares; et integram relinqueres urbem? Denique quando natus es in carne quos vocasti? nonne magos? nunquid prophetas venisti vocare qui ipsam salutem gentibus cecinerunt? Apostolos autem cum mitteres quid eis dixisti? *Docete omnes gentes baptizantes eos in nomine patris et filii et spiritus sancti.* Et nunc quando me miseram. et filiam meam acris doloribus coartatam non respicis? Rogo te et obsecro pro filia mea ut eam a funesta passione solvas; modo dicis. *non sum missus nisi ad oves que perierunt domus israhel.* Venit ad te centurio rogans pro puero suo. et dixisti *ego veniam et curabo eum.* Pendenti latroni paradisum reserasti; paralitico imperasti dicens. *surge tolle lectum tuum et ambula.* lazarus de monumento te vocante redivivus surrexit; varia quoque languorum genera solo verbo sanasti. meretricem virginibus pretulisti; solam hanc miseram mulierem respuis? Mulier ista chananea erat de genere immundo. quibus non licebat communicare. Quid ergo? Sub lege venerat dominus ut adimpleret et non solveret. Igitur si ad momentum audisset mulierem dicerent iudei; ideo te non audimus quia solvis legem. Precepit enim lex abstinere a chananeis. propter hoc *non respondit ei.* Vide quomodo servat legem. ut iudeos confunderet dicens. *Quisnam vestrum arguet me de peccato?* ecce non respicio ad mulierem chananeam. respuo deprecantem. Ecce clamat sine causa; ecce obsecrat et non exauditur. Ecce quomodo teneo formam. nec dicatis quoniam preterivi legem; ideo non credimus in eum. non ex me sed ex vobis error est. Hec est itaque prima causa quod distulit dominus respondere mulieri. interea persistit mulier in clamore dicens; *adiuva me domine.* Ipse tamen respondit. *Non licet tollere panem filiorum et mittere canibus ad manducandum.* Sed quid respondit mulier audiamus. *Etiam domine potes si volueris.* Oblita ergo verecundia et intermisso pudore conatur vincere dominum. Dominus dicit *non licet tollere panem filiorum et mittere canibus.* et illa respondit *etiam domine.* sum quod dicis. Canem me vocas canis sum; agnosco nomen meum. Confundis me tu. set non ego recedam a te. canis sum sequor te quasi canis; porrige michi aliquid. Non quero panem filiorum da michi micas. *quoniam catelli edunt de micis que cadunt de mensa dominorum suorum.* O certamen pietatis. o prndentia femine; canem me dicis; sum ego domine. Ergo nutri me velud canem. non possum relinquere mensam domini mei. canem me appellas. porrige michi micas. Dixisti causam meam. distulisti petitionem meam. manifestasti conditionem meam. *Adiuva me domine quoniam et catelli comedunt de mensa dominorum suorum.* O mulier accepisti subito laudem. et inventa es ex electis electior. Idcirco tacens dominus ideo distulit et potraxit mentem suam. Perpenderim et vivam de te producere vocem. Si enim statim ut cepisti petere accepisses. nemo fidem tuam probasset. nullus mentis tue cognovisset archanum. Nunc autem quia intellegis dei virtutem. et sic te cognoscis ut dicas etiam *et catelli edunt de mensa dominorum suorum.* laudo te. *o mulier magna est fides tua; fiat tibi sicut vis.* Audiant hec liberti et

improbi qui dicunt oravimus et non impetravimus. Quid loqueris homo? non instanter oras. importune obsecra; siquidem pulsanti aperietur; set dicis forsitan. Deprecatus sum semel et iterum et ter quater. et septies et decies et non exaudivit me deus. O stulta intentio et si nunc non es exauditus iam recedis a domino.

Pag. 442 — Lectio sancti evangelii secundum Matheum.

In illo tempore. Assumpsit dominus ihesus petrum et iacobum et iohannem fratrem eius. et duxit illis in montem excelsum seorsum. et transfiguratus est ante eos. Et reliqua.

Omilia Sancti Remigii episcopi.

Claritatem sue visionis quam promiserat dominus discipulis suis in hac transfiguratione habita in monte. post dies sex complevit et ideo addidit *et factum est.* Quamvis enim intervallum sit temporis inter promissionem et transfigurationem propter hunc coniunctionis sermonem et sensum coniungere voluit. quia ibi viderunt filium hominis venientem in regnum suum. ea claritate qua peracta resurrectione ab omnibus sanctis videbitur. sed fortasse querit aliquis quare solummodo istos tres adsumpserit. Fortassis petrum assumpsit; quia precipui amoris erga dominum fuit. Iohannem adsumpsit quia pre ceteris eum diligebat. Sed quare solummodo istos tres adsumpserit; ille solus novit qui eos assumpsit. cuius iudicia vera sunt et iusta. quamvis occulta. et qui omnium cordium novit secreta. Ostensurus autem dominus gloriam sue claritatis discipulis; pulchre duxit eos in monte ut doceret quia necesse est omnibus qui eam contemplari desiderant. ut non infimis voluptatibus iaceant; sed amore supernorum semper ad celestia erigantur; et quantum fas est humane fragilitati. angelice munditie. castitatis. pacis. et dilectionis. iustitieque vitam imitari studeant. iusta illud qui dicit. *nostra autem conversatio in celis est.* Allegorice mons iste significat celum. Manifestaturus ergo dominus gloriam sue claritatis discipulis. pulchre duxit in montem; ut tam ipsi quam et omnes discerent qui eam contemplari sitiunt. quatinus non in huius seculi profundo eam querant; set in celesti beatitudinis regno. Et pulchre postquam ait sanctus evangelista *duxit eos in montem excelsum* addidit *seorsum.* ut hoc verbo demonstraret quia sancti et electi viri quamvis nequaquam malorum vite et eorum pravitatibus et vitiis affligantur. verumtamen toto animo et fidei intentione separati sunt ab illis. Funditus namque separabuntur quando *abscondet eos in abdito vultus sui a contradictione hominum. et proteget eos in tabernaculo suo a contradictione linguarum.* Pulchre. namque dominus post sex dies quam promisit discipulis. manifestavit gloriam sue claritatis; ut ostenderet quia sancti percepturi sunt regnum in die iudicii quod promisit eis qui non mentitur deus ante tempora secularia. Tempora namque secularia. sex etatibus constant. Bene ergo post sex dies; sex etates designantur. quibus completis. audituri sunt sancti dicente domino; *venite benedicti patris mei percipite regnum.* Aliter post sex dies potest designari perfectio bonorum operum. sine quibus nullus valet pertingere ad contemplandam sui gloriam conditoris. nec aliquid boni facere potest. Fortassis istos tres elegit dominus. propter tres ordines qui sunt in ecclesia; idest predicatorum. coniungatorum. atque continentium. Sive propter tria genera fructus terre bone. vel certe propter tres principales virtutes; sine quibus nullo modo esse possunt.

Sequitur. *Et transfiguratus est ante eos.* Per hoc enim quod dicit sanctus evangelista. *et transfiguratus est ante eos;* non est inlellegendum quod ipse aerium corpus sumpserit. set suam humanitatem clarificatam ostendit. Per hoc enim denuo quod corpus suum transfiguravit. et gloriam sui corporis qua illustrandum erat per passionem significavit. ostendit quante claritatis et glorie futura essent corpora sanctorum post resurrectionem. Nam ipse alibi de suis fidelibus dicit. *Fulgebunt iusti sicut sol in regno patris mei.* Et sanctus evangelista hic de domino dicit. *Resplenduit facies eius sicut sol.* Quare facies domini resplendere dicitur sicut sol. et sancti resplendere dicuntur sicut sol? Numquid una equalis erigit gloria et claritas domini et servorum; creatoris et creature? Non. Presertim cum apostolus dicat. *sicut stella ab stella differt in claritate. ita et resurrectio mortuorum.*

Set quia nichil lucidius invenitur sole; idcirco ad manifestandum exemplum future resurrectionis. et facies domini resplendere; et iusti fulgere dicuntur sicut sol in regno patris.

Et facta sunt vestimenta eius candida sicut nix. Mistice per vestimenta domini designatur omnis ecclesia electorum ; idest omnia membra christi. Et quia nichil candidius nive invenitur ; idcirco pulchre vestimenta domini. idest sancti et electi viri candori nivei assimilantur. quoniam in resurrectione ab omni labe iniquitatis et peccati purgabuntur. Unde etiam beatus marcus pulchre addidit *qualia fullo super terram facere non potest.* Per fullonem sancti designantur predicatores. et animarum purgatores. in hac etenim vita nullus ita vivere valet ut alicuius peccati macula non offuscetur. In futura namque resurrectione sancti et electi viri ab omni labe iniquitatis et macula peccati purgabuntur. et tales efficiet eos dominus purgandos ab omni inquinamento carnis et spiritus quales nec ipsi membra sua castigando et mortificando nec ullus predicatorum suorum vel exemplo vel doctrina facere potest. Hanc nimirum domini claritatem et servorum eius. nullus reproborum videre merebitur. Quoniam scriptum est *tollatur impius ne videat maiestatem domini.* Sed illum solummodo *videbunt in quem transfixerunt. et plangent super eum omnes tribus terre.* Sublatis ergo impiis et dimersis in penam aeterne dampnationis. iusti solummodo intrabunt ad contemplandam gloriam sui creatoris. unde scriptum est. *transiens ministrabit illis.* Moyses namque et helyas apparuerunt cum domino loquentes. et sicut lucas dicit *visi in maiestate.* Quid autem loquerentur matheus non manifestat. lucas vero ostendit cum dicit. *Quoniam loquebantur excessum quem completurus erat in hierusalem.* Moyses cum domino visus est in maiestate. quia promissum ei fuerat dicente domino. *cum transiero videbis posteriora mea.* Posteriora namque videre est clarificatam domini humanitatem contemplari.

Pag. 484 — Lectio sancti evangelii secundum Iohannem.

In illo tempore. Erat ihesus eiciens demonium et illud erat mutum. et reliqua.

Omilia beati Aimonis.

Creberrime quippe in evangelio nobis miracula domini commendantur. sed non minus ex textu huius lectionis nota fiunt. Cum enim superius evangelista ad petendum nos invitaret dicens *petite et accipietis. querite et invenientis pulsate et aperietur vobis.* dedit etiam similitudinem de pisce et pane. nec non et ovo. quem tali concludere voluit ratione cum diceret. *si ergo vos cum sitis mali nostis bona data dare filiis vestris. quanto magis pater vester de caelo dabit spiritum bonum petentibus se.* Siquidem spiritum bonum petentibus se daturum promisit. sanctum utique patris et suum. quod non aliter facere poterat. nisi prius spiritum malum ab eorum cordibus expelleret. Sed ut ipse factis astrueret quod verbis spoponderat. mox immundum ab homine expulit spiritum. sicut ilico evangelista secutus adiunxit dicens. *erat ihesus.* Ubi notandum quod non dixit *fuit.* sed *erat.* Hoc quippe verbum nullimelius congruit. quam soli domino. cui semper esse est per eternitatem. cui nec initium exordium dedit. nec finis terminum. sicut ipse ait moysi. *Ego sum deus abraam. et deus ysahac. et deus iacob.* Et in apocalipsin. *Ego sum alpha et ω.* Ut ergo ostenderet eandem eternitatem haberet filius quam habet et pater. dicturus dominum ab homine eiecisse demonium premisit dicens. *erat ihesus.* Quia *qualis pater. talis filius. talis et spiritus sanctus. Eternus pater. eternus filius. eternus spiritus sanctus.* Eternus pater eternum et consubstantialem sibi filium generavit. non in tempore. sed ante omnia tempora. sicut ipse iudeis non credentibus dixisse legitur. *Amen amen dico vobis. antequam abraham fieret ego sum.* Apud mattheum autem demoniacus iste non solum mutus sed et cecus fuisse legitur. Nota ergo quod in uno homine tria pariter operantur. cecus videt. mutus loquitur. a demone possessus eripitur. Allegorice autem per hunc demoniacum genus humanum possumus intelligere. quod a demone possessum est. quando magis persuasionibus diaboli quam dei preceptis obedivit. Qui cecus et mutus pariter esse dicitur. qui ospitem suscipiens utrumque donum per prevaricationem primi hominis amisit. scilicet lumen deum videndi. et loquelam deum laudandi. Quia sicut scriptura dicit. *non est*

speciosa laus ex ore peccatoris. Demoniacus erat. quia demoniacis verbis obediens ad tantam dementiam devenerat. ut. in quibusdam statuis vel imaginibus demones adoraret. et coleret. Sed domino veniente demoniacus ipse senatus est. quia genus humanum credens in domino. atque ad fidem conversus omnes cultores ydolorum detestatur dicens. *Confundantur omnes qui adorant sculptilia.* Et iterum. *Quoniam omnes dii gentium demonia. dominus autem celos fecit.* Et rursum. *Similes illis fiant qui faciunt ea. et omnes qui confidunt in eis.* Cecus erat. quia lumen veritatis inspicere non valebat. Sed domino veniente cecus iste lumen recepit; quia domino veniente genus humanum quod in tenebris et umbra mortis erat luce vacabat. nunc vero lux orta est eis. Unde paulus apostolus luci appropinquantibus loquitur. *Fuistis aliquando tenebre. nunc autem lux in domino. ut filii lucis ambulate.* Mutus erat quia ante adventum domini opera manuum suarum laudabat. et deum celi penitus laudare nesciebat. Sed domino veniente mutus iste loquelam recepit. quia genus humanum ad dei laudem conversus cotidie laudare et glorificare non cessat deum dicens. *domine labia mea aperies. et os meum annuntiabit laudem tuam.* et iterum. *Dominus dedit michi linguam eruditam ad loquendum.*

Et cum eiecisset demonium locutus est mutus. Hic intellegere possumus quia ab exteriore demone qui eum interius possidebat exteriora officia amiserat. quia statim ut ille recessit. utrumque donum recepit. Non autem apostoli. non pharisei. nec scribe mirati sunt sed turbe que circumstabant videntes miraculum mirate sunt. Iuxta anagogen vero turbe que mirate sunt immundi spiritus intelleguntur. qui videntes humanum genus de potestate sua per dominicum adventum liberari timore et ammiratione perterriti sunt. Unde et per obsessum hominem fantur. *Quid nobis et tibi fili dei venisti ante tempus torquere nos?*

Quidam autem ex eis dixerunt. In beelzebub principe demoniorum eicit demonia. Hic qui videntes miraculum factum non cum turbis mirantur. non cum apostolis credunt. scribe et pharisei intelligendi sunt. qui propter hoc deum sequebantur. ut quotiescumque ab eo miraculum factum cernerent. aut certe a deo factum negarent. aut sinistra interpretatione illud perverterent. Unde et hii videntes miraculum factum dixerunt *in beelzebub eicit demonia.* Beel enim ipse est baal. deus accaron. ad quem ozias nuntios ad consulendum misit. utrum de infirmitate sua viveret. quos helias repperiens ait. *Numquid non est deus in israhel. quia misisti nuntios ad consulendum beelzebub deum accaron quasi non esset deus?* Tria enim idola hoc nomine legimus nuncupata. Unus bel fuit apud babillonios quem danihel destruxit. alius fuit apud amorreos. qui dictus est beelfegor. cum quo filii israhel egressi de terra egypti per suggestionem baalam mechati sunt. sicut scriptum est. *Fornicata est israhel cum filiabus madian.* Et psalmista. *et initiati sunt beelfegor.* Qui dictus est deus montium eo quod consuetudinem haberet de montibus responsa dare et non in vallibus. Nam syri superati ab israel hunc ab eis estimantes coli dixerunt. *dii montium sunt dii illorum. ideo nequivimus superare eos.* Bel quippe proprium nomen est. phegor vero mons est in finibus madian. ubi hoc idolum collocatum est. et a multis venerabatur. Tertius fuit bel pater nini regis. qui primus pro deo est adoratus. Nam post mortem ipsius filius eius ninus qui ninive hedificavit. statuam illius erexit. et adoravit. subiectisque suis adorare fecit. Ex quo enim tempore mala consuetudo inolevit. ut hominis mortui imaginem viventes quasi deum crederent. Qui dictus est baalbrid idest deus pacti. eo quod pactum inierint filii israel cum eo. derelinquentes dominum deum patrum suorum. In hoc quoque prevaricati sunt filii israhel temporibus iudicum. que superstitio adhuc vigebat quando samuhel sumpsit principatum. sicut ex ipsis verbis suis probatur dicens. *si in toto corde vestro revertimini ad dominum. auferte deos alienos de medio vestri. baal. et astaroth.* Hunc namque filii israhel adorantes statuerunt eum ad radicem montis prope ierusalem in amenissimo loco in convalle tophet ibique ei thura et sacrificia optulerunt. et in tantum eum dilexerunt sicut iudicum narrat historia ut filios et filias suas per ignem ei transferrent. sicut fecit manasses impiissimus tyrannus. unde dicit psalmista. *Et immolaverunt filios suos et filias suas demoniis. et effuderunt sanguinem innocentem. sanguinem filiorum suorum et filiarum quas sacrificaverunt sculptilibus chanaan.*

Propter hunc locum dominus frequenter per prophetas comminatus asserens eum congeriem mortuorum esse facturum. Sicut per iheremiam dicit. *Et posuerunt offendicula sua in domo in qua invocatum est nomen meum ut polluerent illum. et edificaverunt excelsa tophet in valle filii hennon. ut incenderent filios suos et filias suas igne. quem non precepi nec cognovi. neque ascendit in corde meo. ideo ecce dies venient dicit dominus. et non dicetur ultra vallis tophet nec vallis filii ennon. sed vallis interfectionis. et non sepelientur in tophet. eo quod non sit locus. et erit morticinum populi huius in escam volatilibus celi et bestiis terre. et non erit qui ambigat.* Qui etiam locus alibi gehumon est dictus. unde a ge et non compositum est geenna. Bel namque interpretatur vir. zebub musca. unde a bel et zebub compositum est belzebub. idest princeps muscarum sive vir habens muscas. Per bel namque diabolus. per gehennon vero in quo hoc idolum constitutum est infernus non incongrue potest exprimi. per muscas autem que ibi congregabantur. omnes subiecti diaboli designantur. De quibus muscis scriptum est. *musce morientes perdunt suavitatem unguenti.* De hoc bel quidam ait.

« Bel fuit ex more genitus sic denique nini.
Qui bel est dictus. pariter quoque zebub.
Hunc coluit quoque nataba nefanda.
Cuius in exemplo gestis seducta malorum.
Nomine sub falso tenebris cecata malignis.
Gens inimica deo solimis diffusa latebris.
Iam donis privata bonis patrioque decore.
Nec studuit votis simulacra tueri. »

De terminatione autem huius nominis diversi diversa sanxerunt. Fuerunt enim nonnulli qui in fine nominis. d. litteram ponere voluerunt ut dicerent belzebud alii vero aestimaverunt regione ultima. l. litteram ponere legentes belzebul asserentes auctorem huius idoli primum fuisse in israhel zebul servum abimelech qui occidit septuaginta fratres suos super unum lapidem. Sed nos neque per d. neque per l. scribere aut legere debemus. sed potius per b. ut dicamus belzebub. quod interpretatur princeps muscarum; sive vir habens muscas. vel baal muscarum ; propter cruorem aut minium qui ibi effundebatur. Quod ignari cernentes putabant demonia subiecta esse huic idolo. unde et iudei in ira contra dominum concitati. videntes miraculum factum et nolentes confiteri in virtute dei esse factum. ne turbe circumstantes in eum crederent. dicebant. *in belzebub principe demoniorum eicit demonia.*

Et alii temptantes signum de celo querebant ab eo. Quamvis enim scribe et pharisei inter se discordantes. tamen in domini reprehensione concordarunt. Alii namque dicunt eum in belzebub eicere demonia; *alii temptantes signum de caelo querebant ab eo.* Scilicet aut iuxta heliam ignem faceret de celo descendere. aut in more samuhelis fulgura coruscationes et tonitrua emicare. Quod si faceret. ex hoc ipsum calumpniarent. asserentes hoc magis ex occultis passionibus aerum accidisse; quam ex rei veritate. Si vero non faceret; nichil eum posse facere aestimarent. Et ideo que temptantes quesierunt. impetrare non meruerunt; sed potius audierunt. *generatio prava et perversa signum querit. et signum non dabitur ei nisi signum ione prophete.* Horum quippe similitudinem videntur illi tenere qui ypocrite nominantur. qui dum ficte deum querunt minime inveniunt. quia *longe est a peccatoribus salus.* et *prope est dominus omnibus invocantibus se* non in similitudine *sed in veritate.*

Ipse autem ut vidit cogitationes eorum intuebatur. Solet enim divine virtutis (divina virtus) cogitationes hominum intueri. nullus est qui ambigat. Frequenter cogitationes scribarum et phariseorum prevenire voluit. ut qui ex virtute miraculorum deum verum credere nolent. saltim ex revelatione cogitationum suarum intellegerent eum esse de quo psalmista dicit. *Intellexisti cogitationes meas a longe.* et iterum. *Dominus novit cogitationes hominum. quoniam vane sunt.* De quo etiam legerant ipsi. *Tu deus solus nosti corda hominum.*

Quod autem dicit *omne regnum in seipsum divisum desolabitur.* Quantum ad litteram. expectat ut etiam oculis comprobare possit. quasi regnum ita in seipsum divisum fuerit. ut aliud sentiat rex aliud milites. aliud tribuni. aliud optimates. regnum illud stare non potest. Non solum autem regnum. verum etiam si unaqueque domus in se divisa fuerit ut aliud vir aliud uxor. aliud filii aliud parentes. aliud domini aliud servi sentiant. ruinam et desolationem patitur domus illa. Figuraliter

vero regnum diaboli in se divisum est; quia illi qui dominum calumpniabantur in belzebub principe demoniorum eicere demonia. et illi qui temptantes signum de celo ab eo petebant. licet divisum sit in operatione; tamen ad regnum diaboli pertinebant. Regnum etenim diaboli in hominibus est; in illis scilicet in quibus per mala opera regnat. Quod regnum et divisum est et unitum. Divisum per operationem. unitum est per voluntatem. Divisum est per operationem. dum alius furtum. alius homicidium. alius periurium. alius sacrilegium perpetrat. Unitum est per voluntatem (...) perpetrantur.

Si autem satanas in se ipsum divisus est. quomodo stabit regnum ipsius? Ac si diceret. Si ita est ut vos dicitis quia demon demonem eicere possit. fugite a regno eius. quia quem videtis divisum. stare non potest. Inevitabilis sententia. dominus calumpniatores suos ex utraque parte concludit. ut de nulla parte liber egredi potuisset. Affirmare enim non audebant quod satanas satan eiceret. rursum vero confiteri nolebat quod dominus ex virtute divina demonia eiceret. quod non solum in hoc loco eum fecisse legimus; verum etiam et etiam et in aliis. Sicut de muliere et de denario. nec non et quando scribe et pharisei congregati in unum interrogaverunt eum dicentes. *magister. dic nobis in qua potestate haec facis? Respondit eis. Dicite et vos mihi unum verbum. Baptismum iohannis e celo an ex hominibus est? At illi audientes tractare ceperunt dicentes. Si dixerimus e celo. dicturus est nobis. quare vos non creditis in eum. si dixerimus ex hominibus. turba que a iohanne baptizata est lapitabit nos. Et nescientes quid responderent siluerunt.* Sic quoque in presenti loco prudentissimo silogismo eos dominus constrinxit. quia ut dictum est nec affirmare audebant quod sathanas satan eiceret; nec confiteri audebant quod christus divina virtute demonibus imperaret. Impletaque est prophetia illa que dicit. *Ipsi vero in vanum quesierunt animam meam.*

Adiuncxit quoque dominus adhuc aliud argumentum non solum ad convincendum eos sed etiam ad iudicandos. *Si autem ego in belzebub eicio demonia. filii vestri in quo eiciunt?* Filios eorum exorcistas dicit. qui ex more iudaico in populo habebantur. quod in libro esdra filii servorum salomonis appellantur. Ex quibus legimus in actibus apostolorum fuisse septem sceve filios. quorum duo ex eis pergentes ad demoniacum dixerunt; *adiuro te per ihesum quem paulus predicat ut egrediaris ab homine isto. Respondens demon dixit. Iesum novi. et paulum scio; vos autem qui estis? Et insiluit homo in eos in quo erat demonium. et dominatus est amborum. ita ut nudi evaderent; et vulnerati vix effugerent de domo illa.* Aiunt enim quidam quod salomon inter cetera sapientia sua coniurationes invenerit. et carmina quibus astricti demones ab hominibus fugarentur et denuo non remearent. Huius rei testis est iosephus in libris antiquitatum scribens. « Prestitit autem deus salomoni ut etiam contra demones artem ad utilitatem hominum et eorum curas discere incantationes instituit. quibus egritudines soleant mitigari. modos etiam coniurationum quibus obstricti demones ne denuo redeant dum effugantur invenit. Et hec cura actenus apud nos multum prevalere dinoscitur. Vidi enim quendam eleazarum de gente nostra presente vespasiano. et eius filiis et tribunis aliisque insimul exercitibus curantem eos qui a demonibus vexabantur. Modus autem medicine fuit huiusmodi. Intulit naribus eius qui a demonio vexabatur anulum habentem subter signaculum radicem a salomone monstratam. deinde demonium per nares odorantis abstraxit. et repente cecidit homo. Postea coniuravit eum iuramento ab vicem salomonis ne ad eum denuo remearet; idest cantica quae ille composuit dicens. volens autem satis facere atque probare presentibus eleazarus hanc se habere virtutem. ponebat ante eos calicem aque plenum. aut pelvim. et demonio imperabat ut hec egressus everteret. et videntibus preberet indicium quod hominem reliquisset. Quod factum salomonis cunctis innotuit. » Hoc significare voluit dominus cui dixit. *Si ego in belzebub eicio demonia. filii vestri in quo eiciunt?* Ac si diceret. si in exorcistis vestris utique filiis hanc virtutem deo tribuistis quare in me hoc opus calumpniamini? *Ideo ipsi iudices vestri erunt.* Non potestate sed comparatione. Sicut enim regina saba que venit a finibus terre audire sapientiam salomonis iudicatura est iudeos eo quod maiorem salomonem videlicet dominum ihesum christum qui est rex pacificus audire contempse-

runt. et sicut viri ninivite qui ad predicationem ione penitentiam egerunt iudicaturi sunt eos qui per predicationem domini noluerunt credere. ita quoque et isti exorciste iudicaturi sunt eos qui dixerunt dominum in belzebub principe demoniorum eicere demonia. non potestate ut dictum est sed comparatione. Vel certe filios eorum discipulos vult intellegere. qui ex eodem populo erant quibus potestatem dederant super omnem virtutem inimici calcandi dicens. *In nomine meo demonia eicite. omnes curate. gratis accepistis. gratis date.*

Pag. 570 — Passio sancte caterine virginis.

Temporibus maxentii impiissimi imperatoris anno tricesimo quinto regni eius erat multa insania idolorum colentes. Et sedens pro tribunali in civitate alexandrinorum. posuit preceptum ubique sacrificare diis. et misit epistolam habentem hanc figuram. Omnes convenite (ut) agnoscatis preceptum quod positum est a nobis. Si quis non obedierit huic nostre iussioni statim faciam eum corruere gladio et diversis suppliciis. Missis vero litteris ab imperatore convenit multitudo copiosa; que sub imperio eius erat constituta. Et cum venisset imperator maxentius sedens altera die pro tribunali; precepit preconibus hacclamare. ut omnes convenirent ad templum ydolorum. Et divites secum deferrent tauros in sacrificia deorum. pauperes vero saltim viles volucres. Imperator vero optulit in sacrificium tauros centum XXXta. Similiter et principes illustres. et magistri militum. prefecti. et tribuni offerebant tauros. pauperes vero diversa volatilia. ita ut pre multitudine quadrupedum. vel volucrum non possent simul esse omnes in templo. aut in civitate. Quin etiam et magna vociferatione inrationabilium animalium. movebatur locus et civitas et chori una canentibus tybiis et plaudentibns manibus; etiam lux obtenebrabatur. et terra coinquinabatur ex effusione inrationabilium sanguinum. et tantorum perditorum hominum in multo errore. Tunc mulier quedam religiosa existens unica filia cuiusdam regis in predicta civitate alexandrinorum post mortem patris eius remansit sola in palatio cum suis parentibus et cum sua substantia. Puerorum autem eius et ancillarum erat innumera multitudo. et vocabatur ecaterina. Hec didicerat librum virgilii et omeri. nec non et scolapii. et galieni. aristotelis. platonis et philistionis. eusebii. yannes et manbres. dionisii sibille. nichromantie rationem etiam rethorum. et omnis narratio septuaginta duarum linguarum volvebatur in ore eius. Erat enim hec beata annorum decem et octo. et audiens vocem inrationabilium pecudum. et multitudinem populorum plorantem. et non audentes dicere quia christiani sumus. propter timorem imperatoris. Gentes vero currentes ad choros et canentes tibias in sacrificium. beatissima ecaterina accipiens secum pueros introivit in templum gentilium ubi erat imperator. et infinita multitudo sacrificans. Erat enim inreprehensibilis forma preminens ultra omnes mulieres cum florida specie sicut excelsa cypressus. portans matutinum rorem. que circa omnia assistit decorata super omnes arbores. sic et beata cum precedente gratia domini radiabat. Cum beata ecaterina faciens signaculum christi introivit in templum. et cum ingressa fuisset iam invenit imperatorem sacrificantem. Milites autem nuntiaverunt hec imperatori. et precepit eam introire in suam presentiam. Et stans dixit imperatori. Robustam et fuco verborum plenam dictionem suscipiens. ita fucatum quoddam sublime verborum quod loquar ad te in sublimi dictione. multiplex variatum. nutu radiantium. sessile inclite conexum. oppinatum vexiliter versutum. Ex laqueariis luminum robuste circumopertum. et ut variatum. per triangulo sculpule de imputribilibus lignis suscipientibus eculeum instrumentum omnia mandens ducentium. et reducentium. tribulentur. Et quid mihi ut multa dicam? prohiciam omnem rethoricam dictionem. et omnes excelsi sermones virgilii. edictione septuaginta duarum linguarum cum sola greca lingua dicam cursus huius dictionis. Quare incassum congregasti multitudinem hanc perdens anima eorum in stultitia et errore ydolorum. Nunc ergo resipisce a stultitia mentis evidentius. audi et cognosce qui fecit spatium huius mundi. cum archano verbo. et cognosce quia ipse est deus eternus. qui videns mundum perditum. misit unigenitum filium suum ihesum christum et liberavit per crucem suam. genus humanum de perditione necis. Ipse est creator et salvator omnium rerum cui de-

cet honor et gloria in secula seculorum. Amen. Tunc stupefactus imperator non valens respondere ei. dixit ad eam. Dimitte nos ho mulier offerre sacrificium. ut post hec plane sciamus de te. Et cum finisset coinquinatum sacrificium precepit militibus ut conprehenderent beatam ecaterinam. et ducerent eam ad palatium. Videbat enim imperator adstantem eam splendida facie. et iniebat adversus eam. forma enim eius erat quasi angeli. et facies eius fulgebat per gratiam dei. et multitudo populi stupebat in visione illius. Et veniens in palatium. dixit ad eam imperator. O figura solis. annuntia nobis quis es tu? et quod est nomen tuum. et que sunt verba tua? Beata ecaterina dixit ei. Non me cognoscis imperator. ego sum de prima et splendida progenie filia costis regis et vocor ecaterina. Et didici omnem dictionem septuaginta duarum linguarum. et quid mihi ut multa dicam? Dereliqui omnia vana huius sapientie. et secuta sum dominum meum ihesum christum. ipsiusque nomini disponsata qui dixit perdam sapientiam sapientum. et prudentiam intellegentium reprobabo. Dicit ad eos imperator. Puto ergo quia de terra tu non es nata sed intellectualis visio. offeres te nobis. Dixit ei beata ecaterina. Robuste affatus est imperator. dii autem tui nichil valent. ego autem ammodo existo ancilla domini mei ihesu christi. Disputemus ego et tu. et ostendam tibi inenarrabilem. et gloriosam extensionem sancte crucis septemtrionalis arma decenter fulgens smaracdo ex magna virtute domini mei ihesu christi. Errorem autem ydolorum tuorum omnino meditaris. ostendam tibi gladium multi glorie dictionem. Tunc stupefactus imperator dixit. Ego non possum respondere tibi. venient autem rethores et ceteri sapientes. ut confundant te cum magna confusione. et sic credas diis. Hec dicens imperator scripsit epistolam habens hanc figuram. Imperator maxentius toto orbi et civitatibus salutem. Omnes phylosophus et rethores festinis gressibus venite ad nos. quia mulier plena acumine totius scientie terimaginarium sermonem proposuit nobis. Quod si feceritis dabo vobis radiferos honores. cum plurimis exeniis. Missis epistolis ab imperatore venerunt. vero ad eum rethores numero quinquaginta. et dixit ad eos imperator. sicut obscurus sermo in vobis et fuco plenum dicite michi. Est enim dictionalis mulier apud nos gloriosa. et fuco plena scriptura calamo rethorico sursum imaginaria. et robuste docta. Sicut ergo sapientissimus sermo in vobis et potestis contrastare aut contradicere ei. dabo vobis quicquit a me postulaveritis. Primus rethor dixit. Veniat mulier huc. et ego vincam eam cum prima scultura omeri. Que est enim mulier in rethorica arte que possit stare ante faciem nostram? Si non terreo eam cum prima mea dictione sacrifica caput meum. Audiens hec imperator gavisus est valde. et iussit assistere beatam ecaterinam ante tribunal. congregans omnem multitudinem civitatis. et philosophos contra eam. His autem actis angelus autem domini apparuit beate ecaterine dicens. Noli timere ancilla dei. ecce addet deus tibi sapientiam et superabis quinquaginta rethores et salvi fient predicti rethores. et multi credent pro te in nomine domini nostri ihesu christi. Post hec coronam (accipies) a domino. et regnabis in eternum. Ego enim sum michael arcangelus; testamenti domini; et missus sum evangelizare hec tibi. ut replearis magno gaudio. Et hec dicens cessavit angelus a beata. Dicit ei primus rethor. Tu qui habes prima dictionem rethoris robuste respondendi; pone mentem tuam et diligenter asculta. Et iterum congregata est multitudo civita(ti)s. et omnes milites in contemplatione eius. Stans autem beata ecaterina. faciens autem signum christi; subridens stabat. et aperiens os suum dixit. Ex aquoso elemento consistunt maria fucate robuste. Et multum letantes repetunt. et congregantur in invio pelago hoc est maximum omeri. Ait enim aristotiles splendidissimus rethor. Ita evidenter affero erupata in maxima visione solantem acerrime solatum in calcabilibus voraginum; subterraneum. et in tractum letanter reptant in plenitudine draconis. Secundum capitulum est insultatoris virgilii. sed et radiatus scilicet dionisius calcabiles semitas rethorum sciens affatus est dicens. Robuste liquido inpudenter et in conpendiosa. et fundo dictione subtiliter variatum. invisibiles directiones plane discurrunt impalpabilis semita. Igitur ubique venerabilis scolapius sagacissimus differtur sicut ubique interpretata equaliter circummunita in imaginaria pulchritudine in imaginis robuste genuflectens deserviunt armatura gloriosissimi signi. set et philistion cum platone qualis amabilis ars est rethorum designan-

tes sculturam discipline describentes in haere. calcabilem gloriam dixerunt... *Cetera desunt.*

Pag. 578.

Predixerat enim sic sanctus hieremias propheta ex persona domini. *Prevaricatione prevaricata est in me domus iuda. ait dominus. Negaverunt me. et dixerunt non est ipse.* Hoc etiam nunc usque iudei de christo dicunt. *non est ipse* expectantes alium qui est antichristus. Et esaias. *Non est species ei neque decor. Et vidimus eum et non erat aspectus. et desideravimus eum despectum. et novissimum virorum virum dolorum; et scientem ferre infirmitatem. et quasi absconditus vultus eius et dispectus. unde nec reputavimus eum.* Quibus verbis incredulitatem iudeorum significat. a quibus visus est christus non habere speciem neque decorem. unde nec putatus est esse deus. Quem tamen quia non essent recepturi neque cognituri. idem ysaias adprobat dicens. *Audite celi et auribus percipe terra. quia dominus locutus est. Filios enutrivi et exaltavi; ipsi autem spreverunt me. Cognovit bos possessorem suum. et asinus presepe domini sui. israel autem me non cognovit. populus meus. me non intellexit.* Et iterum. *Auditionem audietis; et non intelligitis. et cernentes videbitis et non scietis. Incrassatum est enim cor populi huius.* Unde et ezechiel. *Factus est sermo domini ad me dicens. Fili hominis in medio domus exasperans tu habitas. qui oculos habent ad videndum et non vident. et aures ad audiendum. et non audiunt.* sic enim excecati sunt ut salvatorem nec agnoscerent nec susciperent. Et cuius dies abraam vidit et letatus est. et cuius adventum prophete magno cum desiderio expectaverunt. isti et viderunt et non agnoverunt. Insuper et blasphemaverunt clamantes; *non habemus regem nisi cesarem.* et cetera que secuntur. Huius populi duritia sic non mutatur. quomodo nec ethyopis color; aut pardi varietas. hieremia testante. Item ita legitur in psalmo secundo. *Quare fremuerunt gentes.* idest romani; *et populi meditati sunt inania* hoc est iudei. *Astiterunt reges terre* hoc est herodes et pylatus. *et principes convenerunt in unum* scilicet et principes sacerdotum et seniores iudeorum *adversus dominum et adversus christum eius.* Et iterum ex eiusdem domini persona in psalmo. *Circumdederunt me canes multi. concilium malignantium obsedit me.* Canum autem nomen in osee etiam per prophetam alterum constitutum. In esaia enim scriptum est. *Omnes ceci canes. nescientes latrare.* Canum enim moris est. ut ait noster hylarius; pastorem alludere. gregem nosse. insidiantes feras persequi. At vero isti ceci canes. pastorem suum non videntes; officium non intellegentes. latrones (latratus) suos a feris ad gregem a furibus ad dominum retorserunt. Unde et alius propheta de his ita dicit; *facti sunt michi in sagiptam reciprocam.* Per zachariam ita ipse prenuntiavit. *Si bonum est* inquid *in conspectu vestro; date mercedem meam XXX argenteos. Et dixit dominus ad me. Proice illud ad statuarium; de quorum pretium adpretiatus sum ab eis.* Haec enim nota omnibus causa est. Iudas enim penitentia motus. pecuniam reportavit et proiecit in templo. et habiit et laqueo se suspendit. Ut impleretur quod dixerat esaias. *testis falsus non erit impunitus. pro eo quod vendidit argento iustum.* Quam pecuniam bene dominus mercedem suam dixit. Multa enim miracula apud eos fecit reddens vitam mortuis. lucem cecis. auditum surdis. Pro quibus omnibus iudei nefanda extimatione morte XXX argenteorum mercede illis restituerunt. Iterum etiam in psalmis commemoravit in se impletum dicens. *Qui edebat panes mecum. ampliavit adversum me supplantationem.* Et iterum. *Tu vero homo unanimis dux meus et notus meus qui simul mecum dulces capiebas cybos.* De ipso autem iuda proditore hieremias prescius ita ante predixerat. *Peccatum enim iude scriptum est stilo ferreo in ungue adamantino.* Quod sive ad iudam. sive ad iudeos. non incongrue convenit; qui sic peccaverunt in christo. ut non sit peccatum eorum atramento conscriptum. quod deleri forsan potest. Sed stilo ferreo in ungue adamantino exaratum; idest quod deleri non possit pre duritia cordis eorum; nisi crediderunt. Esaias enim dicit; *oblatus est quia ipse voluit.* Et infra. *pro eo quod tradidit in morte animam suam; videbit semen longevum. et voluntas domini in manu eius dirigetur.* Et ipse per hieremiam prophetam sic loquitur. *Reliqui domum meam; dimisi hereditatem meam; tradidi dilectam animam meam in manu inimicorum;* hoc est in manus iudeorum qui eum interfecerunt.

Hieremias propheta longe ante predixit. *Spiritus oris sui captus est in peccatis nostris.* Quo vaticinio monstravit aperte et christum dominum esse. et traditum pro nostris peccatis fuisse. Item sapientie liber dicit. *Dixerunt inter se impii comprehendamus iustum. quoniam inutilis nobis et contrarius est operibus nostris; promittit se scientiam dei habere. et filium dei se nominat.* Et infra. *Si enim est verus filius dei suscipiet illum et liberabit eum de manu contrariorum.* et infra. *Ut sciamus reverentiam illius; et probemus patientiam ipsius. morte turpissima condempnemus eum*; idest affixione crucis. Clamabat sub figura populi peccantis in deum in psalmo quinquagesimo. *Tibi soli peccavi. et malum coram te feci. ut iustificeris in sermonibus tuis. et vincas cum iudicaris.* Veniens enim christus in corpore. tamquam reum se constituit. et iudex hominum hominibus iudicandum se prebuit. Sicque mitis. et patiens dum iudicatus est vicit. quia nihil in eo dignum quo iudicaretur populus persecutor invenit. Unde et propheta adventum iudicii eius adnuntians sic comminatur contra eundem populum dicens. *Audite que dominus loquitur. Surge et contende iudicium adversum montes; et audiant colles vocem tuam; audiant montes iudicium domini cum populo suo; et cum israhel diiudicabitur. Popule meus quid feci tibi. aut quid molestus fui responde michi. Quia eduxi te de terra aegypti. et de domo servitutis liberavi te; et misi ante faciem tuam moysen. et aaron; et mariam*; ubi ostendit beneficia domini prestita in populo suo. Et contra haec mala eorum adversus eum. et quid iuxta haec ei populo venturum sit. deinde subiungit. *Auditus domus israhel quis adprobavit illud. adhuc ignis in domo impii thesauri iniquitatis.* Per osee prophetam idem dominus dicit. *Ve* inquit *eis quia recesserunt a me. vastabuntur. quia prevaricati sunt in me. Ego redemi eos. et ipsi locuti sunt contra me mendacia. et ego erudivi eos et confortavi brachia eorum. et ipsi cogitaverunt malitiam in me. reversi sunt ut essent absque iugo. facti sunt quasi arcus dolosus. Et zacharias. Invaluerunt super me verba vestra dicit dominus. et dixistis quid locuti sumus contra te?* Et in psalmis dicit. *Insurrexerunt in me testes iniqui et mentita est iniquitas sibi.* Et esaias de iuda dicit. *Testis falsus non erit. inpunitus. pro eo quod vendit argento iustum.* Hoc iam per hieremiam christus de Synagoga predixerat dicens. *Reliqui domum meam; facta est mihi hereditas mea quasi leo in silva. dedit contra me. vocem suam.* blasphemans utique et dicens. *Crucifige. crucifige.* Et alibi ipse dicit. *super quem aperuistis os vestrum et adversus quem laxastis linguas vestras.* Et esaias. *Ruit* inquit *ierusalem. et iudas concidit; quia lingua eorum contra dominum.* Idem ipse propheta ait. *Et expectavi ut faceret iudicium fecit autem iniquitatem et non iustitiam. sed clamorem.* Etiam posteritatem suam dampnaverunt dicentes. *Sanguis huius super nos. et super filios nostros.* Olim cum obiurgatione esaias illis predixerat dicens. *semen pessimum preparate filios vestros occisioni. iniquitate patrum suorum.* Venientibus enim in iudea gentibus pro scelera patrum etiam filii trucidati sunt; sub quorum persona hieremias interitum eorum ita deplorat dicens. *Patres nostri peccaverunt et non sunt; nos autem iniquitates eorum exolvimus.* Item ipse hieremias. *Sacerdotes non dixerunt ubi est dominus. et tenentes legem nescierunt me. et pastores prevaricati sunt in me. Propterea adhuc iudicium contendam vobiscum ait dominus. et cum filiis vestris disponam. Quare ergo factum est in predam; super eum rugierunt leones. et dederunt vocem suam. Posuerunt terram suam in solitudine; et civitates eius exhuste sunt; et non est qui habitet in eis.* Iob sic de eo dicit. *Exprobrantes et expuentes maxillam meam percusserunt. satiati sunt penis meis.* Et in psalmis ipse dicit. *ego ad flagella paratus sum.* Et iterum. *Congregati sunt in me flagella et ignoraverunt.* Similiter et per esaiam. *Non sum* inquid *contumax. neque contradico. Corpus meum dedi percutientibus. et genas meas vellentibus. faciem meam non averti ab increpantibus et conspuentibus.* Et per hieremiam dicit. *Posui scapulas meas ad flagella. et maxillam ad palmas.* Item hieremias. *Dabit* inquit *percutienti se maxillam. saturabitur obprobriis* et sustinet patienter. Et esaias dixit. *Arundinem quassatam non conteret.* Scribitur hoc in canticis canticorum ex persona patris de contumeliis filii; iniquitatem hierusalem minantes atque dicentes. *Exite et videte filie hierusalem regem salomonem cum corona qua coronavit eum mater eius*; idest coronam spineam quam

capiti eius imposuit synagoga. Sed ieremias idem filius sic dicit. *Spinis peccatorum suorum circumdedit me populus hic.* Et apud esaiam. *Plantavi* inquit *vineam electam. et expectavi ut faceret uvas; fecit autem spinas.* Ubique quia degenerans ad patriarcharum fructum; non fructus iustitie sed spinas mortis et crucis suo attulit creatori. Pronuntiavit hoc esaias propheta quia flagellatus est et palmarum sustinuit ictos dicens. *Quis est iste qui venit de edom; tinctis vestibus de bosra? Quare rubrum est vestimentum tuum tamquam calcantium in torculari?* At ille respondens. *Torcular* inquid *calcavi solus.* Calcari enim torcular solus se dixit. quia solus propter mundi peccatum passionem suscepit. solusque delicta omnium sanguine suo lavit. hoc prophetarum voces testantur. Esaias enim sic dicit. *Tamquam ovis ad occisionem ductus est; et sicut agnus coram tondentem se. sic non aperuit os suum.* Hoc enim in passione pylato interroganti nihil locutus est. sed *in humilitate iudicium eius sublatus est.* De quo et ipse alibi. *non clamabit neque audiet quis in plateis vocem eius.* Item christus per eundem prophetam. *Dominus deus aperuit michi aurem; ego autem non contradico. corpus meum dedi percutientibus.* et ipse alibi. *Tacui. silui. Numquid semper tacebo?* Primum enim tacuit ut iudicaretur. quando sicut agnus coram tondente se fuit sine voce. nec aperuit os suum. suamque compescuit potestatem. In novissimo autem die sic de eo scribitur. *Deus manifestus veniet. deus noster et non silebit.* Tacui enim ut iudicaretur. quando venit occultus. nequaquam autem tacebit quando ut iudicet venerit manifestus. Esaias enim predixit. *puer natus est nobis; et filius datus est nobis. et factus est principatus super humerum eius.* Quis enim regnum potestatis insigne in humero portat. et non aut in capite coronam. aut aliquam proprie vestis ornamenta? Sed solus rex seculorum. christus. gloria potestatis sue; et sublimitatis in humeris extulit. Quod etiam ysaac prefiguravit qui (cum) ad patris hostiam duceretur. ligna ipse sibi portavit; christi exhimia tunc figurans passionis sue gestanti. Propheta ex persona christi sic predixerat. *Ego quasi agnus mansuetus qui portatur ad victimam.* et nunc cognovi quia *cogitaverunt contra me consilia dicentes. Mittamus lignum in pane eius. et eradamus eum de terra viventium.* Hec ergo que passurus erat dominus a iudeis. quasi sibi facta fuissent propheta commemorat. Nam cui est lignum in pane missum nisi christo adfixo crucis in ligno? Panem enim corpus eius agnoscimus. lignum in panem esse fides nostra crucem agnoscit in corpore. quia vita sui corporis panis est. Scriptum est enim. *Et erit vita tua pendens ante oculos tuos. et timebis die ac nocte et non credebis vite tue.* Sed in psalmis iterum; quia extendit manus suas in cruce. sic dicit in psalmo centesimo quadragesimo. *Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum.* Sive quod veniente quasi mundi vespera. sive quod declinante iam sole in vespera; dominus de cruce animam posuit. Elevans manus suas in eundem crucis lignum. atque offerens seipsum deo pro nobis sacrificium. ut per illud sacrificium delerentur peccata nostra. Apud esaiam quoque de crucis eius predicatione ita scribitur. *Et erit principatus eius super humeros eius*; idest vexillum sue crucis quod suis pretulit humeris. Iuxta vaticinium david prophete. qui dicit in psalmo nonagesimo quinto. *Dominus regnavit a ligno.* Abacuc quoque passionem crucis christi ita prenuntians dicit. *cornua sunt in manibus eius.* Per david ipse loquebatur dicens. *Foderunt manus meas. et pedes meos. dinumeraverunt omnia ossa mea.* et cetera. Quibus utique verbis in cruce corpus significatur extentum manibus pedibusque confixis. et clavorum transverberatione confossis. Quod david passus (non) est qui sine ulla corporis passione legitur in pace quiescere. Sed hoc de christi predictum est passione. qui a populo iudeorum clavis in ligno confixus est.

Pag. 633 — Passio sancti Theodori.

Temporibus illis cum maximianus et maximinus tyranni imperium optinerent. persecutionem adversus ecclesiam commoverunt. proponentes talem edictum. ut omnibus christianis diis immolarent. escis darent ad bibendum. Qui vero contempnerent. deberent eos adduci in iudicio. et diversis penarum modis expendi. In eodem tempore comprehensus beatus theodorus. Introducens eum in civitatem in partibus orientis et adductus est in regionem qui appellatur maritanorum sub preposito brinca. que legio consistebat in civitate ama-

scie. Cumque ductus fuisset in conspectu brinca prepositi. cogebatur christum abnegare. et demonibus immolare. Qui cum fidelis esset domino. et repleto spiritu sancto. stans in medio legionum ait. Ego servus christi sum. et demonibus nunquam sacrifico. quia non habeo talem preceptum. Brinca prepositus dixit, Has omnes quos vides circumstantes christiani sunt. et christo militant? Sanctus theodorus respondit. Unusquique ergo novit quomodo militat. ego domino meo regi celesti. et ihesu christo filio eius milito. Possidonius ducenarius dixit. Ergo deus tuus filius habet? Beatus thodorus dixit. Etiam habet qui est verbum veritatis per quem omnia facta sunt. Possidonius. Numquam possumus relinquere regem nostrum; et ad deum accedere? Sanctus theodorus ait. Nichil est quod nos impediat. nisi tantum ut derelinquatis tenebras huius mundi. et fiduciam habeatis. et respuatis temporalem regem vestrum. et in deo vivo et vero sciatis. et sociemini quemadmodum et ego. Brinca prepositus dixit. Demus ei indutias paucis diebus. ut semetipsum ammoneat. et revertatur ad consilium nostrum. Et accepit beatus theodorus ad fanum dilationem. erant ministri demonum sevientes. pergirantes omnem civitatem. et querebant ut alios comprehenderent in christo credentes. Et cum comprehendissent aliquos ex christianos. adduxerunt in locum. ubi erat famulus dei inclusus. Tunc beatus theodorus sedens docebat eos viam veritatis. et perseverantiam docebat illis. Non turbetur cor vestrum neque formidet fratres mei dilectissimi propter tormenta humana. neque veletis abnegare regem celestem dominum ihesum christum. Cumque beatus theodorus hec et his similia doceret eos qui cum eo erant. una die tempore oportuno invenientes templum diane nocte ingressus. ponensque igne succendit eum. Cumque quidam de custodibus vidisset eum opus facientem. Tunc chronide suo idem tabularius metu perterritus de hoc facto. obtulit presidi publio dicens. Homo iste insanus qui nuper de tyro advenit in civitatem nostram. templum deorum igne succendit. deosque nostros iniuriavit. et deos nostro qui in eodem templo erant. ita ut in pulvere sunt redacti. ideo comprehendimus hunc. et ad tuam clementiam perduximus. ut iubeas secundum iussionem augustorum nostrorum. per diversas penarum genera eum perdere. Tunc publius preses accersivit preposito brinca. et dixit ei. Ut quid dedisti ei dilationem. ut igne succenderet templum magne diane? Quibus brinca respondit. Pro nobilitate tua domine mi. propter hoc indutia dederam ei. ut recederet ab hac stultitia. et consentiret nobis. Nunc autem quia contempsit dominorum. et nostra iussione contempsit. ecce habes illum in manus tuas. interfice eum qualiter volueris. Hec audiens preses. iussit adduci beatus theodorus dicens ei. Theodore ut quid monita nostra respuisti? et quia pro te offerre debueras magne diane divinum libamine incensum ignem obtulisti. et confregisti eam? Beatus theodorus respondit. Quod feci non abnego. Lignam incendi ut lapidem comburerem. talis est autem deus vester. ut ignis incendium ureretur. Tunc ira repletus preses. precepit eum fortiter cedi dicens. Quia precepta nostra contempsisti. nunc per tormentorum genera faciam te consentire. quod si nec dicta imperatoris contempnere. Beatus theodorus respondit. Precepta tua tibi sint. et honores quos mihi promisisti. tibi servientibus tribue. michi autem sufficit hoc solum quod christianus sum. non enim potest impedire propositum meum ut me separes a deo meo. nec si maiora horum tormenta intuleris. neque enim si omni membra corporis mei incideri poterit. non potest prevalere adversum me tua insania. Publius preses dixit. Emenda te ipsum. et immola diis ut possis evadere tormenta que te expectant. Sanctus theodorus respondit. Hec tormenta que videris mihi inferri apud me velud fumus existunt. dominus enim meus et salvator in conspectu eius assisto. liberat me ab iniquissimis tuis tormentis. Impie et inique omnis veritatis inimice. et qui non vis inspicere oculis anime tue. et agnoscere creatorem tuum. Tunc repletus ira publius. et fremens dentibus sicut leo. iussit eum mitti in carcere. Et cum clausisset eum signans ianuam carceris cum omni diligentia. et dereliquit eum ibi beatus theodorus. ut fame moreretur. Sed sanctus theodorus a spiritu sancto nutriebatur. non enim poterat sentire penuria famis. quia verum panem christus ihesus in suo pectore baiulabat. In ipsa eiusdem nocte apparuit ei salvator dicens. Theodore famule meus. constans esto. et viriliter age. quia ego tecum sum. ne velis accipere cibum aut potum ab hominibus

istis. quia tua vita incorruptibilis est et incontaminata et conservata in celis mecum. Et cum hec dixisset dominus abscessit ab eo. Postea vero nimio timore. et gaudio repletus est beatus theodorus. cepit psallere ac dicere. Fac cum servo tuo secundum eloquium tuum. et ne repellas me a mandatis tuis. Et post hec glorificabat deum. Subito enim erat cum eo multitudo angelorum. Et cum vidissent custodes putaverunt quia aliquis ex christianis ingressi essent ad eum. Et concurrentes cum festinatione venerunt ad hostium carceris intuentes. et viderunt hostium clausum. et signaculum integrum. timore conversi abeuntes. nuntiaverunt presidi omnia que facta sunt. Qui cum audisset talia preses statim exiliens cum festinatione. pervenit ad locum carceris. Et ingrediens intus non invenientes nemine nisi solus beatus theodorus in ligno extenso. et invasit eum timor. Similiter et omnes qui cum eo aderant exeuntes cum magno stupore de carcere. mirabantur de tollerantia iusti. Tunc precepit preses et unciam panis et potum aque offerri ut sumeret. Beatus theodorus fidelissimus autem adleta christi secundum quod scriptum est. quia iustus ex fide vivit. et noluit sumere cibum aut potum ab hominibus dicens. Quoniam me enutriet dominus meus et deus meus in quem speravi et spero. Alia autem die accersivit preses beatum martyrem et dixit ei. Theodore. vade emenda te ipsum et sacrifica diis. Per deos magnos omnes tibi iuro. quia in celeritate scribo ad domino orbis terre. ut constituat te pontificem super deos. et honorem magnum accipies ab eis. Beatus autem theodorus intuens in celum. et signans se fecit signaculum crucis in fonte sua depingnens dicit ad presidem. Impie et omnis iniquitatis plenus. et mendaces filii diaboli. et non secundum veritatem participem tenebrarum. malis tuis operibus inherens. ut qui non vis timere dominum. aut nescis miser. quia per eum regnant. et tyrannidem obtinent terram. Quare ergo cum tu alienus es christo meo compellis me ut derelinquam eum. et adorem simulacra. que sine anima sunt. Hoc enim scitote iniquissime. quia ego numquam potero derelinquere deum vivum et verum. et deservire demonibus. Tunc preses dixit ad eum. Vis ergo esse cum christo tuo? Beatus theodorus respondit. Ego cum christo meo fui. et sum. et ero. Videns vero publius preses. quia magis beatus prevaleret in sustinendo. quam ipse tormenta inferre. Nimium miratus est super tollerantiam eius. et precepit questionarii ut suspenderent beatissimum martyrem. radentes ungulas ferreis. in tantum autem raserunt eum. ut interiore eius nude apparerent. Fortissimus autem adleta christi dum raderent. nichil aliud dicebat. nisi tantum. benedicam dominum in omni tempore. semper laus eius in ore meo. Tunc turbe exclamaverunt ad presidem dicentes. Tolle eum de medio. non enim potest hic iam vivere. Vociferantibus autem eis et exclamantibus. cepit preses per preconem interrogans eum dicens. Quod genus es? At ille nichil voluit respondere ei. Cumque vidisset iudex quia nihil respondisset. dedit sententiam adversus eum scribens ita. Theodorum resistentem potentie triumphatorum regnum. et deo suo credentem. et filium eius ihesum christum qui crucifixus est a pontio pilato adorante(m) iussimus igni tradi. Cumque precepisset preses. ut in multa celeritate facerent quod iusserat. stans publicani et omnes populi civitatis cum festinatione lignam a balneis rapientes. construxerunt ligna. Cumque beatum martyrem ad preparatum locum ministri demonum perduxissent eum. dixit ad eum. Quid tibi fuit hec tua temeritas. membra perducere ad supplicium? Nunquid poterit deus tuus in quem speras evertere te de ista tormenta. aut de manibus nostris? Beatus theodorus expolians se et ponens vestimenta sua. et zona resolvens stabat. Multi autem ex christianis fratribus qui venerunt videre beatam fidem stabant ante eum. et cupiebant fimbriam vestimentorum eius tangerent. ne dicerentur ab eo omnia que dignis ministerium acta fuerunt ministri demonum. cum consumassent. Cogitaverunt questionarii. ut clavis eum configerent. Tunc doctissimus adleta christi. dixit ad eos. Sinite me quia enim dedit mihi tollerantiam in omnibus ut nec sine ipse faciam. Clavorum confixionem. ignis impetum cum letitia sufferre. Et hec dicens signans semetipsum. theodorus ad dominum et ait. Domine deus omnipotens. qui domini nostri ihesu christi pater es. per quem tuam notitiam accepimus virtutem. et omnes creaturas hec totius genere iustorum. te benedico et glorifico. quia merui perveni-

re ut accipiam partem in numero sanctorum martyrum tuorum. in resurrectione vite eterne anime mee et spiritus. per incorruptionem spiritus sancti. amen. Domine deus meus da servis tuis qui mecum comprehensi sunt commilitonibus meis. et eutropium et cleonicum. et colluctent et ipsi vincant tyrannum. et mereantur ad tua dextera coronari. Et intuens oculis suis. vidit cleonicum eutropium plorantes voce magna. et dixit ad eos beatus theodorus. Cleonice frater festinate quia expecto vos. sicut enim in hac vita corruptibilem nunquam derelinquimus alterutrum. si neque ibi te eunte perpetuam recedamus ab invicem. Tunc exclamaverunt eutropius et cleonicus dicentes. Parce nos et obsecra dominum ihesum christum ut perseverantiam nostram. et basilice potestati tue. ut nos mereamur tecum diligere in perpetuam vitam. Et dum illis cum lacrimis opere dicerent. oravit beatus theodorus ad dominum et dixit. Omnipotens deus qui regnas et permanes cum patre ihesu christo filius dei vivi. repausa animam meam in sinu patriarcharum. quoniam tibi decet gloria et magnificentia in secula seculorum amen. Eadem hora ascenderunt ignem. cumque in altitudine flamme ascenderet. vidimus mirabilia quibus datum fuit videre. et quibus relatum fuit annuntiaremus ceteris. Dum factum est flamma etenim in modum velum navis quando spiritus vento cum flamma. si erat. turbata. super pectus beati theodori martyris. Et odor suavissimus flagrans. et odor suavissimo non tantum nos qui presentis. sed et omnis civitates fama eorum repleta est odor. Facta est vox de celo dicens. Veni theodore et ingredere in gaudium domini tui. quia fideliter certaminis tui cursum consumasti. Veni ingredere in paradiso in requiem. ut requiescas in sinu patriarcharum. Hec igitur universi nos omnes circum astantes vidimus. sed et celos super eum vidimus apertum. Tunc beatus theodorus gaudens et exultans. et quasi rupens dedit spiritum. Igitur quedam mulier nomine eusebia. vivens in christo nobili genere. petiit ad presidem corpus. Tollens autem quedam eum. lavit corpus eius cum vino pretioso. et involvit eum in sindone munda. et posuit in locum. et transtulit eum in possessione sua que erat non longe a civitate amascia mansione unius diei. in loco que appellatur achayta. Quam possessione cogitavit ecclesiam facere. Fecit autem domum perfectam et sanctificatam. et erat illuc celebrantes cotidie commemoratione beatissimi martyris theodori. In quo loco multi per eum mundantur a spiritibus immundis. et variis infirmitatibus. usque in presentem diem. Ad laudem et gloriam dei patris et filii. et spiritus sancti. cui est gloria et imperium et potestas. et magnificentia. et magnitudo in secula seculorum. Amen.

Pag. 665 — PASSIO SANCTE ILLUMINATE VIRGINIS ET MARTIRIS.

Passionem sancte illuminate virginis et martyris. cuius vultus fulget sicut sol. oculi eius sicut margarita pretiosa. et animus eius fortis in fide domini sui. que ab infantia sua semper cum angelis loquebatur. pater et mater eius pagani domino deo non credebant. Illa vero sancta illuminata die ac nocte cum angelis psallebat et dicebat. Sanctus. Sanctus. Sanctus. dominus deus sabaoth. Pleni sunt celi et terra gloria tua. osanna in excelsis. Et ammirati sunt parentes eius qui erant pagani. Et illi qui psallebant cum ea videbant lumen in cubiculum eius tota nocte. Tunc apprehenderunt eam parentes eius. et dixerunt ei. Vidimus te facere signa et prodigia. et ydola paganorum non adorare. Quibus sancta illuminata dixit. Dilecti parentes mei. venite et audite timorem domini. et docebo vos. Et videte quam fortis est deus et suavis christianorum. potens est et multum misericors. qui humiliat inimicos. et exaltat humiles. et omnes credentes in se. venite et adorate illum qui fecit hominem ad imaginem et similitudinem suam. Et dixit ei pater eius et mater. Si non cessaveris tenere doctrinam dei christianorum. facimus te venire in civitatem ante presentiam sebastiani ducis. et facimus carnes tuas lacerare. et igne cremari. Quibus sancta illuminata dixit. Qualis sit pugna sebastiani ducis vestri. qualis vas figuli qui confringitur. et in pulverem revertitur. Ambulabat pater eius ad sebastiano duci nomine marmanus. et dixit ei. Habeo filiam dilectissimam. cuius vultus fulget sicut sol. et oculi eius sicut pretiosa margarita. Et psallat cum angelis in cubiculo suo tota nocte. et adorat deum christianorum. Sebastianus dux dixit ad ministros suos. Ite

celeriter adducite ipsam puellam ante faciem meam. et fecerunt ministri sicut preceperat eis dux. ambulaveruntque ad ipsum habitaculum. vocabant pylatiolum circa mare. longe a civitate ravenna duodecim milia. et invenerunt eam in carne ieiunam. anima vero eius repleta et satiata de spiritu dei sui. Et dixerunt ad eam. Illuminata surge. et ambula in civitatem in sebastiani duci presentiam. quia desiderat videre pulchritudinem tuam. Respondit eis sancta illuminata et dixit. Ego sum ancilla et puella dei. quid sum necessaria duci vestro? Levavit se flaviana mater eius. et ambulavit cum ea in civitatem. Vidit illam sebastianus dux et dixit ei. De qua natione nata es. aut qualem deum adoras? Sancta illuminata dixit. Parentes mei ante faciem tuam stant. et ydolis adorant. et ego adoro dominum meum ihesum christum. quem ab infantia mea adoravi. et salvam me fecit usque in hodiernum diem. Cui sebastianus dixit. Pulchra es in faciem tuam. et te desideravi videre. fac ut regni solium teneas. Veni ut tecum consentiam. et dabo tibi vestem byssinam auro tecta(m). Sancta illuminata respondit. Principatum tuum in ruina convertitur. et vestem vestram byssinam que dixisti similiter. Ego autem pro nichilo computo. quia non est talis vestis mundana in hominibus. qualem dominus noster ihesus christus promisit fidelibus suis dare in vitam eternam. Cui sebastianus dux dixit. Mittite illam in cubiculo et custodite eam. ne forte cum ministris suis in fugam convertitur. Missa beata illuminata in cubiculo. ita ut dux iret ad illam. et posuit in corde suo pollutionem agere cum ea. Ex illa hora processit beata illuminata in orationem et dixit. Deus abraham. deus ysaac. et deus iacob. deus patrum nostrorum qui salvasti tres pueros de camino ignis ardentis. salvam fac animam meam a paganorum principibus. qui iniciter pugnant. Libera animam meam ut non videat iniquitatem corporis mei. qui usque modo servasti virginitatem meam et probasti me. et non est inventa in me iniquitas. Sed rogo te domine ihesu christe ut liberes me de perdicione ista. ut non perveniat corona mea in potestate paganorum.

In illa hora apparuit ei angelus domini in cubiculum suum et dixit. Noli timere famula dei illuminata. et extendit manum suam et liberavit eam et dixit. Pone sententiam super patrem tuum et matrem tuam. et vade in locum ubi placitum sit domino deo tuo. Oravit sancta illuminata et dixit. Deus in nomine tuo salvam fac famulam tuam. et in virtute tua libera me. Deus exaudi orationem meam. auribus percipe verba oris mei. et dicant pagani. quia magnus est deus christianorum. Tolle domine lumen oculorum patris mei et matris. qui istam sententiam preparaverunt super me. Et factum est. Venit autem hora que dixerat sebastianus ut pergeret puella ad lectum eius. quesierunt illam et non invenerunt. Invenerunt parentes eius cecos oculorum suorum. Ex illa hora pergit sancta illuminata circa orbem maris per castra. et multa mirabilia fecit deus pro ea super cecos. et demoniacos. in civitate victonensi. in illa civitate centum XXXV. cecos illuminavit. Et infra civitatem invenit quandam mulierem que habebat duos filios. unus erat cecus. et alius a demone vexabatur. Cui sancta illuminata dixit. Recollige me in tabernaculo tuo. Et illa respondit. Non recolligo te in tabernaculo meo. quia habeo duos filios. unum cecum amborum oculorum. alterum a demone vexatum. Beata vero illuminata fecit crucem. et introivit in tabernaculum mulieris. et dixit. Pax huic domui. In illa autem hora exivit demonium de corpore eius. et alium filium illuminavit. Angelus autem domini erat cum beata illuminata. Et illa mulier credidit in deo cum filiis suis. et reddiderunt gratiam in domino ihesu christo. Cui est honor et gloria in secula seculorum amen. Et exivit mulier foras tabernaculi sui aspiciensque in faciem beate illuminate. et vidit pulchritudinem eius sicut ymaginem deauratam. et dixit ad eam mulier. Vade domina mea illuminata de civitate ista. quia in hac civitate sunt nuntii imperatoris maximiani. qui christianis persecutionem faciunt. et multos interfecerunt in civitate ista. Cui sancta illuminata dixit. Mulier non timeo mortem mundanam. nec perditionem corporis mei. Cui mulier dixit. Surge domina mea. et vade per viam salariam. Et perrexit a meridie. et posuit caput suum. et invenit soporem. Angelus domini apparuit ei et dixit. Vigila et hora cotidie dei famula. Cui sancta illuminata dixit. Non cessabo labia mea orationem fundere domino meo ihesu christo. Et annuntiavit ei hec. et dixit. Pater tuus et mater credi-

derunt. et adoraverunt dominum ihesum christum per tuam sanctam orationem. Sed oravi ut viderent lumen. et crediderunt dominum ihesum christum in sempiternum manere. Ex illa autem hora oravit sancta illuminata. et parentes sui viderunt lumen. et pervenerunt post filiam suam. et angelus domini stetit super caput eorum. Et venerunt in civitatem martanam facientes ibi multa mirabilia. et eiecerunt se ante faciem filie sue et dixerunt. Miserere nobis filia miserere nobis. quia peccavimus tibi. Melius est ut de malefactis perveniamus. ad bonitatem. quam de benefactis ad peiora. Ego te genui quamvis peccator sim. et mater tua in utero suo portavit te. Fac misericordiam filia super male habentes. quia non est opus sanis medico. sed male habentibus. Et fecit beata crucem domini super capita eorum. et benedixit illos.

Venit quedam mulier christiana ad beatam illuminatam absconse. et dixit ei. Domina mea sancta illuminata. vidi te facere multam misericordiam in civitate ista. rogo te ut super me facias. quia unius oculorum sum cecata. Cui sancta illuminata dixit. Ego inter paganos cesarea habui nomine. sed modo illuminata in cor. quod posuit mihi dominus meus ihesus christus per angelum suum. Et dedit mihi potestatem cecos illuminandi. et demones effugandi. Cui mulier ait. Domina mea placitum fuit domino tuo. Venerunt in civitatem istam ministri maximiani imperatoris. circumdederunt civitatem istam. et multos christianos interfecerunt. Cui sancta illuminata dixit. Non timeo mortem peccatorum sed ut convertantur et vivant. nec timeo corpus et carnes meas ad martyrium duci. Dic mihi es tu absconsa christiana? Cui mulier respondit. tu tamen dixisti. Sancta illuminata dixit. Quomodo nominatur locus iste? Cui mulier dixit. Domina mea balneum papinianum vocatur. prope civitate martana duo miliaria. dico tibi domina mea. in primis offero vineam et terram. si tibi placuerit tollere. aut minuare. et habeam te procuratricem in die iudicii ante tribunal christi. quando venerit iudicare vivos et mortuos. et seculum per ignem. Beata illuminata dixit. Deus omnipotens pater domini nostri ihesu christi liberet te a cecitate ista. et det tibi duplicatum lumen in eterna secula. et centuplicatam hereditatem. Et sanata est illa femina a cecitate. et liberata est ab omni amaritudine. Et conversa est sancta illuminata ad parentes et dixit. Sebastianus dux per vos posuit in me sententiam. Vobis depositum fuit lumen. et me liberavit de manu sua. et de potestate principum et fecit misericordiam super cecos illuminandi. leprosos mundandi. demones effugandi. paraliticos sanandi. et corda multorum paganorum in dei amore convertendi. Ex illa hora venit sonus in civitate martana esse quedam christiana. per quam multa mirabilia deus ostendit super infirmos. et male habentes. Preceperunt principes paganorum audientes hec. ut veniret sancta illuminata ante presentiam illorum. In illa autem hora sancta illuminata cum patre et matre sua proiecit se in oratione. et dixit. Exaudi deus orationem meam dum clamavero te. velociter exaudi me. Domine orationem ancille tue exaudias. et libera nos de manu inimicorum. quia tu es deus benedictus in secula seculorum. Esto adiutor meus in petitione mea. et libera de manu istorum principum. quamvis corpus meum exterminetur. anima mea salva sit apud te. Suscipe spiritum meum. et spiritum patris et matris mee in pace. et canebat psalmos usque in quinquagesimo psalmo. Et ecce angelus domini venit super eos. et custodivit corpora eorum. et sepulta sunt in loco qui nominatur papinianus. tertio kalendas decembris; Ad laudem domini nostri ihesu christi. cui est honor et gloria. et laus. et imperium. in secula seculorum. Amen.

EX CODICE CXXIII.

(Pag. 193.)

Incipit passio sanctorum Urbani et sociorum eius.

Urbanus episcopus natione romanus. ex nobilissima prosapia ortus. Cuius pater pontianus dictus est. Qui urbanus a beato petro apostolo octavus decimus vicarius extitit. Postquam vero beatissimus calixtus episcopus tempore macrini imperatoris per triumphum martyrii migravit ad christum sanctissimus urbanus iam senex cathedram romane urbis pontificalem suscepit. qui eadem dignitate vel fastigio sublimatus; multas calamitates ac tribulationes huius mundi sustinuit. Nulla namque in hac vita consecutus est prospera. sed adversa omnia ob christi portavit amore. Hic enim ante aepiscopatum probabilis fuit confessor; et post aepiscopatum nihilhominus semel et iterum usque septies pro nomine salvatoris examinatus est atque adiudicatus. Idem fecit vasa quam plura sacrata omnia argentea. Patenas quoque similiter argenteas viginti quinque apposuit. Ministeria quoque sacra sollerti industria sancitum. Denique hic sua predicatione hac traditione multos ad credulitatem et baptismum christi convertit. Valerianum etiam inclitum virum. sponsum sanctae caecilie. et tiburtium cognatum eius monendo usque ad martyrii palmam perduxit; et per eius monita salutifera multi martyrio coronati sunt. Quique fecit ordinationes quinque per mensem decembrium. presbiteros novem. Diaconos quinque; Aepiscopos per diversa loca instituit numero octo. Sedit annis octo. menses undecim. et dies duodecim. Cui successit in aepiscopatum antheros vir venerabilis. natione grecus. Igitur pontificatus sanctissimi urbani tempore macrini et filii eius fore caepit. Quorum imperium parvo tempore fuit. hoc est anno uno. Post quos imperavit antoninus cognomento heliogabalus qui ex fenice oriundus fuit; et a templo solis cognomen accepit. qui et ipse presbyteris omnibus se commiscuit; atque ex eo quod sibi accidit dictus est tractaricus tyberinus. Itaque gubernaculum imperii eius. institit duobus annis. Hoc quoque mortuo; hunc erat ab urbe condita annus nongentesimus septuagesimus quintus. ab incarnatione domini nostri ihesu christi ducentesimus tricesimus annus hac medius. indictione sexta. Successit huic in imperium vicesimus quartus ab augusto. Aurelius severus. alexander mamea ab exercitu cesar. a senatu augustus nominatus. A matre mamea est dictus. Hic iuvenis admodum cum esset tredecim annorum. susceptoque adversus persas bellum exhenereorum regem gloriosissime et famosissime vicit. Quasdam frementes et tumultuantes adversus se regiones. integras exactoravit. Assessorem habuit. vel scrinii magistrum. ulpianum iuris conditorem. Qui eo tempore in helementis habundantius viguit. Cuius aurelii mater mamea erat christiana que origenem presbyterum audire curavit. Bonus quoque reipublice fuit. sed erumnosus sibi. Huius temporibus in oriente est taurinus augustus effectus. At ubi intellexit quod aurelius illuc adiret; ob timorem ipse se in eufrate fluvio abiecit. Tunc etiam iulius maximus apud gallias regnum arripuit. pluribus de eius exercitu per munera corruptis ad se contrahens. Alexander vero cum deseri se ab stipatoribus apud magontiam vidisset: matrem sibi causam fuisse mortis exclamans. accurrenti percussori. obvoluto capite cervicem manibus valide compressam prebuit. tali nece consumptus est; Anno imperii eius tertio decimo. Non est ut conicimur omittendum quod in mamea matrem suam unice

pius fuit. et ob id omnibus amabilis. Haec mamea quia christiana erat. filium coegerat suum; ut in christianos dum viveret persecutionis rabiem non exerceret. De qua re obaudivit eius voto; et talia minime egit. Haec poposcerat a filio; ut illa ipsa per modica edulia si mense prandioque superesset non eam adclamaret. aut detraheret. quamvis se mense; alteroque convivio reponeretur. Imperii huius tempore videlicet alexandri; ut apertius ac subtilius indagavimus. Fuit sanctissimus urbanus episcopus qui a prefecto urbis turcio almachio; multis suppliciis est coangustatus. cum illis qui infra habentur. et ad extremum capite plexi sunt. qui ita pervenerunt ad celicam edem. Igitur ut diximus dum alexander ob matrem persecutionem in christi servos non inibcret; Zelo diaboli et invidia ductus almachius exquirere diligentissime cepit. si tandem aliquando invenire potuisset receptacula christianorum. quorum sanguinem ancxius potare cupiebat. Muneribus ob id quamplurimis datis obstinatius prestolabatur. ut carnes dilaceraret sanctorum; et quod imperator non egerat ipse perficeret. hac per hoc inmunis tanti criminis nullatenus foret. cum milites christi in quantum valeret crudeliter laniaret. Idque agens in infernum seipsum dimersit; ut (ad) quem possidendum vulcanum sibi preparare non distulit. Peractis itaque multis diebus huc atque illuc circumientes apparitores hierant. ut edictum explerent tyranni. Quadam ergo die dum sollicite ab eis almachius inquireret quid inventum. quidve actum habuissent; preposuit se quidam vicarius nomine carpasius. qui et illo crudelior erat. et pecuniam a tyranno excipiens ait ad eum. Illustrissime vir domine prefecte. dum ego vestra pacifica adimplere satagerem (iussa; et circumquaque vagarem) ferarum lustrando cubilia fortuitu accidit; cum sic graderer tramitem usitatum; et convertissem me mente pariterque obtutu ad alteram partem; subito apparuit aspectui meo antrum. quam magnum. in quod diutius dum iter sisterem conspexissem; et quia ut vestra novit clementia fieri solet; dum quislibet eo tempore quo solis magnitudo satis poli irradiat centrum. eidemque splendescent excelsi aspexerit illustratas a sole quascumque visibiles res apricasve. Deinde intraverit in loca opaca. vel carentia luce solari; Protinus ab oculorum reverberatione clare quicquid habetur nequeat intueri. Pro qua re dum enixius intro (1) reverberatis luminibus intenderem; ecce apparuerunt aspectui (meo) viri christiani numero octo. cantantes et psallentes suaviter. quia ut arbitror in clanculo ibi morantur. His verbis turcius almachius cum audisset alludens manibus gratias ei agebat. et ait. O si tu tantum erga desiderium meum valueris gerere opus; quanta in te digna profuturus ero. Vade inquit concito equitatu et cursu ad aspelea antra ne fugam iniant et frustrata cernatur nostra voluntas. Profectus est itaque vicarius carpasius velociter. et cum pervenisset ad locum ubi sanctus episcopus erat orans cum presbyteris quatuor et diaconibus tribus. caepit eos non bene conducere. qui et dixit. Unde estis? et quid hic habetis? ocius indicate mihi. Sanctus episcopus respondit. Nos cives sumus romani. causam hoc in loco nullam habemus. nisi dominum nostrum ihesum christum cui famulamur die noctuque. Carpasius dixit. Ergo quia christiani estis et meo quod concupivit animo citissime indicastis. ob hoc non est morandum (2). sed ad iudicem usque pergendum. Sanctissimus itaque presul respondit. Putas fortasse quod timeamus te. aut iudicem tuum? parati enim sumus ire quo vis in nomine domini. Eia eamus. et agite quicquid immane est; ut a nobis quod sordidum per peccatum est abstergatis. Et dixit ad clerum suum. Qui estis vasa domini filii karissimi; egrediamur ad peccatores; ut emere salutis aliquid possimus aeternae. Scilicet venundando terrestria; et emendo caelestia. Dando luctum; recipiendo gaudium. Dando refectionem carnis quae est ad modicum; recipiendo refectionem spiritus sine fine manentem. Dando lucem sine tenebris. ubi ille solus regnat imperator qui est vera lux. Haec autem audiens carpasius; cum irrisione caepit clamare dicens. Testor deos deasque insani capitis estis. et nescitis quid loquamini. Tunc deducti sunt ad palatium vespasiani in quo erat almachius. Ambiens et expectans adventum carpasii. ut videret quid invenisset. Sic nimirum

(1) Vel intus. Intus adverbium in loco est. et intro adverbium ad locum. sed utraqua rite possunt intellegi. *Nota marginalis.*

(2) Melius dicitur non est morandum. quam nihil. quoniam nichil nomen esse priscianus affirmat. Non. vero adverbium. *Nota marginalis.*

sic cupiebat sanctorum sanguinem fundere; sicut qui cupit (h)ostem sibi extinguere. Factum est autem cum increderetur beatus papa urbanus aperiens os suum dixit. Confundantur omnes qui adorant sculptilia; et qui gloriantur in simulacris suis. Quam ob rem? Quoniam omnes dii gentium demonia; deus autem noster caelos fecit. et dum introducti fuissent ante conspectum almachii; omnipotenti deo psallens iohannes presbyter ait. In tuis iustificationibus meditati sumus domine; ne oblivisceremur sermones tuos. Quos intuens prefectus almachius cum furore affatus est ita. Nonne iste est urbanus sacrilegus? seductor hominum? qui ita in prescriptionibus semel et iterum dampnatus est. quem christiani sibi papam fore commemorant? Cui beatus episcopus respondit. Ego quippe seduco hominibus ut viam iniquitatis respuant; et ad viam veritatis perveniant. Almachius prefectus dixit. Vere viam veritatis non doces quia nec deos times; nec iussa imperatorum optemperas; nec tormenta metuis grandia; nec prefectum iratum expavescis. Ad hec beatus papa respondit. Ego nec te timeo. nec tuis preceptis obtempero dum tu taxas fac quod facturus es. scio enim dominum meum ihesum christum cuius auxilio gubernatus sum et gubernor. Ad haec almachius dixit. Miser. sacrifica et vive. Nam si non feceris. tu eris exemplum omnium christianorum. Respondens carpasius dixit ad almachium prefectum et cunctum populum. Quid vobis videtur de hominibus istis? Almachius dixit. ut ducantur ad pagum iuxta templum iovis. et ibidem in ergastulo (1) mancipentur. Mox alacer effectus carpasius comprehendit beatum papam urbanum una cum clero eius. et in prephato ergastulo ubi preceptum ei fuerat; illic eos mancipavit. Quod audientes multi christiani gavisi sunt in domino. quia et ipsis ad coronam desiderabant pervenire martyrii. Attamen tristitia nimis eos afflixerat (vel repleverat); quia ille erat ab eorum sententia sequestratus impie. qui pie eos assueverat predicare et consolari eos. Dicebant ergo. O sanctissime et benignissime presul. pater pauperum viduarumque et orphanorum alitor. christianorum infatigabilis consolator. litterarum sanctarum sollertissimus seminator. pre omnibus fidus. sermone promtissimus. sanctitate plenus. pietate fartus. omnique modestia preditus. Audax ob animarum salutem pugnator. et indeficiens gubernator. Presentis vitae lucris strenuissimus contemptor. incomparabilis perhenne vitae amator. Elegans quamvis forma; sed longe elegantior fide. nec non et operibus quae per fidem gignuntur. Pastor inclite. ovium tuarum dulcisque amator. atque defensor; adeo ut animam tuam traderes pro ovibus tuis; et ne lupus insidians aliquem raperet tui gregis. Spiritu sancto fultus te ipsum inferre non distulisti. Talia dicentes. venerunt nocte usque ad carcerem. et accepta ab eis munera carcerarius qui erat nomine anolimus introduxit eos ad beatissimum presulem. Qui cum vidissent eum ceperunt altius gemere. et prostrati humo; benedictionem ab eo apostolicam expetebant. Dato vero eulogio (2) dixit. Surgite fratres. et de agyographa pervigiles excipite verba. Ne dormientes inveniat nos ille pestifer hostis qui perimere sanctos semper conatur. Et tunc caepit eis sancti evangelii dicta ad memoriam reducere. Astruens et illud quod dominus ait. Beati sunt servi illi quos cum venerit dominus eorum invenerit vigilantes. idest in bono et sancto opere persistentes. Audivimus laborem; audiamus et retributionem. Amen dico vobis in omnibus bonis suis constituet eos. Pressuras et tribulationes huius saeculi. et temptationes atque adversiones diabolicas immobili et constanti animo pro salvatoris dilectione ferre debemus. Nam ipse salvator previdens dixit. Estote ergo prudentes sicut serpentes. et simplices sicut columbe. ut possitis agnoscere astutias tyranni. ut sitis mundi et extranei a fellis malitia. Cavete autem ab hominibus. Tradent enim vos in conciliis et flagellabunt vos. et ante reges et presides ducemini propter me in testimonium. Et quid divina alio in loco dicat scriptura consideremus. Estote fortes in bello et pugnate cum antiquo serpente et accipietis regnum

(1) Ergastula dicuntur a greco nomine ubi damnantur noxii ad aliquid opus faciendum. ut solent gladiatores et exules ubi marmora secant. et tamen vinculorum custodiis alligati sunt. unde pro carcere solet poni. *Nota marginalis.*

(2) Eulogia dicuntur arcana vel mysteria dei. Et sunt eulogia laudes electe summatimque collecte(?). hic vero pro benedictione accipi potest. quanquam multa significet. Nam. eu. grece latine bonum dicitur. logos grece vel verbium. et inde derivatum est eulogyum. Eulogus. eulogi. addita um. fit eulogium. *Nota marginalis.*

aeternum. Eternum quippe regnum est quod nunquam finitur. Perseverantes enim ut dominus ait. Usque in finem; consequentur premia vitae. quae omni nos aviditate speremus. et quibus ipso annuente fruituri sumus in evum. Per totam ergo noctem non cessabat exortans eos in fide christi. Mane autem adhuc crepusculo. omnes christi adletae sibi alterutrum dantes osculum pacis; et in orationibus se beati urbani pape commendantes; ut eius sanctis precibus adiuvari a domino mererentur. Quoniam tempus persecutionis fortiter urgebat. et cum fletu magno gratias agentes deo uunsquisque remeavit ad sua.

Transactis itaque multis diebus iussit almachius prefectus venire ad se carpasium vicarium. cui et dixit. Adducatur urbanus sacrilegus simul cum clero ipsius ante nostrae claritatis aspectum. Confestim carpasius concito cursu ; quasi qui cupit cernere de inimico predam. Ibat illo ubi sancti martyres in vinculis detinebantur. In illa enim hora sanctus urbanus papa una cum clero suo laudes deo solitas reddebat. Statimque de carcere egressi. Ante conspectum turcii almachii ducti sunt. Respiciens almachius in beatum urbanum et in clerum eius; mox inclinavit faciem ad terram. et virgam. quam in manu tenebat exagitans. ac demum caput suum cum furore erexit talia dicens. Iam deponite perfidiam magice artis. quia tempus vos prestolatur. et sacrificate diis quos imperatores et omnes adorant. et recedite ab his insaniis quibus involuti estis. Iam enim pene usque ad quinque milia hominum perierunt vestro dogmate obligati. De quorum omnium miserabili interitu etiam vos homicidii rei estis. Beatus urbanus respondit. Non enim ut tu putas miser perierunt; sed ad caelestia regna feliciter migraverunt. Et nos pro tanto labore duplicatum premium a domino reservatum speramus. Ad haec almachius prefectus ira repletus dixit. Et unde hoc credendum est ad caelestia regna migrasse? qui tam dira examinatione iugulati sunt; ut etiam corpora eorum bestiarum in potestate ac volucrum derelicta essent; ut inhumata nihilhominus permanerent? Sed quia per aniles fabulas quas inepte profers te estimas a me relaxari posse; Dum et illud retineo in corde. quod cecilia illa sacrilega tuis magicis irretisti incantationibus simul cum illustrissimis viris. videlicet tiburtio et valeriano quos male illexisti (1) nequiter. et perire fecisti. Et ideo de mea presentia non egredieris. donec iussionem meam in omnibus adimpleas. Beatus urbanus papa respondit. Quicquid tibi videtur fac; ego enim nullatenus tuis preceptis obedio. sed pro certo scio quod antequam exeas de mundo hoc. ultionem iu te exerceat dominus de sanguine sanctorum suorum quem iniuste fudisti. Tunc almachius prefectus zelo diabolico excitatus. et amarissima ira repletus dixit. fac quod ortor; ostende mihi thesauros caeciliae quos novi te diligenter reposuisse. Tu enim ei deos ignorare persuasisti. una cum viro suo atque cognato. et nescio quibus deliramentis eos sic instruxisti; ut quod rectum est omnino non valerent cognoscere. unde et male interierunt. Beatus urbanus papa respondit. Stulte et omni fallacia plene fili diaboli non agnoscis creatorem tuum; pro cuius nomine illi quos tu dicis male interiisse sanguinem suum fuderunt; cum quo regnant sine fine; quia aequales angelis facti sunt; et merito. nam ita eos decet. qui dum viverent in terra; non quasi terreni; sed quasi caelestes quodammodo concives laetabuntur. Respondit almachius et dixit. Depone perfidiam magice artis. et consule te ipsum et clero tuo; ut vivere possitis. et noli temerario ore ad iniuriam mei proferre sermonem. Acquiesce itaque consiliis meis. et manifesta thesauros caeciliae antequam crucieris. et sacrifica ne mala morte moriaris. et esto amicus imperatoris et noster. Ad hec beatus urbanus papa respondit. Nec tua nec imperatoris tui amicitiam optabo. quia corruptibilis est. Aeterno quippe regi famulare totis viribus in quantum illi placuerit omnique aviditate exopto. Quod autem a me requiris pecuniam supradictam nequaquam negabo. quia in gazofilacio christi per manus pauperum recondita est. Ergo dum pecuniam requiris tota intentione. non ob venerationem deorum vestrorum christianos sacrificare compellis. sed cupiditatis malo devictus; id te facimus detegere et publicare alterum facit. Haec autem cum audisset almachius prefectus; nimis indignatus adorsus est talia fari. Per magnos deos; quia ausus fuisti falsidicam locutionem per anfractos tue vanitatis adversus nos proferre; et thesauros declarare contempnis; iu-

(1) Illicio; illexi facit praeteritum. *Nota marginalis.*

beam in te diversas paenas fieri; ut saltim in tormentis positus agnoscas nullum nos cupiditatis obstaculum prepedire; sed solummodo numinibus sacris debito censu velle amministrare. Et sanctus ait. Miserrime larva animadverte. quoniam nihil terrenum aut carnale affectamus nos. Aurum namque vel argentum pro nichilo ducimus. quia omnia habemus reposita in caelo; cum nichil possideamus in terra. et eius cuius nunc vernaculi hic sumus in futuro coheredes erimus. Sicut ait apostolus. *Si compatimur et conregnabimus. Quoniam qui spiritu dei aguntur hi filii sunt dei. Ergo si filii et heredes.* Almachius dixit. Christus inquam vester vobis hoc precepit; ut aurum vel argentum respuatis. et illud quod respuitis. pauperibus erogetis? Sanctus urbanus papa respondit. Etiam. Et prefectus. Ergo thesauros caeciliae pauperibus totos tribuistis; et pro stipendiis vestris nihil reservastis? ut inopie pauperum omni tempore subvenire possetis? Ad haec sanctus mamilianus presbiter respondit. Callide et incentor malorum. minister diaboli. quare nobis pro simulatione faris? Putas nobis in aliquo suadere; Prorsus. cum nec minis tuis terreamus nec blandimentis seducamur. nec tormenta exquisita paveamus adiuvante domino nostro ihesu christo qui per psalmographum vatem de vobis ministris diaboli ita cecinit dicens. *Vana locuti sunt unusquisque ad proximum suum labia dolosa in corde et corde locuti sunt mala.* Deinde sequitur quid fiet vobis. *Disperdat dominus universa labia dolosa et linguam magniloquam. Quia accuerunt linguas suas sicut serpentes. venenum aspidum sub labiis eorum.* Unde miser cessare iam debes. satis tibi sufficit perditio tua licet sit magna. tamen per muscipulam quam aliis suadendo conaris parare; cotidie ut diximus accipit incrementum. Almachius prefectus nimio furore accensus dixit ad beatum mamilianum presbiterum. Et vos ut video deteriores effecti estis quam delerus iste senex in incantationibus et in iniuriam principum promptiores excitastis sermones. Iam audaciores estis facti illo; quia ut quidam philosophus ait. Criminis induiti secura audacia crescit. Quod semel et iterum in prescriptionibus dampnati estis; quam ob rem nichil timentes iussa principum. sed per vestras superstitiones in modum achrolmatis deludendo contempnitis illa. Respondens sanctus urbanus Episcopus dixit. Almachi dampnate in iudicio aeterno ubi regnat pater tuus diabolus qui tecum cremabitur in aeterna paena una cum tuis satellitibus. quia eius optemperatis in omnibus preceptis. Desine contra nos talia loqui. et age quod es acturus.

Tunc almachius prefectus venenato pectore; ac nimio cum furore precepit ministris suis dicens. Plumbatos afferte. et tamdiu contumax urbanus cum clero suo mactetur quousque deficiat. Ministri autem diaboli cursu rapidissimo hoc quod iussum eis fuerat adinplere curaverunt. Qui dum acriter cesi fuissent; beatus urbanus episcopus sublevatis in caelum oculis; vultu ilari gratias agens deo talia prompsit.

Omnipotens genitor solus qui cuncta creasti.
Filius atque tuus. mundi quo fabrica constat.
Procedens ab utroque deus sed flamen et almum.
Te sancta trinitas unus deus omnis adoret.
Semper homo laudet. benedicat. honoret. ametque.

Queso te domine ihesu christe ut respicere digneris in servos tuos et in opera manuum tuarum. et da nobis adiutorium tuum sanctum de celis; ut viriliter certantes. in tuum mereamur regnum feliciter introire gaudentes. qui regnas cum patre in unitate spiritus sancti deus per omnia saecula saeculorum. Cumque hi qui cum eo extensi erant respondissent Amen. Subrisit prefectus vehementer. caputque suum agitans dicebat. Arte magica isti ita coartati sunt. ut nostra iussa nullo modo etiam si velint optemperare queant. Sanctus urbanus respondit. Infelix agnosce creatorem tuum. et noli perimere te ipsum. Desine sperare in marmoreis saxis; in quibus demonia habitant. et vide quomodo non nos commovent paenae tuae; adiuvante ipso

qui clyos continet totum ne dissipet orbem.

Et prefectus. Cessare inquid debes inania verba proferre. et quasi qui se vult detegere aliis ut videatur esse doctior illis; obscuras obicere sententias. At quia mihi non potest prevalere tua obiectio probabo te incassum omnia prelibasse. Sed quid plura? Sacrifica et vive. ne canos tue senectutis cum dolore finias. Quoniam per longam disputationis moram. subvenit vobis nostra clementia.

Beatus Urbanus respondit. Nunquam (1) bene tibi sit o iudex qui lapidibus et lingnis manibus hominum concisis christicolas compellis sacrificare; et tura eis imponere; et terratenus coram ipsis humiliare. Nunquid non audisti prophetam de hoc dicentem? Similes illis fiant qui faciunt ea. et omnes qui confidunt in eis. Ergo vos similes estis diis vestris qui aures habetis sicut illi. et non auditis. Oculos ut illi et non videtis. manus et non palpatis. pedes et non ambulatis. nares quoque et non odoratis. Dic dic prefecte si aliquid sentis magnum. Unde dii vestri meliores vobis? An vos meliores estis illis? Nonne vos? sed si equanimiter audias assertionem nostram; docebimus vos per omnia ad aliquid meliores esse quam dii vestri. Quamvis enim laqueo sathane inretiti per infidelitatem viam veritatis non possitis agnoscere; tamen quia ab omnipotente deo creati estis animam invisibilem et rationabilem. corpusque visibile et palpabile vobis tribuit. et omnia prephata officia quibus corpus carere omnino non valet utiliter composuit; sine quibus inrationabilis et inutilis per omnia esse comprobatur. Restat ergo ut dum alieni ab his omnibus (inveniuntur aut) efficiuntur; non aliud quam lapides et ligna. Aut eramentum esse insensibile dii vestri credantur. quia paenitus non moventur. nec loquuntur. nec sentiunt. nec ullo humano funguntur officio. En prefecte almachi. audisti comparationem deorum vestrorum. et quicquid utilitatis in eis est; Quid tibi videtur? Ad haec almachius dentibus fremens ut leo; cepit clamare dicens. In iniuriam deorum nostrorum non timuisti procaciter os aperire; et sacra numina hominibus similia esse dixisti; dignus es ut capite puniaris antequam stultissima locutione suadendo homines pertraas in errorem; dum manifestas in diis nostris nullam haberi divinitatem. Sanctus urbanus respondit. Plane si recolas scripturarum vestrarum libros; ibi invenies per omnia detestabiles et nefandos actus eorum fuisse; quos nec audire. nec nominare audemus. quia turpe est vel ad memoriam ducere. Cum enim tu vitam illorum in omnibus es imitatus non est necesse tibi requirere digestum cum tecum semper habeas presentem.

Almachius respondit. Sic tua decurrit oratio adversus nos et deos nostros; ut nec linguae impedimentum in aliquo casu accedat; nec timeas principes; unde ergo tam durus sermo procedat ad contumeliam nostram paenitus ignoro. Et sanctus. Si velles ait audire quid modo deus noster in evangelio dicit nullo modo miraveris. Dum steteritis inquid ante reges et presides; nolite cogitare quomodo aut quid loquamini. dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. Non enim vos estis qui loquimini sed spiritus patris vestri qui loquitur in vobis. Ipse autem nos ita corroboravit in fide nominis sui. ut non timeamus mori pro nominis eius confessione et pro gloria quam nobis preparavit. et omnibus qui diligunt eum de corde puro. et patitur pro eo. Sicut ipse ait. Nolite timere eos qui occidunt corpus; animam autem non possunt occidere. Sed potius eum timete qui potest animam et corpus perdere in gehennam. Almachius dixit. Inrationabili sermone urbane doces homines mortem non timere; cum nullus hominem mortalis dicere valeat mortem non timeo; quippe cum constet insensibilem tantummodo naturam non trepidare mortem. ob hoc scilicet quia inrationabiliter condita extat. Unde quia condonando ad modicum me persuadere conatus es. Redeamus nunc ad ea que tibi expedit peragere. quoniam cognoscere potes quod per longam verbositatis lineam omisimus ultionem pro deorum nostrorum iniuriis; quas leviter ut reor et ioculando protulisti. Idcirco accede et sacrifica tu et clerus tuus; ne nequam finiamini morte. Beatissimus urbanus respondit. O almachi. bonum tibi fuerat si talem fuisses mortem perpessus; et non cucurrisses in aeternum interitum. Almachius prefectus dixit. Iterata collocutione me mordes. putas a memoria mea excidisse facultates caeciliae quas habuisti. et nescio si per quandam tuam dementiam erogasti illas ut dicis; viduis. et orphanis. atque egenis. et debita habentibus. cum omnes eas ad sumptum christianorum dissipaveris. dumtaxat recede ab insania tua. et sacrifica et optempera preceptis principum. Beatissimus urbanus respondit. Per pluras responsiones iam audisti. quid iterum vis audire? Ego enim nunquam adoro. aut sacrifico. nisi domino meo ihesu christo. quem adorant angeli et omnes virtutes caelorum. sydera. et arva. Sol. et luna. et omnes stelle

(1) Nunquam per. n. debet scribi in prima syllaba et non per .m. quoniam. non m. ponitur ante. q. sed pro ea ponitur. n. ut volunt auctores in hoc et similibus. *Nota marginalis.*

et lumen. Terra et mare ignis. et grando. nix. et spiritus procellarum laudant et glorificant eum. Quia ipse dixit et facta sunt. ipse mandavit et creata sunt. Et exaltatum est nomen eius solius. confessio eius super celum et terram. huic soli sacrifico hostiam immaculatam et acceptabilem domino in odorem suavitatis. Haec sunt vera et inlibata et salutifera sacramenta. quae sunt omnibus credentibus vitam aeternam. et remissionem omnium peccatorum. Idolis autem vestris surdis et mutis; qui nec sibi nec aliis colentibus ea; aliquid prodesse valent. In quorum effigies demonia habitant nunquam humiliabor. nec ego nec clerus meus. Et ut ad singula quae obiecisti manifesta ratione respondeam digne absculta. Quia malitia diaboli excecatus et tabo cupiditatis ita es oppressus. ut pecunias sanctae caeciliae omni aviditate requiras. quas ut prephati sumus in caelestes thesauros per manus egenorum transmisimus ad regna caelorum. tua preterea precepta et imperatoris tui ea contempnendo pro nichilo ducimus. quippe cum nec minas tuas ad aliquid formidamus. nec premia assequi cupiamus pollicita. Almachius dixit. Nimis sustinui iam iniurias deorum nostrorum. in quibus si aliquantulum perduraveritis. in aexemplum omnium nequam factorum hominum vos fieri precipiam. Qui ilico iussit ad se venire carpasium cui et dixit. Accipe istum sacrilegum urbanum. una cum clero; et in privata eos custodia mancipare. quousque nostra in omnibus expleant iussa. Quos comprehendens carpasius duxit illos ad carcerem iuxta quem erat pagus (1). At ubi ingressi sunt sancti; psallebant dicentes. Domine refugium factus es nobis. a generatione et proienie. et sequentia psalmi. Haec audientes multi christiani; venerunt ad eos nocte cum tribus tribunis quorum nomina haec sunt. Fabianus. Calixtus. Ammonius. Hi vero nobili genere orti; Inter hos autem erant duo presbiteri. Fortunatus et Iustinus. Qui dum venissent ad ianuam pulsantes steterunt. Ut autem audivit martialis diaconus. curavit nuntiare beatissimo patri. urbano. Quod cum audisset urbanus episcopus; fecit ad se venire anolinum carcerarium. ut eos ad se intrare permitteret. Qui mox introgressi sunt. et corruentes ad pedes sancti urbani pape cum fletu dicebant. Ora pro nobis sanctissime pater. quia tempus persecutionis maxime instat. Quibus ipse dixit. Nolite o filii nolite flere. sed gaudete. et congratulamini. Timorem autem terraenum ne timeatis. et necesse quippe est ut illi qui aeternae vitae participes. per dominum nostrum ihesum christum esse desiderant; huius mundi calamitates luctando viriliter tolerent patienter. Scriptum namque est in aevangelio. necesse est ut veniant scandala. et alibi. Vasa figuli probat fornax. homines iustos temptatio tribulationis. Et quod per multas tribulationes oportet nos introire in regnum dei. Ad quod regnum ipse vos perducat. qui pro nobis sanguinem suum fudit; cuius regni gloria inenarrabilis est. saecundum illud. Quod oculus non vidit. nec auris audivit. nec in cor hominis ascendit; que preparavit deus diligentibus se.

Tota vero nocte illa in ymnis et canticis spiritualibus psallentes deo permanebant. Videns autem anolinus omnia quae gesta fuerant; misit se ad pedes beati urbani pape cum lacrimis; et veniam exorabat; ut baptismi regenerationem in christo susciperet. Quem urbanus episcopus iussit surgere a terra. cui et dixit. Vide fili si ex toto corde credis in patrem et filium et spiritum sanctum. quatinus remissionem omnium percipere valeas peccatorum. Respondit anolinus cum fletu et dixit. Credo dominum ihesum christum salvatorem esse meum. Et baptizavit eum in nomine patris. et filii. et spiritus sancti; ter demersus est in fontem; in fide sanctae et individue trinitatis. iuxta sanctum aecclesiae ritum. quem suscepit fortunatus presbiter ex fonte. Deinde beatus urbanus aepiscopus eundem chrismate consignavit. Residuo autem noctis in dei laudibus perdurarunt usque mane. Cum autem factus fuisset dies; missarum sollempnia caelebrantes refecti sunt omnes corpore et sanguine domini nostri ihesu christi in vitam aeternam. Et posita mensa cibum communem pariter sumpserunt. omnesque orationibus sanctissimi urbani se commendaverunt; simulque cum pa-

(1) Pagus est ampla possessio sed sine aliquo iure. unde et pagani dicuntur alieni a iure vel sacris constitutis. Nanque paganus ponitur alibi pro poeta? ut persius ait de se. ipse semi paganus. Verumtamen pagani dicti a pagis atheniensium. Orti enim sunt in locis agrestibus et opacis ubi gentiles lucos idolaque statuere. et tali initio vocabulum pagani sortiti sunt. Sed hic pagus loci nomen accipiendus est. *Nota marginalis.*

cis osculo remearunt in domum suam. Et audiens turcius almachius quecumque acta fuerant; ira et indignatione repletus. misit (ad) carpasium vicarium. ut urbanum episcopum cum omni clero suo ante suum conspectum representaret. Qui dum venissent ante almachium prefectum una cum anolino carcerario deridens prefectus ad urbanum dixit. Sicine (1) urbane huc usque perduras in vesania mentis tuae; et non solum teipsum non revocasti ab ac stultitia; verum etiam quantoscumque cohercere potuisti huius secte perfidia nazarenorum. tantos inlaqueare curasti. Urbanus episcopus respondit. Quid prefecte? putasti quod multiplicatis vicibus in carcere (2) trusus? a deo meo aliquomodo separare; et semen verbi dei desisterem. in solo illo recipiente serere? cum dei mei tanta sit misericordia ut etiam si voluisses tu miser ad eius adtingere cognitionem indifferenter te quoque susciperet? Respondens almachius dixit ad anolinum carcerarium. Anoline; verumne est quod de te audivimus? Anolinus respondit. Quid? Almachius dixit. Quoniam deseruisti deos. et christianam religionem accipere curasti? Anolinus respondit et dixit. Etiam. Verumptamen infelix ego qui toto preterito tempore vitae meae non agnovi creatorem meum. Sed gratias ago deo meo qui me non fraudavit a consortio regni caelestis. et fecit me venire ad agnitionem veritatis sue in extremo vitae meae termino. Ad haec almachius furibundus aspectu simul et voce. talia perstrepens aiebat. Cerno inquid quod dure cervicis sit iste anolinus. Non auditis quanta constanti animo sit locutus. et non timet ante nostram excellentiam dicere se esse christianum; sed magis magisque copiosis habundat sermonibus et nostram iam detestatur numina sacra? Audiens haec anolinus caepit clamare dicens. Ego christianus sum. et christum confiteor. et eum corde et ore totaque virtute predicare non cesso. Et iudex dixit. Si iste extinctus cito non fuerit solus maximum fiet error in multis. Qui protinus data sententia ut capite puniretur; ductus est ad templum diane. et compellebant eum intrare et sacrificare. Qui dum sacrificium diis offerre noluisset ibidem iuxta templum decollatus est octabo kalendas iunias. et tali martirio consumatus; celestia penetrasse visus est regna.

Post haec turcius prefectus almachius iussit sibi tribunal parari; ut supervenienti nocte beatum urbanum papam cum clero suo examinaret. Factumque est ut cum nocturna sessione almachii prefecti introductus fuisset urbanus et clerus eius; Venerunt ante conspectum almachii. quos interrogat almachius dicens. Dicite miseri. que est ars magica vestra; ut potius optetis mortem quam vitam? Cui respondit urbanus episcopus et dixit. Non moriuntur; qui pro nomine domini nostri ihesu christi patiuntur; sed magis renascuntur ad gloriam sempiternam. de tribulatione ad requiem. de peregrinatione ad patriam. Ubi gaudent omnes fideles. confundentur omnes infideles. Ubi templum dei angeli sunt. Ibi enim est concordia summa laudantium. et ibi est exultatio secura cantantium. Ibi enim non est rixa cupiditatis in qua periclitetur victoria caritatis. Ibi non est famis nec sitis. non est nuditas. nec egritudo. non est peregrinatio. nec labor. sed neque dolor est ibi. Iam nos illam requiem preparatam habemus. Iam nos illam benignam expectamus audire vocem que dicit in evangelio. Venite benedicti patris mei percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi. Et ibi audituri sunt impii omnes. et increduli. quod eadem voce clamat. Discedite a me maledicti in ignem aeternum. qui preparatus est diabolo et angelis eius. Et ibunt illi in supplicium aeternum. Iusti autem in vitam aeternam. et regnabunt cum domino in secula seculorum. Audisti filius mortis. minister diaboli. operarius iniquitatis. Audisti quantam et qualem gloriam preparavit deus eis qui pro nomine eius eligunt magis mortem temporalem perpeti quam in vita misera ista ad modicum permanere. In qua tu estimas longo tempore te esse mansurum. sed citius te repugnatorem veritatis divina perimet ultio. Ad hec superbus almachius nimis iratus respondit. Nullo modo mens mea indaginem vel documentum huius assertionis quam dicis capere valet. Urbanus episcopus dixit. Bene dixisti impiissime non valere te intellegere veritatem. quia ita adversus te quidam poeta metrico famine lusit.

(1) Sicine. idest. sic ne. vel nunquid sic. *Nota marginalis.*

(2) Carcer. ubi homines cohercentur. singulariter semper debet pronuntiari. dictus a cohercendo. et est generis masculini. cum vero pluraliter pronuntiantur non idem significat. tamen masculini generis f. *Nota marginalis.*

Impedit ira animum ne possit cernere verum. Doctor etenim egregius beatus paulus apostolus de te tuisque paribus carnaliter sentientibus dicit. Animalis homo non percipit ea que sunt spiritus dei. nichil ergo a pecude distas. Dum quid loquimur de creatoris tui magnitudine nequaquam intellegis. Almachius sevus respondit. Laboravi sustinens patienter iniurias quas contra nos et contra deos nostros non mediocriter sed habundanter ingerere presumpsistis. et adhuc in severitate (vel duritia). nichilominus perduratis. Et quidem de morte que vobis imminet. ac si quislibet constitutus in magnis fluctibus gavisus fuisset si eriperetur. sic exultatis. et quasi qui manet longo tempore in antris tenebrosis desiderans cernere lucem. et utpote vicinos quisque leonum dentes si evadere posset exultaret. et veluti qui habet propinquum quemlibet mortuum ante se. Repente si suscitatum eum videret gaudens. Et quia ad similitudines ereximus acies mentis non sunt plures dicende. Cum igitur nullus in hoc mundo ut ita dicam effectus acrior; vel utilior sit illo in quo expectatur vita; Cur vestra ambitio vel iocunditas tante inmanitatis est; quo mori plus querat quam vivere appetat? Beatissimi christi adletae quasi ex uno ore dixerunt ad almachium prefectum. Propositio verborum tuorum ut noster conicietur sensus; fribolum retinet intellectum. quia aliud problema sibi generat pre obfuscatione stulte locutionis; quoniam quidem simulate finxisti parabolas; aequanimiter ut dixisti per alterutram disputationis utriusque animadversionem sufferre nequaquam valuisti. Interea dixisti nullum desiderium istius presentis saeculi fortiorem exultationem habere posse; cum illud vita sequatur. hoc vero mors. Sed si rationem adtendis. Quanto quis in hac vita habundat copia rerum; tanto amplius ancxiatur. Et quanto pre ceteris est locupletior; tanto infelicior fore probatur in hoc mare magno. et eo acrius dolendo illic arsurus cremandusve erit quo hic ditior extitit. Illius nimirum vite divitia nequaquam generat mortem. quia omne absque rubigo iniquitatis concupiscitur; et omne quod concupisci valet; statim perfruitur. Cum autem perfruitur; in fastidium non vertitur. Istius nempe vitae exultatio pluribus subiacet casibus et multis periculis est constricta. multisque cupiditatibus et voluptatibus incentive libidinis subdita; omnibusque illecebris et curis. que tot sunt. ut absque molestia eas nec cogitare quisquam valeat nec proferre. Qui enim ista despicit amando deum; quae caduca et transitoria sunt; merebitur illius ineffabilis vitae opulentiis ditari. Ad quam nos omni aviditate cupimus properare. omissa mortalitatis tunica; et induti incorruptibili et indeficienti stola. sed quia qui in hoc mundo in magna tribulatione est constitutus licetque ad illa evadere; et parvo post tempore ut dicis vivat; tamen habet fiduciam iterum mortis debitum persolvere. Qui autem pro nomine domini mortificantur; non oportet eos contristari. quia de morte ad vitam. de luctu ad gaudium transeunt. Quapropter nos pro amore domini nostri ihesu christi parati sumus mori. quia meliorem omnimodo inveniemus vitam. Iam enim cum paulo apostolo cupimus dissolvi; et esse cum christo multo melius. Divitiae prorsus istius saeculi miseri et caduci in quibus tu miser posuisti spem tuam simul cum ipsis cupiditatibus tu et auctor illius cupiditatis cremabimini aeterno incendio. Nescis o iudex; si quem habes servus diligit conservum sibi amplius; te offendit? Et iudex. Etiam. Et sancti. Ita et vos qui creaturam proponitis creatori. Nos enim vitamus rerum concupiscere fluctus; ne absorbeat caribdis naviculam nostram. et ne offendamus dominum cunctarum creaturarum. quia infelices sunt illi qui tales eligunt pestes. Illi quidem eas amant qui desperaverunt de animabus suis. Quoniam et corruptibili deserviunt naturae. dignum est ut dum relinquitur corpus ab anima; aeterna mancipetur flamma. quia servierunt creaturae magis quam creatori. Quia et qui quod creatum est aliter diligit quam quod debet. procul dubio creatorem offendit. Postquam igitur iudicii venerit dies; unusquisque erit recepturus prout gessit hic per corpus sive bonum sive malum. ut electi videant quid despexerunt; et reprobi quid dilexerunt. Tunc electi simul cum corpore recepturi sunt gaudia immortalitatis. et inmarcescibilis gloriae coronas. Et reprobi una cum corpore adepturi sunt perpetuos ignes in flammivomis receptaculis. in quibus pro lignis ipsi sunt stipula. Sicut enim electis numquam minuetur gloria; ita et reprobis non deficiet poena. et non solum non minuetur; sed etiam augmentatur. Almachius pre-

fectus respondit. Iam iamque instat vestrae superbae locutionis remuneratio; concordia enim equiperata in omni vestro sermone ita invenitur. ut non aliud ab uno sentiatur quam altero. Verum quia sacrilegus iste urbanus sic vos in omnibus docuit ut nulla ratione convinci possitis. Unde et conticere vos omnimodo oportet; ne in igne vos mitti vivos precipiam. Sed accedite et sacrificate deo magno iovi. et abite securi. Responderunt sancti. et dixerunt ad almachium prefectum. Tu sacrifica fili diaboli. qui cum eo debes regnare in aeterno supplicio. Nos vero adoramus dominum nostrum ihesum christum. cui famulantur aequora. tellus. et ymber.

Videns almachius prefectus quod nichil proficeret; precepit carpasio vicario dicens. Duc eos ad templum quod est iuxta pagum et sacrificent deo magno iovi. et perquire diligenter facultates illorum; quod si non fecerint. cedentes rursus in ergastulo eos recludi iubeto. Venientes autem ad templum iovis iuxta pagum qui dicebatur locus trucidatorum; compellebantur ab eis ut libamina diis imponerent. Illi autem deridentes et in eos expuentes circumstantibus dicebant. O miseri! quare adoratis ydola surda et muta? lapides et ligna; et eramentum insensibile quare dicitis esse deos manibus vestris constructos. et sculpitos. in quorum labore vos quidem fatigati estis. Nunc autem habetis illos pro diis. quos et dampnaticii qui pro quibusdam transgressionibus institutionum legalium secare consueverunt. Ecce quales colitis deos qui a captivitate exordium sumpserunt; et in captivitate usque in hodiernum diem construuntur. Unde omnium prophetarum scriptura clamat dicens. Pereant omnes dii gentium. arte hominum inventi simul et cum obsequium exhibentibus eis. Recedite o miseri et cognoscite stropham diaboli nefandam in qua vos obligavit; ut secum in aeternis tormentis aeternaliter affligat. et percipite saltim in finem vestrae dampnationis intellectum; quia creator omnium visibilium et invisibilium dominum nostrum ihesum cristum ipse est deus solus qui in trinitate perfecta regnat et dominatur per infinita saecula saeculorum. Ad haec indignatus carpasius nimio cum furore dixit ad sanctos. Miserrimi et infelices. discedite a stultissimo vestro dogmate; et estote fortes et honorabiles coram invictissimis et excellentissimis principibus et inveniamini erga cultum deorum nostrorum ita sollertissimi ut nunc videmus vos indissolubiles permanere. et non solum vestra omnimodo habeatis securi; sed etiam dona maxima et premia a nobis accipientes. insuper vester episcopus valeat fieri princeps pontificum deorum nostrorum. Respondit urbanus papa et dixit. Insensate canis. et omni amaritudine lingua tua plena. nec mirum fellea corda qui geris. quomodo potuisti rabido ore talia verba effari; et ad perniciem animae tuae suadendo comminare? Quid vobis prodest per astutiam vestri sermonis inania loqui? Cur sepulchrum patens gutturis vestri fetorem emanantis; mortemque naribus aspirantis nitimini reserare? cum nulla inde flagrans (1) vitalisque aura procedat? nam locutionis vestre anhelitus intercidítur avaritie morbo; et dum huc usque minantes nobis blandimini quasi pede tempti ioculando nimium percurritis? Proximo enim est cum diabolo vestra mortifera coniunctio. ut lacum quem aliis parando aperuisti ; in eum vos miserabiliter una cum patre vestro incidatis sine fine cruciandi. O inimici veritatis. ista erit vestra remuneratio; haec vestra dona; haec vestra retributio. Hinc propheta dicit in vestrum pravum nec sanans aspiciens malagma. Da illis domine secundum opera eorum et secundum nequitiam studiorum ipsorum retribue illis. Redde retributionem eorum ipsis; quoniam non intellexerunt opera domini; et in opera manuum eius non consideraverunt. Destrues illos nec hedificabis eos. Impudentissime omnium hominum carpasi; estimas forsitan persuasoria verba nos a veri aeternique regis secernere dilectione? Prorsus cum in dei hac salvatoris nostri karitate ita uniti atque coniuncti simus; ut nulla nos adversa. terreant vel deflectant? nulla tristitia frangat; nulla prospera nos elevent. vel mentes demulceant nostras? Secundum apostolum. Quis nos separavit a caritate christi? Tribulatio? An angustia? An persecutio? An fames? An nuditas? An gladius? Nec mala formidamus. nec bona tua adipiscimus. Retrorsum conversus carpasius dixit ad suos satelli-

(1) Fraglans; cum significat ardere. in prima sillaba scribitur per. r. et in secunda per. l. Cum vero olere per contrarium in prima syllaba. l. in sequenti. r. debent scribi. Aliquando idem utrumque significat. *Nota marginalis.*

tis. Quid faciemus de sacrilegis istis christianis; qui ita in maleficiis perdurant; ut nullus miles pro defensione sua aut civium suorum. sic agonizare vel preliari contendat veluti isti; qui ultroneos semetipsos in mortem inferunt; non timentes iussa principum; nec minis terrentur inlatis; nec pro tormentis pavescunt exquisitis; nec huius mundi ad gloriam promissam. aliquando inclinantur. Ad haec sancti martyres roborati in fide salvatoris nostri ihesu christi. et in sancta ac ineffabili trinitate; dixerunt ad carpasium. Crudelissime carpasi; non habet sanum intellectum. tua stultissima responsio. Audi ergo fili diaboli; et intellege vel modo enucleatam rationem. Si enim vos qui oppressi estis et suffocati laqueo satane; tantam venerationem erga deos vestros persolvitis qui nichil sunt aliud quam lapides quadrati; aut ligna conficta; que utraque ad domorum edificia. vel instructiones. aut munitiones congrua esse videntur; et non solum vos in quantum potestis colitis et adoratis; verum etiam et multos cogitis honestos viros bonis moribus ornatos eis humiliari; eorumque execrandas orgias vel cerimonias. spernentes interemistis. Quorum sanguis iure in vestram dampnationem exquiretur; ut vindicta duplex in vos illic districte a deo perficiatur; ubi omne habebitis exclusum aditum revertendi ad penitentiam. et erit tantummodo tempus vestrum in eternum supplicium vobis iam preparatum; non ad requiem. Ergo si vos cum sitis mali et iniqui; tantos indebitos honores simulacris vestris exhibetis. et compellere ita nolentes ut diximus non cessatis; quanto magis omnipotenti deo cuius est regnum et potestas a mari usque ad mare; et a flumine usque ad terminos orbis terre. A solis ortu et occasu ab aquilone et mari. debemus cordetenus humiliari; et pro illo animas nostras ponere. et in quantum possumus cum ipsius opitulatione aliis eius veritatem predicare; quia ut ipse dominus ait. Qui habet aures audiendi audiat. Quid spiritus dicat aecclesiis. et predicate aevangelium omni creature; et qui audit dicat veni. Carpasius truculentus respondit. Precepta principum nos adimplere oportet ut diversis poenis maceremini. et sic demum capite puniamini. quis enim erit qui vos possit liberare de talibus ac tantis tormentis. nisi enim ea que vobis iussa sunt; absque ulla mora feceritis; nullomodo evadere poteritis? Beatissimus urbanus papa respondit. Noli carpasi noli per orbitatis tue vesaniam insipienter latrare; quia divina famina dicunt. Si deus pro nobis quis contra nos? Dominus nobis adiutor est non timemus quid faciat nobis homo. Carpasius respondit et dixit ad clerum eius. Ecce pater vester nimis aebes effectus est. videte ne errando vos tales inveniamini. quia expedit vobis nostris omnibus obtemperare iussis. Unum e duobus nunc vobis eligite. Aut sacrificate deo magno iovi. et tura ei imponite; Aut verberibus et contumeliis acriter affecti simul cum urbano sacrilego capite plectimini. Responderunt sancti et dixerunt. O sacrilege et maligne carpasi. quid suades nobis recedere a deo vivo et servire ydolis vanis. surdis et mutis atque inmundis? Numquid non legisti in gestis deorum vestrorum; in quibus si plenius audire delectaris; invenies vitas eorum turpissimas et nefandas. et deteriores omnium hominum quorum in hoc mundo scripta vel non scripta retinentur? Nam iovem cui tu nos compellis humiliari. filius fuit saturni; qui saturnus legitur filiorum suorum commedisse carnes; postea vero ab illo quem dicitis iovem interemptum fuisse. O virosa habens corda; quare non intellegis iovem petulcum et pigmeum interfectorem patris; sororis maritum; abutatorem scilicet extitisse virorum? Quis ab eo in quantum potuit liber evasit. qui patri omnimodo non pepercit? Qui mulieri stuprum indulsit? qui sororem in coniugio sumpsit? Cui pro muliere non deerat in pessimo crimine vir? Nec eidemque pro viro deerat mulier? Agnosce ergo carpasi. qualem colitis deum. qui pro divinitate; cenolenta utebatur luxuria. cui placuit super omnia sua flagitia interfectionem paternam adicere. Cuique placuit pro aliena qualibet muliere; germanam in uxorem ducere. Cuique inlicita coniugia vos miseri non solum non honoratis; sed etiam invitos alios venerare conpellitis. Et quorum omnium miserabile exemplum. nunc quisque si imitari voluerit; non tantum reati poenam non incurrit; verum quodammodo cernitur omnium bonorum suorum facultates amitti. Carpasius respondit. Quare vos coartat per incantationes ars magica vestra talia ore proferre. et contra deorum nostrorum excellentiam ridiculosa verba ad modicum extollendo adnectere? cum corcula

vestra contra iunonis eminentiam nullos possint invenire casus per quos aliqua exprobrando nostra supercilia percellere seu vallare possitis? Tunc adlaetae christi respondentes dixerunt. De finito sermone carpasi. hoc quod tacite loquendo omisimus verecundia rerum. tu iterando detegere vis ignominiam deorum vestrorum. unde etiam silendum esse melius putamus; quam aliquid de sceleratissima iuno(ne) ad contaminationem nostri oris dicamus. cum ipsa in fraterno posita coniugio. maluit gloriam ex eo habere. Vis amplius ex deorum vestrorum qualitate audire carpasi? Carpasius respondit. Iam sufferre non valeo nec audire tantas ac tales in deos nostros allatas iniurias. sed accedite et tura eis imponite et sacrificate. forsitan remittet vobis iniurias quas contra eos proferre non timuistis. ut vel sic possitis nos et deos nostros habere placatos. Respondentes sancti dixerunt. Vos quidem habetis placatum belial illum callidum tartarucum; cuius operarii estis. ut ipse et vos cum diis vestris averni lares (1) in aeternum torquendo securos habeatis. Nos autem adoramus et sacrificamus domino nostro ihesu christo creatori caelorum atque terrarum. visibilium omnium et invisibilium rerum. Cuius nomen laudant. et benedicunt. et glorificant. et adorant omnes spiritus caelestium terrestrium et infernorum. Cui angeli famulantur. et debitas promunt laudes in arce polorum. Quem tremunt seva baratra. pavent mors orrida. a qua quicquid in orbe vivit consumitur. Ipse enim natus est ex maria virgine pro omnium redemptione populorum. temporibus octabiani imperatoris primi augusti (2). qui et ipse per quandam divinationem agnovit nasciturum fore christum et viam veritatis ac salutis in se credentibus per quam quisque possit celos scandere demonstraturum. Veniens ergo dei filius reliquid nobis exemplum. ut sequamur vestigia eius. qui peccatum non fecit nec dolus inventus est in ore eius. Qui cum malediceretur non remaledicebat. cum pateretur non cominabatur. Tradebat autem iudicanti se iniuste. qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum. ut peccatis mortui. iustitie vivamus. cuius libore (3) sanantur omnes qui renati fuerint per aquam et spiritum sanctum. et crediderint unum deum in trinitate manentem patrem et filium et spiritum sanctum; Ipse essentialiter esse deum. cui omnium scriptura prophetarum testimonium dicit. Qui passus sub pontio pilato. crucifixus. mortuus ac sepultus. descendit ad infernum tertia die resurrexit a mortuis. Ascendit ad caelos. sedet ad dexteram dei patris omnipotentis. inde venturus est iudicare vivos et mortuos. Pro cuius amore non solum flagellari et in carcerem mitti dignamur; verum etiam mori pro eo parati sumus; et pro nominis eius confessione. Quia ipse dominus ait. Qui me confessus fuerit coram hominibus confitebor et ego eum coram patre meo qui est in caelis. Ecce qualem colimus deum nos christiani et adoramus. Talem utique deum nos oportet venerari; eique sacrificare mundo corde et casto corpore; quia ipse est vera et digna atque immaculata hostia. quam cotidie immolamus. in spiritu humilitatis. et in animo contrito in odorem suavitatis domino. Caelebrantes itaque hanc hostiam; per quam fracta sunt tartarea vincula; et per quam patefacte sunt ianue caeli. in illa merentur regnare cum eo patria; ubi sunt certa et vera gaudia. Unde enim pater vester diabolus superbiendo cecidit. illuc se humiliando christicole ascendere merentur. ubi erit illorum deus omnia in omnibus qui cum patre et spiritu sancto vivit et regnat in secula saeculorum. (Amen).

Carpasius nimis stomachatus. et quasi turgidus et veneno plenus respondit. Cessate iam mihi ista verba loqui quia vana sunt; quoniam et ego nullomodo ea audire possum. et quod vobis preceptum est ocius facite. Credite mihi quia si non feceritis magnis et diversis poenis vos consummabo. Beatissimus urbanus respondit. Salvatoris nostri est ista

(1) Indecenter erat hic portas. melius habetur lares. Nam lar dicitur ignis. sive domus vel ignis domesticus. sive inhoneste passiones. Unde bene potest dici. ignis infernalis. Quodque non dubium est sanctos dixisse impiis potius secundum sensum quam iuxta verba. *Nota marginalis.*

(2) Octabianus forsan. idcirco scribitur. primus quiritum augustus. quia hoc nomen. idest. augustus senatus consultus legitur octaviano cesari primitus imposuisse; quem cum populus dominum vellet vocare. dixit. mortalis ego sum similis vobis. nolo me deum vocari. Unde magne discretionis dicitur extitisso. licet paganus. *Nota marginalis.*

(3) Libor quando per. b. scribitur. dicunt auctores significare invidiam vel odium. cum vero per. v. dicitur significari vulnus. ut hoc in loco. *Nota marginalis.*

responsio qui ait. Ne miseritis margaritas vestras ante porcos. et conculcent eas pedibus suis. et conversi elidant vos. O carpasi tyranne et pestifer adhuc tu non intellegis quod nihil timemus te. aut principem tuum; fac quod dicis noli cessare; quia recrastinatio vestra quasi fastidium nobis generat. Quare tardatis ministri diaboli; ac si timentes non expletis in nos perditionem vestram? Ecce enim deus adiuvat nos. et dominus susceptor est animarum nostrarum. Idcirco bonum est sperare in domino. quam sperare in principibus. Adtende maligne carpasi; quem erga nos tuus furor habeat locum. Nam minas tuas et terrores tuos pro nichilo computamus. sed tamquam fumum ac pulverem quem proicit ventus a faciae terrae. Denique ad nihilum ut ait propheta. deductus est in conspectu nostro malignus. Qui velud aqua decurrens intendit arcum suum donec infirmetur. Timentes autem dominum magnificat. et inquirentes non deficient omni bono. Item de te tibique similibus idem propheta dicit. Sicut deficit fumus deficiant; et sicut fluit cera a facie ignis. sic pereant peccatores a facie dei et iusti aepulentur. Quia reddet eis in ira vindictam et vastatione(m) in flamma ignis. Ideoque mors peccatorum pessima est. cum delentur e terra memoria eorum et cruciabuntur cum diabolo in saecula saeculorum. Carpasius respondit. Urbane vetule unde in te tam durissima responsio est; et ad excitandum animi furorem facillima atque promtissima ceterarum horum responsionum? Propterea precedere debes in abscisione capitis. quia caeteris es prelatus et longo senio maceratus dignus es morte. Et quia non es veritus coram nobis in deos nostros; iniqua promere verba ideo nullam in te habebimus clementiam. Respondit beatissimus papa urbanus et dixit. Quid moramini ministri satane? ac si verentes quod vobis preceptum est non adimpletis? Ego autem paratus sum pro nomine domini nostri ihesu christi universa tormentorum genera in corpore meo si fuerint illata sufferre. Utinam valuissem centies ob nominis eius confessionem mactari. Quia beati sunt qui persecutionem patiuntur propter iustitiam. His auditis carpasius menomachus (1) erine (2) perculsus. iussit sanctos et hac vice in carcere mitti. et evestigio currens cuncta quae dicta quaeque acta fuerant pellaci intimavit almachio. Qui demonico arreptus instinctu ilico precepit apparitoribus suis ad se eos deduci. Sedensque pro tribunali; advenientes sanctos sic. alloqui cepit. O impostores et pertinaces quousque sufferam vos audiens tanta de vobis? Accedite vel nunc et sacrificate diis; ut a me eripi valeatis. Alioquin; in marinis fluctibus iubeam vos precipites dari. aut certe minutatim chalibe scindi. Respondentes christi agonithete dixerunt. Universi qui adstant o sychophanta super te queunt ridere. verum que dicuntur adtende. Sepe namque haec quae fatemur sumus confessi. Age ergo nunc. et fac quod facturus es iam noli morari. Ecce nos in presentia tui sumus. quicquid tibi videtur exerce. Scimus quidem quod sanum intellectum non habes; sed tamen aliquomodo percipere debes quoniam minas tuas pro nichilo ducimus; et terrores tuos nequaquam timemus. quia corruptibilis es; et quasi fumus cito evanescere habebis. Ad haec tarquinius quidam nomine cognomento taurinus dixit ad prefectum. O prefecte nisi tu cum istis ad templum perrexeris, huiusmodi prophani diis nostris numquam sacrificabunt (3). Audiens turcius almachius hunc sermonem; surrexit de tribunali suo cum ingenti furore; et ad templum iovis simul cum sanctis ibat. ea videlicet ratione et intentione; ut si ipse cum eis abiret; posset christi martires ad consensum sacrificii inclinare. Sancti autem pergebant psallentes et dicentes. In via testimoniorum tuorum domine delectati sumus sicut in omnibus divitiis. Ad hubi (At ubi) pervenerunt ad locum qui vocatur pagus; compellebantur sancti ab almachio prefecto ut tura diis imponerent. Christi vero adlaetae deridebant eum et dicebant. Omni squalore peccati plene atque inmunditia fili diaboli. operarius iniquitatis. putas nos humiliari; ut adoremus ydola vana. muta et surda. que tu venenifer

(1) Menomachus dicitur. qui est litis amator. vel querellator. sive causarius et ponitur pro nequam ubique. *Nota marginalis.*

(2) Erinis autem vocatur furia vel ira magna. et est hic ablativus casus. Erine. dicimus enim perculsus animo. sicut dicimus percusso corpore. Nam erinis nomen est feminini generis tertie declinationis. quod similem habet nominativum genitivo. Ut hec erinis. huius erinis. huic erini. hanc erinem. o erinis. ab hac erine.

(3) Sacrifico verbum. trait formulam dativi casus. ut in psalmo. Voluntarie sacrificabo tibi. *Nota marginalis.*

adoras et veneraris? Insipiens es et vanus et cecus. quia non vides paenitus nec ipsa ydola (1) quomodo non loquuntur? Stulte perqu're ab eis forsitan dabit tibi aliquod responsum? Nequaquam loqui valent quia muta sunt; nec videre quia ceca sunt; nec audire quia surda sunt; nec adorare quia spiraculum vitae non habent. Et quidem nec palpare valent. nec ambulare. quia lapides marmorei sunt et insensibiles naturae. Qui si resoluti fuissent per ignem; melius de calce illorum fierent menia civitatis vel edificii alicuius. quoniam nunc nullum opus habent et maxime ubi ordinati cum magno labore a vobis fuerint ipsi lapides impediuntur loca in quibus alia aliqua res melius effici vel poni poterant. Nimis turcius iratus almachius; iussit eos verberibus affici. Dum vero cederentur dixerunt ad almachium. Crudelis factus es nimis almachi! quia veritatem audiri non potuisti. et estimasti nos immolare ydolis concavatis. et sordidis veluti tu. Quando enim haec tu poteris facere; tunc fiet caelum deorsum. et terra sursum; et liquida erit versa in aridam. eademque arida in liquida convertentur. Sed quia haec quae diximus helementa caret omnino aliud esse preter quod est. et nos itidem caremus alterum esse vel fieri; quam quod animo sumus. Quia quod sumus in prosperis; idem ipsi sumus in adversis. Impiissime reminiscere; quod quales invenisti nos in prima interrogatione; tales in ceteris examinationibus increpantes superstitionem tuam. Unde si cognoscere vis creatorem tuum; pandimus tibi censuram veritatis et normam iustitiae; ut recto tramite ad poenitentiam percurras de sanguine sanctorum quem nesciendo deum. iniuste fudisti; agnoscendo eum qui causa illorum sanguinis extitit. possis digne ab idolorum inmunditiis mentem revocare. Prefectus dixit. Nolite mihi per varia quaeque deleramenta percutere. quia nec audire possum quod dicitis. sed accedite et sacrificate. et abite securi. Tunc sanctissimus papa urbanus expansis manibus erectisque ad caelum oculis oravit ad dominum et dixit. Rex inmense deus ex quo omnia. et in quo quicquid spem et fiduciam habet. te laudant sydera et arva. mare tellusque. Te laudant universae creaturae tuae. tibique obediunt; quia in sapientia hoc est in filio tuo et spiritu sancto cuncta fecisti ex nichilo. Deus trine et inseparabilis. (une et incomparabilis.) trinus manens in unitate et unus in trinitate; qui sine fine regnas et dominaris omne per aevum. tibi famulantur titan et cynthia. lux et tenebrae. pliadaeque in polo firmate. Summus enim es artifex. et memoria tua incomparabilis est omnium angelorum. Qui celum in intellectu tanta subtilitate fecisti. Qui terram ineffabiliter super lympham fundasti; qui altitudinem caeli. et latitudinem terrae solus dimensus es. Tu inquam solus corda hominum nosti; quia nec ignarus es profunditatis abyssi (2). Deprecamur ergo te altissime rex creator et gubernator omnium rerum; protege nos famulos tuos. ne umquam offendant ad lapidem pedes nostros. quia ad te levavimus oculos nostros qui habitas in caelo. donec miserearis nostri. Et facta oratione respiciens beatissimus urbanus ad statunculum iovis. dixit altisona voce. Destruat te virtus domini nostri ihesu christi. et repente cecidit symulacrum. parsque fani sinistra. et oppressit de sacerdotibus ydolorum. numero. viginti et duo; qui etiam tunc ministrabant ignem sacrificii.

Ingens itaque tremor invasit prefectum almachium. et residuos qui cum eo fugerant a sonitu ruinae; et reversi sunt ad urbem in palatium vespasiani. cogitantes quomodo sanctos martyres necarent. et cum nimis fatigarentur universi; iussit sibi tribunal in sequenti nocte parari. Factum est autem ut ad nocturnam examinationem morti sanctos addicerent; quia quasi non habebant vitam in sermonibus sapientiae et respon(s)is eorum. Tunc almachius precaepit sanctos venire ad se cum flagris et contumeliis. Illi quidem venientes veniebant cum exultatione ferentes manipulos bonorum operum. palmamque perpetuae vite. Aspiciensque prefectus almachius. exultantes sanctos ac dicentes. Bonum est confiteri domino. et psallere nomini tuo altissime. Indignatus ad eos sic orsus est loqui. Quousque ars magica vestra coartat vos talia perpetrare; ut simulacrum antiquitatis corruere fecissetis; et insuper sacerdotes deorum nostro-

(1) Idos grece. latine forma. Idolum formula diminutivum. et neutri generis est hoc idolum singulariter et pluraliter hec idola. *Nota marginalis.*

(2) Abyssus grecum est. et per y grecum debet scribi. *Nota marginalis.*

rum gravi ruina peremissetis? Nunquid poteritis evadere de manibus meis; aut putatis quod liberet vos nazarenus ille quem colitis? sed accedite nunc et sacrificate; ut hoc infandum piaculum valeamus vel sic vobis dimittere. Tyrones christi cum magna constantia dixerunt. O canis molosse quare dilanias te ipsum dentibus diris? Nam quia nomen sanctum non timuisti inconsulte appetere; nequaquam poteris evadere aeterna incendia at(ad) quae subito eris venturus, et merito ibi arsurus. Quoniam non obedisti voci nostrae. veniet tibi sevissima nex. Nobis autem preparatum est aeternum gaudium. cuius tu infelix particeps non eris. Nos magis eligimus mori ob salvatoris nostri amorem; quam vivere ob promissa vestri imperatoris. Potens est deus noster salvare nos; idcirco nec te timemus. nec minas tuas formidamus. Tunc prefectus almachius iussit extendi in terra beatos martyres christi ut fortiter cederentur. Cum autem fustigati diutius essent; gratias deo referebant dicentes. Gloria tibi altissime rex domine ihesu christe qui dignos nos fecisti propter nomen tuum viriliter agonizare. fac nos quesumus ad victoriae usque pervenire coronam. Haec et his similia dicentes beati martyres cum orarent; unus ex diaconibus nomine lucianus; erectis ad caelum oculis emisit spiritum. Surgentes autem sancti a terra nimis lacerati; cepit exortari eos sanctus urbanus et dicere. O devotissimi christi adlaete. et sanctissimi dei certatores. nolite formidare lupos sevientes qui citius velut umbra transeunt. Mementote (1) verba domini in evangelio dicentis. Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum. Et hoc adtendentes. Estote fortes et invincibiles pro nominis christi confessione et viriliter preliantes coronas martirii dignas accipiamus. Et quidem novimus karissimi quia nemo coronabitur nisi qui legitime certaverit. In agone enim passionis constituti. ita purgamur ab inimicis nostris per diversorum genera tormentorum. ut in eius theca recondi possimus. In qua nichil inmundum. nichil sordidum. nichil cenolentum invenitur. aut reponitur. sed quod est omnium puritatum mundissimum. omniumque bonorum aptissimum. omniumque claritatum lucidissimum; universorumque morum iustissimum. Unde dilectissimi nichil cogitantes de sarcina huius mundi; pro creatoris nostri amore. terrenum non trepidemus timorem. Responderunt sancti et dixerunt ad beatum urbanum. Sanctissime pater ora pro nobis ad dominum. quatenus custodiat nos in calce nostri examinis. qui dignatus est ab ineunte custodire aetate; atque tecum nos pertingere faciat ad coronam. qui permisit actenus quasi probae pecudes sub tua persistere iussione. pro cuius nempe amore mori tecum parati sumus potius quam vivere; ut tecum gaudere in regno eius pariter mereamur. suffragante ipso domino qui pro nobis sanguinem suum fudit. atque viam nobis patefecit salutis. Psallebant igitur tota nocte illa ac in dei laudibus permanebant cantantes et dicentes. Respice in servos tuos et in opera tua domine dirige nos. et opera manuum tuarum domine ne despicias. At ubi tenebre cessere lumini; et lux diei in mane prorupit; ceperunt sancti clamare adversus gentiles et dicere. Precepta principum vestrorum et vestra omnimodo pro nichilo ducimus. ecce nos parati sumus sufferre quicquid intuleritis pro nomine salvatoris nostri ihesu christi nichil paventes. tantum facite quantum potestis. Ad haec almachius nimis iratus precepit satellitibus suis; ut cum plumbatis et scorpionibus cederent sanctos. quod et factum est. Et iussit erigi eos a terra. Dicens. Iussa imperatorum spernere nolite. Tum sancti dei gaudentes dicebant.

Christe patris verbum reverendum numen et altum;
  Tellus cuncta viget quo polus atque manet.
Solus stellarum memor es gnarusque dierum.
  Tempora qui cernis nostraque cuncta regis.
Rerum natura primum quamque creata.
  In te vivebat atque penes fuerat;
Ether quam pulchra per te quoque lympha benigne;
  Conditus atque rogus extat et omne deus;
Dans veniam nostra. clare dimitte piacla;
  Custodi famulos nosmet ubique tuos.
Quesumus excelsi tribuas regnator olympi;
  Nobis suffragia laus detur ut varia.

Oramus te domine ihesu christe oramus ut mittere digneris sanctum angelum tuum qui nos corroboret in tribulationibus quae invenerunt nos ni-

(1) Memento verbum def. neutrum. Trait genitivum casum. Ut memento verbi tui. Et memento domine david. Similiter Reminiscor. Recordor. Obliviscor. Et aliquando accusativum. *Nota marginalis.*

mis. Ut non timeamus dum conturbabitur terra; quia tu es adiutor in oportunitatibus in tribulatione. in te enim speravimus domine. quia cognovimus nomen tuum. Dirigatur oratio nostra ad te velut incensum quod offerre consuevimus in conspectu tuo. Abscis(s)io capitis nostri quae imminet ut fiat oramus ad te sacrificium vespertinum. Et maneat iuxta verbum quod promisisti nobis in aevangelio inquiens. Gaudete ergo quod nomina vestra scripta sunt in caelo. Da nobis auxilium domine; ut adimplere valeamus quod iussisti; et dum premissa expleverant verba; finem orationi imponere curaverunt. Et ecce ministri diaboli iactaverunt corpus beatissimi luciani per tribunal quod erat iuxta currum iam mortuum. Sancti quoque poenitus non audebant contingere eum. Quoniam quidem error paganorum talis erat; ut quicumque ex christianis per apertu(m) martyrium obiret nullus ausus esset neque gentilis neque christianus eum tradere sepulturae. sed canibus relinquebatur. Ob hoc scilicet ut ceteri metum haberent. Et maxime causam hanc emulantes dicebant; ne forte christiani propter enucleatum. quem peregisset agonis triumphum in adiutorium sui erroris dicant martyrem illum extitisse. Ideoque verens inmania gentilium(;) flagra(ns) quidam venerabilis fortunatus presbiter nocte veniens tulit corpus beatissimi luciani diaconi. et sepelivit eum in cripta in cimiterio pretextati. XV. Kalendas iunias. Postea vero sepultus est cum aliis sanctis ut inferius legitur.

Igitur turcius prefectus almachius precipiens cum summa velocitate apparitoribus suis; ut sanctissimum papam urbanum cum clero suo ad templum diane sacrificandi causa deduceretur. Quod si sacrificare repellerent; capitalem protinus acciperent sententiam. Quis enim digne exprimat prout expedit ternas quaternasque discussiones vel examinationes sanctorum gloriosorum martyrum quibus preiudicati a tyrannis fuere; quanta quantaque famina pulchra ad confusione(m) sevi iudicis protulere eiusdemque diras interrogationes. sanctorumque condignas responsiones; carpasianumque vicarium quomodo confutarunt; et ipsi quod iterationibus ab eodem vicario sunt verberati. et in carcere retrusi? Denique ad hec promenda sufficeret. nemo prudens utcumque. verum demosthenes ille qui quondam eloquentiae dogmate. viguit nimis in attico orbe; si adesset nec omni modo exprimere valuisset. Nos nimirum pleni fide. sensum potius arbitramus querendum esse quam verba. Quoniam quidem fides nostra non in oratoribus sed in piscatoribus primo extare tempore cepit. Sane ut nec cuiquam honerosum videatur esse hoc opus; eorumdem suffulti precibus sanctorum qualiter ad syderea regna migrarunt; succincte dicamus. ac ne flacce sit sermo pendendus; et alicui ingratus existat. Quod si acciderit; fatemur comiter syrenarum mortiferos melos preterire auribus surdis.

Tunc carpasius vicarius dixit ad almachium prefectum. Per clementiam vestram o iudex nisi isti magi celerrime extincti fuerint; omnium mentes alienabunt. Ecce enim nos qui ante vestram adstamus presentiam; quomodo mutati simus mente nescimus; et quia dum vacillat sensus noster per multa extenditur quasi aliena loquimur nesciendo. Ad haec iratus almachius respondit. Videte ne ullam faciatis moram. si non sacrificaverint amputandi eorum capita; quia vera est omnino assertio vestra. Etenim quicquid in nos et deos nostros furiose iniecerunt patienter sustinuimus. Unde non fuerat nefas. si nostra providentia absque dilatione. vel interrogatione eos puniret. En et ego in ira amens effectus sum. constat me minime ita fuisse; si ab initio nostre inquisitionis ultus extitissem in eos. Administri diaboli adprehendentes eos cum furore nimio; duxerunt illos ad fanum dianae quod erat iuxta pagum. Sancti autem ibant gaudentes a conspectu concilii quoniam digni (h)abiti sunt dicentes. Gratias agimus tibi o domine ihesu. quod inventi simus digni. pro nomine tuo contumelias pati. Sanctissimus autem papa urbanus corroborabat eos in domino dicens. Fratres mei dilectissimi usque nunc sicut optimi milites bellavimus pro fide nominis christi. En ipse dominus nos pariter vocans. venite inquid ad me omnes qui laboratis et honerati estis et ego reficiam vos. O filii karissimi vidimus eum usque in presens quasi speculum in enigmate. prope est ut videamus illum facie ad faciem. ut cum eo regnemus qui proprio filio suo non pepercit. sed pro nobis omnibus tradidit illum. O benignissimi certatores christi quam pulchra sunt tabernacula eius ubi nos

concupivimus saltim una habitare die. qui erimus ibi semper mansuri et numquam exituri. et in qua sumus visuri deum deorum in saecula seculorum. His et aliis verbis ammonebat eos sanctus papa urbanus. ut nichil timentes coronas acciperent destinatas. Sancti vero martyres ambulantes dicebant ei. Melius est nobis ut tecum feliciter moriamur; quam in hoc mortali seculo aliquo modo vivamus. Et parvos post tempore morituri; et tunc demum in exitialibus herebi tormentis cruciaturi. Scimus nos benignissime pater quia inmortale nichil mundi compage tenetur. et idcirco congruum aptumque est pro creatoris mori amore. quia ipse concedit omnino vitam meliorem. Propterea nichil creaturarum nos prepediat in eius amore; quia securitatem ipse donat absque timore. Novimus sanctissime pater patrum. quid sancta dicat scriptura. qui timet non est perfectus in caritate. Et quod salvator noster in evangelio dicit. Si quis vult post me venire abneget seipsum; et tollat crucem suam et sequatur me. Presertim nos quibus datum est nosse mysterium dei et regnum eius; quid aliud facere debemus nisi sponte nosmetipsos ad passionem tradere mortis; et ultroneos tenentibus gladios. nos iugulandos offerre. Susceptor namque noster christus deus. illos vocare dignatus est amicos qui eius venerantur precepta. Vos itaque amici mei estis ait dominus. si feceritis quae ego precipio vobis. O quam execranda actio esset; et certe dolenda. si potius assentiremus diabolo qui mergit in infernum; quam deo omnium creatori qui nos invitat ad caelum. Carius ergo nobis sit illum sequi qui sublevat ad regna polorum; quam eum qui conatur evertere in ignem infernorum. Ideo verus noster diligendus est amicus. cuius presidium ante mortem et post mortem nos comitetur. Ideo enim dicitur redemptor noster; quia redemit nos a captivitate diaboli. Salvator autem. quia ipse nos salvavit qui est vera salus. Haec ubi audiens sanctus urbanus gratias agens deo et dixit. Ecce quod desiderabimus iam perspicimus. quod semper optavimus iam tenemus. Fragilis vitae transacto obstaculo suffragante christo succedant perpetua meritorum premia. quod ipse prestare dignetur. qui pro nobis omnibusque credentibus in se; in patibulo crucis pependit. cum aeterno patre vivens ac regnans una cum flamine sancto. per infinita tempora saecli. Responderunt sancti voce clara. et dixerunt amen. Qui dum ducti fuissent ad templum dianae. et cohartabantur ab eis ut idolis immolarent; caeperunt sancti clamare ac dicere. Unus est deus creator omnium visibilium et invisibilium; et preter ipsum non est alius. ipsi soli sacrificamus nos. quem veneratur et laudat in trinitate intellectualis spiritus omnis. Et non solum inrationalis sed et insensibilis cuncta materies mundi. Ipsi mactamus hostiam corde pariterque corpore vivam. Spuentes vero sancti in figmenta eorum dicebant. Maledicti omnes qui non adorant dominum genitorem omnis naturae. utique illum cuius verbo firmati sunt caeli. Maledicti qui spem animae suae in idolis ponunt. Ad haec apparitores diaboli nimis irati; eduxerunt eos e templo et stantes dixerunt. Ecce miserrimi finis vester hodie advenit. quia contempsistis precepta divorum imperatorum. et vos cum sitis iuvenes et decori simul cum seniore isto non aufugitis mori urbano. Responderunt sancti et dixerunt. Utinam ad talem vos valuissetis adtingere necem; qui estis omni hora involuti fece adorantes demonia quae vos torquere habent sine fine. Tunc beatissimus papa urbanus extensis ulnis erectisque ad caelum oculis talia dixit. Rex angelorum deus qui et sanctorum. suscipe in hac hora animas nostras. et ne confundamur dum ad te properamus. sed annumera has inter sanctarum agmina animarum tibi placentium in vitam aeternam. Et cum haec dixisset respondentibus cunctis amen. et dicentibus. Fiat domine saecundum verba patris nostri urbani. ut laudemus nomen tuum in saecula saeculorum. Tunc sancti invicem sibi dantes oscula pacis. et munientes frontes suas vexillo crucis christi. flectentesque genua et gratias deo referentes agebant (aiebant) ad carnifices. Quid agitis? sursum extendite manus opus perficite ceptum. Adsunt angeli sancti qui nostras recipient animas in regno ut collocet eas polorum. et ut gaudeant pariter cum agminibus angelorum. et videant regem regum in saecula saeculorum. Postremo sancti martires quasi una voce hunc versum dixerunt. Suscipe nos domine saecundum verbum tuum et vivamus. Haec ubi dicta dederunt sancti. decollati sunt pro nomine domini nostri ihesu christi tertio decimo kalendas iunias. Quorum corpora ia-

cuerunt ante templum dianae diebus quinque. Ad hubi (At ubi) cognoverunt quidam ex christiana et orthodoxa fide quod sancti fortiter agonizantes testimonium christi suscipere meruissent. Venerunt nocte cum tribunis his faviano videlicet calixto atque ammonio. et tulerunt corpora sanctorum; et humaverunt eas in cymiterio pretextati. Corpus denique sancti urbani pape ibidem in superiori cenaculo condierunt cantantes et funerea exequia psallentes domino persolvebant.

Pag. 236 — In nomine domini inchoat quidam cuiusdam.

Sciendum dilectissimi est plures beatorum martyrum bellicosorum insignes victorias; et gloriosissimas passiones; eorumque invicta certamina; conatos fuisse disserere; atque ne traderentur oblivioni. illorum imitabiles actus; et agonismata fortia nimis; ac memoranda acerrimosque conflictus praeliaque ingentia quibus cosmum eius qui illecebras incentivasque ac aevitandas lascivias omnibus cum flaccidis et cum diligentibus se confutarunt. qualicumque stilo posterorum memoriae. commendare extitisse auctores constant diversos. Qui vel videntes vel audientes militum christi contra tyrannos. in dictis et actibus constantiam fine tenus perficiendam. nec non invincibilem atque insuperabilem potissime predicationis. valideque passionis vigorem. quatenus nos sequentes ad prestantiorem vitam reformaremur helementis quibusdam sulcare curarunt. Quorum tamen alii pleni fide. sed dogmatum christi, suaeque felicis aecclesiae paenitus ignari. inregulariter quasdam quantum ad litteratoriam disciplinam adtinere videntur passiones exarantes composuere.

Quidam vero eorum doctrinarum christi ubertate affatim farti. divinarum theosebia scripturarum decenter elimati. probis moribus praediti saecularium. Nichilominus scientia tam rutilorum quam argivorum opto elucidati conscii vere religionis. omnique eloquentiae documento disserti. totiusque ut sic fateamur. rudimentis pollentes facundiae. et divinitus afflati eorum quosdam triumphos. nobilesque victoriae palmas sive visu sive auditu indagantes exarare studuerunt. Quasdam namque earum aut cunctarum extat forem ambrosianas pro nimio loquacitatis nectare miroque disputationis sermone quo venuste poenes omnium aures tonare cernuntur. Nonnullas vero aeditas correptasve fuisse a cunctorum haebrayce veritatis maximo optimoque interprete hieronimo sancto. que tanto locutionis magisterio pollere conspiciuntur. Ut inter deicolarum conciones legi venustissime queant. atque auditus universorum delectetur imperitissimo ornatoque omni genere orationis eiusdem tractatu. Plereque enim noscuntur extitisse a romuleae sedis sanctae apostolicae praesule damaso almo expositas dogmate renitenti. Prudentium quoque poetam veridicum. et dissertorem eximium opinamen diversas digessisse illarum. compta tamen expositione nimiumque decora. Denique numerosi et alii fuere auctores quorum facundo aptandi ingenio christi testium pathos. Actusque confessorum piorum tota rationabilitate cluentes. nobis ad odas christi promendum. sanctorumque memoriam venerandam. nostramque conversationem in melius percellendam traditi extant.

Notandum interea est. quoniam quidam parthenopenses duo viris at docti et eruditi. iohannes videlicet et Petrus fuere ut fertur tempore uno. quos aecclesiae dei fulgere dedit leviticus ordo qui percipientes sese divinae. ac mundanae sophiae notitia concessa sibi ab omnium domino factim vigere. sicque spirituali intellectu in timore dei fruentes. et provocati amore sanctorum ac quorumdam fratrum coacti precibus inevitandis multas ex eis noviter explicare non neglexere. quae a minus disciplinatis digestae sunt viris.

Igitur autumantes illas ridiculas qui repatrare. si legeretur. ita extra ordinariae inter fidelium cetus dirimentes resecarunt ab aliquibus earum quedam inepta seu incongrua. et idonea ac rationabilia adnectentes indiderunt veritatem hystoriae cum famine fauste dissertionis. Quique etiam heroicis interdum exametris. interdum elegiacis pentametris mellificare poematibus maluerunt. ut in una eademque passione aliter scius aliter adverteret inscius. Verum hi qui quamplures passiones christi agonistarum. nisi sint certatim corrigere confligentium vasto audacique precinctu in fidei persecutione contra leviathan voratorem valde scaelestum. plurimosque actus heroum eidem

sub pace consistentium acriter. utrorumque confutantium illum iuvamine idithum summi liberatoris. et licet divi tonantis amminiculo freti valuerunt agere id; hanc tamen pape almifici passione urbani. eiusque collegarum eos forte subripiente finis supremus inemendatam cretis reliquisse. Quam procul dubio de illis unam et maxime per temporum prolixa curricula vitio depravata scriptorum esse asserimus. quae ab insulsis et rudis. sed religiosis auctoribus suspicantur fuisse aptate. neque enim illud tempus aliquem nostrum fervente paganorum immanitate describere in eruditione sinebat. Unde erant quidam bella invicta sanctorum gliscentes memorabilia esse. ut quiverant historias eorum grammatibus adnotabant. Nos itaque horum speciali ducti affectu sacrorum. eosque devote venerantium inportuno rogatu sumpsimus hanc corrigendam depresimusque ab ea quicquid mendacii utebatur per genera et casus. et inseruimus utiliora quaedam et convenientia intellectui potiori. Tandem flagitandum si quem offendit correptio haec acta. utcunque ut si qui velint eam legendam linquat et nobiscum servet karitatis iura intemerata. Sciatque obtrectantibus horrendum ayden parari. et bene patrantibus a deo floriferum eden polumque optandum.

EXPLICIT PROLOGUS. INCIPIUNT VERSOS PRECIS AD SANCTOS FACIENDAE.

Laudibus o cunctis nimium celebraris in ista.
Urbane clara; urbe beate papa
Te petimus sociosque tuos sanctissime sacros.
Ut precis sit propria. Dante deo venia.
Praeteritae culpae nobis oratio gesta;
Omne fedus vestra. abluat eximia.
Quod colimus festum devote vos miseratum.
Reddatis christum; quesumus egregium.
Stemgmate regnare gratulamur in arce tornante.
Quod solvat nexus; criminis altithronus.
Exercete deum. rogitamus rite placatum.
Est cruor effusus. cuius amore pius.
Multum concessit vobis. sibi quod sociavit.
Martyriii serto; Angelico numero.
Poscimus indigni per vos a sorde piati.
Vel careat quisque Stigmatibus variae.
Coelica si nobis non dantur gaudia sancta.
Vestris tunc christus; Propitius precibus.
Liberet a poenis saltim nos quem rogitamus;
Nec nobis tribuat; Vincula tartarea.
Reddamus laudes domino quo iure perhennes.
Atque suis sanctis. Martyribusque piis.

Pag. 255 — VITA S. ANASTASII.

Beatus itaque anastasius de quadam regione persidis quae zarech nuncupatur de villa videlicet rasmuni extitit oriundus. proprium quoque nomen eius magundag primum fuit. Filius vero cuiusdam magi nomine bau. qui et eum a crepundiis magicam disciplinam instituisse dinoscitur. Regnante igitur chosroae imperiali persarum civitate. hunc effectum iam iuvenem tyronicae professioni contigit affuisse. Verum propter dei iudicium. nostris exigentibus commissis maturato sancta dei civitas ab hostibus est capta. Venerabilia quoque sanctorum loca ibidem intersita miserabiliter sunt igne cremata. Pretiosissimum etiam vivifice crucis lignum delatum est in persidem. Huius itaque fama eandem provinciam passim pervolante. ante dictus tyro magundag. qui huiusmodi rumor perstreperet sollicite disquirebat. Audito itaque quod christianorum deus illo advenisset. ille continuo non secus ac gratissima tellus exhausta pluvia confovendis seminibus christiane institutioni coaptatur. et divinae excellentiae nomen auditu percipiens. (quemadmodum) secreto sui pectoris latibulo recondebat. Sed cum ipse cunctabundus apud se convolveret quomodo illocalis deus et invisibilis illuc isse crederetur. quibusdam interrogatis salvivificae crucis lignum in quo dei filius ihesus christus pependerat. illuc venisse comperit. Et exinde huiusmodi causa stupidatus. rimari de christianismo penitus non cessabat. et quo magis auditu veritatem perceptabat (eo magis de eius corde magicum proludium discedebat. Sicut) enim lux tenebras. sol umbras. ignis fumum effugat. ita dogma veritatis sinuosum errorem in eius pectore annichilabat. Sed ut quod instat prosequamur. Erat quidam illi germanus commilito saim scilicet persicae militiae principiis subiugatus. Quo cum exercitu calcedonam abeunte philippicus deicola cum magna manu suorum ingressus est persidem. Quo audito dux saim. retrogrado tramite repedavit. Interea magundag qui et paulo post anastasius cum persarum acie in orien-

tales plagas contigit remeasse. et exinde tyrocinio et germano postpositis. ingressus gerapolim apud quendam christicolam argentarium fabrum eundemque persam. ibidem mansitavit. Ei quoque arti et operi cum eo desudabat. Exhuberante igitur in eius pectore future illuminationis ardore. praefatum artificem ut almi baptismatis latice perfundi mereretur subnixis rogaminibus exposcebat. Quod licet ille persarum timore abnueret iste tamen impigro comitatu aecclesias cum eo oraturus adibat. Triumphales quoque martyrum picturas suspiciens. quid ipse pretenderent illum interrogabat. Addiscens itaque sanctorum miracula. et inestimabilia a barbariae tyrannorum ingesta cruciamina. illorum sufferentiam hominem supergressam stupidus mirabatur. Cum igitur ibidem pauxillum temporis degisset eundi ierusolimam ut ibi baptizaretur quod postea fine tenus deo favente perduxit immenso desiderio. medullitus exarsit. Cum igitur illo usque citato itinere pervenisset. apud quemdam christianum similiter argentarium fabrum illic esset hospitatus. Cui quicquid affectaret animo. quod scilicet christianus desideraret fieri. et salutari lavacro vellet regenerari. intrepido affatu fidelissime propalavit. Ab ipso itaque est perductus ad heliam venerabilissimum sanctae resurrectionis presbyterum. qui et eum non aliter quam a deo destinatum sibi filium suscepit. et ea quae erga eum erant modesto sanctissimo presbytero pontificali sedis dignitate tunc temporis sublimato notificavit. Hic igitur cum altero eiusdem provinciae et regionis viro iussit eum baptizari qui et ipse pro christo in edessa civitate ad martyrii palmam pertingere meruit. Beatus vero anastasius qui et pridem magundag cum apud praefatum heliam probabilem presbyterum octo dies suae illuminationis gratia moraretur. et ab eo quid deinceps agere disponeret inquireretur. continuis precibus ut se monachum faceret illum deprecabatur. Octavo igitur die evoluto sanctus helias sacerdos perduxit eum ad sancti anastasii monasterium. a sancta quidem civitate quattuor ferme stadiorum intercapedine direptum. Huiusque monasterii abbatem iustinum scilicet in omnibus. preclarum. et dei omnipotentis gratia refertum. ut eum fraterno aggregaret collegio admodum rogitavit. Ille igitur presbyteri heliae rogatibus adquiescens. suae congregationi illum attitulavit. octava videlicet indictione. piissimo regnante eraclio. anno eiusdem imperii decimo. Unum quoque de suis discipulis divinae scilicet scripturae apicibus elimatum eidem instruendo assignavit. qui eum tam greca elementa quam etiam psalterium luculente instruxit.

Eius quoque ut graeciae est consuetudinis attondens capellitium nec non et habitum induens monachicum. non secus ac proprium filium sustentabat. O cuncti creatoris insperabilem clementiam. et quaecumque decreverit agendi potentissimam. qui diversiformem magum mutavit in monachum. et te mortuo magundag suscitavit anastasium. Denique beatus anastasius suam resurrectionem praetendit in nomine. quam e magicis ereptus volutabris meruit christi munere. Anastasius nanque in latino resurrectionem sonat. Ille igitur suppetente dei gratia diversis ministeriis tam videlicet culinae quam horti vel etiam quorumcunque iniunctis in monasterio assidue fungebatur. Tante quippe efficacitatis erat. ut obsequio fratrum et laboribus manuum insisteret. et in divini ministerii regulam caeteros anteiret. Sacrae vero scripturae adeo studiosus erat. ut quaecumque intellectu attingere nequiret. vel suum magistrum vel anteriores interrogaret fratres.

Quando autem victoriales martyrum agones ut specialius assueverat. in propria cellula apud se relegebat. oborsis affatim lacrimis faciem humectebat. et dominum ihesum christum ut se illorum consortio quandoque adiungeret in antro sui pectoris. sine interstitio suppliciter exposcebat.

Sed cum ut praediximus eorum in dalmata contueretur. et inflexibilem in tormentis patientiam miraretur. nichilque aliud paene legendo convolveret nisi quod eius animum ad huiusmodi gloriam inflammaret; quod intrinsecus concupisceret forinsecus reseravit. In eodem autem monasterio talia prosequendo septennium evolvit. Verum antiquissimus draco illum quidem in christi dilectione tantum atque taliter se fundasse gravipendens; nefarios ei cogitatus, et magicorum quos a profano patre didicerat sermonum memoriam callide suggerebat. Ille autem huius modi temptamentis valde affligebatur. et cognita serpentis astutia, omnipotentem deum quatinus sua prosperaret instanter precabatur. Fidissime quoque abbati omnia sui

pectoris latibula retegebat. et ut pro sui ereptione ad deum preces funderet lacrimans rogitabat. Venerabilis vero abbas sacris eum monitis convalidans; et aggregatis fratribus domini auxilium pro illo expostulans; huiuscemodi pugnam prorsus annichilavit. Perpaucis denique diebus evolutis; anastasius dei famulus tali visione meruit consolari. Videtur itaque ei in cuiusdam montis cacumine seipsum consistere. et quendam aureum gemmatumque cratera porrigentem, quatinus accipiens biberet sibi dicere. Quem ut sibi visum est exhausisse; tanta alacritate cordis est irradiatus; velut si omne desiderium fuisset consecutus. Statim itaque exurgens; scilicet die, nocturnum psallentium regulariter impleturus; oratorium cum ceteris fratribus est ingressus. Et summovens abbatem in penitiorem secretarii locum; provolutis genibus lacrimans exposcebat. ut pro se in proximo iam iamque morituro, dominum exoraret. Talibusque dictis eum alloquebatur. Satis mi pater recolo quantum in me fatigii miserrimo perpessus fueris. et quantis tribulationibus te fastidieris; et quod te duce de tenebris ad lucem me christus transtulerit. Sed ut bene incepta melius perficias; te nimium deprecor ut pro me deum poscas. Ad haec abbas. Quid est frater quod sic te inquietat? vel unde istis diebus te esse moriturum. sive communi morte; sive quomodolibet; magis ac magis eum certificabat. Multimodis igitur solaciis et monitis oblatis roboratus; sequentia psalmodiae cum fratribus implevit. et post haec sacri corporis et sanguinis domini libamina percepit. ac deinde cum fratribus cibo potuque refectus; pauxillum sopori suos artus applicuit. Cum igitur evigilasset; internum sui pectoris ardorem non sustinens; clanculo de eodem monasterio abscessit. Et nichil secum devehens excepto indumento, diospolim abiit. et exinde in montem garizin; et in reliqua sanctorum quae ibi interiacent venerabilia loca; oraturus advenit. Hinc quoque divina preductrice gratia palestinae cesarea devenisse contigit. et ibi in aecclesia sanctae dei genetricis semper virginis mariae duos dies permansit. Interea disponente pie ac sapienter dei providentia, ad sanctae eufimiae orationis causa aecclesiam profectus in quadam domuncula magos quosdam persas magicae operantes transeundo prospexit. Divino itaque zelo permotus ad eos divertens; taliter est orsus. Heu miseri. quid erratis et aliis similiter errorem suggeritis? Illi vero huiusmodi preloquentis audacia stupidati; quis vel unde esset eum interrogarunt. Quibus ipse talia increpando subiunxit; ego sicut et vos erravi aliquando. vestre quoque vanitatis maleficia non ignoro. Illi igitur ommutescentes; et eum quorsum vellet abire dimittentes; ne cui propalaret quae in ipsis cognoverat tremebundi rogitarunt. Cum igitur ab eis paululum discessisset; quidam equites qui sedebant ad dervas quod erat sellarii pretorium videntes eum; invicem susurrabant esse exploratorem. Beatus vero anastasius huius modi audiens invicem colloquentes taliter est eos affatus. Quid inter vos verba confertis? ego minime explorator. sed ihesu christi sum servus. et vobis melior. Et ut vos estis modo, fui eques aliquando. Insurgentes itaque apprehenderunt eum. Superveniens vero sellarius, unde vel quis esset eum interrogavit; et omnia quae circa eum erant curiose rimatus. eum tribus diebus custodiri praecepit. Regresso autem praeside marzabana. aberat enim quando tentus est sanctus anastasius. praedictus sellarius dei famuli causam illi notificavit. Deinde marzabanas in suum pretorium eum deduci praecepit. Interea marzabana aliis sollicitato. quidam vir christianissimus et sancto anastasio cognitus ibidem inventus est. In praefata namque dei genitricis aecclesia se dudum cognitaverant. Iste igitur beatum anastasium alloquens. et omnia quae ei insistebant plenissime addiscens de bono initio eum glorificabat. et ut hoc calce tenus perduceret divinis hortaminibus monitabat. et ut cruciamina vel mortem quae pro christi nomine inferretur. nequaquam metueret. sed impio marzabanae fiducialiter responderet. et hoc quidem creberrimo repetitu salutare testimonium inculcabat. qui perseveraverit usque in finem. hic salvus erit. Interea anastasius ihesu christi famulus. impio marzabanae praesentatur. Sed cum eum de more profanissimae gentis. flexis poplitibus minime adorasset. marzabanas torvo vultu diutissime eum intuitus dixit. unde. vel quis es? Ille ad haec. Ego inquit veraciter christianus sum. Si autem unde sum scire cupis. persa sum genere. de zarech regione. de villa videlicet rasnuni eques vero et magus aliquando eram. sed relictis te-

nebris veni ad lucem. Ad haec marzabanas. istum inquit errorem desere. et ad pristinum cultum festinus revertere. et praebemus tibi caballos; et pecuniam cum magno beneficio. Ipse vero respondens dixit. non permittat michi deus christum meum negare. Marzabanas dixit. placetne ergo tibi habitus quo indueris? Ille vero respondit. iste habitus mea est gloria. Marzabanas dixit. demonium habes. Cui beatus anastasius sic respondit. dum essem dudum in errore habebam daemonium. modo autem persecutorem daemonum habeo dominum christum. Item marzabanas. non metuis imperatorem ne ubi tuam causam cognoverit faciat te crucifigi. Ille vero respondit. cur ego timuerim tuum imperatorem. Similiter ut tu hominem corruptibilem. Stomachatus itaque marzabanas. eum catenatum duci in castrum precaepit. ut sine interstitio lapides devectaret. Et cum fatigio affligeretur; aliis quoque intolerabilibus angustiis premebatur. Quidam enim eiusdem cuius et ipse erat regionis contra propriam consuetudinem quae agebantur deputantes; accedebant ad eum. talia dicentes; Cur sic nobis fecisti? nemo nostrae regionis aliquando factus est christianus. et ecce tantum nobis intulisti ridiculum. Sermonibusque illum nitebantur revocare ad seipsos. Ipse vero contra eosdem iniuriis repellebat. Illi autem ad eum cotidie veniebant. vestimentaque eius scindentes; barbamque funditus evellentes; sine aliquo intervallo eum percutiebant. Et non hoc quidem solum; verum etiam et saxa quae quattuor illorum deveherent; illi soli subeunda imponebant. Unum insuper convictum ad tribulationum congeriem habebat. cum quo unam in collo, alteram vero catenam in pede gestabat. Haec et multo atrociora illis inferentibus; fortissimus dei athleta omnia propter christum gaudenter sufferebat. Iterum marzabanas iussit eum sibi assisti. et taliter est orsus. Si vere ut asseris magi filius fuisti; et eandem quoque artem nosti. mihi aliquid recitato. ut cognoscam utrum vera necne sint quae dixeris. Ille vero respondit. Nequaquam permittat deus aliquid huiusmodi me ulterius proferre. Dixit ei marzabanas. Quid ergo? in his permanebis? scribam imperatori de te. Sanctus anastasius respondit. iam scripsisti. et rescripta accepisti. fac igitur quicquid velis. Ad haec marzabanas; nondum scripsi. sed scribam. et quecumque preceperit faciam. Ille vero dixit. Vade scribe quantacumque volueris mala de me. ego enim fateor christianum me esse. Marzabanas igitur eum prostratum ministris precaepit cedere. ut suis saltem invitus iussis cogeretur obtemperare. Sanctus vero Anastasius incipientibus se ligare, sic ait. Sinite me. non enim vinculis indigeo. Sedens itaque se eis flagellandum exhibuit. Coeperuntque eum cedere cum palis. Ipse autem dixit. exuite me hunc habitum ut non inhonoretur. et sic me super carnem pro vestro velle cedite. Ista enim mihi ludibunda videntur. Verum et si membratim me discerpseritis; dominum meum ihesum christum nullatenus negabo. Marzabanas iterum dicit ei. consenti mihi. alioquin scribam imperatori de te. Ipse respondit. vade et scribe imperatori quicquid volueris. Marzabanas dixit. non metuis imperatorem? Beatus anastasius respondit. cur ego timeam imperatorem tuum? Nonne et ipse morietur? et sicut tu corrumperis nonne et ipse corrumpetur? Quem igitur potius metuam. illumne ut tu es corruptibilem. et similem tibi lutum. An caeli et terrae factorem filium dei ihesum christum? Ille igitur superbus tanta martyris fiducia stupidatus; iussit eum saecundo in castrum reduci. Paucis deinde evolutis diebus; iussit eum iterum sibi presentari et dixit ei. Recepta arte magica: offer diis sacrificia. ne male moriaris. et hac luce frauderis. Respondens dei famulus dixit ei. quibus diis me iubes sacrificare? Soli an lunae? igni vel aquis? montibus, an collibus? vel aliis quibuslibet similibus? Sed non mihi permittat deus omnipotens vestras culturas aliquando adorare. Haec enim omnia cunctorum auctor deus humano servitio assignans creavit. Sed vos homines deum factorem vestrum ignorantes; eis errando deservitis. Si enim dei filium ihesum christum cognovissetis. a demonibus liberati qui vos errare faciunt, ad lucem veniretis. His igitur divinitus inspiratis sermonibus, adversarios confundebat. Et trina coronatus confessione; pro christi corona vinculis adornatus iterum ad castrum reducitur. Abbas itaque eius monasterii in quo ipse manserat eius confessionis in christo stabilitatem et perseverantiam comperiens. cum universo suo collegio nimium est laetatus. et deum omnipotentem quatinus eius cursum quem in sui nominis confessione coeperat ad finem perduceret,

diurnis atque nocturnis horis expostulabat. Duos etiam fratres cum consolatoriis apicibus ad eum roborandum cesaream direxit. Denique cum christi martyr eatenatus in carcere servaretur; die ac nocte dominum psalmis, ymnis, et canticis, semper glorificabat. Sed quia uno convicto sibi ut superius diximus qui servus erat marzabanae nimis impediebatur, dum nocturnis temporibus canonica peracturus officia surgeret; ne illum distensione catenarum offenderet; ad collum iacentis semper suum inclinabat. (et) iuxta eius pedem leniter suum figebat. Quadam vero nocte dum sanctus anastasius deo psalleret; unus convictorum, hebreae scilicet religionis; stemate preclarus; moribus quoque probus; eum intentis auribus pervigil auscultabat. Videns quippe illum diurno tempore devectione lapidum miserabiliter fatigatum; nocturno quoque assiduis orationibus deditum; nimis obstupescebat. Nocte autem quadam dum beatus anastasius solo procumberet; hebreus ille subito quosdam viros praefulgidos ergastuli ostium ingredientes eumque circumdantes prospexit. Huiusmodi igitur intuitu stupefactus; aput semetipsum dixit. Sanctus deus. isti angeli sunt. Hoc autem dum aspiceret; vidit eosdem ipsos palliis circumdatos, habentes cruces in manibus. et ait in semetipso. isti episcopi sunt. Cum quibus etiam martyrem christi anastasium similiter collucentem aspexit. Cui quidam eximiae gloriae assistens iuvenis. habens turibulum aureum, incensum offerebat. Talia vero diutissime prospectans; quendam christicolam scithopolitanae civitatis iudicem, ut et ipsi quae videbat ostenderet, e somno excutere pulsando nitebatur. Quem cum excitare nullomodo valeret; quemadmodum enim exsanguis sine flatu manebat; ut illum expergisci cogeret; se soporato totum superposuit. Tandem itaque scithopolitanus evigilans; nimioque pavore perculsus; quid hoc esset interrogat. Cui hebreus. nonne vides inquit? et conspicientibus, nil ulterius apparuit. At postquam ei haebreus ante visa narraverat; ambo unanimiter deum glorificaverunt.

Denique marzabanas prima et secunda ut supra dictum est interrogatione stabilitatem dei famuli anastasii expertus. de eo imperatori chosroae apices destinavit. Perpaucis autem evolutis diebus; imperatoris preceptum marzabanas percepit. Ac deinde beato anastasio, mittens unum ex suis magnatibus in carcerem sic ait. En dixit imperator ut solo quidem verbo te esse christianum abneges. et statim te absolvam. et quocumque volueris abire permittam. et sive monachus volueris esse; sive eques ut prius, et nobiscum manere. tuae prorsus erit potestatis. At ille respondit. absit a me aliquando ihesum christum negari. Plurimas autem promissiones ei per suum magnatem dirigens, nullatenus persuadere valuit. Post haec tamen per eundem remandavit ei dicens. Scio quidem te tuos contribules erubescere; et ideo te nolle coram eis christum negare. Quia igitur sic iubet imperator; inter me et alios duos equites dic verbum. Cui et ipse respondens talia remandavit. tam coram te quam et coram quibuslibet absit a me aliquando christum meum negare. Tandem itaque marzabanas per se ipsum dixit ei; ecce iussit imperator ut catenis vinctus abeas in persidem. Ad haec sanctus. si me inquit dimiseris, ego ipse ultroneus ad imperatorem vadam. Videns itaque marzabanas beatum dei martyrem immobilem persistentem in omni experimento. et neque minis territum neque blandimentis persuasum; iussit eum cum aliis duobus christicolis publica custodia bullatos carcerari. ut post quinque dies ad predictum imperatorem iter simul arriperent.

Interea adveniente exaltationis salutiferae crucis festivitate; beatus anastasius cum duobus ex suo monasterio fratribus; et prefatis christicolis duobus; ex cum quibusdam de eadem civitate venerabilibus; psalmis, ymnis, et canticis spiritualibus sollemniter pernoctarunt. ita quidem ut omnes vincti glorificarent deum. et penitus obliviscerentur suarum calamitatum. Dispensator autem quidam rerum publicarum vir christo amabilis, ad impium marzabanam primo mane perrexit. nimis eum expostulans, ut beatum anastasium introeundi aecclesiam gratia, sub pacto restituendi eum vinculis absolveret. Quo impetrato; omnes fideles qui ibi intererant infinito gaudio sunt repleti. Statim quippe ingrediente eo aecclesiam. de suis periculis sunt consolati. Quot quot enim christiani aderant; in magnam desperationem pariter corruerant. Magnis quoque et inestimabilibus animae eorum coangustate erant. Tantam vero beati anastasii in christo fidem et sufferentiam videntes; reflo-

ruerunt. et pre nimia eius consolatione quasi denuo in fide revixerunt. et osculantes eius vincula obsecrabant dicentes. et si nos parati sumus pro te mortem subire. quanto magis tu propter communem omnium dominatorem christum. talia debes sufferre. Post peracta deinde missarum sollemnia; predictus dispensator sanctum dei martyrem cum duobus prelibatis e suo monasterio fratribus rogitans; secum deduxit domum. et cibo pariter sumpto; beatum anastasium in domino gaudentem marzabanae carcerandum restituit. Post quinque autem dies beatus anastasius cum duobus aliis christicolis quadam de causa accusatis. caesarea decessit. Et plurimi christiani cum infinitis lacrimis foras eum comitantes; super eius bona devotione dominum collaudabant. Unus autem e duobus sui monasterii saepe commemoratis fratribus obsequii et solacii causa eum est secutus. ob hoc maxime; ut quaecumque ab initio agonis. martyrem dei perpessum vidisset; ea christo favente abbati suo et fratribus; fidelissime referret. Cuncta autem cum universis civitatibus loca in adventu martyris ihesu christi gaudebant. Et omnes quidem honorabiliter introeuntem excipientes; foras quoque abeuntem honorabilius exponebant. Haec autem ipse martyr ab ieropolitana civitate supradicto abbati litteratim significavit. obnixe depostulans, ut pro suo certamine consummando deum omnipotentem assidue rogaret. Hoc quoque et antigride fluvio destinatis apicibus ab eodem poposcit.

Ingrediens vero martyr christi anastasius persidem; sine aliquo dilatu missus est in carcerem. in villam videlicet que dicitur bethsaloes; quae quasi sex stadiis dirimitur a civitate discarta. in qua tunc temporis imperator degebat. Frater autem qui cum eo erat, in eadem villa mansit. in domo scilicet cartacii filii gesdin. primi dispensatoris persarum. qui et ipsi christicolae erant. Et commorante sancto martyre aliquot dies cum eis qui ibidem erant captivati. suggestum est de eo chosroae imperatori. Mittens igitur imperator unum ex principibus iussit eum diligenter inquiri. Postmodum vero cum quodam ciliarcho cuius cura carceris erat veniens in carcerem; interrogavit eum, quis, vel unde esset. vel cur eorum spreta religione factus esset christianus. Beatus vero anastasius eos alloqui persicae noluit. sed per interpretem ita respondit eis. O miseri. erratis, pro deo cunctipotente, daemones colentes. hos equidem et ego aliquando vobiscum errans colebam. nunc autem deum omnipotentem colo, qui fecit caelum et terram. mare et omnia quae in eis sunt. Vestras vero culturas errorem et perditionem esse indubitanter cognosco. Dixit ei princeps. Miser. nonne quem colitis vos christiani crucifixere iudaei? quomodo ergo tu errabundus, postposita tua religione factus es christianus? Ad haec sanctus; illum quidem inquit a iudaeis, sed sponte crucifixum fuisse non mentiris. verumtamen ipse est qui fecit caelum et terram. mare et omnia quae in eis sunt. et dignatus est in terram descendere. et homo fieri. et crucifigi. ut humanum genus ab errore satanae qui a vobis colitur liberaret. Vos autem ignem et cetera quorum memorari nos pudet colentes. vana spe deludimini. creatore scilicet neglecto, creaturae servientes. Dixit ei princeps. quid tibi et istis sermonum ambagibus? en tibi imperatoris sublimitas, zonas aureas cum equis et magna dignitate paravit. suorumque magnatum adiungendi te numero tibi potestatem donavit. Solummodo pristinam religionem tuam culturus, resipiscas. Cui martyr ihesu christi respondens. Ego inquit deum meum nequaquam negabo. sed semper eum colam. et semper adorabo. dona vero tui imperatoris pro stercore computabo. Digressus vero inde princeps; huiuscemodi dicta imperatori detulit. Stomachatus igitur imperator, sequenti die eundem principem ad puniendum beatum anastasium destinavit. Abiens autem princeps furibundus, impio scilicet imperatori obsecuturus; e carcere extrai christi famulum iussit. atque putans stabilem deflecti posse columnam. eum orribilibus minis terrere coepit. Sanctus vero ad haec. ne labores inquit, neque obnitaris o princeps. me etenim nequaquam a mea fide extirpare valebis. quicquid igitur volueris facito. Ferocissimus igitur princeps beatum anastasium persico more vinctum vectibus caedi precaepit. Quando quidem inquit donis et honoribus adquiescere noluisti; amodo iam cognoscito haec te esse habiturum. huiuscemodi nanque te singulis diebus plagis consumam. Sanctus anastasius respondit. neque donis tui imperatoris adquiesco; neque etiam tuas minas formido. quicquid igitur velis iam iamque perficito. Tunc impiissimus princeps; solutum dei martyrem supi-

nari precaepit. atque eius tibias superposito ligno, a duobus fortissimis utrimque supersistentibus viris constringi mandavit. Quis autem nesciat importabilem huius tormenti speciem? at gloriosissimus christi martyr huiusmodi dolores patienter sufferens; deo omnipotenti gratias referebat. Videns igitur princeps se cum suis malesuadis blandimentis et tyrannicis tormentis esse parvi pensum. Sicut enim calidum ferrum aqua frigida induratur atque temperatur; sic etiam tyro christi huiusmodi cruciamentis magis magisque corroboratur. Tandem eum in carcerem retrudi donec iterum imperatori de eo suggereret, praecaepit. Sepe dictus autem monachus beati anastasii frater non diffidens sellario qui scilicet carcerem providebat; nam et ipse christianus erat. frequenter eum solacii et obsequii gratia visitabat. Plurimi quoque christianorum ibidem degentium. inter quos et filii gesdin introibant ad eum rogantes. quatinus pro eis ad dominum interveniret. et ad sui custodiam. aliquod benedictionis munimentum eis donaret. Sane ipso huiusmodi prebere quasi indigne penitus abnuente. illi vinculorum superposita cera formam exprimentes. pro benedictione bene fidi reservabant. Paucis deinde interlapsis diebus. idem temerarius princeps remittens ad carcerem. quid dicis inquit? obsecundabis iussioni imperatoris. an forte tuo proposito permanebis. At ille commoto in eius abominationem capite respondit. Semel, et bis, saepiusque tibi dixi. quod sit impossibile a me christum negari. quicquid igitur velis maturanter facito. Tunc ipse omni tyrannide barbariaeque plenissimus, eum ut ante victum. palis caedi atrociter praecepit. et relinquens eum in carcere discessit. Aliquot post haec diebus provolutis. regrediens ad carcerem. tum benesuadis ut pridem sermonibus. tum paecuniae et dignitatum promissionibus. tum terribilibus minis. tum amaris tormentis. sanctum dei martyrem. in christiani nominis abnegationem provocare nitebatur. Sed cum eius imotissamae mentis. cohaerentissimum christianae fidei stabilimentum perspiceret. iussit eum iam tertio ligatum similiter infestissime cedi. ac deinde resolutum una manu suspendi. subligato ponderosissimo lapide eius pedi praecaepit. ac sic demum. digrediens. pendulum dereliquit. Ipso autem huiusmodi supplicium quasi duas horas fortiter sufferente. eum inde deponi destinando mandavit. ac deinde immobilitatem constantiae eius imperatori notificavit. Post haec transactis quindenis ferme diebus eundem principem et alios nonnullos ad interficiendum dei martyrem et plurimos alios christianorum captivos transmisit. Qui obsequentes. beatum anastasium cum aliis fere septuaginta christicolis. extra villam bethsaloes in qua erat carcer extractos. iuxta fluvium preceperunt exponi. ac deinde omnes singulatim. inter quos et supradictos duos christicolas. qui et vincti abeuntem cesarea beatum anastasium comitati fuerant. Spectante christi martyre restibus suffocari. Et singulo quoque eorum intercmpto. Beato anastasio dicebant. quare vis sicut unus horum male perire? et non potius ut vivas imperatori adquiescere. et acceptis honoribus sicut unus nostrum in palatio esset? ut neque huius vitae dulcedine frauderis. neque acerve mortis fato preripiaris? At christi victoriosissimus martyr velut iam sui desiderii compos omnipotenti deo gratias referens. ad haec respondit. pro christi equidem amore a vobis concidi membratim obtaveram. Verum si is quem vos minamini obitus me manet. gratias deo meo immensas refero. qui me suorum martyrum participem gloriae dignabitur facere tam parvo supplicio. His dictis gloriosissimus dei martyr beatus anastasius. transitoria vita huiuscemodi termino consummata. voti compos gaudii plenus immarcessibili bravio coronatur. ad veram aeternamque vitam quae christus est meruit pervenire. At postquam eum suffocaverunt. praetiosissimum caput eius absciderunt. et deinde bullam accipientes quae vinculis superheserat. imperatori secum devexerunt. Sellarius itaque qui ut prelibatùm est christianus atque carcerarius erat. corpus beati martyris ut esset cognoscibile semotim collocare voluit. Sed hoc questionarii haebrei scilicet existentes minime permiserunt. Cognoscentes autem filii gesdin transitum victoriosissimi martyris. pueri nanque eorum cum ipse ad martyrizandum duceretur praesentes affuerunt. citato tramite illuc statim cucurrerunt perspectisque eius manibus eum recognoscentes. maximum pondus argenti prefatis quaestionaris clanculo obtulerunt. At ipsi eis deferendi corpus licentiam prebuerunt. Sequenti igitur nocte supra memoratus de coenovio beati martyris monachus comitantibus

pueris filiorum gesdin, et quibusdam monachis qui ibidem aderant. ad tollendum sacratissimum corpus secretissime venit. Invenitque canes interfectorum corpora comedentes. corpus vero beati anastasii seorsum iacens penitus intactum. Pretiosa enim in conspectu domini mors sanctorum eius. et custodit dominus omnia ossa eorum. et unum ex eis conteri non permittit. Corpus igitur beati martyris involutum praetiosis linteis a filiis scilicet gesdin datis devexerunt. atque in monasterio beati sergii martyris quod unius fere stadii intercapedine a praedicto castello dirimitur posuerunt. Victoriosissimus igitur martyr anastasius, vicesima saeccunda ianuariorum die indictione prima, anno septimo decimo imperii eraclii piissimi et quinto decimo constantini filii eius suos agones pro ihesu christi nomine consumavit. qui cum patre et spiritu sancto vivit et regnat per infinita saecula saeculorum. amen.

Altera autem die post transitum sancti martyris duo quidam in custodia confabulabantur ad invicem dicentes. Scisne inquit qualiter advenientes canes iuxta corpus illius monaci circumsederint. nequaquam videlicet contingere volentes. sed velut obsequio pervigili ei vigilantes? quos ego quidem minime recedentes, et nullomodo contingentes; duabus horis attentissimae conspexi. Qui alter; et ego inquit vesperi e carcere domum abiens. quasi stellam pavimento superlucentem vidi. Et dum gressum concitarem. ut quid esset hoc scirem. michi quid iamque appropinquanti stellam nunquam comparuit. Corpus vero monachi illius pavimento accubabat.

Haec igitur custodes ergastuli se se propria lingua invicem alloquentes valde admirabantur. Quidam vero ibidem carcerati christicoli non ignari videlicet persicae linguae eosdem auscultabant. Ex quibus duo cum aliis plurimis dimissi post interfectionem chosroae in sanctam civitatem venerunt. quibus et beatissimus martyr ihesu christi anastasius dum esset cum eis in carcerem; et de sui agonis consummatione; et de eorum liberatione; et etiam praefati regis ruina praedixerat dicens. Minime vos dilectissimi fratres lateat, me quidem crastina die fore finiendum. vos quoque paucis interiectis diebus dimittendos esse. iniquum vero atque malignissimum regem interficiendum fore. Sed vestram fraternitatem plurimum flagito. Cum deo prosperante sanctam civitatem intraveritis; in monasterium quod appellatur beati anastasii introeatis. et haec omnia meo abbati fratrumque collegio plenissime referatis. Ipsi igitur haec omnia a sanctissimo dei martyre praemoniti; rei quoque gestum suis oculis intuiti; deum glorificantes unanimiter ac beati anastasii praecepta obsecuti; haec omnia pleno et veridico relatu nobis enarraverunt. Memoratus autem monachus qui et eius pedissequus ac sepultor fuerat; in praedicto beati sergii monasterio aliquandiu mansit. Excogitans atque secum tractans qualiter ad suum a quo missus fuerat abbatem rediturus esset. Interea elapsis quasi decem diebus; prima videlicet ianuarii mensis die, piissimum imperatorem eraclium cum suo exercitu ibidem venisse contigit. Quos cum ipse monachus aspexisset; infinito gaudio est repletus, atque eos latine statim est allocutus. Ipsi autem eum quid ibidem faceret interrogarunt. eo itaque seriatim singula referente; deum omnipotentem una voce glorificantes ut pro sui custodia atque defensione eos commitaretur, eum comonuerunt. Quandiu igitur morati sunt in perside honorifice cum illis permansit. Eosque digredientes assecutus; securo gressu armeniam pertransiit. et sic tandem circumvoluto unius anni spatio ad suum monasterium regressus. haec omnia suo abbati puro ac fidelissimo relatu sicut viderat enarravit. Colobium quoque sancti anastasii in quo martyrizatus fuerat ei offerens; hoc praeclarum et omni laude dignissimum miraculum retulit dicens; Dum esset in monasterio beati martyris sergii in quo ut praediximus corpus beati anastasii reposuerat; quendam ibi commorantium fratrum immundo spiritu atrociter esse vexatum. seque ab eiusdem monasterii praeposito rogatum. sanctissimi anastasii colobium eundem infirmum indui concessisse. sicque statim dei omnipotentis gratia eum a demoniaca infestatione liberatum fuisse. Praestante domino nostro iesu christo. Cui cum patre et spiritu sancto. una est. essentia. maiestas eadem. aeternum imperium. et nunc et semper et in saecula saeculorum. Amen.

Pag. 261 — Prologus in passionem sancti urbani papae et sociorum eius.

Sanctorum martyrum gesta vel passiones iccirco in ecclesiis dei ubique terrarum christianis populis recitantur; quatinus eorum et doctrinis instructi et provocati exemplis; eorumque constantiam et robur imitantes; ad eorum etiam praemia et remunerationes christo duce pertingere valeant. Sicut enim scribit apostolus. Quecumque scripta sunt ad nostram doctrinam scripta sunt. Satis erga praeposterum nimiumque inconveniens esse decernitur; si quod ad nostram utilitatem nostrumque profectum ostendere voluit dominus non omni aviditate audiamus. non omni instantia prout ipse donaverit exequi studeamus.

Explicit prologus.

Urbanus igitur romanae urbis nobilissima familia oriendus; ex patre pontiano; octavo decimo loco a beato petro apostolo praefatae urbis iam senex cathedram sortitus est. imperantibus post macrinum marco aurelio antonino, qui cognominatus est heliogabalus; et aurelio alexandro; qui videlicet a matris nomine mamea est appellatus.

Horum temporibus dum tercius almachius urbis praefectus augustali fultus auctoritate omni instantia sanctos domini persequeretur; et ingentia munera praemiaque permaxima eorum delatoribus polliceretur; pervenit tandem ad aures eius quod urbis papa urbanus qui omnium utique malorum esset incentor, una cum clero suo non longe ab urbe in quibusdam esset locis remotioribus occultatus. Quibus auditis almachius gaudio magno repletus est. existimans ob multam familiaritatem quam cum beata cecilia habuisse illum audierat, cunctas eius facultates eum habere. statimque carpasio cuidam vicario crudelissimo a quo et delatus fuerat omnes pariter comprehendi, sibique eos sisti praecepit. Tentus itaque beatus urbanus episcopus cum quattuor presbyteris et diaconibus tribus, ductus est ad palatium vespasiani; ubi eum praefectus iniquissimus iniquo desiderio prestolabatur. Cumque ingrederetur palatium beatus urbanus episcopus, caepit psallere dicens. Confundantur omnes qui adorant sculptitia et qui gloriantur in simulacris suis; quoniam omnes dii gentium demonia, deus autem noster caelos fecit. Et cum venissent ante conspectum almachii; cum furore intuens eos praefectus ait. Nonne tu es urbanus sacrilegus et seductor iniquus; qui pro innumeris maleficiis tuis iam semel iterumque proscriptus in deorum adhuc iniuriis perseverare probaris? Urbanus respondit. Ego plane urbanus sum. sed non sacrilegus, non seducens. sed potius seducens homines de tenebris ad lucem, et de erroribus ad veritatem. Praefectus dixit. Vere ad veritatem. qui nec deos metuis; nec principes expavescis. Urbanus respondit. In auxilio dei mei confidens, sicut ipse irridens locutus es, omnino nec deos vestros metuo; nec vestros principes mortales utique homines expavesco. Almachius dixit: Non multis opus est. Sacrifica et vive. Alioquin; tu eris exemplum omium. Urbanus respondit. Nec tantis etiam opus fuit. Securi quod nunquam daemonibus vestris sacrificemus estote. facite quod facere vultis. Tunc almachius praecepit carpasio comprehensos eos, iuxta templum iovis ergastulo mancipari. Quod audientes plurimi christiani et gaudentes in domino; venerunt noctu ad carcerem; et dantes munera custodi carceris nomine anolino. ingredi obtinuerunt ad eos. Qui corruentes ad pedes beati urbani; cum multis lacrimis postulabant ab eo benedictionem.

Quod cum fecisset; per totam ipsam noctem non cessavit exhortans et corroborans eos in fide et patientia christi. Cum autem caepisset illucescere. omnes sibi invicem pacis oscula libaverunt; et commendantes se beatissimo praesuli ad sua unusquisque reversi sunt. Transactis itaque diebus aliquot, iussit sibi almachius sanctos domini de carcere praesentari. Quibus praesentibus, sic ad eos torvo vultu orsus est fari: deponite iam perfidiam magicae artis. et sacrificate diis quos imperator et omnis romanus orbis adorat. Iam enim ut dicitur ad quinque milia hominum vestro dogmate perierunt quorum omnium vos procul dubio rei homicidii estis. Urbanus respondit. Si scires infelix gratiam dei nostri. non diceres perierunt, sed ad caelos feliciter migraverunt. Almachius dixit. Qualiter ad caelestia migrasse credendi sunt; quorum corpora inhumata a canibus avibusque direpta sunt? Urbanus respondit. Si aliqua fidei tibi scintilla luceret; posses forsitan hoc

incredibile credere. verum quamdiu in infidelitatis coecitate versaris; hoc nunquam advertere poteris. Almachius dixit: Relinque fabulas istas. et fac quod hortor. ostende michi thesauros ceciliae. quam una illustrissimis viris tiurcio et valeriano sacrilegis monitis inretisti; et nequiter illectos perire docuisti; nullatenus enim manus meas evadere poteris; nisi quod dixi facere maturaberis. Urbanus respondit. Vos estis miseri illectores. qui ligna et lapides, miseros quosque vestri similes colere et adorare cogentes; perpetuae vos illosque perdictioni. contraditis. nos autem unum et verum deum qui coelum terramque et omnia quae sunt in eis creavit colentes; minasque vestras pro nichilo computantes; illi soli et uni placere satagimus. De pecuniis autem ceciliae quas tanta aviditate perquiris, nolo te esse sollicitum. In illius enim regis gazophilacio reconditae sunt; unde nunquam ad tuos usus profundi valebunt. Verum non potuisti vulnus celare quod pateris. et nimia te cupiditate devictum, non deorum religione ductum dum haec dicis ostendis. Almachius iratus dixit. Per deos quoniam falso me infamare non timuisti. diversis te faciem poenis torqueri, et inter ipsas te confiteri faciam me non cupiditati sed religioni potius in talibus deservire. Urbanus respondit. Fac quod vis. iam diximus quia tua precepta nunquam facturi sumus. Cum almachius prefectus iussit plumbatas afferri. eosque diutissime a ministris mactari. Qui cum cederentur. respiciens in coelum beatus urbanus oravit dicens. Domine iesu christe dignare quaesumus respicere in servos tuos. et in opera manuum tuarum. et mitte nobis de coelo auxilium sanctum tuum. ut viriliter decertantes ad gloriam regni tui pervenire mereamur. Sociis vero eius respondentibus. Amen; agitans caput almachius dixit. Adeo infelices isti suis praestigiis coartati sunt, etiam si velint resipiscere minime possint. Urbanus episcopus dixit. Infelix vel sic cognosce potentiam dei nostri. cernens quod tormenta tua nos commovere non possunt. Dicit ei almachius. Sacrifica miser et vive. ne canos senectutis tuae in doloribus finias. Urbanus respondit. Nunquam tibi bene sit iudex iniquitatis. qui summi et veri dei cultoris lapidibus et lignis inutilibus humiliari suades. De quibus scriptura. Simulacra inquit gentium 'argentum et aurum. opera manuum hominum. qui os et oculos aures et nares manus pedesque habentes; ad nullos humanos usus eis uti posse conceditur. Similes ergo illis fiant qui faciunt ea. et eos qui confidunt in eis. Iratus almachius dixit. Quoniam in iniuriam deorum nostrorum non timuisti prorumpere. dignum utique fuerat sententiam te capitalem subire. Attamen adhuc sustinentes. resipiscere et consentire nobis optamus. Ecce vides quanta patientia subvenire tibi desiderat nostra clementia. Dic tamen nobis. unde tam durus. tam velox. tam facundus et affluens sermo in nostram deorumque nostrorum contumeliam tibi est; ut nichil horum cogitans lingua tua vel in modico nos offendat? Urbanus respondit. Promissio dei nostri nos instruit dicens. Dum steteritis ante reges et principes nolite cogitare quomodo aut quid loquamini. Dabitur enim nobis in illa hora quod loquamini. Ad haec almachius iussit eos in privatam custodiam trudi. Ubi venientes ad eos noctu maxima multitudo christianorum, totam noctem illam in ymnis et dei laudibus pervigilem duxerunt. Videns haec omnia custos carceris anolinus nomine, misit se cum lacrimis ad pedes beati urbani. postulans ut protinus sibi baptismum concederet. Cui beatus urbanus dixit. Vide fili si credis ex tota corde tuo. Cumque respondisset anolinus cum lacrimis. Credo dominum iesum christum esse salvatorem meum; baptizabit eum beatus urbanus in nomine patris et filii et spiritus sancti. quem fortunatus presbyter de sacro fonte suscepit. Cumque mane factum fuisset; celebratis missarum sollemniis; omnes divinis refecti mysteris. postquam simul sumpserunt cibum; commendantes se sancto episcopo, singuli redierunt in sua. Pervenit autem ad almachium quod factum erat. et magna indignatione repletus misit. et urbanum sibi cum sociis exhibere precepit. Qui cum venissent ante eum simul cum anolino carcerario, dixit almachius. Itane urbane. non solum te a tua stultitia non revocatis. verum etiam quot quot adhuc vales decipere, in tuae perversitatis voraginem conaris immergere? Et conversus ad anolinum. Verumne inquit est anoline quod de te audivimus? Anolinus respondit. Quid? Almachius dixit. Quod deserueris deos. et ritum fidei christianae susceperis? Anolinus respondit. Verum plane est, deseruisse me daemonas impurissimos.

et adhesisse uni et vero deo quem usque modo miser et infelix ignoravi. Sed gratias illi qui me ineffabili misericordia a meis erroribus liberavit. et tandem aliquando ad suae veritatis agnitionem perduxit. Almachius dixit. Videris michi anoline superbus et contumax esse. qui tam audacter ante nostram presentiam loqui non metuis. Anolinus respondit. Quicquid tibi videar non magnopere curo. Ego autem christianus sum et christum corde et ore confiteor. Non ferens almachius tale responsum, mox capitalem in eum est iaculatus sententiam. Ductum itaque ad templum dianae, cum sacrificare compelleretur et non adquiesceret. ibidem iuxta templum decollatus est. et tali fine. coelestia regna mercatus est. Nocte sequenti iussit sibi almachius tribunal parari. et beatum urbanum cum clero suo ante se adduci. Quos interrogans ait. Dicite miseri quae tanta est obstinatio vestra, ut potius optetis mori quam vivere? Urbanus respondit. Non moriuntur qui pro christi nomine patiuntur. Sed magis de morte ad vitam et gloriam transeunt. Almachius dixit. Nulla unquam ratione haec quae vos christiani docetis aliquando advertere potui. Urbanus dixit. Et recte quidem animalis enim homo, non potest advertere quae spiritualia sunt. Dicit almachius reliquis sanctis. Audite me vel vos et nolite cum hoc sene miserrimo et iam paene mortuo vos morti tradere. Sed accedite et sacrificate domino magno iovi, et abite securi. Responderunt sancti et dixerunt. Tu sacrifica daemoniis fili diaboli. minister satanae operarius iniquitatis. nos autem domino iesu christo sacrificium nos ipsos offerimus. Cernens almachius se nichil proficere; praecepit carpasio vicario ut duceret eos ad templum iovis quod erat iuxta pagum. et sacrificare compelleret. quod si non facerent. caesos diutius rursus in carcerem tradere. Cumque illuc perducti fuissent, et iovi sacrificare compellerentur; deridentes et expuentes in simulacrum dicebant circumstantibus. Recedite miseri recedite. et nolite idola vana et insensibilia adorare. quae nec sibi nec suis cultoribus. in aeterno supplicio poterunt subvenire. Cognoscite autem dominum verum et creatorem vestrum. et percipite vel nunc vestrae salutis intellectum. ne cum ipsis daemonibus quos colitis perpetua vos tormenta suscipiant. Carpasius dixit. praefecti ut video in vobis iussa complenda sunt. ut qui vivere sacrificantes respuitis; diversis macerati suppliciis morti tradamini. Respondentes sancti dixerunt. iam diu est quod nostram constantiam experti estis. quod nostram perseverantiam conspexistis. quid amplius ipsa eademque verba repetitis. et ac si timentes nos quod vobis praeceptum est non expletis? facere non debemus quod dicitis. facite iam quae facturi estis. Dominus nobis adiutor est. non timebimus quid faciat nobis homo. Tunc iratus carpasius, iussit eos in carcerem mitti. et pergens nuntiavit omnia iudici. qui mox praecepit eos adduci et suo conspectui presentari. Cumque nullis minis. nullisque rationibus seu blanditiis eos ad suos libitus valeret inflectere. sed magis se illorum responsionibus confundi conspiceret. tarquinius quidam taurinus cognomento dixit ad eum. nisi tu simul cum eis ad templum perrexeris; nullatenus eos ad deorum sacrificia flectere poteris. Audiens hoc almachius, surrexit, et iuxta taurini suggestionem, simul cum sanctis ad templum pergere caepit. Cum autem pervenissent ad locum. et iterum iterumque idolis sacrificare compellerentur, respondentes dixerunt. Non sufficimus mirari stultitiam et impudentiam vestram. qui ligna et lapides mutos, et surdos ac cecos et sine intellectu aliquo, totiens nos adorare compellitis. Stultissimi et ineptissimi, perquirite ab eis responsum aliquod. et videte utrum respondeant vobis. Non certe loqui possunt quia muta sunt. non videre quia ceca sunt. non audire quia surda sunt. non odorare quia spiritum nullum admittunt. non palpare. non ambulare. quia lapides inutiles et insensibiles sunt. Resoluti plane per ignem, multo utilius de calce sua maenia civitatis extruerent quam sic tantopere ordinati locum quo positi sunt impedirent. Iratus ad haec almachius, iussit eos verberibus flagellari. Et cum diu caederentur. expandens manus suas in coelum beatus urbanus ita oravit. Domine deus omnipotens creator et gubernator omnium rerum. protege nos famulos tuos sub umbra alarum tuarum. nequando dominentur nobis inimici nostri. et dicant gloriantes prevaluimus adversus eos. Expleta oratione, respiciens ad statunculum iovis dixit clara voce. Destruat te virtus domini mei ihesu christi. Et repente cecidit simulacrum cum parte templi sinistra. et oppressit de sacerdotibus

idolorum numero XX et duo. Almachius autem ingenti metu repletus. cum reliquis fugit. et recepit se in palatium vespasiani. Sequenti autem nocte sedens pro tribunali, iussit ante conspectum suum sanctos adduci. aspiciens eos almachius exultantes et solito laetiores. iratus ait eis. Parum ne vobis videtur scelestissimi homines quod templum antiquissimum et nobilissimum vestris incantationibus eversistis. et magni dei iovis simulacrum confregistis? eiusque sacerdotes ruina oppressistis? insuper etiam ad cumulum interitus vestri nobis merentibus, vos ridetis et exultatis? ecce ut video vestram impudentiam patientia nostra nutrivimus. Sed accedite adhuc semel et sacrificate. Si forte tam nefandum piaculum vel sic expiare possitis. Alioquin per deos. quia non amplius sufferam superbiam vestram. Sancti martyres responderunt. ubi est sensus tuus infelicissime hominum? quare non erubescis totiens dicendo nobis sacrificate. non est haec ut asseris patientia; sed infinita stultitia et maxima insipientia. Hoc autem scias; quod si centies miliesque id replicaveris; totiensque nos omnibus paenis excruciaveris. nunquam ad hunc consensum flectere poteris. Potens est nos deus noster salvare nos. et ideo nec te nec tua tormenta timemus. Tunc indignatus almachius vehementer, iussit sanctos extendi. et fustibus diutius caedi. Cumque cederentur, gratias agebant domino dicentes. Gratias tibi domine deus noster, quia digni habiti sumus pro tuo nomine contumelias pati. Et cum haec dixissent; unus ex diaconibus nomine lucianus erectis in coelum oculis emisit spiritum. Beatus autem urbanus non cessabat per totam noctem confortans et istruens ad patientiam reliquos sanctos. Mane vero facto, praecepit eos almachius iterum ante se adduci. et interrogatos, plumbatis et scorpionibus caedi. Sancti autem gaudebant et exultabant dicentes. Adiutor in oportunitatibus domine. Da nobis auxilium de tribulatione. et fiat tibi haec passio nostra velut sacrificium vespertinum.

Tunc ministri diaboli tollentes corpus beati luciani iactaverunt per tribunal quod erat iuxta currum. Erat autem decretum et omnimodo interdictum; ut si quis per apertum martyrium obiret; nullus eum seu gentilis seu christianus sepulturae tradere auderet. quatinus per hoc in universos metus excresceret. Sed nocte alia veniens fortunatus presbyter rapuit corpus sancti luciani diaconi. et sepelivit eum in cripta in cimiterio pretextati. Igitur almachius praecepit apparitoribus suis ut ducerent sanctos ad templum dianae. et si sacrificare comtemnerent sententiam capitalem absque mora subirent. Mox iniqui apparitores suscipientes eos; duxerunt ad fanum dianae quod erat iuxta pagum. Ubi dum pervenissent. et iterum iterumque a ministris cogerentur idolis immolare expuentes in simulacra sancti dicebant. Maledicti vos. et omnes qui confidunt in vobis. Ad haec apparitores irati eduxerunt eos de templo. ut sicut eis iussum fuerat decollarent eos. Sancti autem venientes ad locum ubi decollandi erant; dantes sibi invicem pacis osculum, et signo crucis se munientes; quasi una voce dixerunt. Suscipe nos domine secundum aeloquium tuum ut vivamus. et ut ad regnum gloriae tuae te duce pervenire mereamur. Et his dictis, flectentes genua decollati sunt. et corpora eorum ante templum dianae iactata sunt. ubi etiam per quinque dies inhumata iacuerunt. Post quinque vero dies venientes noctu quidam christiani una cum beato fortunato presbytero, furati sunt pretiosa corpora eorum. et sepelierunt in cimiterio pretextati. in ymnis et canticis gratias agentes deo. Corpus autem beati urbani papae et martyris ibidem in superiori caenaculo condiderunt. His ita peractis, abiit carpasius ut tura diis suis offerret qui statim a daemonio correptus est. Quod cum fuisset almachio nuntiatum vehementer extimuit. eumque ante se protinus adduci praecepit. Cumque ante eum fuisset adductus. caepit daemon acriter vexare eum. et quotquot attingere poterat rabidis dentibus laniare. Confidebatur autem daemon per os illius quicquid almachius nefariae et criminose fecerat. et detegebat omnia scelera eius. Et prosequens; Nescitis aiebat quod paulus apostolus dicat; quod nichil sit idolum ; Et quod nullus deus in caelo et in terra nisi unus? Haec et alia multa cum diceret suffocatus a diabolo mortuus est. Audiens autem uxor eius marmenia virum suum taliter interisse. abit noctu simul cum filia sua nomine lucinia ad fortunatum et iustinum presbyteros. et miserunt se ad pedes eorum, orantes ut baptizarentur. Qui gratias agentes deo cathecizaverunt eas et post septem dierum ieiunium baptiza-

verunt illas in nomine trinitatis. Post tertium vero diem pergens sanctus fortunatus presbyter in domum marmeniae, praedicabat multis qui convenerant fidem domini nostri ihesu christi. Et crediderunt omnes qui erant in domo carpasii et baptizati sunt. Tunc marmenia caepit diligenter perquirere a beato fortunato quid de corporibus sanctorum actum fuisset. Et cum indicasset omnia beatus fortunatus; perrexit simul cum ea et beato iustino ad locum ubi reposita erant. et levantes ea inde detulerunt in domum marmeniae. quae erat iuxta palatium vespasiani prope columnas. In qua ipsa marmenia mirae pulchritudinis memoriam extrui faciens; cum omni honore et reverentia multis aromatibus condiens ibidem sanctorum corpora urbani episcopi et mamiliani presbiteri sepelivit. Corpora vero sanctorum iohannis, chromatii et dionisii presbytorum; et marcialis, mucii et luciani diaconorum; singillatim simili honore et gloria cum ymnis et laudibus recondidit ad gloriam domini nostri ihesu christi. qui cum patre et spiritu sancto vivit et regnat in saecula et saeculorum, amen. Cum igitur haec omnia pervenissent ad aures almachii; iratus, e vestigio iussit marmeniam comprehendi. et in suam presentiam exhiberi. Cui et dixit: auditum nobis est o marmenia reliquisse te deos nostros quos vir tuus carpasius omni cum studio coluit. et ritum suscepisse christianorum. insuper etiam illos quos pro suis sceleribus nos occidi iussimus, pretiosae et mirificae sepulturae tradere non dubitaveris. Quod si verum est, prode quantocius nobis. Ad haec beata marmenia. Video inquit ad quid pertendas o iudex. verumtamen non multis tecum agam. Fac quod volueris. ego enim vere christiana sum et christum adoro. et pro eius nomine libenter mori desidero. Qui me indignam sua gratia dignam effecit. Iratus almachius iussit eam in carcerem trudi. hoc audiens filia eius, caepit omnia quae habebat latenter erogare pauperibus et indigentibus christianis. Nuntiatum est autem hoc almachio. et misit qui eam cum omni familia ad se perducerent. Cumque omnes ante conspectum almachii una cum beata marmenia presentati fuissent; ait ad eos. Dicite morti destinati. cuius condicionis estis? cuiusque professionis? Qui respondentes dixerunt. Professione quidem o iudex, christiani sumus. Condicionem autem si nosse desideras scias nos famulos esse huius dominae nostrae marmeniae. Mox indignatus almachius, praecepit tarquinio taurino. ut sine aliqua audientia eos interficere festinaret. Qui suscipiens eos, duxit ad templum martis. et cum nulla ratione eos ad turificandum compellere posset; ibidem omnes una cum beata marmenia et filia eius lucinia decollari praecepit. quarto calendas iunias. qui videlicet promiscui sexus XX et duo fuisse traduntur. Quod christiani cognoscentes venerunt una cum beato fortunato. et corpora eorum clanculo inde levantes, tulerunt et sepelierunt ea in eo loco ubi beatum urbanum praefata marmenia sepelierat. Quidam autem sacerdos sabinus nomine. qui iam fere per duodecim annos in carcere fuerat pro christi nomine maceratus; cum audisset beatam marmeniam una cum omnibus suis per triumphum martyrii perrexisse ad dominum. in eadem custodia nimis afflictus orans emisit spiritum. Quod audiens taurinus iussit funem in pedibus eius ligari. et trahi corpus eius. et in foro publico inhumatum relinqui. Cuius corpus rapuit noctu quidam policarpus presbyter et sepelivit in sarcofago cum centum XX quinque aliis martyribus. Quorum omnium orationes et merita nos commendent christo. Qui cum patre et spiritu sancto vivit et regnat deus per omnia saecula saeculorum. amen.

Pag. 265 — Passio Sanctae Euphimiae Virginis.

Temporibus diocletiani imperatoris cum fervor impietatis eius ubique seviret. erat apud urbem calcedonam congregatio non modica christianorum. inter quos erat et filia philosophronis senatoris nomine eufimia virgo pulcherrima. atque ab infantia deo dicata. Quod cum quidam vir iniquissimus appelianus curiosissime investigasset suggessit de eis proconsuli prisco. Hoc comperto proconsul, iussit eos omnes pariter comprehendi. et in praesentiam suam adduci. erant autem numero XL et VIIII. Tunc dicit eis proconsul. obaedite decretis imperatorum. et immolate deo marti. responderunt sancti et dixerunt. nos servi sumus omnipotentis dei. qui cuncta creavit ex nichilo. non possumus tantum regem relinquere. et ad eius iniuriam diis ligneis seu lapideis immolare. Tunc

proconsul iussit eos in carcerem mitti. et ibi eos diversis tormentis affligi. Transactis autem XX diebus. resedit proconsul pro tribunali. et iussit ante se sanctos adduci. Cumque venissent in praesentiam eius, una cum sancta virgine christi euphimia; interrogavit eos proconsul. Dicite nequissimi, si profecistis aliquid in tormentis; ut deo marti sacrificetis. Sancti dixerunt. Si cognosceres miser creatorem tuum. nunquam nobis talia diceres. Dicit proconsul ministris. alapis cedite illos. et dicite eis. obedite decretis imperialibus.

Cumque caederentur vultus eorum multo magis albescebant et exhylarabantur. Tunc priscus iubet eos in vinculis recipi. disponens eos transmittere ad imperatorem. Sanctam vero virginem euphimiam solam sibi presentari. Cui et dixit. honora te ipsam euphimia. et generis tui dignitatem non amittas. et ne credas illis qui verbis suis deceperunt te. Sed immola deo marti. iuvencula enim es. et tormenta ferre non vales. Euphimia dixit. non in aetate corporis est fortitudo certaminis. sed in virtute spiritus et fidei integritate. Igitur muliebri quidem tibi corpore. virili autem sensu et morte assisto. et te pariter et tormenta tua contemno. Iratus proconsul iussit eam in rota extendi, et ligari. Cumque corrigerent ministri argumenta rotarum ut eam constringerent atque contererent. orante ea confestim dirupta sunt omnia argumenta rotarum. et qui eam torquebant paralysi dissoluti sunt. ipsa vero in nullo penitus lesa est.

Admiratus proconsul ait. Quae sunt istae magiae tuae? Per deos. nisi sacrificaveris, igni te faciam concremari. Euphimia dixit. Ignem michi promittis qui post horam extinguitur. quia nescis ignem illum aeternum qui tibi paratus est. sed ego in deo meo confidens. ignes tuos nullatenus pertimesco. Tunc proconsul iubet accendi vehementer fornacem et eam ibidem praecipitari.

Unus autem ex his qui eam ducebant ad fornacem nomine sostenes respiciens ad proconsulem dixit. Iube me proconsul ante interfici. quam huic sanctae manus iniciam. Video enim ante me exercitum albatorum expectantium illam. Alter etiam nomine victor dixit ad proconsulem. Grave michi est o proconsul in hanc sanctam manus extendere. video enim in ora fornacis eam viros lucidissimos expectare. Tunc proconsul amotis his precepit aliis ut eam precipitarent in ignem. Cesarius autem quidam barbarus accipiens eam proiecit in medias flammas. et statim flamma exiliens combussit cesarium. Sancta autem dei nullum omnino sensit incendium. Cumque gratias agens deo de fornace exisset. iussit eam proconsul in custodiam recipi. sostenen vero et victorem sibi presentari. Dixitque ad eos. immolate diis. Sostenes et victor dixerunt. Nos usque modo in tenebris mansimus. nunc autem per beatam euphimiam vera luce illuminati sumus. fac igitur quod facturus es. nos enim a luce ad tenebras nunquam convertimur. Mox igitur proconsul iussit arenam parari. et eos ad ursos ferocissimos tradi. Cumque arenam ingressi fuissent pariter oraverunt et commendantes se domino immaculatas animas reddiderunt. Confusus proconsul surrexit et abiit in pretorium. corpora vero sanctorum sublata sunt a christianis. et optimo in loco recondita. Altera autem die iussit proconsul sanctam sibi presentari et dixit ei. Sacrifica diis ne moriaris. Euphimia dixit. Immo vere tunc moriar si eis sacrificare consensero. Iussit ergo iterum proconsul argumentum lapidum fieri. Ita ut dum abducerentur lapides ab argumentis contererent eam. cumque ibi fuisset imposita. facta oratione. ita comminuti sunt lapides, ut fierent pulvis. ipsa vera permansit incolumis. Iterum iussit proconsul fieri foveam magnam. et repleri eam aqua. et sanctam una cum sevissimis beluis mitti in ea. Sed cum nec sic in aliquo laesa fuisset. stupens proconsul iussit eam virgis durissime caedi. et dicebat ei. Resipisce et immola diis. Et cum coederetur sancta euphimia clamabat dicens. Non me tangunt virgae tuae impiissime. neque sentio tormenta tua scelestissime. Indignatus proconsul. iussit serras et sartagines afferri et membra eius per partes secari et in sartagine poni. Cum vero super serras esset imposita. mox serrae confractae sunt. et sartagines extinctae sunt. eamque ledere nullatenus potuerunt. Videns autem proconsul tanta mirabilia in sanctam dei. obstupuit. et nesciens iam quid faceret, habito consilio precepit eam in theatrum duci. et leones ac bestias ei laxari. Tunc beata virgo stans in medio theatri dixit. Tu domine notus es omnibus qui in veritate invocant te. Suscipe iam quaeso animam ancillae tuae. et sicut su-

scepisti sacrificium patris nostri abrahae. ita et humilitatis meae dignare suscipere sacrificium. Ut autem compleretur gloriosus cursus certaminis eius. una solummodo de bestiis accurrens morsum infixit sancto corpori eius, et ita immaculatum spiritum virgo domini reddidit. Venientes autem pater eius et mater. tulerunt cum gaudio corpus eius de stadio et curatum ex more honorifice sepelierunt illud, miliario uno plus minus a civitate calcedona. Completum est autem gloriosum martyrium sanctae ac beatissimae virginis christi euphimiae. sexto decimo kalendas octobris. in gloriam et laudem dei et salvatoris nostri ihesu christi qui cum patre et spiritu sancto vivit et regnat deus per omnia secula seculorum. Amen.

Pag. 283.

Filioli mei audite nos et liberate vos. Currite pro vobis et nobis prestatis et vobis. Commune erit gaudium nostrum. si vos viderimus induere christum. iuvenes. et virgines. seniores cum iunioribus. ad gratiam festinent. Mater nostra pariendo. non dicernit pater. Ipsa genuit petrum. ipsa genuit apostolos omnes. Nonne ipsa genuit paulum? pariebat ut ex lupo fieret agnum. Tamen natus est saulus. crevit et factus est magnus. Baptizatus est a matre. illuminatus est a patre. Et coepit petrum velle videre. Et cum quereret eum videre magis eum coepit timere. Audivit enim petrus. quia saulus eum querebat. Noli timere beate petre quia non saulus te querit; sed paulus vas electionis te cupit videre. O sancte petre benedic patrem et suscipe fratrem; et habebis cum quo defendas matrem. O beate petre; quia conversus est saulus miraris? qualis es tu; erit et ipse talis; et unus vobis erit natalis. Qui illum fecit ex saulo paulum; ipse te fecit ex symone petrum. Unus vobis honoravit; unus vos coronavit. Mutavit persecutorem; mutavit et piscatorem. Et si te priorem et illum posteriorem tamen ambobus unum donavit honorem. Veni sancte paule; veni sequere petrum: Sed docentem non fugientem. Fugiebat quando te sciebat. Nam iste beatissimus paulus; sicut in lectione actuum apostolorum cum recitaretur audivimus; coelesti voce prostratus. Dum fuerit ad caulas; in lupina rabie; dum exosum sibi nomen innocentis agni persequeretur. Dum querit discerpere aut vexare gregem; audivit altisonam vocem. Saule. Saule; quid me persequeris? Quid frustra insanisti contra nomen meum? et occidisti martyrem meum. Olim quidem debui perdere te. sed stephanus meus oravit pro te. Et ille; Quis es domine? Et dominus ad eum. Ego sum ihesus nazarenus; quem tu persequeris. Caput de coelo clamat pro membris. inquietatur membra; et de coelo intonat christus. Saule inquit Saule; quid me persequeris? Quid est quod rugientis poli mugit archanum? et contra sevitiam pauli; militiam conquiritur coeli? Nisi ut qui non crediderat resurgenti; saltem crederet in coelo sedenti. Nam dicitur Ananiae. Accede ad eum et signa eum caractere meo; multa enim patitur pro nomine meo. Et ille; Domine audivi a multis de viro hoc; quanta mala fecit sanctis tuis. Et dominus ad eum: Vade inquit. quoniam vas electionis est mihi. O beate ananias; merito in timore te daris? si forti manu non esset. cui militaris. Nam ideo prosternitur superbia; ut erigatur sanctitas. Sic est in tali homine resecandum. Patitur et ipse. quod aliis inferebat. Venit ananias; baptizavit saulum. et fecit paulum. Baptizavit lupum; et fecit agnum. Et cepimus habere predicatorem; quem habuimus persecutorem.

Denique caepit predicare christum; cui ante resistebat. Patit pro eo; contra quem antea pugnabat. Patit paulus; quod fecerat saulus. Saulus lapidavit; paulus lapidatus est. Saulus christianos virgis affecit; paulus pro christo quinquies quadragenas una minus accepit. Saulus persequutus est ecclesiam. Paulus propter eam summissus est in sportam. Saulus vinxit; paulus vinctus est. Et dum saulus querit minuere numerum christianorum; etiam ipse accessit ad numerum confessorum. Et dum infert aliis necem; ipse suscepit pro eis mortem. Dum intrat lupus rapax. in stabulo quieti pecoris; subito et ipse factus est ovis. Itaque quis iam desperet de magnitudine criminis? aut de humilitate generis? Nam iste beatissimus petrus piscator cui videbat non dico curator sed infimus obsonator. Modo genibus provolutus; eum adorat imperator. O duo luminaria; quae omnium gentium tenebras illustrat. Quorum triumphi diem hodierna devotione fidelissime celebramus. Ut per

quos initium divine cognitionis accepimus; per eos usque in finem saeculi capiamus regni coelestis augmentum. Qui in conspectu generis humani mirabiles apparuerunt; in eorum agnitione mutati; qui prevalendo deficiunt persequentes et deficiendo prevalent interempti. Nec potest ullatenus explicari; quibus modis haec interfectio pretiosa pensetur. Moriuntur abiecti; et orbis terrarum capiunt principatum. Moriuntur mundane eruditionis ignari; et existunt doctrinae caelestis auctores. Moriuntur captores piscium; et efficiuntur hominum piscatores. Moriuntur soliti maria perscrutari mediocri artis officio; redduntur saeculi examinatores et iudices. Moriuntur poenis tormentisque affecti; et fiunt curantes hominum passiones. Moriuntur terrenae dignitatis extranei; et eorum pontificio coelum aut reseratur aut clauditur. Moriuntur aliquando morituri; et predones mortis efficiuntur aeterni. O ammiranda commercia. quae nulla possunt estimatione taxari. Per quos hunigeniti sacrum corpus deus exornans; et unius ecclesiae suae fundamenta constituens. Nam unus dies duorum martyrum est; et duorum apostolorum quantum ecclesiae traditione percepimus. Nam non diverso; sicut quidam garriunt. sed uno tempore: uno eodemque die gloriosa morte in urbe roma sub cesare nerone agonizantes coronati sunt. Et pariter sanctam romanam ecclesiam; christo domino consecraverunt. Aequavit meritum in passionem qui eos unum quidem de aequoris piscatione alium vero ex predictae sanctae ecclesiae persecutione; ad eternam vocavit redemptionem. Hoc enim egit in eis; qui erat in eis. Qui in eis patiebatur; qui cum eis patiebatur. Qui adiuvavit certantes; et coronavit vincentes.

Pag. 286.

Iterum gaudii evangelia; iterum libertatis nuntia; iterum reconciliatio; iterum reversio; iterum letitiae vocis; iterum vitae liberationem. Angelus cum virgine loquitur; ut ultura non loquatur serpens mulieri. in mense sexto inquit missus est angelus gabrihel ad virginem desponsatam viro. Missus est gabrihel; totius mundi nuntiare salutem. Missus est gabrihel ad virginem; ut iniuriam faeminae in honorem transferat. Missus est gabrihel; preparare puri sponsi thalamum. Missus est gabrihel ad virginem desponsatam quidem ioseph; servatam vero ihesu. Missus est servus incorporeus; ad virginem impollutam. Missus est gabrihel qui a peccato liber; atque corruptione. Missus lucerna nuntiare solem iustitiae. Missus est aurora precurrens lumen diei. missus est gabrihel. demonstrans qui in sinu patris; et ulnis matris. Missus gabrihel demonstrans qui in throno et in spelunca. Missus est miles; clamans regis mysteria; mysterium cognitum fidei; non scrutatum multis negotiis. Mysterium adorandum; non appensandum. Mysterium dei locutus; non servatum. Mysterium confessum; non mensuratum. In mense sexto missus est gabrihel ad virginem. Qualem mensem dicit sextum? qualem? a quo suscepit helisabeth nuntium; a quo iohanne suscepit. Unde hoc certum interpretetur; ipse archangelus ad virginem dicat. Ecce enim helisabeth cognata tua; et ipsa concepit filium; et hic mensis est sextus. mensis conceptionis iohannis. Oportet enim preiungere militem. oportet precedere ordinatorem. oportet iter preparare nuntiatorem dominici adventus. In mense sexto missus est gabrihel ad virginem desponsatam viro. Desponsatam non conventam. Desponsatam quidem; conversata vero. Propter quid desponsatam? ut non citius discat latro mysterium. Quoniam quidem vero per virginem veniret rex; sciebat iniquus. Esaias enim et ipse audiebat voces. quod ecce virgo in utero habebit filium. Et singula quippe sciscitabantur virginis; ut ubi sentiret conderet crimen. Propter hoc dominator per desponsatam venit; desponsata vero de caetero spondebat. In mense sexto missus gabrihel ad virginem desponsatam viro; cui nomen ioseph. Audi quid pro hic virum et de virgine inquit dabitur; signatus hic liber viro. Quod signatus liber. utique omnino? inpolluta virgo. A quibus dabitur? a sacerdotibus manifeste. Cui hoc? fabri ioseph. Hic ioseph. pudici nuptiis conversatus ante eam et genuens filios. Dimisit coniugem. et dereliquid quod egeba in castitate et nutriens filios in disciplinam et amorem domini nimis. Quippe transiens in predicatione apostolus paulus; et unum eius inveniens filium scribit dicens. Alium quidem apostolorum neminem vidi nisi iacobum fratrem domini. Fratrem vocat iacobum domini. non quasi ex maria et io-

seph. natum. Et quoniam sacerdotes sicuti casto ioseph desponsaverunt maria. et commendaverunt nuptie tempus expectantes. Sperabat vero iste suscipiens custodire; in incorruptionem; virginem hoc dudum propheta proclamavit. Dabitur inquit librum signatum. hunc librum scienti litteras; videlicet nuptiis conversatus; et dicit non possum legere. Propter quid non potes? O ioseph non possum inquit legere; signatum est enim. Cui servatum? aedificatori omnium habitaculum conservatum. Sed ad propositum redeamus. in mense sexto missus est gabrihel ad virginem. Omnino ubi talia mandata suscepit. Veni inquit o archangele minister efficere terribili ministerii. occulto ministra miraculo. In requietione errantis adae descendere a meis misericordiis deducor; quia ad imaginem meam creatus est. Peccato veteravit manuum mearum faedavit aedificium. obscuravit formam lupum meum nutrimenta devastat; desertum est paradysi habitaculum; lignum vitae a flammeo gladio custoditur; clausa est voluntatem illam. Misereor espugnato; et comprehendere pugnatorem volo. Latere volo omnes caelestes virtutes tibi soli credo misterium. Ad virginem mariam proficisci feci animatam civitatem; de qua propheta dicebat; Gloriosa dicta sunt de te civitas dei. Perge ad rationalem paradysum; perge ad orientalem portam; perge ad dignum meum verbi habitaculum; perge ad secundum in terra caelo; perge ad nubem levem. nuntia dei mei adventum. Perge ad michi preparatum sanctimonium. perge ad thalamum incarnationis meae nativitatis. Loquere in auribus rationis arce; preparare mihi auditui ingressus. Sed nec subito ne conturbes animum virginis mitissimae sanctuarium appare prius ei voce exclama gaudii. Tu dic mariae; ave gratia plena; ut ego miserear evam afflictam. Audivit angelus haec. et in semetipsum utpote cogitabat. Mirares super ascendens cogitationem quod dicitur. Quis cherubyn terribilis? quis seraphym invisibilis? qui omnium Angelorum virtutum....

Pag. 297 — In decollatione sancti Ioannis. Sermo S. Augustini Episcopi.

Ita placuit redemptori ac salvatori nostro... Rogemus deum ut ab omni (nos) illecebra custodire dignetur. amen.

Editus **in** Florilegio *tom II.* ***huius*** Bibliothecae *pag. 142.*

Pag. 298 — In decollatione S. Iohannis.

Natale autem facto Herodis. saltavit filia herodiadis in medio... ad exolvenda martiri(b)us supplicia iudicium dei vivus incurrit.

Editus ibi pag. 145.

Pag. 305.

Extollens vocem quedam mulier de turba dixit illi. Beatus venter qui te portavit. et ubera quae suxisti. Vere beata maria quia tamquam in sacrario ventris sui portavit cum ministerio sacerdotem. Nam quicquid in seculum futurum erat. id totum de beato eius ventre processit. Processit enim sacerdos et ostia deus resurrectionis; et sacerdos oblationis; et hostia passionis. Hoc autem totum in christo agnoscimus. Deus est quod a patre rediit; pontifex. quod seipsum victimam optulit pro nobis. Mariae ergo beatum uterum. non uterum. sed templum fuit christi. Quid est autem nullo nisi quod super caelos estimandus est; quia victorem filium dei; ad caelos remisit. Inde venit ut pateretur; hinc rediit ut regnans adoretur. Inde humiliatus descendit; hinc ad patrem glorificatus ascendit. Melius plane templum corporis quam caeli. Residens christus in caelis; ibi est terribilis. hic autem mansuetus. Ibi peccata vindicans; hic peccata condonans. Ibi potestatem iudicis utitur. Hic per dilectionem inter fratres honoratur. Atque ut simus beati qui audiunt verbum dei et custodiunt hortatur. Ideoque nobis bonum est eum adorare cum invitat; ut possimus non eum timere cum iudicat. Ihesus christus dominus noster. qui cum patre et spiritu sancto vivit et regnat deus. per omnia secula seculorum. Amen.

EX CODICE CXXV.

Tractatus S. Augustini (1) — Leges Imperatorum et Regum — Canones Concilii Vercellensis, quorum sive versio sive notitia erat adhuc penitus inexplorata.

(In conpactione Codicis.)

In illo tempore. Dixit ihesus discipulis suis. Estote misericordes; sicut et pater vester misericors est. Et reliqua.

Tractatus Sancti Augustini Episcopi. de eadem lectione.

In huius sanctae evangelicae lectionis exordio quanta sit virtus misericordiae liquido demonstratur; in quo sola nos dei filius patrem praecipit imitari cum ait. *Estote misericordes sicut et pater vester misericors est.* In eo vero quod mox subintulit *nolite iudicare et non iudicabimini*; nichil aliud nobis praecipi existimo; nisi ut ea facta quae dubium est quo animo fiant; in meliorem partem interpretetur. Quod enim scriptum est *ex fructibus eorum cognoscetis eos*; de manifestis dictum est. quae non possunt bono animo fieri. sicuti sunt stupra. vel blasphemiae. vel furta. vel hebriositas. et si qua sunt alia de quibus nobis iudicare permittitur.

Non ergo repraehendamus ea quae nescimus quo animo fiant. Neque itaque repraehendamus quae manifesta sunt ut desperemus sanitatem. et vitabimus iudicium de quo nunc dicitur. *Nolite iudicare ne iudicetur de vobis.* Potest autem movere quod ait; *in quo enim iudicio iudicaveritis iudicabitur de vobis. et in qua mensura mensi fueritis in ea remetietur vobis.* Nunquid enim si nos in iudicio temerario iudicaverimus temere de nobis etiam deus iudicabit? Aut nunquid si mensura iniqua mensi fuerimus et apud deum iniqua mensura est; unde nobis remetietur; nam et mensurae nomine ipsum iudicium significatum arbitror.

Nullo modo deus vel temere iudicat vel iniqua mensura cuiquam rependit. Sed hoc dictum est quoniam temeritas qua punis alium eadem ipsa te puniat. necesse est. nisi forte arbitrandum est quod iniquitas ei noceat aliquid in quem procedit. immo vero sepe nichil nocet ei qui patitur iniuriam. ei autem qui facit necesse est ut noceat. Quid enim nocuit martyribus iniquitas persequentium? ipsis autem persecutoribus primum. quia et si aliqui eorum correcti sunt; eo tempore quo persequebantur excecabat illos malitia eorum. *Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem in oculo tuo non vides?* Ut si forte verbi gratia ira ille peccavit; tu odio repraehendas. quantum autem inter festucam et trabem; quasi tantum inter iram distat atque odium. odium est enim ira inveterata. quasi quae vetustate ipsa tantum robur acceperit. ut merito appelletur trabes. Fieri autem potest ut si irascaris homini velis eum corrigi. si autem oderis hominem non potes eum velle corrigere. Quomodo enim dicis fratri tuo sine eiciam festucam de oculo tuo. et ecce trabes est in oculo tuo? Ypocrita. eice primum trabem de oculo tuo; et tunc videbis eicere festucam de oculo fratris tui. Idest primo abs te expelle odium. et deinde poteris iam eum quem diligis emendare.

(1) Ni fallimur, nihil est in hoc tractatu quod Augustini stylum sapiat.

Legum Iustiniani Imperatoris versio nondum edita.

Pag. 18 — Ut nulla pecunia data episcopi ordinentur. Iustinianus rex. Tl. CCCCXXX. (1)

Ante omnia illud observare sanximus. Ut nemo sup prestatione auri. vel alterius rei episcopus consecretur. Quod si tale aliquid admissum (i. commissum) fuerit. semetipsos et suas animas hi qui pecunias accipiunt vel prestant. et mediatores eorum saecundum divinas regulas. et sacros canones contempnationi subiciunt. Et propter hoc qui dat. et qui accipit. et qui mediator factus est. Si de clero est sacerdotii vel clericatus honore inrecuperabilis removeatur. Quod autem post hanc causam datum est. aecclesiae illi. vendicatur (i. acquiratur). cuius voluit sacerdotium emere. Si autem laycus erit; qui pro hac causa accepit aliquid vel mediator rei factus est ea que data sunt in duplum ab eo exigat aecclesia vendicandum (i. possedendum). Non solum autem ea que data sunt vendicari precipimus. sed omnem cautionem super hoc quocumque modo exposita. et pignorum obligationem. et omnem aliam qualemcumque traditionem vel obligationem cessare sanximus (i. iudicamus). Ut ille qui promissionem accepit. non solum cautionem (i. pretium. vel promissio) reddere; sed et aliud tantum. quantum cautio (i. conscriptio) detinet. et convenitur aecclesia dare.

Pag. 20 — De episcoporum consecratione sanximus facere decreta in tribus personis. Iustinianus Rex. T. CCCCXXVIII. (2)

Igitur quando opus fuerit episcopos creare clericos (i. ordinare clericos) et primates (i. maiores) civitatis eius. cuius episcopus desideratur fieri; in tribus personis decreta facere. proponentis sancti evangelii periculo animae suae dicentes in ipsis decretis. Quod neque propter aliquam prestationem (i. donationem). neque propter promissionem. vel amicitiam vel aliam qualemcumque causam. Sed scientes eos recte. et catholice fidaei. et honestae (i. pulchre) vitae esse. et litteras scire; eos elegerunt. et quod neque uxorem. neque liberos (i. filios) eorum quis habet. neque concubinam. vel liberos naturales (i. spurios vel adulterinos) cognoscunt eum habuisse vel habere. Sed et si prius uxorem quis habuit. et ipsam unam et primam. Et neque viduam. neque a marito disiunctam (i. separata). neque legibus vel sacris canonibus reprobata. idest. scenicam (i. meretricem). Sed neque curialem (i. censualem). vel taxiotam (i. actorem. vel procuratorem rei publice) esse eum cognoscunt. Vel si curiali. vel taxiotica sopitus (i. sortitus) est condicione. sciunt ipsum in monasterio. non minus quam XIIcim annis solitariam vitam peregisse. Et haec autem in decretis oportet imponi. quod non minus quam XXXV etatis annos agere (i. habere) electam a se persona (i. episcopum) cognoscunt. Ut ex tribus personis pro quibus talia decreta fuerunt melior crearetur (i. ordinaretur) electione. et periculo creatoris (i. ordinatoris). Curialem vel taxiotam qui fecit ea que diximus per XII annos in monasterio moratus est. et ad episcopatum probatus liberum esse propriam condicionem; sic tamen ut liberatus curia; quartam portionem sui patrimonii sibi retineat. Ceteris rebus ipsius. secundum nostram legem curiae. et publico vendicandis (i. acquirendis. Damus autem licentiam illis qui decreta faciunt. Siquidem laicum citra (i. circa vel erga) curialem. et taxiotam dignum predicta electione esse putaverint talem hominem una (i. simul) cum aliis duobus clericis vel monachis eligere. Sic tamen ut laicus qui hoc modo ad episcopatum electus est non statim episcopus creetur (i. fiat). sed primum clericis non minus tribus mensibus connumeretur. et ita sancto canones. et sacrosanctae aecclesiae ministerio edoctus episcopus creaetur (i. fiat). Qui enim alios docere debet ab aliis post consecrationem doceri non debet. Quod si in aliquibus locis inveniantur tres personae ad talem electionem idoneae. licet decreta facientibus et in duabus vel una persona decretum facere. et tamen omnia. Si autem hi qui debent episcopum eligere talia decreta intra sex menses non fecerint. tunc periculo animae suae. ille cui competit (i. convenit. vel pertinet) consecrare episcopum consecret. omnibus aliis que diximus observandis. Si qui autem preter memoratam observa-

(1) *Auth. Collat. IX. Tit. VI. Novell. CXXIII.* cap. II.

(2) Ibi cap. I.

tionem episcopi creatus sit. Iubemus eum modis omnibus episcopum qui contra hec precepta ausus fuerit episcopum consecrare. separare per unum annum a sacro ministerio. et totam eius substantiam. Si qualicumque tempore vel modo in ipsius dominium pervenerit; propter delictum quod fecit dominio ecclesiae. cuius episcopus est vindicari.

De episcopi constitucione. (3)

Haec constitutio in primo capite de consecratione episcoporum. loquitur; quam oportet procedere sic. Debet enim prius disceptare (i. inquirere) de vita episcopi. utrum bona sit. an reprehensibilis. et utrum boni testimonii sit. an non; sed si officialis vel curialis condicionis sit; prohibetur episcopus fieri. nisi forte a tenera aetate (i. ab infantia) in monasterio fuit eo modo. quo liberatus est a predictis condicionibus. Ita tamen ut quartam partem substantiae suae curiae prestet. secundum legis observantiam. Sed neque ex laico statim ad episcopatum ascendere licet. neque clericatus honorem simulatum habuisse sufficit. Oportet autem eum qui episcopus fit. neque uxorem habere. neque concubinam. neque filios. neque nepotes. Sive legitimos. Sive legibus incognitos. Et si qui contra haec fecerit et is qui factus est; et is qui eum fecit; episcopatus expellatur honore. Nec liceat pecuniae datione episcopus fieri. esse autem oportet eum qui episcopus fit. vel monachum. vel clericum ita tamen ut non minus sex mensibus appareat eum in clericatu fuisse. Legere autem debet et sanctos canones eo quod tempore quo consecratur. consulat (i. interroget) eum is qui consecrat si possit facere. atque custodire omnia. que divini precipiunt canones. Et si quidem denegaverit se posse custodire; non consecretur. Si autem pollicitus fuerit (i. promiserit) observaturum se quantum hominibus possibile est sancta canonum precepta. Tunc is qui consecrat eum ammonere atque predicare eum debet. quod si non observaverit canones sanctos. et a deo alienus erit. et inter religiosos episcopos non connumerabitur. Nam canones patrum eum habere oportet. Si autem aliquis pecunias dederit eodemque modo creatus (i. factus) episcopus fuerit. non solum ipse. sed etiam qui consecravit eum inter episcopos iam non erit. sed pecunia. vel res datae consecrationis causa sacrosanctae ecclesiae addicantur (i. statuantur. vel reddantur); sive episcopus. sive clericus est qui dedit. Is (i. ille) autem qui accepit; non solum res amittat (i. perdat); sed etiam gradum atque honorem clericatus. Similiter autem et si laicus sit. qui pecunias vel res accepit. et ipsas ammittat (i. perdat). et aliud tantum quantum accepit. paenae (i. damno) nomine sanctae ecclesiae prestare compelletur (i. cogatur). Sed et si magistratus gerat (i. faciat) in magistratu esse desinat et exilio inrevocabili condempnetur. Si autem aliquis presbiter vel diaconus constitutus pecunia data ad episcopatus apicem (i. honorem. vel arcem) pervenerit. non solum episcopum esse desinat. sed etiam priorem gradum presbiterii. vel diaconii amittat (i. relinquat). Consecratio autem episcopi. fiat ante omnem populum christianitatis. ut sit facultas (i. licentia) unicuique si velit contradicere. Siquidem ante consecrationem factam fuerit. contradictio. non prius consecratur episcopus; nisi disceptatio (i. concerta ratio. vel probatio) de consecratione facta sit. Et undique (i. ex omni parte) appareat innoxius is (i. ipse) qui ad episcopatum vocatur. Si autem ante disceptationem eius ad episcopatum pervenerit amittat honorem. non solum ipse sed etiam is (i. ille) qui eum creavit (i. fecit). Quod si is qui contradixit calumniator probatus fuerit; vel contradictionis iudicium deseruerit; et non peregerit causam; prohibeatur a sacrum communione in omni vita sua ab eo qui consecravit episcopum.

Pag. 28 — Quod oportet clericos sine reprehensione. et sint litterati et sine datione pecuniarum liberatos curiali condicione consecrari. Iustinianus Rex. Titul. XXVII. (4)

Nemo clericus fiat nisi is (i. ille). qui et bonum testimonium habet et litteratus est. Qui enim litteras non scit. clericus esse non potest. doceantur presbiteri. et diaconi sacras orationes. et ecclesiasticos canones. Quos scilicet consecrari oportet. sine reprehensione. sine iusta contradictione sine

(3) *Ibi Coll. I. Tit. VI. Nov. VI.* cap. I.

(4) Ibi.

pecuniarum datione. Liberatus tam officiali. quam curiali condicione (i. officium); nisi forte secundum observationem quam in primo capite presentis constitutionis exposuimus.

De curialibus et taxiotis ad clericatum non admittendis. Iustinianus Rex. (1)

Neque curialis neque taxeota clericus consecretur. Quod si hoc factum fuerit priori condicioni (i. servitio vel ordini) restituatur. nisi forte prius non minus quam. V. annos solitariam vitam peregerit. Tales enim homines consecrari iubemus. recedendas scilicet a curiali legitima ratione tam curiae; quam publico.

Pag. 30 — Cuius etatis clerici fieri debeant. Iustinianus Rex. (2)

Nemo presbiter consecretur qui minor XXX annis sit. Nemo diaconus fiat; qui minor XXV annis sit. Nemo subdiaconus. qui minor XII annis sit. Nemo lector annumeretur. qui minor VIIII annis fuerit.

Pag. 37 — Qui duas nuptias contraxit ad gradum non provehatur ecclesiasticum. Iustinianus Rex. Tit. XXVIII. LXVIIII. (3)

Qui duas nuptias contraxerit (i. conduxerit) diaconus. vel presbiter fieri prohibetur (i. vetatur). Sed et si mulierem disiunctam a marito suo quem ipsa reliquit uxorem quispiam (i. aliquis) habuerit. neque diaconus. neque presbiter fieri potest. Idem est et si concubinam habet; quippe (i. certe) tales homines cum castitate vivere decet. Castus autem est qui habet vel habuit uxorem castam. et ipsam ab ipso virginem susceptam (i. acceptam).

Si lector vel laicus secundas nuptias contraxit. ad gradum ecclesiasticum non presumat accedere. Iustinianus Rex. (4)

Lector quoque si secundas contraxerit nuptias. ad maiorem gradum ordinis ecclesiastici prohibeatur (i. betetur) ascendere. Laicus autem si appareat (i. cognoscatur) uxori coniunctus esse quae alium maritum habuit. Aut si non iure (i. non recte. vel sine lege) coniunctus sit. aliamque uxorem habuit. neque subdiaconus. neque diaconus. neque presbiter fieri poterit. Nam et si clamdestinis artibus (i. absconsis fraudibus) ad consecrationem inrepserit (i. subierit); honor eius cadit.

Cuius qualitatis clericus fieri debet. Iustinianus Rex. Titul. CCCCXLIIII. (5)

Non alium clericum concedimus creari (i. fieri). nisi eum qui et litteras scit. et rectam fidem. et vitam honestam habet. Et neque concubinam. vel quae naturales (i. adulterinos) liberos (i. filios) habet. vel habuit. sed vel castitate preditum (i. ditatum. vel divitem) vel uxorem legitimam. et ipsam unam et primam habentes. vel si iam habuerit. Et neque viduam neque disiunctam. a marito. neque a legibus vel divinis canonibus reprobata.

Pag. 48 — Si episcopus ante consecrationem suam vel postea venerabili loco res suas optulerit. Iustinianus Rex. Titul. CCCCXXXI. (6).

Si qui post episcopatum vel ante consecrationem voluerit proprias res; vel eorum partem ecclesiae offerre cuius episcopus erit. hoc laudabile est quia non est emptio (i. comparatio). sed oblatio.

De amministratoribus venerabilium locorum suas res offerentibus. Iustinianus Rex. titul. CCCCLIII. (7).

Si clericus cuiuscumque gradus. sive amministrator. cuiuscumque religiosi loci. vel ante consecrationem vel ministrationem. vel curam sibi commissam (i. commendatam). vel postea voluerit aliquid de propriis rebus offerre ecclesiae in qua consecratur. vel loco; cuius amministrationem (i. ministerium) vel curam recepit. non solum non pro-

(1) Ibi *Coll. IX. Tit. VI. Nov. CXXIII. cap. XV.*
(2) Ibi *cap. XIII.*
(3) Ibi *Coll. I. Tit. VI. Nov. VI. cap. V.*
(4) Ibi.
(5) Ibi *Col. IX. Tit. VI. nov. CXXIII. cap. XII.*
(6) Ibi *cap. XVI.*
(7) Ibi *cap. III.*

hibemus (i. non vetamus. vel contradicimus) hoc fieri. sed magis exhortamur talia pro salute animae suae facere.

Pag. 49 — UT LOCORUM VENERABILIUM AMMINISTRATORES. SINE PECUNIA FIANT. IUSTINIANUS REX. TITUL. CCCCLII. (1).

Nullus neque xenodoxus (i. custos peregrinorum) (xenodochus dicitur. peregrinorum susceptio. vel pauperum domus) neque pthrochotrophus (i. gubernator infirmorum). neque nosochomius (i. custos orphanorum); neque alius religiose domus amministrator. Vel cuiuscumque curiae aecclesiasticae gestor (i. minister); prestet (i. tribuat) aliquid (sc. pecuniae) ei a quo preponitur. vel cuicumque personae pro commissa (i. concessa) sibi amministratione. Qui autem preter haec. quae disposuimus (i. ordinavimus) dederit aliquid; vel acceperit. vel mediator factus fuerit; sacerdotio vel clero. vel commissa sibi amministratione. nudabitur (i. expoliatur). His (i. illis). quae data sunt vendicandi (i. reducenda. vel revocanda) religioso loco; cuius talis persona consecrationem. vel curam vel amministrationem accaepit. Si autem laicus sit qui acceperit. vel mediator factus est. duplo ab eo exigatur (i. requiratur). et religioso loco in quo talis persona amministrationem vel consecrationem. vel curam accaępit. prestetur (i. donetur).

UT MAGISTRATUS SINE PECUNIA FIAT. IUSTINIANUS REX. (2).

Omnes magistratus (i. magistros. vel principes ecclesiae) sine pecunia creari (i. fieri) decernimus (i. iudicamus). ut neque impure (i. male. vel non sincere) aliquid detur. neque sine puritate (i. sinceritate) aliquid a subiectis exigatur (i. exquiratur).

Pag. 73 — DE EPISCOPIS QUI CUM MULIERIBUS HABITANT. IUSTINIANUS REX. TIT. CCCCLXXVI. (3).

Nullus episcopus cum muliere habitet. et penitus (i. omnino) nullam mulierem habeat. Si autem probatus fuerit hoc non observasse; episcopatus honore sui reiciatur; quia ipse se indignum sacerdotio ostendit.

Pag. 83 — UT SUBDIACONUS. NULLAS NUPTIAS AUDEAT CONTRAHERE. IUSTINIANUS. (4).

Clericus qui supra lectores. et cantores est; veluti subdiaconus et diaconus. nullas nuptias contrahere (i. conducere) audeat. Alioquin (i. sin aliter) a sacerdotio cadat.

Pag. 103 — DE PRIMI MONACHI CREATIONE. IUSTINIANUS REX. (5)

Primi monachi creatio. non secundum ordinem. temporis fiat. nec qui tempore priorem primi loci creationem sibi presumat. Nec qui secundus forte vel tertius est. sed qui debitae castitatis. et divinarum rerum scientia et animi gravitate (i. fortitudine) praecellit (i. antecedit). Is (i. ille) habeat honorem isque praecedere debet secundum electionem atque iudicium religiosissimi episcopi. Quae autem diximus et in prioribus et in istis constitutionibus. de clericis. vel monachis. vel monasteriis. eum non solum de masculis. sed etiam de feminis sanctimonialibus intellegere debemus.

Pag. 104 — UT MONACHI VEL MONACHAE IN CIVITATIBUS NON DEAMBULENT. IUSTINIANUS. (6)

Negant sollicitudinem (i. curam. vel studium) episcopi. ut neque monachi neque monachae in civitatibus ambulent. Sed si quas habent necessarias (i. aliquas) causas eas agant per apocrisarios (i. missos) suos. ipsi. vel ipsae. in monasterio permanentes.

Pag. 105 — QUOD SI A MONASTERIO QUIS RECESSERIT. RES IPSIUS MONASTERII SIT. IUSTINIANUS. (7)

Si qui in monasterio consecraverit. et postquam

(1) Ibi *cap. XVI.*

(2) Haec lex desumpta videtur ex praefatione *Novellae VIII*, vel ex *cap. I. Novellae XVII.*

(3) Ibi *Coll. IX. Tit. VI. Nov. CXXIII. cap. XXIX.*

(4) Ibi *Coll. IV. Tit. I. Nov. XXII. cap. XLII.*

(5) Multam relationem offert cum *cap. IX. Novellae VI.*

(6) Pars *cap. XLII. Novellae CXXIII.*

(7) Similitudinem habet cum *cap. IV. Novellae VI.*

vestem religiosam vestitus est a monasterio recesserit; omnia bona ipsius quod in monasterio introduxit; ad ipsum monasterium pertineant. Est et alia constitutio. et si non introduxit; omnes res eiusdem monasterii sint.

Si qui introierit in monasterio. et post religiosam vestem recesserit. Iustinianus Rex. Tit. XVIII. (1)

Si qui introierit in monasterio. et post religiosam vestem recesserit. vel militaverit. vel simpliciter laicus factus fuerit. Spolietur cingulo (i. honore) militari. et vitam liberam non potiatur (i. non possideat); sed officio (i. ministerio) presidis provinciae servire cogatur et taxeotis (i. ministris) suis eum annumeret (i. computet. vel ascribat). Substantiam autem eius in monasterio maneat.

Item eiusdem Iustiniani. (2)

Si qui in monasterio consecratus fuerit; postea quod in alium monasterium transire maluerit (i. voluerit). Substantia quidem eius a priori monasterio vendicetur (i. habeatur). Aliorum autem monasteriorum primates prohibeant (i. contradicant. vel non permittant) eum transire; ut in alio monasterio non recipiatur. Et de hoc curare debent. non solum religiosissimi episcopi; sed etiam reverentissimi archimandritae (i. abbates).

Pag. 109 — Si sponsalia inter sponsum et sponsam legitimam facta fuerint. et unus ex his in monasterium intraverit. Titul. CCCLXXXVII. (3)

Iustinianus Rex. Si sponsalia legitimae inter sponsum et sponsam contracta (i. celebrata) fuerint; deinde antequam nuptiae celebrentur. si sponsus vel sponsa intraverit in monasterium. id quod datum arrarum nomine est in simplum tantum reddatur; et pena (i. compositio) utrique parti remittatur.

(1) Ibi *Coll. I. Tit. V. Nov. V. cap. VI.*

(2) Ibi *cap. VII.*

(3) Ibi *Coll. IX. Tit. VI. Nov. CXXIII. cap. XXXIX.*

Pag. 110 — Si vir aut mulier ad solitariam vitam transierit. Iustinianus Rex. (4)

Si vir vel mulier ad solitariam vitam transierit. et liberos (i. filios) non habet. Res eius monasterio competant (i. pertineant) in quod intravit. Si autem talis persona liberos habet; liceat ei substantiam suam liberis suis distribuere. Sic tamen ut nulli eorum dimittat legitimam portionem. et sibi retineat. unius filii partem ad monasterium scilicet perventuram. Quod si antequam deliberet (i. determinet. vel diffiniat) inter liberos suos propriam substantiam. in monasterio decesserit; sola legitima portio liberis eius deseratur (i. relinquatur).

Pag. 117 — De diaconissis. Iustinianus. (5)

Diaconissas autem creari constitutio precepit. L. annorum aetatem agentes. ita tamen ut virgines sint. vel si unum tantummodo maritum habuerint. Sin autem mulier propter aliquam necessitatem minor L annorum. diaconissa facta fuerit. non liceat ei alibi degere (i. vivere) quam in asciterio (i. consisterio. vel monasterio) sanctimonialium mulierum. ubi neque mares conversantur vivere liceat ei quomodo velit (i. vult). Nulla autem facultas diaconissis attributa est habere quosdam secum nisi fratres. vel cognatos. vel quos dicere solent agapetos. (i. amatos) idest dilectos. Nam diaconisse super se habitare debent; et nullum alium ammittere (i. habere) secum. nisi revera fratrem. Si autem aliqua suspicio sit quasi simulatus frater. ut cum ea degat. vel ab initio non consecretur. vel si sacrata fuerit; amittat honorem. Paenam autem cum corruptore patiatur. eam quam sacre constitutiones ad usum corruptoris definiunt. Eo autem tempore quo diaconissae consecrantur; ammonendae sunt. ut si postea nupserint; vel aliam elegerint vitam; gladio ultoris (i. vindicatoris). sternantur. sive ecclesiis addicantur (i. socientur vel applicantur). Is autem qui corrumpit eam puniatur quidem eodem supplicio. bona autem eius fiscis regiis vendicentur.

(4) Ibi *cap. XXXVI.*

(5) Ibi *Coll. I. Tit. VI. Col. VI. cap. VI.*

Pag. 118 — De diaconissis que cum masculis habitant. et de liberis earum. Iustinianus. Tit. CCCCLXXVII. (1).

Kaveant diaconisse. cum masculis habitare. per quos in honestam (i. castam) vitae suspectio possit emergere. Sin autem hec non observaverint sacerdotes cui subiecte sunt ammonitionem abstineat (i. compescat. vel contradicat. vel amoveat) conversationem masculorum. Sin autem hoc distulerit facere. ecclesiastico ministerio et suis sacris careant. et monasterio tradantur. et omnem vitam suam ibi peragant. Res autem earum. si quidem liberos habeant inter ipsas. et illos secundum numerum eorum personarum dividantur. Ut competens (i. conveniens) eiusdem mulieris portio monasterio addicatur (i. societur. vel ascribatur). et alat eam. Sin autem non habeat liberos. tota ipsius substantia inter monasterium ubi ipsa missa est. et ecclesiam in qua prius fuerat; ex aequa (i. equalis) portione dividatur.

De monachi tonsura et religiosis vestibus. Iustinianus. (2)

Qui volunt monachi fieri sive liberi sint. sive servi non statim monachi fiant; sed per triennium tonsura quidem et veste laicorum utantur. et divinas scripturas discant. et confiteantur (i. manifeste). suam condicionem (i. generationem). idest. utrum ingenui (Inter liberum et ingenuum. hoc distat. liber dicitur a libertate. qui per cartulam liber effectus est. Ingenuus dicitur quasi non genuus. sed nobilis. et expectabili. eo quod nulli flectat genu. sed a progenie in progeniem sit ingenuus. i. nobilis) sint. an servi. vel alterius cuiuscumque status. et narrent causas propter quas ad solitariam vitam migrare desideraverint; ne forte mali sint et ideo displiceant. Oportet autem monachos verba eis offerre quod mores eorum et vitam corrigere possint. et si per triennium tales apparent. ut videantur digni tonsura. et veste religiosa; tondantur. et stola (i. veste) monachica vestiantur. sive liberi sint. sive servi. et nulla molestia inferatur eis. neque in servili. neque de libera condicione (i. generatione vel proienie). Sin autem aliquis intra triennium retrahere servum suum voluerit; et dicat quod res mea furatus sit. ideo ad monasterium cucurrit. non statim eum abstrahat. sed prius probet quod et servus est. et in furto vel vita mala. et peccatis atrocibus timuit. et fugit. Et si hec vera sunt. reddatur servus domino suo cum rebus subreptis (i. furtim subtractis). Si etiam ipse quoque in monasterio fuerit; dominus autem eum recipiens. fidem ei prestet quod nullo eum malo propter hoc quod iam peccavit afflicturus (i. laceraturus) sit. Quod si nullo delicto servum subpositum esse dominus probare potuerit; et ipse servus ex castitate morum suorum bona testimonia habeat. et si non triennium preterierit; tamen maneat in eodem venerabili monasterio. Triennio autem semel transacto et inter monachos servo numerato; nulla licentia sit qualemcumque molestiam ei inferre. sive famulus sit. sive ingenuus. sed omnimodo solitariae. vitae permaneat. et si peccatum ei in priore vita ammissum (i. commissum) sit. ea autem quod furto subrepta sunt. procul dubio. si inveniantur; domino reddi oportet. Idem. Si autem servitutem effugiens veniat quis ad monasterium; postea autem reliquerit venerabilem locum. et in aliae vitae figura transierit; liceat domino extrahere eum. et probanti quod servus est; servum eum habere.

Quod si liceat monasteria ante consecrata diversoria secularia fieri.

Quae semel dedicata sunt monasteria consilio episcoporum; maneant perpetuo monasteria. et res quod ad ea pertinent; monasteriis reservari. nec postea ultro (i. voluntarie. vel sponte) fieri diversoria abitacula. tamen precipuae secularia. Qui vero hoc fieri permiserint; canonum sententiis subiacebunt. Idest ut ab omni caetu abominentur catholicorum.

(1) Ibi *Coll. IX. Tit. VI. Nov. CXXIII. cap. XXX.*

(2) Ibi *Coll. I. Tit. V. Nov. V. cap. II.*

Pag. 149 — Si qui inter caelebranda divina misteria ministris dei iniuriam fecerit. Iustinianus. (1)

Si qui dum divina ministeria celebrantur. in monasterium vel sanctam intraverit ecclesiam episcopo. vel clericis et aliis ministris ecclesiae iniuriam fecerit. Iubemus eum tormentis subiectum in exilio mitti. Sed si et ipsa sancta ministeria vel oratoria. vel divina ministeria conturbaverit. vel celebrari prohibuerit (i. non permiserit). capitali supplicio puniatur. Hoc eodem observetur et in laetaniis. in quibus aepiscopi. vel clerici inveniuntur. Ut si quidem (i. namque) contumeliam tantum fecerit; tormentis exilio tradatur. Sin autem laetanias conturbaverit; periculo capitali subiciatur. Eaque defendere volumus. non solum civiles. sed etiam militares iudices.

Pag. 150 — De clericis tabulizantibus. Ex lege Iustiniani. (2)

Neque episcopus. neque presbiter. neque diaconus. neque subdiaconus. neque lector. neque alius cuiusque religiosi consortii. vel abitus. tabulizare (i. tabulis ludere) audeat. vel socius ludentium fieri. vel in quodcumque spectaculum. spectandi (i. ludicandi) causa venire. nam si quis contra haec fecerit. per III annos omni sacro ministerio prohibeatur. et in monasterio mittatur. Si autem dignam paenitentiam (i. infra III annos) posteriore tempore ostenderit; statim revocetur. scientibus sacerdotibus qui talia peccata dissimulaverint (finxerint) quia ipsi de eo deo rationem reddunt.

Pag. 168 — De his qui sine causa probata excommunicantur. Iustinianus Rex. (3)

Nemo episcopus. neque presbiter. excommunicare audeat (i. presumat) aliquem antequam causa probetur. propter quam ecclesiastici canones hoc fieri iubent. Si qui autem contra haec excommunicaverit aliquem. Ille quidem qui excommunicatus est; maioris sacerdotis auctoritate. ad gratiam sanctae communionis redeat (i. revertatur). is (i. ille) autem qui non legitime (i. non recte) excommunicavit. in tanto se abstineat sacrae communionis tempore; quanto maiori sacerdoti visum fuerit. ut id quod iniustae fecerit iuste patiatur.

Pag. 215 — De homicidis qui aliquando absolvuntur aliquando damnantur. Iustinianus Rex. (4)

Qui hominem occidit. aliquando absolvitur; et qui non occidit. (i. consilium dat occidendi). Ut homicida damnatur (i. puniatur). Consilium enim uniuscuiusque non factum puniendum est (i. puniendum). Ideoque si cum vellet (i. voluisset) occidere casu (i. eventu vel impedimento) perpetrare (i. perficere) non potuit; Ut homicida puniatur (i. damnetur). Et his qui casu telo (i. sagitta) hominem imprudenter (i. nolenter) ferierit (i. percusserit) absolvitur (i. liberatur). Quod si in rixa percussus homo fuerit. quoniam locus quoque ipsos contra unumquemque contemplari (i. videri. vel considerare) oportet (i. necesse est). Ideo humiliores (i. minores) in ludo (i. theatro) aut in metallo (i. carcere. vel catena. sive cippo) damnantur. honestiores (i. maiores. vel nobiliores) dimidia parte bonorum multati (i. damnati) religantur (i. constringantur).

Pag. 275 — Si sponsalia inter sponsum et sponsam legitima facta fuerint. et unus ex his in monasterium intraverit. (5).

Iustinianus rex. Si sponsalia legitima inter (sponsum et) sponsam contracta (i. coniuncta) fuerint. deinde si antequam nuptie celebrentur. sponsus vel sponsa intraverit in monasterium. id (i. illud). quod accepit arrarum nomine. in simplum tantum reddatur. et paena ab utraque parte remittatur (i. dimittatur).

Soluto matrimonio in anno abstineat nuptias mulier. Iustinianus Rex. Tit. CXXXV. (6).

Illud certum est quod in his causis ex quibus

(1) Ibi *Coll. IX. Tit. VI. Nov. CXXIII. cap. XXXI.*
(2) Ibi *cap.* X.
(3) Ibi *cap. XI.*
(4) ?
(5) Eadem est ac alia pag. 109 relata.
(6) Ex *cap. XVI. Nov. XXII.*

matrimonium (i. coniugium) solvitur (i. separatur per mortem). Si velit mulier postea nubere. annum prius expectare debet propter sanguinis confusionem (i. opprobrium).

Pag. 311 — Si vir vel uxor causa legitima matrimonium solverit. CCCCXXVI. Iustinianus. (1).

In superioribus posita est constitutio qua caveatur (i. vitetur. vel fugiatur). ne uxor maritusve (sive maritus) sine causa eiusdem (ipsi) constitutioni cognita matrimonium (i. coniugium) dissolvere (absolvere. vel disiungere) audeant (ausi sunt. vel presumant). Quod si hoc ausi fuerint facinus (malum) perpetrare (committere). paenis quibusdam eos subicimus (subdimus). In ipsis autem penis religavimus (constringimus) maritos. (in quibus) gravior est animadversio (percussione). mulieribus imposita. sed hanc legem merito (recte) corrigentes (emendantes). Iubemus (precipimus) eisdem (ipsis) penis temerarios (presumptores) maritos subiciendos (supponendos vel religandos) esse que (a) mulieribus discedentes (i. non recte) sine causa legitima (probata); cupidis imminere (incurrere) noscuntur (cognoscuntur). Ut pari (simili) delicto; par paena (angustia) utrosque (ambos) contineat (retineat. vel constringat).

Non liceat consensu matrimonium solvere. nisi ex causa probata. Cap. CCCLXXXVI. (2).

Iustinianus Rex. non liceat consensu matrimonium solvere. nisi forte castitatis amore hoc fecerint. Aliter enim disiunctione nuptiarum fieri ex consensu nulla ratione concedimus.

Pag. 318 — Si qui liber ancillam uxorem duxerit. vel contra. Iustinianus Rex. Tit. CXXXIII. (3)

Si qui per errorem ancillam muliere duxerit uxorem. liberam eam esse putans. vel ex contrario libera mulier servo per errorem coniuncta sit. postea quam veritas reperta fuerit dicendum est omnino nuptiis non constitutos. et inter liberum et ancillam. servum et liberam mulierem nuptiae contrahi non possunt. Quod si calliditate vel coinbentia (consensu) domini servus vel ancillam matrimonium (coniugium) contraxerit cum libera persona. forte (forsitan) enim ancillam suam viro ingenuo coniunxit. et dotem pro ea prestitit ut propter nuptias donationem lucretur totam vel pro parte. Si quid ergo tale contigerit (evenerit) ipsa datio dotis. et ancilla libera fiat. et nuptiae consistant (permaneant). nulla lege quantum pertinet ad servitutem huiusmodi matrimonii concutiente (turbantes. vel compellentes). Sin autem dominus specialiter obaedire nuptiis ancillae suae vel servi non consenserit scient autem quid agatur non prohibuerit forte enim ideo (propter ea) hoc facit ut postea negotia (causatione) moveat. homini libero quod ancillam eius duxit uxorem. vel ingenue (libera) mulieri quod servo eius nupta est. Si qui igitur tale evenerit licet specialiter dominus non consenserit. ad tamen si sciens non prohibuerit (non contradixerit) et nuptiae integro iure (i. lege) consistant. et servi(li)s. condicionis (i. constitutionis) proveniat absolutio. illud sine dubitatione quod liberi qui ex huiusmodi nuptiis procreati fuerint. tam ingenui (liberi) quam legitimi sint.

Si alienus adscriptitius liberam mulierem uxorem duxerit. Iustinianus Rex. Tit. CXXXVI. (4).

Alienus adscriptitius (incartulatus) liberam mulierem non ducat uxorem. neque sciente neque nesciente domino. quod si tale aliquid ausus fuerit facere. liceat domino retrahere eum modica castigatione (i. correctione. vel increpatione). sive per se sive per magistratum et copulatam sibi mulierem disiungere. tales enim nuptiae nec nuptiae sunt. nec dos (i. honorantia) ulla est nec donatio propter nuptias intelligitur.

(1) Ex numero CCCCXXVI huic legi praefixo, inquirenda est in Collatione IX Novella, quae CXXIII immediate praecedit, sed ibi minime legitur.

(2) Confer *cap. X. et XII. Nov. CXVII.*

(3) Ex *cap.* X. *et XI. Novellae XXII.*

(4) Ibi ex *cap. XVII.*

Pag. 319 — Si quis in servo suo vel ancilla egrotante nullam adhibuerit curam. Iustinianus Rex. (1)

Si qui servum suum egrotum vel ancillam morbosam (egrotam) contempserit (despexerit) et nullam curam (medicinam) eis fecerit. necesse est (oportet) eos liberos esse. Servus enim per titulum (per cartulam) pro delicto (crimen) contemptus (eiectus) a domino suo in libertate eripiatur (i. ducatur). eodem iure (lege. vel potestate) etiam in ancillam optinente (detinente). ideo quod nuptiae inter eos contrahi (conduci) legitime possunt. Et istae quidem causae sunt per quas bona gratia matrimonia (coniugia) dissolvuntur. His (illis) autem annumerari debent etiam in expeditione (militia) degentes (viventes) morati (tardati) milites dissolutio de qua dicendum est in competenti (in convenienti) tempore in qua etiam causa suptilius (diligentius) de repudiis (separationibus) dicturi sumus.

Pag. 328 — De nefariis nuptiis et incestis. Iustinianus rex. Tit. CX. (2).

Si qui nefarium et incestum atque damnatum contraxerit (matrimonium). liberos autem ex priori legitimo matrimonio non habuerit. statim suis facultatibus careat. dos quae ei data est fisci iuribus vendicetur post puplicationem autem cinguli sui patiatur. amissionem et exilio puniatur. Quod si vilior sit et corporali questioni subsistat et uxor eius contra leges nupta easdem paenas patiatur scilicet si nulla iuxta excusetur ignorantia.

Leges civiles quae in editis desiderantur.

Pag. 26 — De ordinatione clericorum. nullatenus premia querantur. Karolus Rex.

Propter ordinationem; vel creationem presbiterorum. ceterorumque clericorum. nullatenus premia amodo accepturos permittimus. Neque ab ipsis. neque a parentibus suis. vel amicis eorum. neque in palam. neque in occulto.

(1) Ex *cap. XII. Nov. XXII.*

(2) Ex *Cap. I. Nov. XII.*

Pag. 28 — De his qui per pecuniam sunt ordinati. Heinrici Regis.

Si qui per pecuniam episcopum. aut presbiterum. vel diaconum. aut quantumlibet sacri ordinis consecraverit; anathema sit et ordinator deiciatur.

Pag. 31 — De etatibus quibus clerici consecrandi sint. Heinrici Regis.

Si qui episcopus ante XXX.° anno presbiterum consecraverit; vel diaconum ante XXV. annum, anathema sit. et ordinatus deiciatur usque ad prefinitam etatem nisi summa compellat (i. cogat. vel constringat) necessitas. Quod si inevitabilis (i. infugabilis) causa advenerit; permittamus (i. concedimus) presbiterum consecrari in legitima aetate diaconorum. Subdiaconus ante XII. annum nullatenus fiat.

Pag. 49 — De his qui per pecuniam ecclesiam consecraverint. Heinrici Regis.

Si qui per pecuniam ecclesiam consecraverint. anathema sit.

Pag. 73 — Quod nulle mulieres in domo maneant sacerdotum. Pipinus Rex. (3).

Interdixit (i. contradixit) per omnia magna synodus. ut nullus episcopus. vel presbiter. atque diaconus. sive clericus. introductam in domo sua liceat habere mulierem simul. nec ancilla. aut aldia (i. libera). quae in opinione (i. mala fama) adulterii manent diffamate. nisi forte matrem. aut sororem. aut amitam. simul nec et ipse in casis ubi manent esse debent. et qui hoc facere ausus fuerit; bannum nostrum ad partem nostram persolvat. et postea ipse reus (i. damnatus) appareat in sancta synodo; et secundum canones iudicetur.

Pag. 129 — De observatione diei dominici. Lodovicus Rex.

Monuerunt etiam de observatione diei dominici.

(3) Aliquantisper differt a lege XCV. Pipini, edita a Muratori tom. I. *Rer. Ital. Script.* par. II. pag. 104.

ut vobis terribiliter denuntiaremus (i. contradiceremus); ut qui actor vitae eodem die a mortuis resurrexit; honorabiliter. et venerabiliter eum colatis. quoniam si pagani ob memoriam et reverentiam deorum suorum dies colere. et iudaei more carnaliter observare satagunt (i. certant. vel festinant) (satagere dicitur quasi satim agere. idest multum laborare) multo magis christiane religionis devotio ob memoriam dominice resurrectionis eumdem diem venerabiliter colere debent. Multi namque visum. multi etiam quorumdam (i. aliquorum) relata (i. dicta) didicimus. quosdam in hac die operalia exercentes; fulmine interemptos. in cinerem resolutos. paenaliter occubuisse (i. obisse. vel mortuos esse). Proinde necesse est ut primum sacerdotes. reges. et principes cunctique fideles huic diei debitam observationem atque reverentiam devotissime exhibeant.

Pag. 135 — De decimis in IIIIor divisis partes. Pipinus rex.

Ut decime populi. dividantur in IIIIor partes. idest. una pars episcopo. alia clericis. III.ª pauperibus. IIII.ª ecclesie in fabricam restaurandum computetur. Sicut in decretalibus (i. constitutionibus) gelasii pape continetur.

Pag. 163 — Wido Rex.

Ne clerici qui arma baiulant. et in suis propriis resident (i. habitant); ad ecclesiam. seu ad episcopium non militant. negotia secularia agunt. sub lege vivant sicut et ceteri. langobardi. tam ipsi quam et filii eorum.

Incipit de canonicis horis. et de eucharistia. et excommunicatione. de sepultura. ac de anima hominum. Et helimosyna pro mortuis. In primis de horis canonicis quod celebrande sunt. Karolus Rex mittens requirendum ad alcuinum.

Nocturnos caelebramus. propter quod media nocte ad iudicium venturus esse creditur dominus. unde et in evangelio legitur. Media nocte clamor factus est. Et illud in psalmo. Memor fui nocte nominis tui domine. Item. Media nocte surgebam ad confitendum tibi. Matutinos propter illud psalmistae. In matutinis meditabor in te. vel quia tunc a mortuis resurrexisse dominus creditur. prima. propter initium diei. et quia ea hora a sacerdotibus et principibus est adiudicatus (i. condemnatus) reus dominus propter nos. III.ª quia clamaverunt iudaei. crucifige. crucifige. et spiritus sanctus super apostolos. hora tertia descendit. Sexta; quia tunc in cruce suspensus est christus. et tunc tenebrae factae sunt. vel quia eadem hora videntibus discipulis ascendit in caelum. et petro vas de caelo tali hora ostensum est. Nonam. quia tunc inclinato capite dei filius emisit spiritum. Et petrus et iohannes claudum in templo sanaverunt. Vesperam; propter recessum diei. et eadem hora sepultus est salvator. vel quia tunc in fractione panis agnitus (i. cognitus) est eadem hora dominus. Completorium. quia tunc ianuis clausis stetit ihesus in medio discipulorum. Per has itaque horas septies in die. et semel in nocte david rex laudem cantabat deo. et non tantum per has. sed etiam cum assiduis precibus dominum laudaret adiungens dicebat. Ego autem semper in te sperabo domine et adiciam super omnem laudem tuam. Et si ille cum in tantis laudibus die noctuque dominum deprecaretur. pulverem et cinerem se aestimabat cum diceret, numquid confitebitur tibi pulvis? aut annuntiabit veritatem tuam. Quanto magis nos qui pene (i. per omnia) in omnibus a deo alieni existimus. saltem (i. videlicet) per has horas domino deo cum summa devotione laudes domino referre debemus. Sed quia vos rogastis ut scriberemus vobis breviarium commatico. idest sermone brevissimo. qualiter homo laicus adhuc in activa vita consistens. per dinumeratas horas deo supplicare debeat; quantum potui brevitatis causa exponere curavi.

Pag. 211 — De homicidis qui ad ecclesiam confugerint. Karolus Rex. (1)

De homicidis aut ceteris reis qui legibus mori debent. Si ad ecclesiam confugerint. non excusentur neque eis ibidem victus (i. cibus) detur.

(1) Paululum differt ab edito apud Migne *Patrol. Lat.* Tom. XCVII. col. 128.

Pag. 247 — De eo qui pignus vel donum de ornamentis aecclesiae acceperit. Henrici regis.

Quicumque aliquid in pignus vel donum acceperit de utensilibus (i. rebus. vel vestimentis. vel suppellectili. que utuntur in ecclesia) ornamentis sanctae romanae ecclesiae aliarum aecclesiarum; dator et acceptor sit anathema. et quamdiu tenet communione privetur.

Pag. 255 — De mendicis qui discurrunt per patriam. Lothari rex. (1)

De mendicis. qui per patriam discurrunt. Volumus unusquisque fidelium nostrorum suum pauperem de beneficio nostro nutriat. et non permittat abire mendicatum. Et ubi tales iuventi fuerint. nisi manibus laborent. nullus eis quicquam tribuere presumat. Hoc capitulum missi nostri cognitum faciant omnibus in omnes partes.

Pag. 318 — Si femina libera cum servo se copulaverit. Lotarius Rex.

Statutum est ut si qua (aliqua) femina libera cum servo alterius se copulaverit. et parentes eius. ante anni spatium de ea vindicta non dederint. Nolumus ut curtis regis eos adquirat. sed si ipsa femina cum ipso servo (integro) anno et die steterit habeat eam cui servus est. et filios quos ex ea habuerit. ipsi servi sint illius cuius et pater eorum.

(1) Apud *Patrol. Lat.* Migne, Tom. XCVII. col. 529, at est longior in Cod.

Canon Concilii Vercellensis nunc primum editus.

Pag. 145 — De locis sanctis colendis.

Synodus vercellensis. Quanto cultu (i. veneratione) loca sancta honoranda sunt. Vivis enim custodia. mortuis refugium. malis confugientibus defensio et reliqua. Sanguis martyrum consecrat locum. non locum sanguinem. Obius episcopus. reliquias sanctorum nemo potest polluere. quorum visione dei animae sanctorum satiatae. mundialia (i. terrena) oblivioni tradunt. Anime vero sanctorum; sub throno dei clamant. vindica domine sanguinem nostrum. et reliqua.

EX CODICE CXXVII.

Kalendarium.

Ianuarius

Kal. Circumcisio domini. Sancti basili.
IIII. no. Octava sancti stephani.
III. no. Octava sancti iohannis.
II. no. Octava innocentum.
Nonis. Vigilia epyphania.
VIII. id. Epyphania domini.
VI. id. Severini confessoris.
IIII. id. Pauli primi heremite.
III. id. Leuci episcopi et conf.
II. id. Sancte margarite.
Idibus. Octava epiphanie. Sancti ylarii episcopi.
XIX. Kal. F. Felicis episcopi et confessoris. Felicis presbiteri M.
XVIII. Kal. Mauri abbatis.
XVII. Kal. Marcelli Pp. et M.
XVI. Kal. Antonii mon. conf.
XV. Kal. Prisce virg. Sol. in aquarium.
XIII. Kal. Sebastiani et fabiani. M.
XII. Kal. Sancte Agnes vir. et mar.
XI. Kal. Vincentii lev. mar. Anastasii M.
X. Kal. Amasi epi. et conf.
VIII. Kal. Conversio sancti pauli apostoli.
VII. Kal. Policarpi epi. et m.

Februarius

Kal. Ignatii epi. mar. rigide vir.
IIII. no. Purificatio sancte marie.
III. no. S. blasii epi. m.
Nonis. Agathe vir. et mar.
VII. id. Austroberte vir.
V. id. Savini conf. Apollonia vir. m.
IIII. id. Sancte scolastice vir.
Idibus. Gregorii Pp. secundi.
XVI. Kal. M. Valentini epi. Valentini presbiteri.
XV. Kal. Sanctorum faustini et Iovite. Sol in pisces.
XIIII. Kal. Iulianes vir. et m.
XI. Kal. Barbati epi. et conf.
VIII. Kal. Cathedra sancti petri apostoli.
VI. Kal. Mathie apostoli. Locus bisestilis.
II. Kal. S. Romani abbatis.

Martius

VI. no. Simplicii Pp.
IIII. no. Lucii Pp.
VII. id. Sanctorum quadraginta m.
IIII. id. Sancti gregorij Pp.
XV. Kal. Sol in arietem.
XIII. Kal. Vigilia sancti Benedicti.
XII. Kal. Sancti Benedicti abbatis.
VIII. Kal. Annuntiatio sancte marie.
V. Kal. Octava sancti benedicti.

Aprilis

VIII. id. Xisti pp. et mar.
III. id. Leonis pp. primi.
XVIII. Kal. Mad. Tiburtii. Valeriani. et maximi.
XV. Kal. Sol in taurum.
XII. Kal. Victoris pp. mar.
X. Kal. Sancti agapiti mar.
IX. Kal. Georgii mar. Adelberti epi. et m.
VII. Kal. Sancti Marci evang. Letania maior.

VI. Kal. Sancti cleti pp. mar.
V. Kal. Anastasii Mar. pp.
IIII. Kal. Vitalis mar. Pamphili episcopi conf.
III. Kal. Eufrosine vir.

MADIUS

Kal. APOSTOLORUM PHILIPPI ET IACOBI.
V. non. INVENTIO S. CRUCIS. Alexandri. Eventii. Theoduli.
II. non. TRANSLATIO S. MATHEI APOSTOLI ET EVANG.
VIII. id. INVENTIO S. MICHAELIS ARCHANGELI. Victoris.
VII. id. Inventio s. nycolai in varum. ESTAS ORITUR.
VI. id. Gordiani et Epimachi m.
IIII. id. Nerei et achillei. Et pancratii m.
II. id. Bonifatii m.
XV. Kal Sol in geminos.
XIIII. Kal. Potentiane vir.
XIII. Kal. EUSTASII MAR. Cum uxore et filiis.
XII. Kal. Eleutherii epi. et m.
XI. Kal. Elena aug.
VIII. Kal. URBANI PP. M.
VI. Kal. Restitute vir.
V. Kal. Iohannis pp. mar.
III. Kal. Felicis pp. mar.
II. Kal. Petronille virg.

IUNIUS

IIII. no. HERASMI. MARCELLINI ET PETRI.
V. id. PRIMI ET FELICIANI M.
III. id. BARNABE APOSTOLI. Onufrii conf.
II. id. Basilidis cyrini naboris. et nazarii.
XVII. Kal. Iul. VITI MODESTI. ET CRESCENTIE.
XV. Kal. NICANDRI ET MARCIANI. SOL IN CANCRUM.
XIIII. Kal. Marci. et marcelliani.
XIII. Kal. GERVASII ET PROTASII MAR.
XII. Kal. Silverii pp. mar.
X. Kal. PAULINI EPI. ET CONF.
IX. Kal. Vigilia sancti iohannis baptiste.
VIII. Kal. NATALIS SANCTI IOHANNIS.
VI. Kal. IOHANNIS ET PAULI MAR.
IIII. Kal. Vigilia apostolorum petri et pauli.
III. Kal. APOSTOLORUM PETRI ET PAULI.
II. Kal. SANCTI PAULI APOSTOLI.

IULIUS

VI. no. Processi et martiniani mar.
V. no. Leonis pp.
II. no. OCTAVA APOSTOLORUM.
VIII. id. Procopii m.
VI. id. SEPTEM FRATRUM. Rufine et secunde vir.
IIII. id. Naboris et felicis m.
III. id. SANCTE MARGARITE V. M.
II. id. Foce epi. m.
Idibus. Quirici et iulitte.
XVI. Kal. Aug. SANCTI ALEXII CONF.
XV. Kal. Simphorose cum filiis. SOL IN LEONEM.
XIII. Kal. Severi epi. et conf.
XII. Kal. Sancte praxedis vir.
XI. Kal. SANCTE MARIE MAGDALENE.
X. Kal. APOLLINARIS EPISCOPI MAR.
IX. Kal. Vigilia sancti iacobi.
VIII. Kal. IACOBI APOSTOLI. CHRISTOFORI MAR.
VI. Kal. Simeonis monachi. Pantaleonis.
X. Kal. SANCTI NAZARII ET CELSI.
IIII. Kal. Simplicii. Faustini et beatricis.
III. Kal. Adon et sennes. SALTUS LUNE.

AUGUSTUS

Kal. VINCULA SANCTI PETRI. MACHABEI MAR.
IIII. no. SANCTI STEPHANI PP. M.
III. no. INVENTIO SANCTI STEPHANI PROTOMAR.
VIII. id. TRANSFIGURATIO DOMINI. ET S. XISTI PP. FELICIS ET ACAPITI.
VII. id. Sancti donati episcopi mar.
VI. id. Cyriaci largi smaragdi. Crescen.
V. id. Vigilia Sancti laurentii. et VII. dormientium.
IIII. id. LAURENTII LEVITE ET MAR.
III. id. Sancti tyburtii mar.
II. id. Sancti eupli diaconi mar.
Idibus. Yppoliti et cassiani mar.
XIX. Kal. Sept. Vigilia Sancte marie. Eusebii presbiteri.
XVIII. Kal. ASSUMPTIO SANCTE MARIE VIRGINIS.
XVI. Kal. OCTAVA SANCTI LAURENTII.
XIIIII. Kal. Sancti agapiti mar. Sol in virginem.
XI. Kal. OCTAVA SANCTE MARIE. Simphoniani.
VIIII. Kal. Vigilia sancti bartholomei.
VIII. Kal. BARTHOLOMEI APOSTOLI.

VI. Kal. Rufi et carponi.
V. Kal. SANCTI AUGUSTINI EPISCOPI. Hermetis mar.
IIII. Kal. DECOLLATIO SANCTI IOHANNIS BAPTISTE. Savine.
III. Kal. Felicis et audacti mar.

SEPTEMBER

Kal. Duodecim fratrum. Prisci. Ter. et Con.
IIII. Non. Zenonis et filiorum eius. Antonini mar.
VII. id. Pamphili mar.
V. id. NATIVITAS SANCTE MARIE. Adriani mar.
V. id. Gorgoni et Dorothei. Sergi pp.
III. id. Proti et iacinthi mar.
XVIII. Kal. oct. EXALTATIO SANCTE ✠. Cornelii pp. Cipriani.
XVI. Kal. Lucie et geminiani. Eufimie vir.
XV. Kal. Sol in libram.
XIII. Kal. IANUARII FESTI. ET DESIDERII MAR.
XII. Kal. Vigilia sancti mathei.
XI. Kal. MATHEI APOST. ET EVANG.
X. Kal. MAURICII ET SOCIORUM EIUS.
IX. Kal. Tecle vir. et mar.
V. Kal. COSME ET DAMIANI MAR.
III. Kal. DEDICATIO SANCTI MICHAELIS.
II. Kal. IERONIMI CONF. Sophie mart. et fil. eius.

OCTOBER

Kal. DEDICATIO ECCLESIE SANCTI BENEDICTI. Remigii conf.
VI. no. DEDICATIO ECCLESIE SANCTE MARIE DE ALBANETA. Eusebii.
IIII. no. FRANCISCI CONF.
III. no. PLACIDI ET SOCIORUM EIUS.
II. no. Esdra prophete.
Nonis. SERGI ET BACHI. MARCELLINI. APULEI.
VII. id. Dionisii epi. Rustici. et Eleutherii.
II. id. CALIXTI PP. MAR.
XV. Kal. LUCE EVANG. SOL IN SCORPIONEM.
XII. Kal. HILARIONIS MON.
VIII. Kal. CRISANTI ET DARIE. Translatio S. bartholomei.
VII. Kal. Dimitrii mar.
VI. Kal. Evaristi pp. mar. Vigilia apostolorum. S. et I.
V. Kal. APOSTOLORUM SIMONIS ET IUDE.
III. Kal. GERMANI EPI. CONF. ET MAXIMI M.
II. Kal. Vigilia omnium santorum.

NOVEMBER

Kal. COMMEMORATIO OMNIUM SANCTORUM.
IIII. no. Valentis et ylarii mart. Sancti amici conf.
VIII. id. Leonardi conf.
VI. id. QUATUOR CORONATORUM.
V. Theodori mar.
IIII. id. Martini pp. mar.
III. id. MARTINI EPI. ET CONF.
Idibus. Iohannis et Brici episcoporum.
XV. Kal. dec. GREGORII EPI. THEUMATURGI.
XIIII. Kal. Octava sancti martini.
XII. Kal. Pontiani pp. mar.
X. Kal. CECILIE VIR. ET MAR.
IX. Kal. CLEMENTIS EPI. MAR.
VIII. Kal. Chrisogoni mar.
VII. Kal. MERCURII MAR.
VI. Kal. Petri epi. et mar.
V. Kal. TER. ADVENTU DOMINI.
III. Kal. Saturnini et soc. mar. Vigilia S. Andree.
II. Kal. ANDREE APOSTOLI.

DECEMBER

IIII. no. Bebiane vir. et mar.
III. no. FINIS ADVENTUS DOMINI.
II. no. BARBARE VIR. ET MAR.
Nonis. Sabe abbatis.
VIII. id. NYCOLAY EPI. ET CONF.
VII. id. AMBROSII EPI. ET CONF. Savini epi.
VI. id. CONCEPTIO SANCTE MARIE.
IIII. id. Eulalie vir. et mar.
III. id. Damasi pp.
Idibus. LUCIE VIRG. MAR. EUSTRATII ET SOC. EIUS.
XV. Kal. Ian. Sol in capricorum.
XIII. Kal. Vigilia sancti thome apostoli.
XII. Kal. THOME APOSTOLI.
X. Kal. Gregorii mar.
IX. Kal. Vigilia Natalis domini.
VIII. Kal. NATIVITATIS DOMINI NOSTRI YHESU CHRISTI. Anastasie mar.
VII. Kal. STEPHANI PROTOMAR. Zenonis pp.
VI. Kal. IOHANNIS AP. ET EVANG. Dionisii pp.
V. Kal. INNOCENTUM.

IIII. Kal. SANCTI THOME EPI. ET MAR.
II. Kal. SILVESTRI PP. ET CONF.

Post tertia lunatione post epyphania; in tertia dominica semper erit festum divine resurrectionis.

Post nonas martis ubi sit prima luna require inde dies dominic. in tertia pasca tene.

Ubicumque luna quarta decima venerit post festum sancti benedicti erit terminum resurrectionis.

Post XVI Kal. febr. ubi primum inventione luna X.ª facit terminum septuagesime.

Post VII.° idus febr. ubi primum inventione luna; II.ª facit terminum quadragesime.

Post. XII.° Kal. apr. ubi primum inventione luna XIIII.ª facit terminum pasce.

Post VIII.° Kal. mai. ubi primum inventio luna XX.ª facit terminum rogationum.

Post. VII.° id. mai. ubi primum inventio luna IIII.ª facit terminum pentecostes.

A festo stelle numerando perfice lune.
Quadraginta dies post septuagesima fiat.
Si cadat in lucem domini tunc sume sequentem.
Si bisextus erit aditur una dies.
Festum clementis hymnis capud est orientis.
Cedit hyens retro cathedrato simone petro.
Ver fugat urbanus estatem bartholomeus.
Id tibi quod restat autunni tempora prestat.
Vult crux lucia cinis et carismata dia.
Quod det vota pia quarta sequens feria.

Adventum domini non potest esse ante V. Kal. decembris. Et post III. nonas eiusdem mensis. In his VII. diebus fieri debet. Ubicumque dies dominicus evenerit. Adventum domini celebretur.

Possumus autem facillime scire claves hoc modo. Invento anno. Decemnovenalis cycli accipe numerum a quo denotatur annus ille et computa in V. summitatibus digitorum circulariter hoc modo. si numerus ille terminatur in police adde XXV. si vero in indice adde XIII. si vero in medio adde XXXI. si in medico sive anulari adde XVIIII. si vero in auriculari adde VII. Unde versus.

Viginti quinque. tredecim plus asse tricenos.
Unde vicena. epta digitis pro clavibus apta.

Et nota quod si totalis summa fuerit maior quam XL. abiectis XXX. residuum erit clavis. Inventa igitur clave si vis scire terminum S(*eptuagesimae*). pone numerum clavis super primum G. Ianuarii. et computa per kalendarium usque quo talis numerus perficiatur. ita quod in sequenti dominica erit G. si autem vis invenire Q(*uadragesimam*). pone numerum clavis super quartum G. Ianuarii et computa sicut dictum est ita quod perfecto numero patebit tibi terminum Q. Si vero vis scire terminum P(*asche*). pone numerum clavis super secundum G. Martis et computa ut dictum est. ita quod expleto numero in sequenti dominica erit sanctum pasca celebrandum. si vero vis scire. terminum R(*ogationum*). pone numerum clavis super tertium G. aprilis computando usque quo talis numerus expleatur et expleto numero habebis terminum R(*ogationum*).

Pag. 540 — ORATIO PRO EXERCITU CHRISTIANO.

Omnipotens sempiterne deus in cuius manus sunt omnium potestates et omnia iura regnorum. Respice propitius ad christianum benignus exercitum. Ut gentes que in sua feritate confidunt potentie tue dextera conterantur. Per.

EX CODICE CXXVIII.

Kalendarium.

Ianuarius

Kal. Circumcisio Domini et Basilii episcopi et conf.
IIII. Non. Octava sancti stephani. lec. III.
III. Non. Octava sancti Iohannis. lec. III.
II. Non. Octava Innocentum. lec. III.
Nonis. Vigilia epyphanie. Semiduplex.
VIII. Idus. Epiphania domini. duplex maius.
VI. Idus. Sancti severini confessoris.
. . . .

Februarius

IIII. Non. Purificatio sancte marie.
III. Non. Blasii episcopi et m.
Nonis. Agathe virg. et mart.
VII. Idus. Austroberte V. Valeris inicium.
. . . .

Martius

Nonis. Thome de aquino. lec. III.
VII. Idus Quadraginta mar. lec. III.
IIII. Idus. Gregorii pape. Duplex.
XV. Kal. Apr. Sol in ariete.
XIII. Kal. Vigilia
XII. Kal. Benedicti abbatis. duplex maius.
XI. Kal. Vigilia.
VIII. Kal. Annunciatio Sancte marie. duplex maius.
IIIII. Kal. Octava sancti Benedicti semiduplex.

Aprilis

Nonis. Ultima in cen. lun. pas.
XVIII. Kal. Tyburcii et Valeriani et Maximi M.
XV. Kal. Sol in taurum.
IX. Kal. Georgii mart. et Adalberti episcopi et M.
VII. Kal. Marci evangeliste. Letanie maiores. Ultimum pasch.
IIII. Kal. Vitalis M.
III. Kal. Eufrosine virg.

Maius

Kal. Apostolorum philippi et iacobi.
VI. Non. Athanasii episcopi et conf.
V. Non. Inventio sancte crucis. Alexandri pp. Eventii et Theod.
II. Non. Passio sancti Iohannis apostoli. Translatio sancti Mathei apostoli.
VIII. Idus. Inventio sancti Michaelis arch. Victoris M. et conf.
VI. Idus. Gordiani et Epimachi M.
IIII. Idus. Nerei et Achillei. et Pancracii. M. lec.
II. Idus. Bonifacii M.
XV. Kal. Sol in geminos.
XIIII. Kal. Petri conf. lec. II. Potenciane virg. lec. III.
XIII. Kal. Eustasii mar. Eustratii cum uxore et filiis. lec. III.
XI. Kal. Urbani pp. et M. lec. III.
VIII. Kal. Urbani pp. et M.
VII. Kal. Restitute Virg. et M. lec. III.
II. Kal. Petronille virg. lec. III.

Iunius

IIII. Non. Erasmi epi. et m. Marcelli et Petri M. lec. III.

V. Idus. Primi et feliciani M. lec. III.
III. Idus BARNABE APOSTOLI DUPLEX. Onufrii heremite lec. VIII.
II. Idus. Basilidis. Cirini. Naboris et felicis. lec. III.
XVII. Kal. Viti et modesti et crescentie M. lec. III.
XV. Kal. Nicandri et Marciani M. lec. III. SOL IN CANCRUM.
XIIII. Kal. Marci et Marcelliani M. lec. III.
XIII. Kal. Gervasii et prothasii lec. XII.
IX. Kal. Vigilia.
VIII. Kal. NATALIS SANCTI IOHANNIS BAPTISTE DUPLEX MAIUS.
VI. Kal. IOHANNIS ET PAULI M. SEMIDUPLEX.
IIII. Kal. Vigilia Apostolorum et sancti leonis pp. lec. III.
III. Kal. APOSTOLORUM PETRI ET PAULI. DUPLEX MAIUS.
II. Kal. PAULI APOSTOLI DUPLEX.

IULIUS

II. Non. OCTAVA APOSTOLORUM. SEMIDUPLEX.
XIII. Idus. Procopii M. lec. III.
VI. Idus. Septem fratrum. lec. II. Rufine et secunde vir. et mar. III. lec.
XVII. Kal. OBIIT TERTULLUS PATRICIUS.
XVI. Kal. Alexii conf. III.
XV. Kal. BRUNI EPI. ET CONF. DUPLEX.
XIIII. Kal. SOL IN LEONE.
XIII. Kal. SEVERI EPI. ET CONF. DUPLEX.
XI. Kal. MARIE MAGDALENE DUPLEX.
X. Kal. Apollinaris lec. XII.
XI. Kal. VIGILIA.
VIII. Kal. IACOBI APOSTOLI DUPLEX.
V. Kal. NAZARII ET CELSI M. ET PANTALEONIS LEC. VIII.
IIII. Kal. Simplicii. Faustini et Beatricis et Felicis lec. III.
III. Kal. Abdon et Sennes. M. lec. III.

AUGUSTUS

Kal. VINCULA SANCTI PETRI. SEMIDUPLEX. Machabeorum. lec. III.
IIII. Non. Stephani pp. et M. lec. III.
III. Non. INVENTIO SANCTI STEPHANI. et Gamalielis et Soc.
II. Non. DEDICATIO ECCLESIE SANCTI BARTHOLOMEI. DUPLEX.
Nonis. DOMINICI CONF. DE ORDINE PREDICATORUM. LEC. XII.
VIII. Idus. TRANSFIGURATIO DOMINI et Sixti et sociorum eius lec. III.
VII. Idus. Donati epi. et M. lec. III.
VI. Idus. Ciriaci Largi et Smaragdi. lec. III.
V. Idus. Vigilia.
IIII. Idus. LAURENCII M. DUPLEX. et septem dormientium.
III. Idus. Tiburcii M. lec. III.
II. Idus. Eupli dyaconi. lec. III.
Idibus. Yppoliti et sociorum eius. lec. II. et Cassiani III.
XIX. Kal. Vigilia sancte marie. SEMIDUPLEX. et Eusebii conf.
XVIII. Kal. ASSUMPTIO VIRGINIS MARIE. DUPLEX MAIUS.
XVI. Kal. Octava sancti laurentii. lec. III.
XV. Kal. Agapiti lec. III. SOL IN VIRGINE.
XIIII. Kal. Magni epi. et M. lec. III.
XIII. Kal. Lodovici epi. et conf. lec. III.
XII. Kal. BERNARDI ABBATIS. SEMIDUPLEX.
VIII. Kal. BARTHOLOMEI APOSTOLI. DUPLEX.
VII. Kal. TRANSLATIO SANCTI MERCURII. DUPLEX.
VI. Kal. Rufi et Carponi. M. lec. III.
V. Kal. AUGUSTINI EPI. DUPLEX. et Hermes M. XII.
IIII. Kal. DECOLLATIO SANCTI IOHANNIS et Savine vir. VIII. lec.
II. Kal. Felicis et audatti. M. lec. III.

SEPTEMBER

Kal. Duodecim fratrum lec. III. Prisci et Terentiani. et Constantii con.
IIII. Non. Zenonis et filiorum. M. lec. III.
VI. Idus. NATIVITAS SANCTE MARIE. ET.
V. Idus. Gorgoni et Dorothei. M.
IIII. Idus. DEDICATIO TURRIUM PARADISI.
III. Idus. Proti et Iacincti M. et Eugenie virg. et M. lec. III.
XVIII. Kal. EXALTATIO SANCTE ✠. et Cornelii et Cipriani.
XVII. Kal. OCTAVA SANCTE MARIE. SEMIDUPLEX.
XVI. Kal. Lucie et Geminiani et Eufemie Vir. lec. III.

XV. Kal. SOL IN LIBRA.
XIII. Kal. Ianuarii. Festi et Desiderii M. lec. III.
XII. Kal. Vigilia.
XI. Kal. MATHEI APOSTOLI ET EVANG. DUPLEX.
X. Kal. Mauricii et sociorum eius M. lec. III.
IX. Kal. Tecle virg. et M. lec. III.
V. Kal. COSME ET DAMIANI. M. XII. LEC.
III. Kal. DEDICATIO SANCTI MICHAELIS. DUPLEX.
II. Kal. IERONIMI PRESBITERI ET CONF. Sophie et filiorum. lec. III.

OCTOBER

Kal. DEDICATIO ECCLESIE SANCTI BENEDICTI. et Remigii conf. DUPLEX MAIUS.
IIII. Non. FRANCISCI CONF. LEC. XII.
III. Non. PLACIDI ET SOCIORUM EIUS. DUPLEX MAIUS.
Nonis. Sergi et Bachi. Marcelli et apulei. lec. III.
VIII. Idus. OCTAVA DEDICATIONIS. SEMIDUPLEX.
VII. Idus. DYONISII EPISCOPI. RUSTICI ET ELEUTHERII M.
II. Idus. Calixti. pp. et M. lec. III.
XVI. Kal. SOL IN SCORPIONE.
XV. Kal. LUCE EVANGELISTE. DUPLEX.
XII. Kal. Ylarionis monachi lec. III.
XI. Kal. BERTHARII ABBATIS CASIN. M.
VIII. Kal. Crisanti et darie. et Translatio sancti Bartholomei lec. III.
VII. Kal. Dimitrii M. lec. III.
VI. Kal. Vigilia.
IIIII. Kal. APOSTOLORUM SYMONIS ET IUDE. DUPLEX.
IIII. Kal. GERMANI EPI. ET CONF. et Maximi M. lec. III.
II. Kal. Vigilia omnium sanctorum.

NOVEMBER

Kal. SOLLEMPNITAS OMNIUM SANCTORUM. DUPLEX MAIUS.
IIII. Non. Valentini et ylarii M. lec. III.
VIII. Idus. LEONARDI CONF. XII.
VI. Idus. Quatuor coronatorum. M. lec. III.
V. Idus. Theodori M. lec. III.
IIII. Idus. Martini pp. et M. lec. III.
IIII. Idus. MARTINI EPI. ET CONF. DUPLEX.
Idibus. Iohannis os auri. II. lec. et Bricii epi. et conf. lec. I.
XV. Kal. Gregorii. Theumatirgi epi. et conf. SOL IN SAGITTARIUM.
XIIII. Kal. Octava sancti Martini. lec.
X. Kal. CECILIE VIRGINIS ET M. XII.
IX. Kal. CLEMENTIS PAPA ET M. XII.
VIII. Kal. Crisogoni M. lec. III.
VII. Kal. MERCURII M. ET CATHERINE VIRGINIS.
VI. Kal. Petri alexandrini epi. et M. lec. III.
III. Kal. Vigilia. Saturnini et Sisinnii. M. lec. III.
II. Kal. ANDREE APOSTOLI. DUPLEX.

DECEMBER

IIII. Non. Bibiane virg. et M. lec. III.
II. Non. Barbare virg. et M. lec. III.
Nonis. Sabbe abbatis. lec. III.
VIII. Idus. NICOLAI EPI. ET CONF. DUPLEX.
VII. Idus. AMBROSII EPI. ET CONF. et Savini epi.
VI. Idus. CONCEPTIO SANCTE MARIE. DUPLEX.
IIII. Idus. Eulalie virg. et M. lec. III.
Idibus. LUCIE VIRG. ET M. Eustratii. VIII. lec. et sociorum eius.
XV. Kal. SOL IN CAPRICORNIUM.
XIII. Kal. Vigilia.
XII. Kal. THOME APOSTOLI. DUPLEX.
X. Kal. Gregorii M. lec. III.
IX. Kal. Vigilia Nativitatis.
VIII. Kal. NATIVITAS DOMINI NOSTRI DUPLEX MAIUS. Anastasie.
VII. Kal. STEPHANI M. DUPLEX.
VI. Kal. IOHANNIS EVANGELISTE. DUPLEX.
V. Kal. INNOCENTUM. SEMIDUPLEX.
IIII. Kal. THOME EPI. M. LEC. XII.
II. Kal. SILVESTRI PP. LECTIO XII.

EX CODICE CXXXVIII.

Thomae Aquin. Summae Pars prima.

Ex questione 47.

In indice finali.

Questio 47. de distinctione in communi. III.
1. Utrum rerum multitudo et distinctio sit a deo.
2. Utrum rerum inequalitas sit a deo. *(Alia manu).* Utrum in creaturis sit ordo agencium.
3. Utrum sit tantum unus mundus aut plures.

In textu vero sic legitur.

Questio 47.

Post productionem creaturarum in esse. considerandum est de distinctione earum. Erit autem hec consideratio tripartita. Nam primo considerabimus de stinctione *(distinctione)* rerum in communi. § Secundo de distinctione boni et mali. § Tercio. de distinctione spiritualis. et corporalis creature. § Circa primum queruntur quatuor. § Primo de ipsa rerum multitudine. seu distinctione. § Secundo de earum inequalitate. § Tercio. de earum ordine. § Quarto de unitate mundi.

(De creaturarum ordine.)

Articulus iste non invenitur in exemplari summe parisiensis. fratris thome.

Ad. III. sic proceditur. Videtur quod in creaturis non sit ordo agencium Quod enim agit sine medio est perfectius agens quam quod agit per medium. set deus est agens potentissimum. ergo non agit per medium et ita una creatura non agit in aliam. § Preterea de ratione agentis est. ut faciat sibi simile. sed id ad cuius similitudinem fit aliquid est exemplar si igitur una creatura sit causa agens respectu alterius. sequeretur quod digniora in entibus sunt exemplaria inferiorum. quod reprobat dyonisius quinto capitulo de divinis nominibus. § Preterea agens et finis incidunt in idem specie. ut dicitur in secundo phisicorum. una creatura est causa activa alterius. Una erit causa finalis. alterius quod videtur esse contra id quod proverb. XVI. universa propter semetipsum operatur dominus. § Sed contra est quod dicit apostolus. Rom. XIII. que a deo sunt ordinata sunt. Et dionisius dicit quod lex divinitatis est. per superiora inferiora reducere in se. Una ergo creatura agit in aliam. Respondeo dicendum quod quidam loquentes in lege maurorum possuerunt quod nulla creatura habet aliquam actionem. dicentes quod deus non calefacit. set deus in igne. set secundum hoc frustra essent atribute rebus virtutes active. et qualitates. et forme. Et ideo dicendum quod ipsa inequalitas constituta per divinam sapientiam in rebus creatis ut dictum est. exigit quod una creatura agat in aliam. secundum hoc enim attenditur in creaturis inequalitas quod una est perfectior altera. perfectius autem conparatur ad minus perfectum. sicut actus ad potentiam. Est autem de ratione existentis in actu. quod agat in id quod est in potentia. Et sic necesse est quod una creatura agat in aliam. set sicut creatura esse in actu participat a deo qui est purus actus ita et virtutem agendi participat a deo. et agit eius virtute. sicut causa secunda virtute cause prime. § Ad primum ergo dicendum quod omnia quecumque fiunt

per actionem creature. deus posset facere sine creatura. Non ergo est ex deffectu potentie eius. quod mediante creatura agit. set ex habundantia bonitatis ipsius. ex qua provenit quod non solum communicat creature quod sit in se bona. set hanc dignitatem ut sit aliis causa bonitatis. § Ad II. dicendum quod oppinio illorum reprobatur a dyonisio. qui ponebant quedam intellectualia separata esse prima exemplaria. Nam primum exemplar omnium deus est. nil tamen prohibet secundario unam creaturam esse exemplar alterius. § Ad. III. dicendum quod finis ultimus omnium deus est sunt tamen et fines alii sub isto fine. secundum quod una creatura ad aliam ordinatur. ut ad finem. imperfectiora scilicet ad perfectiora. ut materiam ad formam. elementa ad mixta. plante ad animalia. animalia ad homines ut habetur gen. I. Et sic patet quod ordo universi attenditur secundum quod una creatura agit in aliam. Et secundum quod una fit ad similitudinem alterius et secundum quod una est finis alterius.

EX CODICE CXXXIX.

Acta Sanctorum.

Pag. 86 — Passio Sancti Dimitrii martyris. (1)

Cum maximianus herculeus gothos et sarmatas romanis et suo crudelissimo dominatui subiugasset. thessalonicam properans adiit urbem ibique morabatur nefandissimus et deo rebellis existens. Clarescebat eius iussu tunc idolorum cultura ubique honorifice. et innumerabilibus venerabatur muneribus. Persequebantur autem falsorum cultores deorum eos qui verae sapientiae erant executores. et crudeliter necabantur quicumque christo confitebantur dei filio.

His temporibus erat in praefata urbe beatissimus dimitrius. velut clarissimum sidus inter reliqua astra lucidius rutilans. qui clarissimo senatorum genere ortus. exceptoris officio primo militavit. deinde proconsulis honore sublimatus. praefecturam totius illirici ab imperatore accepit romano. Ipse tamen omnem mundanam gloriam omnemque terrenum honorem despiciens atque pro nihilo ducens. divinis quoque in omnibus praeceptis obtemperans; praedicabat omnibus ac demonstrabat. quoniam hominem perditum et propriae iniquitatis causa morti destinatum sapientia divina per praesentiam carnis apparens redemit. et convertit ab omni superstitionum errore. illuminavitque et eruit ab omni opere tenebrarum.

Haec et his similia cum omni fiducia beatissimo praedicante dimitrio. et verbum dei cum voce tum moribus et piis actibus confirmante. innumerabilis infidelium turba cotidie convertebatur ad dominum. Divulgabatur igitur longe lateque fama virtutum eius ita ut multi ex diversis partibus convenirent ad eum et relicta idolatriae vanitate ad christi domini fidem converterentur.

Manebat autem idem beatus vir apud occidentalem praefatae civitatis partem. ubi magnum forum dicebatur contra porticum aerariorum qui eolice chalkeoti kistoa nuncupatur. Erant etiam illic subterranea quaedam aedificia. quae camere appellabantur. quae quasi criptae videbantur. iuxta balneum publicum. ubi conveniebat ad eum multitudo copiosa plebis fama sanctitatis eius invitante. et ibi cum eo die noctuque laudibus perdurabat. Hac de re non amplius valente viro sancto latere. inquisitione christianorum facta ex praecepto tyranni maximiani. milites simul cum carnificibus inventum tenuerunt christi athletam. eumque sevissimo tyranno properabant offerre. Existimantes se pro hoc facto gloriosos fore. et magno honore apud eum dignos haberi. scilicet quod non latuerit eos aliquis christianorum. cum is qui in magno erat constitutus honore non quiverit eos evadere.

Contigit interea ut imperator in curru suo sedens ad theatrum quod stadium dicitur properans ascenderet. ad contemplandum scilicet singulariter dimicantes. et reliquas vanitates noxias theatraliter exhibentes. Illic enim constitutum erat quoddam aedificium rotundum. in modum turris in altum porrectae. in quam ab intus quasi per cocleam ascendebatur. In cuius summitate per girum extrinsecus quasi suspensa videbantur quaedam tabularum coenacula. in quibus recipiebantur ii qui singulariter dimicaturi erant. ut viderentur ab im-

(1) Mabillonius *Vet. Anal.* T. I. pag. 65, S. Dimitrii vitam ab Anastasio S. R. E. Bibliothecario translatam et Karolo Imperatori nuncupatam edidit. Quae translatio, necnon Suriana et Mombritiana editio, a Codice nostro differunt. Cum Bolland. *Actis*, quorum T. IV. *Septembris* caremus, minime collationem instituere potuimus.

peratore et ab universis, quia valde iucundum et delectabile erat ei videre humani sanguinis effusionem. et hoc non mediocri instantia. sed. cum nimia sollicitudine et maximo studio veluti divinum aliquod demens contemplabatur. Gratulabatur enim de quodam peritissimo et in singulari altercatione opinatissimo lyeone nomine mirae magnitudinis. guandalorum genere orto. et fortissimo valde. et non solum in romana urbe multos ludens peremerat. verum etiam in syrmia et thessalonica civitate. Currebat itaque idem vir per praedicta expeditus tabularum coenacula. absque omni ostaculo sive offensione. multam enim peritiam fuerat adeptus per multum tempus dimicando. et cotidie peritior fiebat. in tantum ut nullus auderet congredi cum eo.

Omnes quippe eum timebant valde. videntes corporis eius magnitudinem. altercationis peritiam. velocitatem in omnibus. Unde et imperator eum inter primos habebat. magnisque favoribus eum extollebat. et libenter eum sibi adhaerere iubebat. admirabatur etiam nimis magnitudinem corporis eius et in superbia elationeque illius delectabatur. Cum autem ad studium idem properans imperator descenderet de carruca. tum praedicti malignitatis ministri praesentaverunt eius obtutibus beatum dimitrium.

At ille sub praeconis voce interrogavit si adhuc christum adorans confiteretur. Respondentes autem immanissimae crudelitatis ministri dixerunt. non solum ipse christum adorat et colit. sed etiam alios multos docet deorum nostrorum culturam contemnere et crucifixum colere. Praesentatus itaque christi athleta ante tyrannum. praeclara facie stabat. nichil trepidationis ostendens in vultu.

Videns autem crudelissimus censor fiduciam viri. mentisque constantiam. et christianum se ipsum cum magna animi alacritate confitentem. et omnia quaecumque illata sibi fuissent pro nomine domini cum magno desiderio sustinere paratum. obstupuit. Verum totam animi sui intentionem in theatri vanitate defixam habens. egregium dei martyrem praecepit illic ubi iuxta stadium vicinum erat balneum in illius fornacis cameris mancipari custodia. Vir igitur sanctus custodiam ingressus. conspicit scorpionem de terra iuxta pedes suos prosilientem. et suo stimulo illum percutere cupientem. Signo autem vivificae crucis contra eum aedito. statim extinctus est. Confestim angelus domini venit ad martyrem. aitque ad eum. Pax tibi athleta christi dimitri. confortare et age viriliter. At ille tali corroboratus visione. gratias domino agere caepit immensas. Imperator autem intravit in stadium. sedensque in solio suo. convocari praedictum iussit lyeonem. Praecones autem clamabant valenter in populo dicentes. Si quis voluerit ascenderitque et singulariter dimicaverit atque vicerit. cum triumpho magnis ditatus honoribus dona plurima ab imperatore consequetur. Erat interea quidam bonae indolis adolescens speciosus et decorus valde. cuius pubertas faciem tunc decorare caeperat. nestor nomine. notus et familiarissimus beatissimo existens dimitrio. Hic ergo praeripuit se currens. et abiit ad eum in custodiam. prociditque ad pedes eius dicens. Famule christi dimitri. cogit me impetus cordis mei ut cum lyeone singulariter dimicare debeam. sed hora pro me obsecro dominum ihesum christum.

Sanctus vero dimitrius signum crucis christi in fronte illius et super pectus faciens dixit. et lieonem superabis. et ad coronam martyrii christo protegente pervenies.

Abiens ergo in stadium beatus nestor. saltum dedit per gradus. et proiciens vestimenta sua stetit in conspectu imperatoris maximiani. Quem tyrannus ut vidit obstupuit. vocavitque ad se et ait ei. O adolescens. ut opinor magna te inopiae necessitas compulit hanc aggredi altercationem. ut aut victoriae triumphum adeptus honorem simul et divitias adquireres. aut e contrario devictus paupertate cogente cum egestate etiam vitam finires. Sed ego propter indolem tuae clarissimae iuventutis. et quia bonis moribus polles. maximeque quia audenter ad tam magnum spectaculum te ingerere praesumpsisti. ditabo te muneribus dignis et divitiis. ut cum vita etiam munera possideas et divitias. Ad lieonem autem te ipsum anteponere non praesumas. quia multos te fortiores valentioresque peremit. Haec venerabilis audiens adolescens. et neque caesaris resolutus promissis. neque lyeonis congressum formidans. ita imperatori respondit. Non divitias desidero. nec propter munera tua in hoc agone me ipsum ingessi. sed victorem lyeonis in christi virtute me ipsum constituo. Haec eo di-

cente. imperator et omnes magnates eius nimio sunt furore accensi. constantiam fiduciamque tanti non sufferentes adolescentis. Tunc magnis caepit imperator intonare vocibus. Lyconemque aggredi contra famulum dei cohortari nestorem. Venerabilis ergo contra se adhortationem audiens adolescens. signum vivificae crucis in pectore sibi et in fronte depingens. gladiumque in manu accipiens. et in caelum elevans oculos dixit. Domine deus omnipotens una cum filio tuo domino nostro ihesu christo et spiritu sancto. qui goliath allophilum subiugasti fidelissimo famulo tuo david. Ipse etiam nunc per intercessionem dimitrii servi tui contere et dissipa superbi lyeonis audaciam. et maximiani tyranni amentiam. Et hoc dicto. prosiliens stetit in medio machinae illius. et facto conflictu alterutro dei nutu gladium in corde a beato nestore lieon accipiens. sine mora extinctus est. et cum elatione perdidit infelix vitam. maximianoque tyranno ultimae confusionis reliquit tumultum. Beatus autem nestor glorificans laudabat dominum. quod per orationes et merita beati dimitrii peremptus esset barbarus. Maximianus autem imperator confestim exiliens de solio mestus. ad imperiales aulas indignans recessit. dicens. Per virtutem deorum immortalium. maleficia quaedam prevaluerunt. alioquin non a tantillo superaretur adolescente tantus ac talis vir. et tantorum auctor triumphorum. Vocans ergo saevissimus ad se tyrannus beatum nestorem. dicit ad eum. (Dic michi adolescens). Quibus maleficiis usus est. aut quos habuisti cooperatores ut lyeonem interficeres. Beatus nestor respondit. absit hoc. absit ab anima mea. non enim aliqua arte maleficiorum lyeon peremptus est. sed deus beati dimitrii deus christianorum. ipse misit angelum suum. et interfecit in manu mea impium et superbum. Iratus itaque vehementer saevissimus imperator. praecepit statim ut veluti christianus duceretur ad occidentalem partem civitatis per portam quae aurea nuncupatur. et ibi proprio gladio capitalem subiret sententiam. sub minutiano tribuno. et ita martyrii coronam adeptus est. Suggesserunt autem quidam de principibus imperatori de beato dimitrio. quod conscius fuerit et noxius in nece lyeonis. Tunc succensus imperator ira. aestimare caepit apud se quod ei occursio martyris in stadium properanti contraria extitisset et noxia. Praecepit ergo ilico ut electus dei martyr in ipsis camerarum habitaculis ubi in custodia tenebatur. gladio perimeretur. et ita gloriosissimus martyr per bonam confessionem martyrium consummavit. sub die septimo kalendarum novembrium.

Lupus autem sancti dimitrii martyris famulus dum praesens ibi astaret. accessit et tulit sancti martyris orarium. et in eius pretioso involvit sanguine. tulit etiam anulum quo in manu sua sanctus utebatur. et ipsum in eius sanguine intinxit et abiit. Multa itaque per eum miraculorum beneficia exhibebantur. Omnes enim qui variis detinebantur languoribus. et qui vexabantur ab spiritibus immundis. veniebant et curabantur per virtutem et merita sancti martyris et per tactum anuli ipsius. ita ut fama haec per totam divulgaretur urbem. Audiens autem crudelissimus caesar quod lupus cum praefato anulo martyris miracula exhiberet. praecepit eum decollari foris non longe a maenibus civitatis. in loco qui tribunalium dicitur. in die quo sacra cuiusdam superstitionis paganorum dies colebatur. quem vulptaton dicebant. Quod ita factum est. reperto eo illic cum quibusdam aliis christo credentibus. Sanctum autem ac venerabile corpus beati martyris dimitrii carnifices inhumatum relinquentes. nichilque exinde curae habentes discesserunt. Tunc quidam fratres honesti et religiosi viri rapuerunt noctu sanctas reliquias propter metum imperatoris. et in eodem loco fodientes aliquomodo terra operuerunt. ne forte lesionem aliquam vel iniuriam quomodocumque paterentur. nullam de reliquo sollicitudinem habentes ut sanctum inde levaretur corpus. sed permansit multis in eodem loco temporibus. in quo tamen loco multorum signorum et sanitatum beneficia exhuberabant divina gratia opitulante. et omnes illic fideliter accedentes. petitionum suarum consequebantur effectum. Divulgabantur igitur per universam macedoniam et achaiam. preconabanturque ubique gloriosissimi martyris miraculorum patrationes mirificae. Postquam vero simulacrorum error et insania omnis christo domino annuente velut fumus evanuit defecitque. et refulsit clare ubique vivifica et immaculata christianorum fides. Leontius quidam illustrissimus et honorabilis vir illirici praefecturam gerens cum dacon praeteri-

ret provinciam. irremediabilis languoris incommodum passus est. In gestatorio itaque vectus a suis. in thessalonicam apportatus est urbem. et applicuit in venerabili domicilio ubi humatum sanctissimi quiescebat martyris corpus. Qui statim ut recubuit super eiusdem practiosi memoriam martyris. eadem hora eodemque momento pristinam incolumitatem recepit. ita ut tam ipse quam omnes qui aderant obstupefacti. mirarentur tam celerem beati martyris visitationem. et gratias omnipotenti deo referrent immensas. et eximio martyri beato dimitrio. Qui praedictus vir clarissimus leontius mundari ilico fecit eundem locum. et cuncta quae per circuitum erant ibique adhaerebant aedificia destruxit. idest praedictas cameras. et balneum. et porticus. et aedificari fecit ecclesiam in eodem loco mirae magnitudinis et magni decoris in honore et nomine beatissimi martyris christi dimitrii. et decoravit eam nimis. et ditavit eam muneribus et necessariis oramentis. Ubi florent eius meritis et orationibus multa beneficia usque in hodiernum diem. Ad laudem et gloriam domini nostri ihesu christi. qui cum patre et spiritu sancto vivit et regnat deus per omnia saecula saeculorum. Amen.

Illustrissimus vero et honorabilis vir leontius expleta omni cum decore et ornamentis omnique apparatu necessario iam dicta basilica. ire properabat ad illiricum. ad suam videlicet eparchiam. Visum est autem illi ferre secum de eiusdem praetiosissimi martyris reliquiis. ut etiam illic templum domino ad honorem tanti martyris aedificaret. Tum gloriosus christi martyr dimitrius astitit ei eadem nocte. et hoc fieri prohibuit. At ille consurgens. clamidem quae praetioso eius fuerat cruore respersa tulit secum. et partem orarii eius. factoque locello argenteo honorifice ibi collocavit. et secum portans iter aggressus est. Perambulantibus autem eis hiemis tempore. cum copiosus efflueret imber ita danuvius inundavit. ut ultra alveum suum progrediens per multos dies gradientibus nullam daret copiam transmeandi. Tunc praefatus eparchus nimio tedio atque merore affectus. estuare cepit. et ecce videt in visione gloriosissimum martyrem dimitrium dicentem sibi. omni deposita diffidentia ac trepidatione. sume locellum quem portas in manu tua. et transi fluvium nichil haesitans. Qui ilico surgens ascendit in currum suum. habens in manibus venerandum locellum et cum suis omnibus transmeavit illesus deo gratias agens. Et sic ad sirmiam veniens. reposuit venerabilem cum suo locello thesaurum in templo quod ipse dudum construxerat in honore et nomine egregii christi martyris dimitrii. iuxta venerabilem sanctae et gloriosae martyris anastasiae ecclesiam. Multa praeterea et magnifica miracula et sanitates in itinere dominus christus ostendit illis gradientibus. per merita martyris. non solum in hominibus sed etiam in animalibus per gratiam et misericordiam et virtutem suam. Cum quo patri sanctoque spiritui est gloria. honor virtus et potentia nunc et semper et per infinita saecula. Amen.

Neque illud etiam tacere debeo. quod ex venerabilis et sanctissimi praesulis eiusdem ecclesiae veridico ore didici. Erigit enim animas. quae sollicite et cum dei amore gestiunt ea sapere quae sursum sunt non quae super terram. Maximeque cum inenarrabilem sanctissimi martyris dimitrii erga suos ministros sollicitudinem demonstret. scilicet qualiter multimodam sibi servientibus operetur salutem. ut ea quae faciunt sollicite et caute custodiant. quandoquidem eos non vult immo non patitur neque in minimis esse obnoxios offensionibus. Honesiforus quidam fuit mansionarius ecclesiae sancti martyris dimitrii. vir vitae venerabilis et religiosus. qui pro multa honestate morum familiarissimus erat praefato antistiti. Quadam vero die abiit ad sanctissimum templum venerandi martyris eusebius quidam vir bonus et onestus. lector officio. orationis dumtaxat gratia. et invenit praedictum mansionarium iacentem ante fores argenteas sancti ciburii seminecem et ita immobilem ut fere nil distaret a mortuo. Tunc fluctuari et estuare coepit pro eo vir et compatiens ei flere inconsolabiliter pro hoc quod acciderat. Vix tandem post multas horas in se onesiforus reversus. et videns praefatum lectorem utpote suum familiarem plorantem nimium. lacrimisque perfusum. ait ad eum. pro eo quod michi accidit domine mi ploras eusebi. Qui confestim innuit ei ita esse. non enim loqui poterat prae nimietate meroris. Cui ille. noli plorare inquit. sed si habes aliquem in me caritatis affectum. praeparato sepulchro viventem me obruere festi-

na. Ad haec turbatus lector ait ad eum. pro qua causa frater? Onesiforus respondit. quia ita obcaecavit diabolus oculos cordis mei. ut non agnoscerem lumen veritatis. sed in laqueum inimici quasi caecus in foveam deciderem. et ita me video turpiter deiectum et praecipitatum. ut paene surgere non valeam. pro eo quod graviter deliqui. Intantum ut non audeam ultra sanctum adire ciburium. quin immo neque exteriores templi ianuas contemplari. Venerabilis vero lector considerans nimiam eius afflictionem. et fluctuationem animi eius sedare inhianter satagens. caepit eum alloqui consolatoriis verbis. eumque blanditiis suadere ut hoc quod ei contigerat ocius enarraret. Qui exorsus ita caepit dicere illi. nosti karissime quomodo semper caereorum lumen in sacro luceat ciburio. At ille. Scio inquit. Et hoc non ignoras onesiforus ait. quomodo unusquisque prout valet ibi caereos offerre magnos assolet sive parvos. Et lector. ita est inquit. Et ille. ego ait quasi mansionarius existimavi quasi quaestum aliquod me conferre sancto. et ut verius dicam michi ipsi. siquidem divinae oculos maiestatis latere nichil potest. sed omnia in conspectu eius manifesta fiunt. quoniam ipse scrutans corda et renes. Ego quidem oblatos caereos magnos sine mora extinguebam. meae sicut praefatus sum utilitatis gratia. et minimos quosque ac parvissimos accendebam. Apparuit autem michi peccatori sanctus. et suavissima dulcissimaque voce ait ad me. onesifore frater. non est bonum hoc quod agis michique non placet. Neque enim ita in decem milium auri ponderibus delector. sicut in unius salute animae. An ignoras quoniam dum aliqua sanctis offeruntur? quamdiu perdurant in eorum ministerio apparentque coram eis. coguntur quodammodo idem sancti intercedere pro salute offerentium. Sine ergo caereos qui offeruntur ardere quoadusque alius offeratur. tuncque de ante oblatis quod libuerit facito. Ego autem infelix expergefactus. existimavi phantasiam me vidisse. et conscius meorum delictorum fidem visioni minime accomodavi tranctansque mecum dicebam. peccatori sanctorum visio non apparet. Sed quoniam secundo et tertio hanc praeceptionem in somnis accepi. studui illud in quantum potui sollicite custodire. quod ita faciens perseveravi usque hodie. In hac autem nocte veniens quidam magnos nimis obtulit caereos. oratione vero completa cum discessisset homo. infelix ego et miser oblitus sum quae videram. quaeve audieram. et ecce accedere me cupiente ad auferendos praedictos caereos. et pro eis alios minimos ponendos. meque iam manus extendente ad eos. confestim ipse sanctus ab intus de argentea theca ubi positus est terribilem emisit atque intonuit vocem dicens. Iterum operaris quae prius? Ego autem miserrimus et infelix nimio pavore perculsus. ad hanc vocem quasi a terra suspensus quo pacto nescio eiectum me extra ianuas repperi. confususque corrui in loco ubi veniens iacentem me invenisti tabefactum. et nulla indicia vitae habentem. Haec autem se ita vidisse et audisse professus est beatissimus noster archiepiscopus. Nos porro attendere debemus sollicite. quoniam obtemperare nos oportet in omnibus quaecumque per dei voluntatem a sanctis disponsata sunt eis. Sin alias. exasperamus eos ad nostram perniciem. nostrumque interitum. Cernimus enim in qualem quantamque exasperationem haec sanctum causa commoverit. Intantum ut manifestam corporalemque emitteret vocem. praevaricatore astante et audiente. Nobis autem propitia sit eius semper benignitas. et obtemperantes instituat nos suis piissimis atque saluberrimis institutis in christo ihesu domino nostro. Qui cum deo patre vivit et regnat in unitate spiritus sancti deus per omnia saecula saeculorum. Amen.

Quodam praeterea tempore venientes barbari a finibus lybie. applicuerunt in thessalonicam urbem. Tunc civibus dormientibus per gradus appositos undique subeunt muros eiusdem civitatis. Sed nutu dei sanctus dimitrius apparuit cum multitudine albatorum instar militiae caelestis. et terruit barbaros. praecipitavitque a maenibus urbis. Illi autem diffusi circumquaque obsederunt civitatem. Tunc exterriti cives et expergefacti. nitebantur suam defendere civitatem. Illucescente vero praefati diei iam tertia hora praelii et obsidionis barbarorum. in qua tropheum divinitus civitati collatum stilo iam satis est traditum. Vir quidam nobilis philotheus nomine gloriosus saecundum saeculi dignitatem. innocentia vero et cordis simplicitate gloriosior et nobilior sanctitate. illustri decoratus honore. de qualibus scriptum est. Inno

centes et recti adheserunt michi. Vidit se ipsum quasi in somnis. sed sicut subtiliter proximis et spiritualibus viris dicebat. in extasi factum stare in atrio sanctissimi templi gloriosi martyris dimitrii. Et ecce duo quidam venusti vultus aspectuque terribiles apparuerunt. introeuntes a foris in ipsum atrium. quos ipse cubilarios putabat esse imperatoris. Intonuit autem unus ex eis voce terribili et ait. Ubi est huius dominus loci? Statim apparuit intra basilicam templi unus ex ministris et respondit dicens. quid eum necessarium habetis? Et illi. Dominator inquiunt noster misit nos responsum ei aliquod indicare. Tunc ille ostendit eis ciburium sancti dicens. ecce hic est. Viri autem illi quorum erat aspectus quasi angelorum dei adeuntes locum. aiunt ministro. pulsa. et nuntiare illi nostrum stude adventum. Ego autem obstupefactus prosequens eos et stans ex adverso post unam columnarum sacri ciburii. addiscere inhianter cupiebam quid ei mandatum ab imperatore fuisset. Minister vero pulsans signum ad ianuam sancti fecit ciburii. et statim absque mora intus apparuit sanctissimus christi martyr dimitrius. Stetitque iuxta ianuas ita ut a me etiam indigno videretur. Ego autem philotheus illico super faciem meam corrui. ferre non valens angelicam eius faciem. Erat quidem species vultus eius sicut in antiquioribus imaginibus depingitur. sed quasi sol radians in virtute sua coruscabat. ita ut me super faciem prostratum radia splendoris illius etiam humi inhaerentem undique illustrarent. Solo tenus vero prostratus. sollicite et curiose auditum accommodabam. omni nisu audire ambiens quid sibi invicem loquerentur. Vidi autem quia osculati sunt viri pacifice sanctum. qui ait ad illos. Gratia vobiscum sit. qua pro causa fatigati estis ad me? Et illi inquiunt. dominator noster misit nos haec tuae nuntiare sanctitati. Festina ait egredere et veni ad me. civitas enim hostibus tradetur quantocius. Ego autem hoc audiens. turbatus sum. et nimio perfusus merore. exurgens super articulos manus et respiciens. vidi amatoris civium et patriae piissimi sancti vultum merore perfusum et nimis afflictum in terra per multas intuentem horas cum summo silentio. amarasque ab eius oculis fluere lacrimas. et splendidissimas illius madefacere genas. in tantum ut etiam minister ille ad praefatos diceret viros. quid dominum meum tristitia ac merore perfunditis? Si ergo vestram prescirem intentionem. nequaquam illi vestram nuntiassem adventum. Tunc aperuit os suum dixitque ministro. sine illos. conservi etenim mei sunt. et quae illis iussa sunt haec pronuntiant. Ad illos vero conversus dixit. in veritate hoc praecepit dominator nuntiari michi? Sic visum est maiestati eius ut talis tantaque urbs tantaque populi multitudo praetiosissimo eius sanguine redempta per saevas bestias devastetur? Hoc eius pietati complacuit. Responderunt viri dicentes. si haec ei placita non fuissent nequaquam misisset nos haec nuntiare tibi. Tunc piissimus martyr magis ac magis contristari caepit et mestus esse vultuque in terra demisso per multas horas agitare caput. quasi aliquid secum merens tractaret. Loquela porro eius a singultibus et suspiriis tenebatur. et impeditio loquelae ipsius pium ostendebat patriae suae affectum. et compassionem immensam. Cum valida tandem afflictione hoc dedit responsum. Abeuntes inquiens fratres. renuntiate benignissimo omnium dominatori. Haec mandat famulus tuus et fidelissimus servus dimitrius. Tu dominator domine et meus et civitatis et mundi totius dominus es. et potestatem habes universorum. Praecepisti servo tuo manere cum famulis tuis hic in loco isto. quomodo ergo quibo eos derelinquere in tantis calamitatibus et angustiis constitutos et discedere ab eis? Aut quemadmodum videre potero subversionem patriae meae? Quae michi vita civibus meis pereuntibus et in exterminio datis? Unde sicut in prosperitate et tranquillitate illorum cum eis spiritualiter mansi ita et in eorum calamitatibus et periculis non derelinquam eos neque deseram. Sed sive illis pro tua benignitate salvatis. sive pro sceleribus pereuntibus propriis. ego tuus famulus praesentiam meam nullo modo subtraham. Enim vero. Tu omnium dominator existens. propriam animam ut bonus pastor pro ovibus posuisti. Constat itaque apud me et certus sum. quia non exuperant iniquitates nostrae misericordiarum tuarum immensitatem. quoniam misericordia tua magna est super nos et ira tua iusta conversionem malit nostram quam perditionem. In tua sane domine dicione universa consistunt. quod ergo maiestati suae placuerit et bonum videtur de nobis facito. Ego autem sicut iam dixi aut

cum salvatis eis salvabor. aut cum periclitantibus periclitabor. Haec piissimo martyre dicente dimitrio. respiravit quantulumcumque anima mea a suffusione meroris et gemitus qui eam eatenus obtinuerant. Respondentes interea viri illi ad sanctum dixerunt martyrem. Haec iubes ut respondeamus ei qui misit nos? Et sanctus. utique obsecro. Illi autem interrogabant eum dicentes. Quid ergo? non venis nobiscum? Considerare te convenit et perpendere ne forte aliquomodo exasperetur ille qui misit nos quasi a te contemptus. Et sanctus ad haec. ego scio inquit quia furorem eius pietas supergreditur. Illiusque benignitatem nulla iniquitatum moles exuperat. quod ego congrue pertractans. hoc dedi responsum. Et hoc cum dixisset. osculatus est viros. et argenteas inter quas steterat ianuas clausit. intusque permanens non discessit a nobis per gratiam et benignitatem christi. Ego porro statim in me reversus sum. non enim perfecte dormiebam. Haec autem philotheus vidit ille. idest dei amator religiosus et venerabilis vir. qui confestim sub omni celeritate adiit murum. corroborans atque confortans civium mentes. Hic autem solus discurrens omnibus in murum stantibus dicebat. confidite fratres et confortamini. quia gloriosissimus christi nobiscum est martyr. et confidimus in christi misericordia potentiaque eius; quia nichil mali nobis continget. Tunc universi cives hoc animati miraculo; assumpta fiducia et virtute ex tunc coeperunt hostium superare catervas. qui prius nec vocem quidem emittere vel muttire prae timoris audebant magnitudine. Postea vero a propinquis et religiosis viris nec non et a nobis compulsus. praedictam visionem lucide satis et ordinate exposuit. dicens qua pro causa per murum discurrendo cives confortaverit. divinamque illis protectionem promittens. civitatem ab hostibus et instanti periculo dixerit per beati suffragia et merita martyris esse eruendam. Haec itaque tanta et tam magna beneficia gloriosissimo martyre piissimoque nobis exhibente; et veritatem visionis rerum exitu confirmante; quam laudem; aut quam gloriam domino nostro ihesu christo pro eo libare sufficimus? vel quantum honorem seu venerationem omni cum devotione eximio pissimoque athletae christi retribuere dimitrio. pro sua circa nos inestimabili pietate debemus? Qui dominum imitatus christum, animam suam pro nobis indignis et valde peccatoribus ponere non titubavit? Et non solum dominicam parvi pendit iussionem. de divina praesumendo pietate. sed mori etiam nobiscum se velle misericordiae visceribus respondit? O piissima anima patriam diligentis et miserentis. O intellectus a deo concessus; et consilium approbatum. O dispensatio totius sanctitatis decore ornata. Certus equidem de domini pietate quia non perderet iustos cum impiis; neque dimitteret virgam peccatorum super sortem iustorum; perpendensque nostrorum multitudinem scelerum omnem transcendere intercessionis virtutem; estimavit ut reor apud se ne forte pro nobis supplicans minime audiretur. Iccirco hoc a deo inspiratus decrevit votum; et opere perfecit. Scilicet ut manens in domo sua Urbem non derelinqueret. ne forte indignum quid pateretur eius sacratissimum corpus. neque civitas traderetur et exterminaretur ab instantibus adversariis. Sed quasi coronam ex auro non satis purgato habentem in se lapidem pretiosum unum solum modo in anteriori parte capiente dispensatore domus examinare per ignem pater familias non permisit; ne forte cum aurum purgare vellet speciositas et splendor praetiosi lapidis ab igne in aliquo macularetur. Ita et tunc nos quidem multorum dignos existentes flagellorum; et mortium pro nostris iniquitatibus diversarum; non tamen permisit pius dominus penitus divastari. ne forte indignum aliquid commanenti nobiscum pretiosissimo martyri eveniret dimitrio; Unde cum summa eum omnes devotione flagitemus karissimi pro patrie munimine. et omnes actiones nostras in iis quae deo sunt placita convertamus. et usque in finem. orationibus et vigiliis et piis insistamus operibus. Quatinus dei dilectissimum martyrem nobiscum manentem retinere queamus. Hoc enim nobis perficientibus. divinam procul dubio clementiam assidue presentem habebimus. qui salvos faciat muniatque nos contra visibiles atque invisibiles adversarios. Seu et ab aeternis eruat suppliciis. et vitae aeternae faciat esse participes. In Christo ihesu domino nostro. cui est cum aeterno patre et vivificante spiritu sancto gloria. honor. virtus et potentia. nunc et semper et per infinita saecula. Amen.

Pag. 131 — Passio sancti maximi martyris.

Sub diocletiano et maximiniano imperatoribus facta est ingens persecutio christianorum. Ita ut circa domos. circa plateas. circa nimphas. idola erigerentur. Ut si quis vellet emere aliquid aut vendere. aut aquam de fontibus haurire; idolis primitus immolaret. In tantum enim rabies diaboli excreverat; ut christi fidem de omnibus terris expellere se posse confideret. Insidiabantur infideles fidelibus. et quasi immundum aliquid eorum dogmata perhorrebant. Trahebantur etiam viri ac mulieres. et diversis suppliciis macerabantur pro christi nomine. Interea directus est fabianus preses in apamiam civitatem; ut ibi omnes ad sacrilegium provocaret. Cumque ibidem veniret et pro tribunali sederet. Iussit omnem populum ad se congregari. Cumque congregatus esset omnis populus; ita ad eos locutus est dicens: Sciatis omnes quia invictissimi imperatores diocletianus et maximianus me direxerunt in hanc civitatem; ut occidam et vivificem. humiliem et exaltem. Et ideo directus sum ut deos immortales adoretis. quod si nolueritis; diversis poenis afflicti moriemini. Audiens haec universus populus. procidentes in terram adorabant idola surda et muta. et deum vivum derelinquebant. Erat igitur in eadem civitate vir sanctus et deo dignus nomine maximus. genere clarus. religione pius. et castitate pudicus. Hic itaque tropheo crucis armans frontem in faciem praesidis se obtulit. dicens. audi preses verba mea. quia non effugies iudicium dei. quid provocas homines adorare idola surda et muta. quae penitus in nullo possunt adiuvare cultores suos? Tunc iratus fabianus preses ita ad eum locutus est dicens. Cuius te patrocinio muniri existimas. vel cuius condicionis es ut ita respondeas? Beatus maximus in christi fide firmus dixit ad eum. Haec est condicio mea; ut idola manufacta abnuam. et in dominum ihesum christum credam. Fabianus preses dixit. Non audisti quia invictissimi imperatores dioclitianus et maximianus tradiderunt michi hanc provinciam in potestatem; ut ii qui diis immortalibus sacrificare noluerint diversis suppliciis macerentur? Beatus maximus dixit. audivi et irrisi. Fabianus dixit. cogita de salute tua. et adora deos immortales. Sanctus maximus dixit. ommutesce infelix. et noli in auribus meis hanc creatori iniuriam facere. Tunc iratus fabianus; iussit plumbatis latera eius tundi. Cum autem tunderetur beatus martyr; manus caedentium defecerunt. et dicebant ad presidem. vere preses nos peius torquemur quam iste. Tunc preses iussit beatum maximum in custodia recludi. quoadusque reliqui christiani venirent de diversis civitatibus ad martyrizandum. Sanctus vero maximus reclusus per decem dies, neque cibum neque aquam accepit. sed tantum in domino confortabatur. Et ecce circa mediam noctem angelus domini aperuit ianuas carceris. et terremotus factus est magnus. et audita est vox psallentium. et omnium vincula qui erant in ipsa custodia resoluta sunt. Erant enim in carcere animae circirter ducentae. hi omnes prociderunt ad pedes beati maximi dicentes. Succurre nobis famule dei. et instrue nos ut et nos credamus in dominum deum tuum. forsitan ignoscet nobis peccata nostra. et qui usque nunc per ignorantiam colebamus idola; nunc relicto vanitatis errore adoremus deum vivum qui regnat in caelis. Haec audiens beatus maximus agebat domino gratias dicens. Benedico te domine ihesu christe qui me dignatus es habere servum. concede et provide sacerdotem per quem hi qui in te crediderunt sua abluant peccata. Sacedotes enim christianorum dispersi erant. propter insidias impiissimi fabiani. Et ecce apparuit dominus cuidam episcopo maxentio nomine dicens ei. Maxenti famule meus. surge velociter et vade ad carcerem. ubi servus meus maximus vinctus sedet propter nomen meum. sunt enim ibi animae quae in me credunt. et indigent baptizari. quia non perdes mercedem tuam. Haec audiens maxentius; perrexit velociter ferens secum ministros. et stetit ante fores carceris dicens. Si quis desiderat baptismum dei veniat. Sacerdos enim sum altissimi. Et cum hoc dixisset; prociderunt omnes ad pedes eius. et statim baptizavit eos in nomine patris et filii et spiritus sancti. et abiit in locum suum.

Alia autem die nuntiatum est praesidi quod omnes vincti credidissent in christum. Tunc fabianus ne error fieret in populo; iussit omnes vinctos in carcere manere. sanctum autem maximum suis aspectibus praesentari. Ex officio dictum est; astat maximus. Dixit ad eum preses. numquid cogita-

sti de salute tua; ut sacrifices diis et evadas multa tormenta. Sanctus maximus dixit. hoc est quod tibi saepius dixi; quia non derelinquo dominum vivum et adoro idola manufacta. Fabianus vero iussit ante eum carbones ignis poni. ut ex duobus unum sibi eligeret. aut in ipsis tura imponere; aut nudis plantis super eos incedere. Sanctus vero maximus tropheo crucis frontem armans nudis plantis ingressus super carbones ardentes; dicebat ad praesidem. Ecce ego in nomine domini dei mei ihesu christi ambulo super carbones istos ardentes; et nichil mali sentio. tu autem si verum dicis; pone in nomine iovis tui manum tuam in carbones istos. et liberet te iovis tuus si potest. Fabianus dixit. unde articulum maleficii didicisti? Sanctus maximus dixit. ego quidem maleficia nescio. sed dominus meus ihesus christus ipse operatur in me virtutem suam. Fabianus praeses dixit. consule tibi et sacrifica diis. ut evadas multa tormenta. Sanctus maximus dixit; ego pro christi fide mori paratus sum. Fabianus vero praeses iussit eum in aeculeo suspendi. et omnia membra eius scindi. Et cum esset in supplicio beatus maximus; orabat ad dominum dicens. Domine ihesu christe succurre famulo tuo. et da michi immarcescibilem coronam. Et cum haec dixisset; apparuit ei dominus dicens. noli timere famule meus maxime. Ego tecum ero usque in consummationem et confundo omnes inimicos tuos. et compleo omne desiderium tuum. Cum vero torqueretur sanctus; confractus est aeculeus. et ministri arefacti sunt. et sanctus martyr stabat illesus. Impius autem fabianus non christi virtute sed magicis artibus factum credens dicebat ad eum. Maxime. quare tanta maleficia exerces ut poenas non sentias; et ministros arefacias? Beatus maximus dixit. nunquam dictum est quia maleficus aliquando potuit non sentire poenam. Sed ut manifestetur tibi quanta sit virtus fidei ihesu christi; fac afferri infantem trium mensium de platea. et secundum eius sententiam faciamus. Tunc praeses direxit ministros. ut infantem adducerent. Cumque exissent ministri; invenerunt infantem super brachia matris suae. et adduxerunt eum ad praesidem. Mater vero eius sequebatur eos eiulans. Tunc introduxerunt infantem in praetorium ante conspectum praesidis. Et dixit praeses ad sanctum maximum. Maxime. Ecce adductus est infans sicut dixeras. Sanctus autem maximus. dixit infantulo. Tibi dico infans. per dei sapientiam te obtestor qui aperuit os mutum et linguas infantium fecit disertas; ut loquaris ad praesidem veritatem de christi fide et de idolorum cultura. Tunc respondit infans et dixit. Audi praeses verba mea et noli aliquid de me dubitare cum sim infans. Deus enim omnipotens loquitur per os meum. quia dominus ihesus christus ipse est sempiternus et verus deus. nunc et semper et in saecula. et ipse nos redemit per passionem suam unde meruimus vocari ex eius glorioso nomine christiani. ipse regit regna et imperia. ipse est adorandus et colendus. non idola manufacta. id est lignea et lapidea. aurea et argentea. marmorea et fictilia. qui neque videre possunt neque audire. et non possunt liberare cultores suos. Nunc ergo praeses audi me. et crede in christum qui michi dedit fiduciam loquendi tibi. ne forte et tu cum diis tuis demergaris in infernum. Haec audiens praeses; tremefactus est. et ne seditio excitaretur in populo. iussit ut vapularet infans dicens ei. quis te docuit haec loqui? Infans respondit. Infelix et miser non sentis opera christi? Cum enim infans sim trium mensium; quem nec dum decet loqui aetate. quis magistrorum me potuit docere; vel quis est doctor qui linguam meam erudiit nisi deus omnipotens; qui innocentibus astutiam. puero autem iuniori sensum et cogitationem pudicam? Praeses vero cum haec audisset; iussit eum torqueri. Et dum torqueretur infans; dixit matri suae. mater. da michi aquam bibere. Mater vero eius dixit ei. fili. Noli iam aquam istam desiderare. Sed aquam illam bibe caelestem; quae potat omnes ad se venientes. Et memor esto mei fili cum veneris in regnum dei tui. credo enim in christo ihesu; quia propter te dimittet michi peccata mea. Infans vero haec audiens; exalavit spiritum in pace. Tulitque eum mater eius. gaudens quod sic meruisset de suo fructu offerre deo innocentem hostiam.

Fabianus autem tremefactus. dixit. maximo. Quamdiu maleficia exerces et non sacrificas diis? Sanctus maximus respondit. Quid me interrogas de hoc? Ego quidem gratias ago domino meo ihesu christo; qui infantem coronare dignatus est. cre-

dentem et veritatem nuntiantem. Nam tu praeses frustra laboras. Ego enim deo meo sacrifico hylari vultu et mente. Cumque audisset haec fabianus. iussit eum capite verso suspendi. quo ad usque de naribus omnis eius sanguis distillaret in terram. Et post septem dies, venerunt milites decem et octo videre exitum martyris. et invenerunt eum psallentem atque dicentem. Domine salva me de ore leonis. ut enarrem nomen tuum fratribus meis. Ad haec verba milites caeci facti sunt. Tunc ait ad illos beatus maximus. credite in dominum meum ihesum christum. et continuo illuminantur oculi vestri. Illi autem haec audientes; prociderunt in facies suas coram ipso dicentes. famule dei ora pro nobis. credimus enim in dominum ihesum christum. Cumque nominassent dominum ihesum christum aperti sunt oculi eorum. et statim baptizati sunt in nomine patris et filii et spiritus sancti. et cum ille se velle mori fatebantur pro christi nomine. Nuntiata sunt haec fabiano. iussitque ut illi ducenti qui in carcere crediderant et milites simul omnes capitalem subirent sententiam. Ducti itaque sunt ad supplicium gaudentes. et omnes simul decollati sunt pro christi fide. Et cum corpora eorum iacuissent in platea per multos dies; et neque a canibus neque a volucribus contaminarentur; christiani rapientes eos cum grandi diligentia in optimis locis sepelierunt. Fabianus vero dixit ad martyrem. usque quo permanes in malitia tua? Sacrifica iam diis ut maximum honorem habeas ab imperatoribus nostris. Beatus maximus dixit. Ego semper sacrifico deo meo. idola autem manufacta nunquam adoro. Surda enim sunt et daemonia in ipsis habitant. Tunc fabianus ira commotus iussit lampades ardentes in lateribus eius poni. Et cum factum fuisset; auxiliante domino famulo suo extinctae sunt lampades. et incenderunt illos qui eum torquebant. ipse vero stabat illesus. multique videntes crediderunt in christo. Praeses vero haec videns; iussit eum in carcerem recipi. dicens ei. Cogita de salute tua maxime ecce do tibi tempus cogitandi. Sanctus vero maximus psallebat dicens. Deus laudem meam ne tacueris. quia os peccatoris et dolosi super me apertum est. Locuti sunt adversus me lingua dolosa. et sermonibus odii circumdederunt me. et expugnaverunt me gratis. Adiuva me deus meus; ut non in me glorietur inimicus. Alia vero die iussit impiissimus fabianus eum produci de carcere. et cum esset productus ait illi fabianus. Maxime quid cogitasti circa salutem tuam? Ecce direxerunt michi invictissimi principes; ut si consenseris sacrificare honorificeris. quod si nolueris gladiatores te percutient et carnes tuas tradent volatilibus caeli et bestiis terrae. Vide ergo et cogita quid facias. ut evadas multa tormenta. Sanctus maximus respondit. honores imperatorum tuorum cum ipsis sint in interitu. Ego autem dominum ihesum christum adoro; qui michi donat coronam inmarcescibilem. et vitam aeternam. Nam promissa tua vana sunt et dona inutilia.

Fabianus praeses dixit. per multa te sustineo. deum enim asclepium timeo. et ipsi do claritatem. Adora ergo deos qui tibi corpus et animam dederunt. Sanctus maximus respondit. insanis fabiane quid loqueris blasphemias? Fabianus vero iussit eum flagellis cedi. quo ad usque videret fluvium sanguinis eius decurrentem in terram. Cumque cederetur; visus est sanguis eius in terram manare. terra vero non suscipiebat sanguinem martyris. Tunc sanctus maximus dicebat ad fabianum. Respice fabiane et vide quia sanguis iste in testimonium erit cum venerit dominus iudicare terram qui vobis praeparavit ignem ardentem atque inextinguibilem ubi poena vestra non minuetur. et vermis non morietur. Nam plagae quas michi intulisti; non infirmitatem sed fortitudinem michi praestant. Ad haec fabianus expavit. et praecepit ut relevaretur a caede. et dixit ei. ecce ut video derides tormenta quae tibi ingeruntur per maleficia tua. Infantem loqui fecisti. Milites meos ad te convertisti. et a me separasti. per salutem imperatorum nisi sacrificaveris diis immortalibus; diversis poenis et cruciatibus interibis. Si vero deposita pertinacia adores deos quos imperator et omnes adorant; habebis magnum honorem apud eos. Sanctus maximus dixit. quid furis insanissime? Tormenta quae michi inferre minaris corona mea sunt. dii quos colitis daemonia sunt. et nichil prodesse vobis possunt. Nec in futuro praevalent vos liberare a tormentis quae vos fortiter torquere habent. exerce ergo quicquid potueris. Tunc videns fabianus constantiam beati maximi; dixit astantibus. Si iste contumax et rebellis deorum

diu vixerit; multos per sua maleficia separabit a deorum cultura. Dehinc coram omnibus dictavit sententiam dicens. Impium maximum rebellem deorum et blasphematorem imperatorum nostrorum; eo quod diis sacrificare noluit iubeo capitalem subire sententiam. et corpus eius tradi volatilibus coeli et bestiis terrae. Tunc venerunt milites et eiecerunt eum extra civitatem ad miliaria duo ut ibi eum decollarent. et omnis populus sequebatur eum ut videret exitum eius. Sanctus vero dei psallebat in via dicens. Saepe expugnaverunt me a iuventute mea; et non potuerunt adversum me dominus enim in omnibus adiuvit. Et iterum. Christus michi vita est et mori lucrum. Et cum venisset ad locum preparatum ubi erat decollandus; figens genua fudit orationem ad dominum dicens. Domine deus omnipotens qui fecisti omnia verbo tuo. et sapientia tua constituisti hominem. exaudi orationem meam. et aperi oculos cordis istorum. Ut cognoscant omnes quia tu es dominus adorandus et colendus. et quia non est alius dominus praeter te. Cumque complesset orationem; accessit unus ex militibus ibi astantibus et decollavit eum. Et statim terremotus factus est magnus. omnis vero populus et milites cum haec vidissent; crediderunt in deum et laudaverunt et clarificaverunt eum quoniam magnus est. et simul omnes baptizati sunt in nomine patris et filii et spiritus sancti. Et sepelierunt corpus beatissimi maximi cum magna diligentia in optimo loco. In quo ipse sanctus martyr multa beneficia usque nunc ostendit; per virtutem domini nostri ihesu christi. Qui cum patre et spiritu Sancto vivit et regnat deus in saecula saeculorum. amen.

Pag. 139 — PASSIO SANCTI CAESARII LEVITAE ET MARTYRIS.

Quintus a caesare octaviano augusto claudius nero gallicula in romana republica monarchiam imperii et summi apicem primatus obtinuit. Hic sine exemplo nequam nichil intactum sceleris. nichil flagitii penitus intemptatum reliquit. Adeo ut post occisum fratrem; Post interemptam uxorem; Post sororem denique corruptam stupro; peremptam iugulo; matrem quoque turpiter violatam. gladio mediam secari preciperet. Nequitiis multiplicibus et innumeris hoc adiciens; ut apostolorum christi primos. alterum ore gladii; crucis appendio alterum necaret. Atque ubique urbium ubique regionum. praefectis praesidibus et iudicibus praestitutis. fidei christianae cultores exterminio plectendos horribili imperiali edictione mandaret. Circa idem tempus terracinae luxurius in iudicem; et in civitate eadem firminus quidam nomine templa praestituitur apollinis in pontificem. Qui tanto sibi mutuo amicitiarunt per omnia vincti connexique sunt foedere; ut animo uniti ac spiritu. solis iudicarentur corporibus dissidere. Uterque vero dignitates concessas temporibus prolixis obtinuit. et usque ad domitiani imperium alter iudicii solio; alter cathedra pontificali resedit. Inoleverat autem eisdem temporibus quasi diis immortalibus iubentibus imperatum facinus execrabile. nullisque prorsus facinoribus comparandum. Sexto siquidem seu octavo mense qui ianuarias kalendas praeibat; praecipuo studio diligentiae iuvenis eligebatur illustris. quem et venustum species; et fortitudo robustum; et spectabilitas redderet praeclarissimum. Qui nimirum iuvenis per eorumdem sex seu octo mensium decurrentium lapsus cunctis penitus corporis implendis voluptatibus destitutus; de aerarii publici sumptibus escis delicatissimis et accuratissimae paratis ad libitum vesceretur. splendidissimis nichilominus tam materiae quam contextione induviis per eadem temporum spatia apparatu officiosissimo adornatus. Ea dumtaxat lege; ea condicione intersita; quatinus in praememoratis kalendis exquisitissimis et praecipuis et oculos vel maxime demulcentibus. fulgidus indumentis; equum super insidens phaleratissimae apparatum; pro totius populi tuenda et conservanda salute de editiori rupe morti sese ac precipitio daret. atque deorum in caeteros furentem vesaniam in se ipse extreme saeviens vesaniae furore placaret. Cuius diruptum atque in partes frustaque discerptum corpus; combustione resolveretur in cineres. in apollinis templo supreme devotionis exequiis in memoriam perpetuam recondendos. Per idem tempus levita caesarius ab africae finibus longinqua in ausoniam peregrinatione assumpta terracinam applicuit. Homo et honestate morum; et fulgore scientiae; et doctrinae eloquio praeclarissimus. Hic itaque in domo christiani cuiusdam eusebii no-

mine nactus hospitium; morari terracinae decrevit. praedicatione clandestina quoscumque poterat instanti vigilantia ad cultum fidei christianae religionis convertens. diemque vesanissimi hominis dedicatum facinori; quod videlicet plurimorum fideli sibi innotuerat relatione opperiens.

Tempestate eadem illustrem virginem spectabilique prosapia ac nobilissimis ortam natalibus sororisque flavii clementis viri illustrissimi filiam flaviam domitillam aedibus urbe pulsam fundis praediis beneficiis omnique qui ei paterno seu materno iure censu provenerat exhaeredem effectam. domitianus tyrannus iudicii sententia promulgata pontianam exilio destinarat ad insulam. Hanc annitentibus sanctis dei nero et achilleo eunuchis eiusdem; ipse donatore christo regiarum caelestium potens claviger. et bissenorum terrae principum princeps petrus regenerationis unde expianti purificatione deluerat. Haec caelestis sponsi amoris intimi facibus inflammata; castimoniam virginitatis perpetuae deo dedicans; aureliani viri illustrissimi sponsalibus abdicarat. Porro aurelianus speciei virginis singularis impatiens; ignisque sevientis succensus facibus; nullum mente solacium; nullam animo quietis pausationem admittens; hoc a domitiano augusto praecum suppliciis munerumque copia superaffluenti extorserat; ut virgo christi eiecta domo; pulsa patria; bonis privata haereditariis. in insulam memoratam carcerem subisset exilii. quatinus videlicet immanitatem ac superabundantiam malorum non sufferens; ad eius tandem animum copulam revocaret coniugii. Non multo post iam dictam insulam aurelianus adveniens; cum conaretur sanctorum dei nerei et achillei blanditiis minis donis repromissionibus plurimis ad id ut domitillam suis adquiescere conubiis persuaderent animos emollire; videns se tandem casso desudare labore. ignominiis a sese dehonestatos verborum; verberumque gravissimis ac diutissimis affectos suppliciis; terracinam deductos memmio eos consulari ad extremum ut sacrilegos ut blasphemos ut contempores deorum tradidit puniendos. Qui cum ad turificandum diis immortalibus eos nec terrentibus minis nec blanditiis demulcentibus se pertrahere posse videret appensos primum eculeis; post adustos crepitantium flammarum succendiis. extremo capitali eos precipit plectendos sententia. Quorum corpora sanctus levita caesarius officiosa celebrique devotione cum martyrum eorumdem discipulis colligens; navigio romam in predium sanctae domitillae transvexit. Cunctisque pro ritu christianae religionis consummatis perfectisque exequiis; via ardeatina iuxta apostolorum principis filiae petronillae memoriam ea humo operuit. Domitillam igitur solam; sanctorumque nerei et achillei sedulitate coloquii recreatione consortii aurelianus contuens destitutam. quasi iam demum facile suis votis satisfacturam; de exilii insula deduci praecipit terracinam. atque a sulpicio et serviliano viris illustribus. praecibus obnixis extorsit; ut ad eam sponsas suas. sapientes videlicet et eloquentes adolescentulas delegarent. consulturas videlicet et persuasuras ei; ut ulterius aureliani assensum conubiis non negaret; A qua cum fuissent gratulanter satis officioseque receptae; in hanc primam euphrosina orationem erupit. Quanta te semper dilectione soror amabilissima complexae sumus. Quantum gratulationi complausimus tuae. Quantum fuerimus compassae merentes. Quantum postrema tecum semper concordes extiterimus et unanimes; ipsa optime nosti. Unde tuis dilectissima casibus condolentes; ad te venire studuimus. scire avidae quaenam sit causa tanta quae in tantum tuum animum obduraverit; ut abomineris deos. homines neglegas. nobilitatem natalium conculces tuorum. Deos detestans patrios dei cultrix sis effecta ignoti. Veritatem ab antiquo excultam et celebratam a patribus deserens; nugas quas et quorum nescio modernorum secteris. Unde per humana et per divina omnia soror ipsa michi vita dilectior precor. atque obtestor; parce nugis. parce neniis. desine vanitatem. Reminiscere prudentiae. Reminiscere ingenuitatis tuae. Reminiscere tuorum natalium. Esto unanimis eis qui tibi semper unanimes extitere. dilige diligentes. teque ipsa ne oderis. Revoca animum ad sponsum tuum. Reduc mentem ad amorem te flagranter. atque impatienter amantis. Unum pro certo et indubiae noscens te velis nolis aureliani evadere non posse manus. Dixerat. Tunc domitilla. Grates inquit primum dilectissime sorores immensas benivolentiae laborique vestro quem ad nos usque arripientes estis proferre dignatae; ex intimis animi me-

dullis restituo. Meque dilectricem vestram aeque atque vos estis mei veridica relatione insinuo. quid profecto esse verissimum effectu ipso continuo comprobabitur. cum vos non per inanes verborum futilium ambages ducens; ipsam simpliciter paucis meram aperiens veritatem. Nec mea seu vestra interesse reor; respondere seriatim universis sermonibus vestris; quos in commonitionem mei affectione dignantissima ac benevolentissima depromsistis. Ad ea igitur tantum respondisse suffecerit; adque responsionem commodissime et necessario fieri; ipsa michi dictante interius ratione suggeritur. Dixistis igitur me deos patrios detestantem; dei cultricem ignoti effectam. Omissaque veritate exculta et celebrata a patribus; ad nugas esse neniasque conversam. Sermonibus ergo intermissis interius dilectissimae; faciamus rebus res ipse probantur. Unum igitur horum karissimae vestra intererit facere. ut aut vos inclamatis diis omnipotentissimis vestris per eos quod ipsa michi fieri expetiero impetretis; et ego ad eosdem credendos deos; ad excolendos eos. ad divinis honorandos obsequiis animum revocabo; meque quod ipse dixistis confitebor ultronea veritatem quam patres excoluere omissa ad fabulosas nenias et aniles ineptias decipientibus christianis seductam animum convertisse; vestrisque commonitionibus ne in uno quidem inobtemperans. obsecundantem me studebo exhibere in omnibus; aut vos animarum vestrarum consulentes saluti; deo meo pollicemini credituras; si me invocato eius nomine; in nullo quod expetieritis ipse contuebimini impotentem. Ad haec theodora. rationibus profecto inquit soror dilecta ut quod verum est fateamur. verba tua nituntur. Ceterum quia nos in tantum deorum voluntatibus obsecundantes paruimus. ut de eorum erga nos benivolentia tale presumere debeamus; ipsa potius quae pro debitis ut credimus sedulisque obsequiis tantam de benivolentia ergo te dei tui. praesumptionem tibi assumere potuisti; invocato eius nomine age fiant quae fieri expetemus. et nos hora eadem deorum cultibus nobis iam insinuatis vanissimis quicquid ipsa consulueris quicquid commonueris faciemus. Tunc domitilla. Utinam soror luce michi ipsa suavior et tu id ex animo dixeris. et sorori nostrae eufrasine id ipsum deus et habere corde et ore polliceris inspiret. Ad que nil morata euphrosina; Super meo nomine inquit. nulla haesitatio habeatur. Adest michi germanus caecus qui si ad eius quem colis deum invocationem nominis. pupillarum resumet officium; eum deum verum; eum omnipotentissimum hora eadem crediderim ad cuius invocationem nominis tantum fuerit patratum prodigium. Moxque subsecuta theodora; Si eiusdem inquit nomine inclamato nutricis meae filiolam mutam vel unum quidem verbum edere auribus hausero; veri summique dei vos christianos cultores non ulterius potero haesitare. Quid in his pluribus? caeco visus; muta linguae ad invocationem nominis ihesu christi domini resumente officium; ambae crediderunt sorores. sacrique fonti unda regeneratae. sponsis mortalibus et terrenis hora abrenuntiantes eadem. regi dominatoris saeculorum omnium filio virginitatis perennis observantiam dedicantes. in sponsas perpetuas copulatae sunt. Advenerat decreta dies. Tres sponsi aurelianus, Sulpicius et servilianus quasi virginum trium una pariter celebraturi nuptias terracinam adveniunt. Verum sulpicius et servilianus caeci muteque contemplantes prodigia. christo domino crediderunt. Aureliano cuius aciem amor caecus lucem non sinebat prospicere in tenebris persistente perfidie. Qui sperans sese per vim virginem oppressuram; dum plausus epulas gaudii caenam celebrat nuptiarum. in qua scurris admixtus saltantibus eo usque saltavit; quo ad usque corruens expiraret. Luxurius post haec aureliani frater ab imperatore traiano potestate accepta; sulpicium et servilianum urbis praefecto cuidam nomine aniano ut regum legumque contemptores; ut in deos immortales blasphemos et impios; audiendos puniendosque contradidit. Qui cum sese in audientia prefecti christi domini famulos voce clarissima faterentur; simulacrisque honoris cuiuslibet reverentiam; quaelibet exhibere obsequia modis omnibus detrectarent; hora eadem irae flammantis prefecto succenso facibus; capitalis in eos est vulgata sententia. Quorum a christianis reverenter corpora sunt collecta. atque in predia eorundem via latina miliario secundo officiosa satis celebrique sunt devotione sepulta. His ita gestis; veniens terracinam luxurius; virgines sacras memoratas superius suis sisti tribunalibus fecit. eisque ut diis immortalibus incendant tura; libamina offerant; herili edictione

precepit. Quibus renuentibus facinus; dat luxurius in preceptis; ut ablatis prorsus omnibus quaecumque eis aderant in auro in argento in aere in vasis utensilibus in omni denique censu et supellectili qualicumque; ipsae cubiculi in quo pariter morabantur ianuis undique claustris munientibus obseratis; circumquaque positis ignibus mortis horribilis exterminio plecterentur. Quarum corpora illesa et inadusta capitibusque demissis in terram orantium imaginem pertendentia; die altera sanctus levita caesarius repperit. terramque fodiens in profundum; digne venerationis obsequiis sepulturae dedit.

Dum in his agendis tempus cursibus ignaris stationis evolvitur; kalendarum ianuari(ar)um festiva illa ac praeclara sollennitas aderat. Grex iuvenum; turba senum; turma adolescentum; puerorum caterva; nobilium ignobilium divitum pauperum mediocrium multitudo innumera; certatim ad sollenne illud celebreque prodigium hominis sese morti ac precipitio ultro dedituri confluxerat. Hostiis igitur per adolescentis manus sollenniter in templo apollinis immolatis; fusis precibus omnibusque rite perfectis exit templum. equum insilit homo vesanissimus Ventum est tandem turba prosequente innumera ad montis supercilium. Et ecce infelix circumspectantibus ultimum vale dicens; de rupis vertice sese tradit in praecipitium. Dum gererentur ista intererat levita caesarius. Qui ultra compescendi animum et coercendi impatiens; celsa caepit voce clamare. Quis furor? quae insania ista o cives? quae tanta tamque inaudita cunctis retro saeculis frenesis corrupit cerebrum; infecit animum. abstulit sensum et operuit intellectum; ut noctem diem; nubem serenum; lucem tenebras deputetis? ut in scelere summo virtutem; in morte vitam; salutem in perditione locetis? O invisum scelus. O facinus inauditum. O flagitium nullis omnino flagitiis conferendum. Ultro sese hominem prodere. ultro vitam linquere. ultro mortem appetere. Pro homines inhumanos. pro dementes et freneticas mentes. Parcite quaeso o cives obsecro per divina et humana omnia obtestati. parcite quaeso. Parcite quaeso per salutem vos vestram. per salutem communem obtestor. O me miserum hominem. quid invisum video? quid inhumanum cerno in hominibus? O respice de caelis omnium iudex deus. potens omnium. omnium contuitor. Vide facinus. Vide scelus. Vide et ulciscere. Quoadusque avertes faciem? obduces aciem? amovebis deus deus meus intuitum? Tacuisti semper. siluisti. ad extremum quaeso instar parturientis eloquere. Dum a vociferatione horum et his similium nulla firmini pontificis iussa nulle interminationes possent cohibere caesarium; ad extremum ex precepto pontificis captus custodia mancipatur. Collectis denique iuvenis precipitati reliquiis; atque in templo apollinis summa cum devotione humatis; regressus domum pontifex; eductum caesarium carcere suis obtutibus imperat praesentari. Quem minis et ignominiis austeriore invectione adortus; carcere iterum precipit mancipari. Directisque legatis; leontium consularem qui tunc forte temporis fundis remorabatur venire terracinam efflagitat. Qui cum efflagitanti annuens venisset post triduum; adiens eum pontifex caepit in eius auribus enarrare; afrum quendam genere terracinae morari. Eversorem plebis. transgressorem legum. contemptorem deorum. qui preclarum illud facinus et per quod potissimum terracina ubique famosa et celebris resonabat; hominis sese pro salute populi universi morti precipitioque dedentis; in audientia universae plebis non timuerit contestatione publica infamare. quique sibi iubenti et minas etiam intentanti ut conticesceret; et ritum civitatis infamare desineret; nulla prorsus voluerit ratione annuere; captus etiam et trusus carcere; procaci adhuc mente in sententia perseveret. Haec leontius audiens; publice in foro sibi precipit tribunal parari. Cui pro tribunali residenti; cum ex preceptione eiusdem representassent caesarium; hac eum primus interrogatione adoritur. Dic nobis tu. quis diceris nomine? Ad quem levita. cesario inquit nomen est michi. Ad haec leontius. Indigenam te inquit an alienigenam profiteris? Ad quem caesarius. Alienigenam. Et consularis. de quibus huc ait partibus advenisti? Et ille. de partibus inquit africe. Tunc leontius. verum ne inquit est te civitatis huius inclitos atque inveteratos ritus abominari? illudque preclarissimum factum hominis sese pro salute patriae neci precipitioque dedentis contestatione publica infamasse? Caesarius ait. verum profecto. Ad haec leontius. Dicunt praeterea deos immortales quibus imperatoria maiestas regias affle-

ctit cervices; quosque oblatis sedulo satagit sacrificiis delenire; te habere contemptui. Ad quem caesarius. Nichil verius ait. Tunc leontius. Impero inquit libaminibus oblatis sacrifices. Caesarius ait. non faciam. Ad quae verba indignatus leontius; dat in preceptis continuo; caesarium vinctum ad apollinis templum eidem apollini scilicet adoliturum et sacrificia oblaturum deduci. Iam appropinquaverat templo. Iam propemodum contingebat. Iam per vim intro mittendus erat. et ad sacrificii oblationem nefarii si qua id facultas admitteret compellendus. Cum ecce elevans caput caelumque luminibus apertis contuitus; sic oravit. Ad te levo inquiens oculos meos qui habitas in caelis. Sicut oculi servorum in manibus dominorum suorum; et sicut oculi ancillae in manibus dominae suae; ita oculi mei ad te dominum deum meum donec miserearis mei. Miserere mei domine miserere mei. quia multum repletus sum despectione. Innova deus meus signa et immuta mirabilia. Glorifica manum et brachium dextrum. Excita furorem et effunde iram. extolle adversarium et afflige inimicum. Accelera tempus et memento finis. Ut cognoscant mirabilia tua gentes omnes domine deus noster. Vix consummarat exorsa caesarius, cum ecce repente imperii vi persensa divini templum corruit demonis fundamentis eversum. pontificemque firminum templi tolum opprimens conquassavit. Quod luxurius amicus ille unicus sodalis unanimis contuens; prae nimii doloris impatientia caepit furere. desevire. atque in consularem leontium insanis allocutionibus invehi. Quousque inquiens consularis leonti magum subversorem veneficum auris animari vitalibus patiere? Ita ne adhuc cessas leonti facinorosum perdere; demoliri scelestum? Adhuc cessas de populo auferre contagium? adhuc cessas; adhuc inquam moraris a compage viventium; a connexione hominum; membrum putidissimum amputare? In tanto scelere; In tanto facinore puniendo ullae sunt innectendae morae? ullae sunt interserendae indutiae? Tunc leontius ad levitam. Nisi ego inquit omnium quos terra sustinet sceleratissime tantum in te facinus digna ultione puniero; ab ipsis saeculorum primordiis non fuit in hominibus facinus dignis ultionibus vindicatum. Ad quem caesarius. quid minaris inquit consularis leonti? Omnia conviciorum. omnia tormentorum genera paratus est caesarius perpeti ut modo ihesu christi domini gratiam valeat et benivolentiam promereri. Tunc conversus ad luxurium consularis ait. Scio te luxuri de pontificis interemptione mestissimum. super qua quantum et ipse contribuler; dii immortales noverunt; me de morte pontificis tormentis omnimodis; atque ad extremum eo mortis genere quod teterrimum visum fuerit. ultionem facturum. Eadem vero luxurius hora populum universum ad eversum templum; ad peremptum pontificem videndum; contuendumque accersit. Hisque caepit furiis in eorumdem auribus insanire. Videtis o concives flagitium? Videtis magum? Videtis et siletis? Dii contemnuntur. Evertuntur templa. Perimuntur pontifices. Videtis et siletis? Et retorquens in caesarium acies flammantes dicebat. Cur scelestissime viventium omnium ista facere voluisti? Cur templum evertere? Cur collegam et amicum; mecum idem volentem et nolentem per omnia voluisti perimere? Ad quem caesarius. Quid vociferaris o iudex? Numquid ego collegam peremi tuum? Numquid ego arietibus vel evertendi instrumentis quibuslibet impegi templum? Numquid idem vel extremo vel minimo attigi digitorum? Si autem ad effusam precem; ad aperitionem oris mei: eversum protestaris parietem phani nefandi tui; in his te conicere; te perpendere cogat ratio cuiusquam solius quam veri. quam postremo maiestativi dei cultor existam. Per quem sermones mei robur tantum; tantam nacti sunt efficaciam. Moxque ad populum conversus; hanc ad eundem orationem habuit. Rationales estis o homines. sensuque vigetis. Persuadeat vos igitur obsecro ratio; rei perpendere veritatem. Si verus apollo deus est. Sique veri numinis cultor erat pontifexque firminus; Cur non templum tuitus est suo nomini dedicatum? Cur non pontificem a conquassatione a morte munivit suum? Cur ad homunculi verbum? Cur ad dei alterius invocationem destructum templum; Eversus paries; pontifex est peremptione multatus? Credite igitur homines. Si quidem homines. si quidem rationales estis. Si quidem sensu intellegentieque capaces. Credite inquam eum deum verum. Credite potentissimum. Cuius tam robusta; tam valens; tam denique efficax nominis extitit invocatio. Haec auribus percipientes de populo plu-

rimi; corde animo compuncti sunt. et in haesitationem quandam scrupulumque deducti. videntes maceriei eversae; peremptique pontificis signum terribile. Verbaque audientes eiuscemodi; quibus nulla verba. nulla videbatur posse ratio contraire. Porro luxurius his auditis. magis ac magis insanibat. Extracto denique firmini cadavere atque ex more humato; ex preceptione leontii carceris mancipatur custodia. In qua eum diutiore tempore commorantem caelestis pietas intercurrentium angelorum mediante colloquio; crebro est dignata revisere.

Anno iam decurso propemodum ad orbitam sol paene remearat eandem cum ecce ad imperium consularis leontii pignera tenebrarum tenebras in quibus lucis filius caesarius vinctus tenebatur irrumpunt. Educunt nudum catenisque vinctum militem dei leontii milites. leontio et luxurio in foro terracinensi una residentibus praesentandum. Orat intereundus caesarius ducentes se milites; modici sibi temporis ad orandum largiendas indutias. Orantem vero caesarium humique pertenso corpore expansisque palmis mentientem planitiem; lux lampadis fulgorem coruscantis aequiperans destinata caelitus christi undique belligerum circumfudit. Ad cuius conspectionem prodigii; consularis sese leontius ad vestigia continuo venerabilis levitae destituit. deumque caesarii solum verum; solum in caelo et in terra omnium potentissimum; voce ingentissima exclamavit. Moxque clamide propria levitam induens; ut christi instrueretur fide; christi innovaretur mysteriis. christi continuo purificari lavacro mereretur; fusis caepit lacrimis postulare. Quae omnia per levitam caesarium et sanctum presbiterum iulianum qui tunc ibidem divinitus ut credimus destinatus advenerat; in leontio hora eadem feliciter consummata sunt. Quibus orantibus; perceptis dominici corporis sanguinisque mysteriis; loco eodem halitum leontius exhalavit extremum. Cuius corpus ab uxore est eiusdem filiisque collectum. sepultumque haud eminus a civitate; tertio kalendas novembris. Die eadem data sententia est promulgante luxurio; ut sanctus presbiter iulianus levitaque caesarius sacco vincto undique obstrusi pariter fluctibus immergantur equoreis. Praeterierat triduum. nox advenerat in qua in sanctis dei iussa sacrilega consummantur. Qua videlicet nocte; hac almifici martyres oratione luxurium referuntur adorti. Nos quidem aqua mater luxuri ut pignera propria amplexabitur. ut filios dilectos suscipiet. Recognoscet suos. Recognoscet quos peperit. Reddet deo quos donatore concaepit. Tu autem procul ambiguitate remota; in sequenti die serpenti ferocissimo deo iudice discerpendus totus bibendus exugendusque traderis. ut omnibus dies sit serena lucidius cruoris nostri deitatem ultricem. sanctarumque virginum. quae ignium conflagrantium ustione tuo sunt crematae imperio. Dixerant. Et ecce a ministris luxurii momento comprehensi eodem. vincti pedibus manibusque sacco iniciuntur. Pervehuntur ad mare. profundo pelagi immerguntur. Insequentis vero diei lucescente aurora; maturius solito strati luxurius amaena destituit. Cumque ocius apparatus equum insiluisset; nullius suorum comitatum opperiens; ad iuris villam proprii maturabat pransurus. Cum ecce subter arborem exparsam ramis; frondibus nemorosam equitantis sinum luxurii arbore desiliens coluber per capitium illabens tunicae introivit. Qui mox instar cinctorii hominem ambiens; a dorso et lateribus corpus caeterum. in sede vero cordis caudam et verticem collocarat. Caepit infelicis pectus morsibus coluber attrectare ferocibus. caepit compagem solvere. cutem discindere. corrodere carnes. dispertire ossa. cruorem exugere. Desilit miser equo. seseque mox volutans per humum; tetris opplebat eiulatibus aera. Fertur autem prius quam ibidem oppeteret; sanctos quos mari iusserat immergendos necdum functos vita ad maris litus pervectos contuitus. Eosdemque in iocunditate et vocis iubilo amaenissime ymnum conditori gloriae persolventes aspiciens; ut sui misererentur iteratus perhibetur vocibus inclamasse. Reliquias autem sanctorum martyrum eusebius cuius in superioribus fecimus mentionem; quo videlicet hospite ab ipso in civitate introitu levita fuerat perfunctus caesarius nocte insecuta collegit. atque haud procul a terracinae maenibus honore et reverentia debita terrae pignora sacrosancta in die extremo exigenda et restituenda deposuit.

Quintus a transitu sanctorum martyrum caesarii et iuliani decurrerat dies. cum ecce ad memoriam eorundem ieiuniis orationi ac psalmodiae indulgens sanctus eusebius reperitur. Fit ad servum dei non

enim ab urbe locus eminus aberat concursus undique plebis ad divini auditionem verbi sexus omnis. etas omnis. omnis confluit postremo condicio. Purificabanturque unda lavacri salutaris per presbiteri cuiusdam manus. et proprietate vocabuli et dignae merito actionis felicis. Deferentibus igitur iis qui ea sese testabantur contuitos; leontio consulari filio consularis leontii seriatim omnia patefiunt. In foro igitur civitatis terracinensis consularis residens; suis sanctos imperat praesentari obtutibus. Praesentatos hac leontius eos primus sciscitatione convenit. Vos ne inquiens estis qui seducitis populum ; plebem evertitis ac subvertitis omnem; deorum sacra et ipsi detestamini contemnentes; et ut alii eadem contemnant et detestentur insistitis? Tunc eusebius. Ad viam et per viam inquit veritatis et vitae nitimur si posse suppetat ducere universos. Seducere vero quempiam neque novimus omnino; nec volumus. Convertendi omnes si facultas daretur peravidi. evertendi vero seu subvertendi cuiuspiam voluntate prorsus studioque extranei. eversa statuere. non stantia evertere perstudentes. Deum autem unum credentes ac solum; deos plures funditus ignoramus. Unde eis qui non sunt libamina nec ipsi offerimus ; nec si possit fieri alios offerre vellemus. Nec planum ducimus nos viam veritatis ingressos extra eam oberrantes videre innumeros et silere. Ad haec leontius. Ergo ne romana plebs optimates romani ipsi postremo romani principes quorum dominatus et imperium ad ipsos usque terminos orbis terrae distenditur. immo omnis propemodum orbis desertis aequitatis iustitiaeque tramitibus per devia quaeque et erroris tortuosos anfractus vobis videtur incedere? Vosque christicolae qui ne millesimam quidem hominum portionem suppletis soli videbimini aequitatis calles et semitas invenisse iustitiae? Cumque ab ipso mortalium primo ne unus quidem repertus sit hactenus qui religionis huius sacrosanctissimae semitas divinitus ut asseritis ostensas calcasset. omne iuxta vos rationalium genus in terris a rectissimis rationis iustitiaeque tramitibus per ea quae rationi iustitiaeque repugnant tortuosa et devia per tot milium annorum elapsus credendum est aberrasse. tenendumque erit ipsos auctores et rectores humani generis deos quos omniscios et omnipotentissimos ratio ab eis humanis animis omnium naturaliter immissa proclamat ; impietatis quod blasphemium capiti redundet vestro vel impotentiae arguendos; qui per tot annorum decurrentium milia vel noluerint impie vel nequiverint impotenter hac servitute teterrima mentes hominum liberare? Ad haec sanctus. Prudenter inquit satis et verisimillima ratione nostrae es consul nisus religioni resistere. et per miras veritatis imagines meram destruere veritatem. et per umbraticas larvas et phantasticos lemures nostrae fidei deterrere conatus es faciem. Verum nostra religio invincibilis est. et insuperabilis omnis veritas. nostraque fides non speculares imagines. non phantasias lemurum. non commenta scenica et theatralia ludicra quasi parvula extimescit et rudis nec verisimilibus unquam sincera vera potuere deludi. Ceterum si tanta tibi nunc emissa caelitus irrumperet veritatis audiendae cupido; ut obiectionibus tuis singulis responsa redhiberi sufficientia patereris; monstrarem sane non nova nos docere. non rudia. non cunctis ut asseveras retroactis seculis inaudita. Sed uno illo summo atque precipuo tegmine obvelato silentii. quantis ab ipsis fere mundi orientis primordiis hanc deus viam patribus revelaverit; in ipsis quos summopere excolitis philosophorum scripturis omne fere christianae religionis dogma plenissime et planissime ostenderem contineri. Tunc leontius consularis. Non michi ait vacat nugis ineptiisque vestris diutius audiendis vacare. horum utrius vobis optio imperatoria iussione nostraque largitione conceditur; ut aut deos immortales dignis divinisque honorantes obsequiis auris nobiscum vitalibus potiamini; aut id facere differentes ; truncati mox gladio viventium consortio sequestremini. His sanctus felix in haec verba respondit. optionis concessae consul partem posteriorem eligimus. Deos igitur tuos certus et inambiguus scias non modo nullis unquam a nobis quae deitatem condeceant obsequiis honorandos ; verum omni insuper opprobriorum et ignominiarum genere quoadusque spiritum efflaverimus; ut adversarios et hostes dirissimos nostri generis insectandos. Proque facinore huiuscemodi; et cunctis suppliciorum et tortionum paratissimos generibus affici; et ad extremum morte ipsa multari. Post haec leontius caepit circumstantem populum sciscitari; quae super his eorum haberetur opinio. Qui-

bus varia diversaque censentibus aliisque dogma exclamantibus pravum; atque aliis bonam musitantibus esse doctrinam; carcere eos retrudi consularis praecepit. Nocte vero insecuta eos per intermissas personas diis suis commonens immolare; cum ipsi id funditus detestabile ducerent; eadem nocte plexos capitibus fluvio qui dicitur ligula in preceptis tradídit immergendos. Sacrosanctaque corpora fluvio. mari mox fluvius. mare litori iuxta locum qui pineta dicitur die altera destinavit. Capuanus vero presbiter quidam quartus nomine ad agrum proficiscens suum; sanctorum corpora sine capitibus die eadem repperit. quae collecta vehiculoque imposita; domum ad se veneranter pervexit. Quorum capita dum anhaelus sedulusque perquireret; die altera illibata deo largitore invenit. Humavitque corpora iuncta capitibus iuxta corpus levitae caesarii; die nonarum novembrium.

Regnante valentiniano augusto; damasus romani cathedram pontificii obtinebat. vir et fide catholicus; et scientia floridus; et moribus honestissimis adornatus. In tanta autem reverentia augustus habebat antistitem; in tantum utrumque unanimem et concordem gratia divina effecerat; ut quicquid pontifex vellet nollet; idem vellet sperneretve augustus. Ex consilio antistitis igitur augustus eudoxiam theodosii augusti filiam sibi iure copulavit coniugii. Qui videlicet theodosius cum honorio pariter sancti pauli basilicam a fundamentis ordiens; feliciter ad finem usque perduxit. Eudoxia vero usque adeo in apostolorum summum divini facibus amoris succensa flammaverat; ut eiusdem basilicam quae in presens usque in augustae memoriam eudoxiae dicitur; quamque ad reverentiam vinculorum apostoli ad vincula cognominari voluit in urbe constet esse constructam. Sed de his hactenus. Natae sunt autem augusto de coniuge filiae duae. quarum prior quidem matris nomine eudoxia. inferior vero galla placidia dicta est. Verum prior ante completam adolescentiam annos ocius consummans suos; vocante deo defuncta est. Unde pro communi parentum more effectum est. ut superstes galla ab augustis tenerius amaretur. Tempestate eadem ab augustis hortum quendam antistes expetiit. Quo ocius ovanterque ab augustis concesso; manu propria pontifex fundamenta iaciens prima; ad memoriam beati martyris laurentii designavit ecclesiam. quam post etiam adiutus divinitus felici consummatione complevit. Porro galla audita horti concessione; audito etiam quod in eodem iam ad construendam ecclesiam iacta essent fundamina; ferre ipsa verba referentis vix potuit. pro eo videlicet quod ad eundem hortum cum collactaneis atque coevis suis venire crebrius. ibique ludere. spatiari. omniaque quibus educatarum tenerius puellarum alliciuntur animi agere censueverat. Unde indignata flammantius ad locum ipsamet cum famulorum veniens multitudine. caepta ecclesiae fundamenta nisa est demoliri. Quare mox atrocissimo tradita daemoni; vexari ab eodem dirissime caepit. Unde tam augustorum quam ipsius quoque populi romani animos meror invasit gravissimus. delataque puella per diversa sanctorum corpora a nullo meruit sanari. Audito autem quod in insula cui chio vocabulum est ad beati martyris ysidori corpus diversae cotidie et maxime in expulsionibus daemonum divinitus exhiberentur virtutes; positam in basterna puellam per campaniae litora ad insulam destinant memoratam. Ad urbem itaque campaniae terracinam puella deveniens a sancto felice qui tunc urbi eidem in antistitem praeerat decenter suscepta; ne urbem ingredi quidem ab eodem permissa est. Verum eodem premonitore et duce; ad sancti levitae martyrisque caesarii reliquiarum divertit memoriam. Quo cum perventum esset; hanc pro puella orationem fudit ad dominum. Dominator domine qui suavis et copiosus in misericordia omnibus invocantibus te davidicis vocibus acclamaris. quique eiusdem attestatione prophetae es prope omnibus invocantibus te in veritate. invocantes te famulos tuos adonay domine exaudire dignare. meritisque huius felicissimi martyris cuius hic exuvias corporis sacrosanctissimas veneramur; omnia huius ancillae tuae corporis membra mundissima per divinae regenerationis lavacrum divinaeque eucharistiam communionis effecta immundo possessore fugato. munditiae pristinae salutique restitue. quatinus presumptionis audaciceque puellaris facinus sancti levitae tui interventu a te indultum clementi miseratione cognoscens. reddita sibi; parentibus; patriae; suis parentum patriaeque vocibus laudes et actiones gratiarum delibet nomini tuo. Et hoc prestare pater misericordiarum petimus in nomine prememorati

unigeniti tui. cum quo tibi in unitate sancti spiritus individuum regnum et imperium sine fine permanet in saecula saeculorum. Ad cuius finem orationis; pro ritu moris ecclesiastici omnes qui aderant responderunt Amen. Persistente autem triduo in orationibus presule; interventu maris puella hoc ordine sanata est. Noctis siquidem tertiae medio ei vir venustissimus facie stola pro levitarum more coopertus apparuit. qui puellam in haec verba convenit. Scias deum felicis antistitis audisse precem. vidisse lacrimas. respexisse mentis afflictionem. Unde per eum te ilico restituendam noveris sanitati. Cumque haec loquentis a puella nomen exquireretur; ei caesario inesse nomen eiusdem responsione cognovit. Qui confestim quasi colubrum ore extrahens puellari. viro eum qui ibidem secum advenerat tradidit. hoc ei dans in preceptis; quatinus in maris profundum citius et sub omni festinatione demergeret. Quibus factis dictisve; signo dominicae crucis os auresque puellares communiens; nusquam prorsus comparuit. Puella vero mox reversa in sese; presuli seriatim omnia enarravit. Qui de ereptione puellae alacer nimis gratulansque effectus; lucescente mox die deo pro redditionibus gratiarum dominici corporis et sanguinis victimas immolavit. Quod nimirum miraculum presul celerius et sub omni agilitate curavit augusto per internuntium delegare. Quibus auditis laetissimus imperator effectus; gratesque immensas ex cordis intimis referens creatori; cum innumera populi multitudine terracinam arripuit iter. Dieque tertia cum presul nondum solennia missarum explesset; cum populi quae secum convenerat multitudine basilicam imperator ingreditur. Repertaque filia saluti pristinae restituta; deoque devote ac venerabiliter offerente oblationem; in laetitiam ut dignum erat et laudes deo ampliores prorumpit. Sanctusque antistes felix ab ea die in maxima ab augustis est habitus veneratione. Contulitque eidem ecclesiae dona imperator innumera. Basternaque ipsa in qua puella languens terracinam delata fuerat; auro et ebore mirifice ab imperatore iussa est decorari. In qua nimirum sacrosanctissimae levitae caesarii et presbiteri iuliani reliquiae per sacerdotum humeros romam usque pervectae sunt. Imperatore cum populo accensis luminaribus in ymnis et laudibus prosequente. Conditaque sacrosancta pignora cum devotione et veneratione debíta intra urbis palatium. in cubiculo augustali. per manus pontificis damasi. qui eiusdem basilice rogatione augustorum extitit dedicator. Fiunt autem virtutes multae in loco pausationis eorundem; usque in hodiernum diem. Accipiuntque petentes digne. digneque querentes inveniunt. Aperiturque digne pulsantibus ad memoriam sanctissimorum martyrum interventionibus eorumdem. Prestante domino nostro ihesu christo; qui cum patre et spiritu sancto vivit et regnat deus in saecula saeculorum. Amen.

Pag. 177 — Passio sanctorum Valentini et Hylarii.

Tempore quo maximianus augustus regnabat; misit edictum per universas provincias et civitates; ut ubicumque christiani inventi fuissent sine auditione punirentur. Eodem tempore absconditi sunt christi ministri valentinus presbyter et hylarius diaconus; in domo cuiusdam religiosae feminae eudoxiae. quae cotidianis diebus eis alimoniam ministrabat. ibique in vigiliis et ymnis deo gloriam iugiter dabant. Factum est autem ut demetrius proconsul qui erat in castello biterbiensium; ex iussione augustali curiosae quaereret christianos; ut diversis eos suppliciis enecaret. quatinus per hoc augusto maximiano placeret. Coeperunt itaque tradere vicini vicinos. propinqui proximos. amici amicos. parentes filios. Interea tenti sunt beati martyres valentinus presbyter et hilarius diaconus a demetrio proconsule; et perducti sunt in castellum biterbiensium. Quibus dixit proconsul. ex qua patria estis? Responderunt sancti martyres et dixerunt. primum quidem. fatemur nos christianos esse; et christi discipulos. de partibus vero hac orientis advenimus. Proconsul dixit. de quo genere estis? Responderunt sancti martyres et dixerunt. quantum ad carnis natales; de praeclaro genere nati sumus. Dicit eis proconsul. Sacrificate diis omnipotentibus. et estote amici caesaris. Responderunt ei una voce sancti martyres et dixerunt. Nos deo nostro nosmetipsos offerimus sacrificium in odorem suavitatis. Nam omnes dii gentium daemonia. deus autem caelos fecit. Ecce corpora nostra parata sunt ad supplicia fac quod vis. Nos enim

christum confitemur labiis; et corde non cessamus invocare. et ipse nobis reddet promissum suum; sicut promisit diligentibus se.

Dicit ad eos proconsul. Sacrificate deo magno herculi quem principes adorant. Dicunt ei sancti. quid nos compellis idolis et daemoniis sacrificare? proconsul dixit. eligite vobis unum e duobus. aut sacrificate diis omnipotentibus; aut die isto diversa tormenta in vos expendentur. Responderunt ei sancti. Nunquam tibi bene sit filius iniquitatis. qui nos manufactis idolis sacrificare suades. Iratus proconsul; iussit eos levari in eculeo et torqueri. Cumque levati fuissent in eculeum et acerrime torquerentur; respexerunt ad caelum. et lacrimabiliter oraverunt dicentes. Domine ihesu christe qui condidisti caelum et terram et omne ornatum eorum. et fecisti hominem ad imaginem tuam. qui dixisti ego sum deus et non est alius praeter me exaudi nos servos tuos indignos in ista hora; et mitte angelum tuum sanctum qui hoc templum idolorum subvertat. quia tu es deus benedictus in saecula saeculorum. Et cum dixissent amen; subito factus est terremotus magnus. et eversum est templum herculis. Cum autem nuntiatum fuisset hoc demetrio proconsuli; scidit vestimenta sua dicens. O quam cito praevalent magicae artes. Et iussit data sententia ut ducerent eos ministri extra castellum ad flumen. et ibi ligantes molas ad guttura eorum; sic mergerent in tyberinis fluctibus. Statim quaestionarii fecerunt iussionem proconsulis. et duxerunt eos ad fluvium et ligaverunt eis molam ad guttur magnam; quam vix viginti homines portare poterant. Sancti vero fixis genibus ad litus fluvii; oraverunt dicentes. Domine ihesu christe fili dei vivi miserere nobis peccatoribus. et mitte angelum tuum sanctum qui suscipiat animas nostras. et ad tuum sanctum conspectum iubeas nos perduci. quia tu es deus noster benedictus in saecula saeculorum. Et completa oratione; iactaverunt eos in fluvium. Angelus autem domini descendit et dirupit vincula eorum. et salvos atque incolumes eos de fluvio eduxit.

Revertentibus vero quaestionariis; subito nutu dei invasit eos ursus ferocissimus. et occidit ex eis ferme octo viros. alii vero dilacerati fugerunt. Fugientes autem dicebant. quia sancti viri cultores veri erant dei. sed venite credamus et nos in illum in quem crediderunt et ipsi beati martyres. Et venientes invenerunt beatum euticium presbyterum. perquirentes eum ubi erat absconditus. et miserunt se ad pedes eius dicentes. Pater bone. animarum christi credentium liberator. libera nos per tuam sanctam doctrinam. et monstra nobis fidem beatissimorum martyrum valentini et hylarii; quos iniuste per imperium nequissimi demetrii proconsulis necavimus in fluvio. At ille indixit eis triduanum ieiunium. et die sancto dominico baptizavit eos cum omnibus familiis suis. Et ecce subito venerunt ipsi sancti martyres; et dixerunt proconsuli. ecce quanta bona prestat dominus servis suis; iis qui ex toto corde diligunt illum. Et iterum dicunt ad eum. Tu nos in profundum aquae mergi iussisti; deus autem noster concite angelum suum misit qui nos ab undis aquarum absolvit. Et ecce iterum venimus ut conveniamus et moneamus te quatinus paenitearis; et credas christum dei filium esse deum verum. Tunc iratus proconsul; iussit eos fustibus vehementer caedi. Illi autem voce magna clamabant. Gratias tibi agimus domine ihesu christe pastor bone. qui nos inter servos tuos connumerare dignatus es. Tunc iussit eos proconsul levari a terra. et dixit eis. sacrificate deo herculi. Sancti martyres dixerunt. Miser. Cui nos iubes sacrificare? lapidi surdo et muto; qui oculos habet et non videt. aures habet et non audit. pedes habet et non ambulat. Ecce talis sis tu qualis est deus tuus. Iratus ad haec demetrius proconsul; dedit adversus eos sententiam dicens. iniurias deorum meorum ferre non possum. Et iussit ministris ut educerent eos foris castellum non longe. in locum qui dicitur via strata. et ibi capita eorum truncarent. Quorum corpora iussit custodiri tribus diebus; ne a christianis tollerentur. Erat autem quaedam religiosa femina in eadem civitate nomine eudoxia. haec veniens noctu rapuit corpora sanctorum martyrum. et in eodem loco ubi decollati sunt dignissimae tradidit sepulturae. Audiens demetrius proconsul quod eudoxia rapuisset corpora sanctorum; iussit eam teneri. et tandiu fustibus caedi; usque dum spiritum exhalaret. Passi sunt autem martyres christi valentinus et hylarius quarto nonas novembris. et sepulti sunt in locum qui vocatur cavillarius.

Post non multum vero temporis dolore ilii per-

cussus est demetrius proconsul. qui estuans et anhaelans cucurrit citius. et veniens ubi corpora sanctorum martyrum requiescebant; et proiciens se in pavimentum; caepit clamare et dicere. Succurrite michi peccatori servi dei excelsi; et nolite me amplius torquere. Tunc sancti dei dederunt ei soporem somnii. et ei per visionem dixerunt. Fac venire ad te euticium presbyterum; et ipse te saluti restituet. tantum monita illius audi; et noli iam amplius incredulus esse. Qui evigilans; statim misit milites suos ad montem qui vocatur aureus. et venientes invenerunt beatum euticium presbiterum orantem. Qui dixerunt ei. Demetrius proconsul rogat te ut concite venies ad eum. Qui statim surrexit de pavimento. et domino se commendans perrexit cum eis. Cum autem introisset ubi proconsul semivivus iacebat; dixit. Lumen verum quod est christus ipse te sanet. Ille autem amplius torquebatur. Tunc dicit ei sanctus euticius. Audi me proconsul. et crede in ihesum christum creatorem tuum. et salvus eris. Dicit ei proconsul. Credo pater. Credo in christum filium dei. Tunc benedicens aquam; baptizavit eum. dicens. Credis in patrem et filium et spiritum sanctum? At ille respondit dicens. Credo deum omnipotentem esse salvatorem meum. statim vero ut baptizatus est ita sanus factus est; ut dolorem ilii amplius nunquam sensisset. Tunc caepit praedicare et dicere. Credite omnes populi et adorate deum vivum qui est in caelo. qui mortuos resuscitat. leprosos mundat. et omnes infirmitates curat. qui me etiam a dolore ilii per intercessionem sanctorum suorum liberare dignatus est. Audiens autem maximianus imperator quod demetrius proconsul christianus effectus esset; misit dionisium vicarium. et iussit ut ubicumque eum invenire potuisset. sine auditione capite truncaret. Qui inventus martyr effectus est in ihesu christo domino nostro. qui tanta prestat beneficia servis suis in saecula saeculorum. Amen.

Supradictorum vero martyrum corpora valentini et hylarii in eodem loco in quo sepulti sunt usque ad tempora gregorii quarti apostolicae sedis praesulis requieverunt. Unde cum debito honore levans ea Sichardus abbas venerabilis monasterii Sanctae dei genitricis et semper virginis Mariae sito savinis; Collocavit in oratorio quod ipse construxit. et coniunxit aulae eiusdem dei genitricis et semper virginis mariae; pariter cum corpore sancti alexandri filii sanctae felicitatis. Quod videlicet corpus sancti alexandri concedente praefato domino gregorio papa de roma adduxerat. Ad laudem et gloriam domini et salvatoris nostri ihesu christi. Cui est honor et gloria in saecula saeculorum. Amen.

Pag. 182 — Passio sanctorum Quattuor Coronatorum.

Dioclitianus Caesar qui super omnes Caesares contra christianam religionem exarsit culturam daemonum templorumque glorificare studens. non solum auro et argento illam exornare curabat; sed etiam per diversas provincias praetiosa metalla diversorum lapidum exquirens; simalacra diversorum deorum vel potius daemonum mirifice exinde fieri ac studiose iubebat. Huius itaque rei gratia dum perrexisset in pannoniam provinciam ad praetiosa marmora secanda; diversosque artifices illic congregasset ac diligenti cura exquireret quisnam illius artis peritior caeteris ac sapientior esset; invenit inter eos quattuor viros quorum nomina erant Claudius. Castorius. Simpronianus. et nicostratus. qui inter caeteros mirificentius artis illius efficacia imbuti erant. Hi nimirum christiani verissimi erant et sanctae trinitatis fidem fideliter excolebant sed propter nimiam crudelitatem persecutionis ac diversarum genera paenarum; clancule christum glorificabant. et quicquid illius artis operis faciebant; in nomine domini construebant et de mercede sua egenorum miseriam sustentabant.

Quadam vero die convocavit praefatus cesar omnes illos artifices et philosophos et praecepit ut omni studio ac diligentia simulacrum solis ex lapide cui nomen est tasonis construerent. Qui omnes unanimiter promiserunt se diligenter cuncta perficere. Cumque omnes simul congregati caesaris iussionem complere niterentur; quanto diligentius illius figuram exprimere cupiebant; tanto magis deterior fiebat. Quamobrem magna intentione contendentes; quid amplius possent facere nesciebant. Erant autem hi artifices numero sexcenti et viginti duo. et praepositi super eos philosophi quinque. Igitur dum magna inter eos dissensio facta fuisset; exurgens unus ex quattuor christicolis superius

nominatis nomine simpronianus; confidendo in fide domini nostri ihesu christi dixit omnibus. Obsecro vos fratres et socii. date michi licentiam. et ego cum sociis meis videlicet claudio nicostrato atque castorio inveniemus qualiter caesaris voluntatem peragere valeamus. Haec ubi dixit; consentientibus sociis consilio illius; caeperunt in nomine ihesu christi domini designare. et figuras exprimere simulacri. Et quoniam in nomine illius magistri hoc agere caeperant cui cuncta obaediunt elementa; mirifice ac decenter omnia iuxta quod caesar iusserat perfecerunt. perfectumque est simulacrum in longitudine pedum triginta et quinque.

Laetificatus itaque de tali opere caesar; continuo ibidem idest in partibus pannoniae in loco ubi dicitur ad montem pinguem templum aedificari iussit. Ipsumque simulacrum deauratum in eo constituit et sacrificia exhiberi cum magna studuit celebritate. et dedit magna dona artificibus. Dehinc cum cerneret tantam peritiam praedictae artis eis mirifice esse collatam. vocavit ad se praedictos viros. Idest claudium simpronianum nicostratum atque castorium. et praecepit ut ad ornamentum praedicti templi columnas et epistolia illarum ex monte porfiretico inciderent. Qui eius iussa perficientes; caeperunt incidere lapidem in longitudine pedum septuaginta et quinque. Unus autem ex eis nomine claudius erat. qui cum caeteri acies ferramentorum suorum quotiens retundebantur exacuerent. ille omne suum opus sanctae crucis signaculo muniens. omnia quae patrabat in nomine domini ihesu christi mirifice inchoabat; et sine discrimine perficiebat.

Quadam vero die dixit nicostratus ad quendam virum gentilem illius artis magistrum nomine simplicium. Frater quare tuum ferramentum tam assidue tibi retunditur? Cui dixit simplicius. Rogo si nosti; tempera michi ut non sic retundatur. Cum audisset autem praedictus claudius talia interserens se questioni illorum dixit simplicio. affer michi omnia instrumenta artis tuae. et ego per auxilium magistri mei qui me docuit; faciam ut neque frangantur quandocumque tempore cum eis operatus fueris. Ille autem gavisus; celerius imperata complevit. Claudius autem signans ea signaculo sancte crucis ait. Obsecro te domine ihesu christe; ut in tuo sancto nomine haec instrumenta neque retundantur neque frangantur. Sed semper in sua permaneant firmitate. Mira virtus atque potentia christi. ex tunc sedule simplicius exercebat artem: et instrumenta illius nunquam deficiebant. Attonitus ad ista simplicius; magna prece inquirere simpronianum caepit. ac dicere. Obsecro karissime tuam dulcissimam dilectionem; Indica michi quod genus temperamenti esse dicitur; de quo tale miraculum patratum videmus. quoniam enim valde mirabile est; cognoscere et discere vere illud cupio. Respondentes autem simpronianus et claudius dixerunt. noli frater mirari in temperatione ferramentorum. noveris enim quoniam omnipotens qui creavit caelum et terram et omnia. quae in eis sunt; quem nos colimus et adoramus; ipse nobis tribuit hanc virtutem ut hoc opus mirificum faciamus. Respondit simplicius. nunquid deus quem iovem vocamus non prevalet talia sua virtute patrare? Cui illi sile inquiunt et conticesce. omnino enim quid loquaris ignoras. Nam quem tu dicis deum; quare non cognoscis quia nostris manibus sculpitur et figuratur? Deus autem noster quem nos confitemur; ipse omnia creavit. et ihesus christus filius eius. et spiritus sanctus.

Post haec iussit dioclitianus augustus ex metallo porfiretico pegas et concas ornatas cavari. Tunc simpronianus claudius castorius et nicostratus caeperunt in nomine christi cavare concas et pegas; et lacus cum sigillis. cum magna tenuitate artis. Simplicius vero quicquid inchoasset protinus confrigebatur. Tunc dixit ad simpronianum. adiuro te per deum quem colis; ut dicas michi quis est iste deus qui omnia creavit; in cuius nomine vos tam bene operamini. Respondit claudius et dixit ad simplicium. placitum est in sensu visu oculorum tuorum quae nos facimus? Respondit simplicius et dixit. Utique. sed nescio quo pacto id operamini. Declarate ergo michi hanc artem et fidem dei vestri; ut et vos mea et ego vestra fruar amicitia. Dicit ei claudius. et est in te pura amicitia? Respondit simplicius. Vere pura. nam vos ipsi cognovistis ecce intra quindecim annos qualiter vobiscum conversatus sum. Dicit ei simpronianus. si potes credere docemus te. ut et artem consequaris. et vitam aeternam habeas. Respondit simplicius. sem-

per desiderio desideravi pervenire ad veri dei culturam. Quapropter obsecro viam lucis michi ostendite. et de tenebris ignorantie liberate animam meam. Dicit ei claudius. haec est fides nostra. Credimus in patrem et filium et spiritum sanctum. et hos tres in personis esse. et unum in deitate. substantia. maiestate. Ipsumque dominum ihesum christum incarnatum crucifixum mortuum ac sepultum resurrexisse a mortuis et ascendisse in caelum. Iterumque venturum esse iudicare vivos et mortuos. et reddere iniquis mala; et sanctis premia sempiterna. Si hanc fidem consequi et sacro baptismate ablui cupis; ab omnibus maculis purificaberis peccatorum. et gaudiis perfrueris sempiternis. Respondit simplicius. nichil penitus dubietatis in corde meo remansit. tantum quod dictis astruitis; operibus citius confirmate. ut unanimis vobiscum sim et in arte et in religione.

Tunc caeperunt inquirere sacerdotem qui sanctam religionem more solito ministraret. inveneruntque in custodia carceris quendam episcopum religatum nomine cyrillum antiochenum. qui multis verberibus iam tribus annis fuerat cum aliis confessoribus pro christi nomine maceratus. Cui rem gestam de ferramentis per ordinem referentes; rogare caeperunt ut baptizaret eum. Beatus autem cyrillus gaudio magno repletus; et gratias agens deo dixit simplicio. Vide fili si ex toto corde credis. nam nos omnia sacramenta christi libenter tibi praebemus. Respondit ille cum lacrimis et dixit. et quomodo iubes pater sancte ostendere me credulitatem meam? Dicit ei sanctus cyrillus. ut credas patrem et filium et spiritum sanctum unum esse deum omnipotentem creatorem caeli et terrae. visibilium et invisibilium. qui omnibus in se credentibus peccata relaxat. et gaudia condonat aeterna. et omnia manufacta respuas. Exclamavit ille et dixit. omnia que ex ore tuo prolata sunt sanctissime pater; fideliter credo et devotissime teneo. tantum succurre et libera animam meam. Tunc baptizavit eum in nomine patris et filii et spiritus sancti in eodem carcere. et benedicens dimisit eos. Illi autem reversi ad opus suum caeperunt cavare concas ex lapide porphiretico. cum sigillis et ergacantis. et omnia que operabantur in nomine domini et sanctae crucis signaculo mirabiliter et gloriose perficiebant.

Unus autem de philosophis attentius intuendo opera illorum; cum vidisset quod sine signo crucis nil facerent; sed utebantur omni hora signo crucis; admiratus vehementer dixit eis. hoc genus procul dubio magicae artis est. eo quod signum nescio quod ad credulitatem pertinens facientes; per ipsum omnia prospere a vobis aguntur. Respondit claudius et dixit. Nescis philosophe quia hoc signum quod dicis pertinere ad credulitatem ad vitam perducit aeternam? Ait philosophus. Quomodo potest credulitas mortis ad vitam perducere? Respondit claudius et dixit. Dominus noster ihesus christus ipse dixit. qui invenit animam suam perdet eam. et qui perdiderit animam suam inveniet eam. Philosophus dixit. Ergone et vos christum colitis et sequimini? Respondit claudius. Vere nos ipsum colimus et adoramus. et per ipsius signum et virtutem omnia opera manuum nostrarum facimus. quia sic nos docuit doctor gentium beatus paulus apostolus dicens. quicquid facitis in nomine domini facite. Philosophus dixit. in cuius nomine domini? Simpronianus respondit. in nomine domini nostri ihesu christi. Dixit ad eum philosophus. et si ipse est deus aut dominus; quomodo morti subiacuit? Respondit simpronianus. bene dicis quia morti subiacuit. et hoc tantum scis quia mortuus est. quia vero resurrexit cognitum tibi non est. Haec et his similia plura illis inter se altercantibus. multi ex artificibus crediderunt in dominum ihesum christum. Eodem tempore perfecta est conca porfiretica cum malis et herba canthis per manus sanctorum claudii simproniani nicostrati et castorii. et allata ante conspectum dioclitiani augusti. placueruntque ei omnia. et dedit illis dona multa.

Tunc dioclitianus dixit ad philosophos. volo columnas cum capitellis foliatis fieri de monte porphiretico. dictantibus claudio simproniano nicostrato et castorio. Hoc audientes philosophi; indignati sunt vehementer. Sed quia iussio imperatoris urgebat; accedentes cum eis ad montem designaverunt partem lapidis quae incideretur. Tunc sancti oraverunt; et fecerunt signum crucis christi. et dictantes et dolantes caeperunt cum caeteris artificibus incidere lapidem ad lilium columnae. et operabantur cotidie per menses tres. Explicita vero una columna; dixerunt philosophi ad sanctos.

Vos qui donis locupletati estis; date operam in alia columna incidenda. Responderunt sancti uno ore et dixerunt. In nomine domini nostri ihesu christi in quem confidimus; incidimus et hanc aliam columnam sicut et priorem. Et dantes operam cum summo studio; intra dies viginti et sex inciderunt aliam columnam. Hoc videntes philosophi; ira simul et invidia ducti; volentes invenire occasionem ut eos perderent; Suggesserunt dioclitiano augusto dicentes. quia praecipuos artifices invenisti; et pretiosa metalla repperisti; non pereat ingenium artis. sed diversa et gloriosa opera ad laudem tui fieri praecipe. maxime autem simulacrum magni et venerandi asclepii. Quibus auditis caesar; valde delectatus est. et fecit sanctos suis aspectibus praesentari et dixit ad eos. Per virtutem deorum quia sublimabo vos divitiis et donis. tantum sigilla michi precidite de monte hoc porphiretico. Et iussit victorias cupidinis et concas iterum fieri. et maxime asclepii statuam. Et euntes sancti fecerunt concas et victorias cupidinis. asclepii vero simulacrum non fecerunt. Et post aliquantos dies obtulerunt opera sua caesari. Similiter autem valde laetificatus dioclitianus in peritia artis eorum; dixit eis. Gaudeo in studio artis vestrae. et magnis muneribus digni estis. quare tamen non ostendistis amorem in me; ut deum asclepium sicut vobis praecepi cunctarum sanitatum auctorem non faceretis? Pergite nunc cum pace; et date operam in hoc simulacro. facite etiam et leones fundentes aquam et aquilas. et cervos. et ferarum multarum similitudines. Euntes vero fecerunt secundum consuetudinem suam. et operati sunt omnia. excepto simulacro asclepii.

Post menses vero quattuor suggesserunt augusto dioclitiano philosophi; ut videret opera artificum. et iussit omnia in conspectum suum deferri. Cumque omnia allata fuissent: asclepius non est presentatus. quia nec erat factus secundum quod ipse preceperat. Et dum nimio amore ipsum requireret caesar; suggesserunt ei philosophi dicentes. piissime caesar et semper auguste. sciat mansuetudo vestra; quia hos quos diligis christiani sunt. et omne quod faciunt in nomine ihesu christi faciunt. Respondit dioclitianus augustus dicens. et si omnia opera eorum in nomine ihesu christi magnifica esse cognoscantur; non est crudele. sed magis gloriosum. Philosophi dixerunt. ignoras piissime quia preceptis pietatis tuae ideo non obaudierunt; et ideo noluerunt artis suae industriam in aedificatione simulacri dei asclepii ostendere? Hoc audiens caesar; praecepit sanctos dei ad se vocari. et dixit eis. scitis et bene scitis quo affectu nostram vobis ostenderimus clementiam. propter industriam scilicet artis vestrae mirificam. Cur ergo contemnentes imperium meum; statuam asclepii non patrastis? Respondit claudius et dixit. Scriptum habemus o rex. subditi estote omni humanae creaturae propter deum. Secundum hoc preceptum hactenus oboedivimus potestati vestrae; ut deum non contemneremus. Imaginem vero hominis miserrimi scias quia nunquam faciemus. quia sic scriptum est. Similes illis fiant qui faciunt ea; et omnes qui confidunt in eis. Tunc praephati philosophi vehementer caesarem inflammare caeperunt dicentes. nunquid non praediximus tibi istorum sevitiam? Vides perfidiam quomodo pietatis vestrae superbo sermone loquuntur? quibus ille dixit. non est ignorantia cordis quod facimus; sed potius magna prudentia. pro eo quod similes istis habere nequimus ad tam mira opera facienda. At illi dixerunt. Aut ergo isti oboediant preceptis pietatis vestrae; aut nos inveniemus qui faciant secundum voluntatem clementiae vestrae. Dioclitianus dixit. et ubi invenientur ita periti doctores huius artis? Philosophi dixerunt. nos procurabimus viros nostra religione suffultos. Dioclitianus dixit. Si hoc procurare valueritis ut de metallo porphiretico deum asclepium faciant; et hos sacrilegii poena constringet et illi magni erunt apud nostram mansuetudinem. Tunc caeperunt philosophi cum sanctis altercari. dicentes. Quare non in arte vestra praeceptis domini nostri piissimi augusti dioclitiani oboeditis; et facitis voluntatem eius? Claudius dixit. nos non blasphemamus creatorem nostrum; sed in ipso confidimus. Philosophi dixerunt. claruit quia christiani estis. Dixit castorius. Vere christiani sumus.

Tunc euntes philosophi elegerunt alios artifices quadratarios. et fecerunt sculpi asclepium ex metallo preconisso. et post dies triginta philosophi nuntiaverunt dioclitiano augusto asclepium perfectum. Et iussit dioclitianus deferri simulacrum ante conspectum suum. Et cum vidisset simulacrum;

admiratus est dicens. hoc artis iugenium ipsorum est. qui nobis in arte ipsa primitus placuerunt. Philosophi dixerunt. sacratissime princeps et semper auguste. hos quos dicebat serenitas vestra in arte quadrataria peritissimos esse. idest claudium simpronianum nicostratum castorium et simplicium; sciatis pro certo sacrilegos christianos esse. et per incantationum carmina omne quod agunt agere. Dioclitianus dixit. si praeceptis vestris non obedierint. et vera est locutio vestra; ferant sententiam sacrilegii. Et iussit cuidam tribuno nomine lampadio; ut eos una cum philosopbis patienter audiret. et apud quos inventa fuerit causa falsi testimonii reatus sententia feriantur. Eodem tempore lampadius tribunus iussit concilium praeparari in eodem loco ante solis templum. et praefatos christi milites omnesque artifices cum philosophis simul adduci. Quibus praesentibus dixit. Aequissimus caesar praecepit; ut accusatio quae facta est a philosophis istis super hos quinque artifices a nobis rectissime definiretur. Tunc universi artifices invidiose summissi a philosophis clamaverunt dicentes. Per salutem caesaris tolle sacrilegos. tolle magos. Videns autem tribunus quia invidiose clamarent artifices; dixit. Causa adhuc terminata non est. quomodo possumus dare sententiam? Philosophi dixerunt. si veritatem invenire satagis; praecipe ab his deum solem adorari. et mox illorum pandetur intentio. Placuit tribuno consilium. convocavitque statim ad se christi milites et dixit. Adorate deum solem. ut destruatis consilium philosophorum. Sancti martyres responderunt. Nos nunquam adoramus facturam manuum nostrarum. Sed illum adoramus deum omnipotentem. qui fecit caelum et terram. mare et omnia quae in eis sunt. dominum ihesum christum. Philosophi dixerunt. ecce auribus tuis audisti veritatem. et omnem ordinem rei. Si ex hoc dilationem ultra habueris; contra divum caesarem agis. Tunc lampadius iussit eos retrudi in custodiam publicam. et caesari omnia seriatim nuntiare curavit. Instantibus vero philosophis et accusantibus eos; dicentibusque Si hi evaserint peribit cura deorum ; iratus caesar precepit ut si deo soli sacrificare contempnerent; diversis tormentis eos necaret.

Tunc praefatus iudex lampadius iussit eos alia die ante templum solis adduci. et dixit eis. quod iussit sacratissimus imperator; credo quia cognitum vobis est. Responderunt sancti et dixerunt. Nescimus. Et dixit illis lampadius. Ut sacrificetis deo soli ; et antiquis numinibus detis honorem. Claudius respondit. Nos damus honorem deo omnipotenti; et domino ihesu christo filio eius. in cuius nomine semper speramus. Lampadius dixit. Et quae lux clarior quam dei solis? Respondentes sancti dixerunt. si vos pro magno habetis hunc solem; et veluti deum illum veneramini; nos illum pro famulo habemus. quoniam deus ille quem nos adoramus; ipse illuminavit solem et lunam. et omnem hominem venientem in hunc mundum. qui est vera lux. et tenebre in eo non sunt. Tribunus dixit. quantam affectionem. quantamque benevolentiam clementissimus imperator omnibus exhibeat ; maxime autem deicolis et templorum cultoribus ; optime vobis cognitum est Et quia vos ei non estis incogniti et famulatum illi ex vestro ingenio exhibuistis; commonere vos studeo ut et illius gratia perfrui curetis; et florem tantae non perdatis nectareae iuventutis. Christi martyres dixerunt. si clementia caesaris omnibus placita est; sic debet esse ut quos diligit non faciat perdere illum qui eos creavit. Tunc tribunus dum vidisset quod nulla eos ratione flectere posset ; nuntiare studuit caesari. Caesar ait. quia omnimodo illos cupio adquirere propter incomparabile illorum artificium; praecipimus ut si non sacrificaverint deo soli; verberibus et scorpionibus eos affligatis. Si vero consenserint; deduc eos ad mansuetudinem nostram.

Post dies autem quinque iterum in eodem loco ante templum solis resedit. et iussit eos sub voce preconia introduci. Quibus ostendit omnia genera tormentorum. dicens. si vultis esse gloriosi inter amicos sacri imperii sicut iam prediximus; sacrificate deo soli. sin autem omne genus hoc tormentorum in corpore vestro experiemini. Nam loqui iam vobis non possum sermonibus blandis. Responderunt sancti et dixerunt. quod dicere debuimus iam diximus tibi. quia nec terrores vestros expavescimus; neque vestris blanditiis frangimur. tormenta enim timemus aeterna. non momentanea. Caesar autem tuus verissime sciat christianos nos esse. et nunquam a christi cultura posse recedere. Iratus tribunus iussit eos expoliari. et scorpionibus caedi sub voce preconia dicens. Prae-

cepta principum contemnere nolite. Eadem hora lampadius tribunus arreptus a daemonio expiravit. Quod audiens uxor et familia eius; ad philosophos cucurrerunt. ut rem istam caesari nuntiarent. Tunc cesar iratus; praecepit locellos plumbeos fieri. ac sanctos vivos in illis recludi. et iactari in flumine. Tunc nicetius quidam togatus qui assistebat lampadio secundum caesaris dictum peragens; vivos omnes eos quinque in locellis reclusit. et in flumine proiecit. et sic per triumphum martyrii perceperunt gaudia sempiterna. Praefatus autem sanctus cyrillus episcopus hoc audiens; gratias retulit omnipotenti deo quod in sancta confessione sancti martyres finem fecissent. et sic in eadem carceris afflictione migravit ad dominum.

Passi sunt autem sancti martyres christi claudius nicostratus Sinphorianus castorius atque simplicius sexto idus novembris. Post dies autem quadraginta duos martyrii eorum; quidam nicodemus religiosus christicola abstulit occulte locellos in quibus corpora sanctorum recondita erant. et honorifice posuit in domo sua. Dioclitianus autem augustus a sirme regrediens; post undecim menses romam ingressus est. atque precipiens in thermis traiani templum asclepii aedificari; et simulacrum eius ex lapide proconisso ibi constitui; iussit omnibus magnatibus sacrificia celeberrima exhiberi. Cumque omnes compellerentur ad sacrificandum; quattuor quidam cornicularii reperti sunt quorum nomina haec sunt. Severus. severianus. Carpoforus. et Victorinus. qui preceptum regis contemnentes; pro eo quod christicolae essent sacrificare idolis contempserunt. Quorum sententias caesar agnoscens; iussit eos ante ipsum simulacrum plumbatarum ictibus deficere. quorum corpora precepit in platea canibus iactari. quae per dies quinque ibi manserunt. Tunc beatus sebastianus cum sancto miltiade magnae sedis pontifice noctu ea collegit. et sepelivit in via lavicana. miliario ab urbe tertio. cum sanctis aliis in arenario. Passi sunt autem sexto idus novembris.

Post duos autem annos martyrii supradictorum quinque martyrum; cum horum quattuor coronatorum nomina minime repperirentur; statuit beatus miltiades episcopus ut anniversaria eorum dies sub nominibus predictorum quinque martyrum coleretur. Intercurrentibus tamen aliquot annis; cuidam sancto viro etiam nomina eorum revelata sunt. sed festivitas ut fuerat statuta celebris; in aliorum martyrum festivitate permansit. quattuor coronatorum nomine insignis. Ad laudem et gloriam domini nostri ihesu christi; qui cum patre et spiritu sancto vivit et regnat deus in saecula saeculorum. Amen.

Pag. 263 — Vita vel obitus sancti Iohannis Chrisostomi.

Iohannes chrisostomus secundo et anthusa parentibus nobilissimis antiochiae civibus ortus fuit. Hic infantulus disciplinis liberalibus ediscendis a parentibus traditur. et apud libanium primum. post apud andragathium viros studiis philosophicis peritissimos eruditur. Huic in annis adhuc puerilibus constituto; intellectus capax. ingenium vivax. tenax memoria. studium postremo indesinens erat. usque adeo ut eum quidam magni futurum aliquid si longi vitam temporis ageret presagirent. Studuit itaque ut dictum est sub libanio et andragathio viris eruditissimis. eisque preceptoribus breviori quam credi valeat tempore tantae plenitudinis hubertate philosophicas edoctus est disciplinas; ut in hoc uno libanius moriens se victurum assereret. eique soli scolas philosophicas relinquendas dignissimum; nisi quia eum iam sibi christiani surripuerant iudicaret. Denique iohannes cernens philosophos omnes per opiniones et coniecturas verisimiles potius quam per ipsa merae ac sincere veritatis itinera spatiari; vidensque asserta et firmata ab aliis aliorum dictis et rationibus infirmari; nichil firmum; nichil in eis solidum in quo pedes animi figere ac stabilire posset inveniens; meliore ac salubriore consilio christianis se informandum ac erudiendum praeceptoribus tradidit. atque cum theodoro et maximo qui eius condiscipuli apud libanium fuerant; discipulatui diodori atque carterii virorum in christianae philosophiae dogmatibus peritissimorum adhaesit. Post haec zeno antiochenus episcopus videns iohannis profundissimum sensum ; linguam expeditissimam; animum denique deo devotum; suo eum volens lateri insolubiliter adhaerere lectorem eum in ecclesia antiochena constituit. In quo adhuc constitutus of-

ficio; librum edidit. in quo ea quae iudaei adversus christianam religionem ore nefario consueverant delatrare; et auctoritatibus sacris et rationibus validissimis et invictis destruxit.

Post non multum vero temporis ad diaconatus per meletium antistitem promotus officium; de sacerdotio luculentissimum composuit librum. sed et alia nonnulla laudabilia edidit. Cumque in diaconatus officio quinque feliciter explesset annos; per evagrium tertium a meletio antiochenum praesulem presbiter ordinatur. In quo nimirum constitutus officio; talem tantumque se vita moribus doctrinaque exhibuit. ut fama eloquentiae virtutumque ipsius circumquaque personans; ad ipsam usque regiam urbem pertingeret. eumque in ea celebrem adeo et mirabilem redderet; ut omnis constantinopolitanae urbis tam clerus quam populus post dormitionem nectarii eiusdem urbis antistitis imperatorem archadium adeuntes; obnixis ab eo precibus flagitarent; quatinus de antiochia evocatum virum quem lingua et moribus acceperant singularem; tantae urbi satageret in antistitem praeponendum. Quorum petitionibus augustus qui iam et ipse virum fama vulgante edidicerat; libens largitur assensum. et antiochiam legatos dirigens; constantinopolim iohannem imperat deducendum. Cumque ad tantae urbi eligendum antistitem ex praecepto augusti episcoporum multitudo convenisset; factum est ut inter alios theophilus quoque patriarcha alexandrinus adesset. Hic vero famam iohannis offuscare verbis maledicis nitebatur. et ne regiae urbis statueretur antistes; nisibus quibus poterat cunctis adversabatur. ysidorum presbiterum quendam suum digniorem iudicans qui urbi tantae in episcopum praesideret. Verum eutropio praeposito palatii vel maxime insistente; minas etiam si assentiri renueret theophilo intentante; factum est quatinus invitus licet animoque repugnans iohannem episcopum ordinaret. Praesul igitur factus; videns clericos sese indignam vitam agere; longeque aliter quam tantum condeceret ordinem se habere; volens pravos ac distortos mores ad normam rectitudinis aequitatisque corrigere; cernensque se id blanditiis favoribusque demulcentibus facere non valere; caepit extrinsecus vultu verbis actibus quoque nonnullis austeritatem quandam praetendere. cum tamen credi nefas putetur eum dilectionem ac benivolentiam erga omnes non semper tenuisse in mente.

Persuasione tamen et consilio serapionis cuiusdam diaconi sui ipsam eandem tantam austeritatem episcopus ostendebat. qui singulorum vita actibus diligenti inquisitione discussis; astruebat tales palam invectionibus asperis et districta animadversione potius quam blanditiis verbisque demulcentibus corrigendos. Factum est per haec ut presul clero admodum haberetur exosus. eiusque ab eis vita derogationibus carperetur. Illud summum ac maximum quod suis oblocutionibus fidem faceret se habere putantes; quod antistes nec secum alios pateretur convesci; nec ad alios invitatus etiam et rogatus convitaturus accederet. Gulae id siquidem aemuli imputantes; escas eum clanculo indulgentius mentiebantur percipere. Cum eorum assertionibus potius adhibenda sit fides; qui eam facti causam opinabantur; quod nollet vir sanctus miram ac singularem abstinentiam palam omnibus esse. nec occasione convitantis cuiuslibet vel ad horam infringere. Verum non prevaluit in iohannem zelus et aemulatio clericorum. utpote qui ab omni populo miro intimoque coleretur affectu. cuiusque verborum sermonumque facetiae non modo virorum verum ipsarum etiam mulierum in tantum animos demulcerent; ut ab eis conducti notarii praesulari lateri seduli adhaererent. ad id scilicet ut quae ex eius ore ad instruendas divinis ac spiritualibus mysteriis animas verba profluerent; ipsi suis conductoribus deferenda cartis apicibusque mandarent. Non poterant igitur ei obesse plurimum derogationes a clericis aemulis zalantibusque illatae; quem populus universus tanto affectu; tanta coleret dilectionis intimae puritate. Quandiu igitur a reprehensione cessatum est laicorum; aut minimum aut nichilum ei potuerunt officere inimicitiae et dissidia clericorum. Verum ubi ad hoc ventum est ut pro amore iustitiae in ipsos quoque proceres obiurgandos inveheretur; caepere iam odia vires admittere. atque ad id ut sancto adversarentur homini prevalere. Homo tamen dei iniusta et pro veritate habita hominum odia parvipendens; nec a laicorum delinquentium increpatione parcebat; et clerum ut secundum ecclesiasticas viverent sanctiones instruere in dies singulos non cessabat. districtaeque animadversionis sententiam in

procaces et improbos exercebat. Per idem tempus de macedonianis quidam sancti viri rationibus victus; crebra commonitione persuasus; spreta secta hereseos ad ecclesiam conversus est. uxore in heresi permanente. Cui cum a viro sedulo diceretur nefandam esse heresim quam teneret; seque dolore conteri non exiguo quod cum duo haberentur in carne una; de eadem carne pars christi esset corpori glutinata; pars locum in christi corpore quod est ecclesia non haberet; tandem mulier non ferens verba; ad coniugis se fidem conversam mentita est. Quae cum ad ecclesiam verbis non mente mutata cum coniuge accessisset; de manu sancti praesulis dominici corporis sacramentum percipiens; astanti illud comminus ancillae porrexit. ipsamque quam de sacerdotis macedoniorum manu communionem perceperat ori afferens; in lapidem eam commutatam invenit. Quae mox exterrita et pavore concussa; sancti pedibus sacerdotis advolvitur. se ream. se impiam clamoribus ingentibus confitetur. Ab ea hora se eam credere; eam catholicam et apostolicam fidem habere iuramento protestans; quae iohannis vocibus probaretur. Lapidem autem in vasorum posuerunt custodiario. in tanti signi memoriam reservandum.

Cum per haec et multa horum similia iohannes catholicus et orthodoxus verusque famulus dei omnipotentis claresceret; clerus tamen instigante diabolo eum odiis insequi; oblocutionibus carpere; lacessere dolis. et insidiis non cessabat. In quibus rebus vel maxime theophilo alexandrino antistite utebantur auctore. cuius mentem eo usque in iohannis odium hostis antiquus accenderat; ut ab eius infestatione modis quibus posset nulla prorsus adquiesceret ratione cessare. Unde fiebat ut quicumque in iohannem odio moverentur; ad theophilum omnes confluerent. eoque fautore et adiutore quicquid possent molirentur in presulem. Factum est igitur ut ipsa eudoxia augusta in iohannem commota; legatos ad theophilum destinaret. hortans eum et obsecrans; ut episcoporum multitudine congregata synodalis celebratio acceleraretur concilii. in quo de damnatione potissimum ageretur iohannis. sacrilegi origenianistae et impii. et qui in omnibus tam sermonibus quam actionibus suis magis impetu et fastu quodam animi; quam ratione ferretur iudicii. Tantae autem commotionis augustae in antistitem ea causa extiterat; quod sermonem quendam quem de muliere mala in ecclesia presul fecerat; quidam presulem odientes in iniuriam et contumeliam eius factum; et eam in sermone ipso tacito nomine specialiter derogatam augustae auribus intimaverant. Convenientes igitur episcopi in suburbano calcedonensi; iohannem directis nuntiis ad concilium evocant. de his super quibus in eodem accusaretur concilio satis facturum. Non ducit aequum huic legationi parere sacerdos. eam causam quamiustissimam habens; quod qui eum evocarent omnes olim inimici eius in plurimis apertissime claruissent. Cumque quater sine interpolatione et mora ad concilium eum vocassent; et ille semper obtemperare sprevisset; synodum statuendam universalem proclamans; damnarunt presulem hoc solum in eo culpantes; quod vocatus totiens venire contempsisset. Cumque quae facta fuerant populo vespertinis iam horis innotuissent; turbatus est vehementer. atque ad seditiones maximas concitatus; nocteque concurrentes omnes prohibuere mandatum augustale adimpleri. ut scilicet de ecclesia in exilium deportandus pontifex traheretur. vocibus ingentibus proclamantes; maius statuendum concilium. ad cuius examinis accusationes in sacerdotem illatae reservarentur iudicium. Porro iohannes metuens ne propter eum maior seditio oriretur in populo; tertia damnationis suae die legatis se augustalibus populo nesciente contradidit. Verum presule in exilium deportato; tanta in populo est orta seditio; ut eam non ferens augusta obnixe precabatur imperatorem; quatinus ad tantam seditionem placandam missa legatione de exilio iohannem revocari mandaret. Reversum igitur de exilio iohannem populus universus episcopis numero sexaginta quinque id decernentibus; iustumque fore et aequum adiudicantibus invitum et modis omnibus renitentem in pontificali cathedra residere; et sermonem pro more eis facere; omneque quod interesset pontificis officium adimplere coegit.

Porro sequenti anno eudoxia augusta statuam sibi argenteam fieri iubens; in loco qui pictacia dicitur iuxta sanctam hirenen in columna eam porfiretica locari precepit. Ubi cum in saltationibus in choris et plausibus ad honorem augustae dies ac noctes tam a viris quam a mulieribus etiam tran-

sigerentur; hoc ipsum potissimum insistente manicheo quodam urbis praefecto; ut per hoc sibi potiorem gratiam et benivolentiam dominae vindicaret; impediebatur clerus magnopere in reddendis cum quiete et ex animo laudibus et gratiarum actionibus creatori. Super quibus cum prefectum saepe sacerdos modesta increpatione corriperet; commotus tandem neque ultra correptionem antistitis perferens; honoris laudumque suarum iohannem aemulum ac prohibitorem augustae auribus intimavit. Unde augusta commota animo; omnimodo studebat satagere; quatinus ad condemnationem iohannis synodale convenientes episcopi denuo concilium celebrarent. Quod iohannes persentiens; sermone illo celeberrimo allocutus est populum; cuius exordium est. Rursus herodias saevit. rursus turbatur; denuo saltat. denuo caput iohannis in mensa concupiscit accipere. Quod factum ampliorem augustae odii fomitem ministravit. Instante denique imperatrice concilio facto episcoporum condemnatur iohannes. Illo solo repertus in crimine; quod post condemnationem quae ei fuerat consensu unanimi concilii synodalis illata; absque eorumdem qui eum condemnarant iudicio pontificali rursus residere presumpsisset in cathedra. Duorum post haec mensium peracto curriculo; augustus iohannem imperat urbe pelli. et in civitatulam quandam armeniae cui cucuso nomen est exilio destinari. Prius autem quam ad destinatum locum exilii perveniret; ex intolerabili ardore solis capitis passionem incurrit. Qua ingravescente; in loco qui comanis dicitur. die qua sibi per sanctum basiliscum martyrem fuerat revelatum dormivit in domino. consolatu honorii septimo et theodosii secundo.

Porro innocentius romanus pontifex audiens iohannem examinis iniusti iudicio sede pulsum; urbe fugatum; relegatum exilio; prius quam ei iohannem defunctum innotuisset; litteras constantinopolim in tantum facinus invectorias delegavit. admonens in eisdem quatinus episcoporum universitate collecta; generale concilium ageretur. in quo videlicet iohannis causa diligentiore investigatione tractata; exploratius discuteretur. Cognita vero in exilio iohannis defunctione; tam graviter rem gestam occidentales episcopi pertulerunt; ut nulla penitus ratione episcopis communicare orientalibus adquiescerent; quoadusque sancti viri nomen catalogo pontificum praedecessorum suorum ascriberent. Tricesima autem die mensis septembris mox post iohannis defunctionem grando vehemens constantinopolim pressit. ad eius usque suburbana descendens. quartaque post grandinem die eudoxia defuncta est. Haec vero in ultionem iniustae damnationis exiliumque iohannis; iusto dei cives asserebant iudicio contigisse. Elapsis a transitu sancti viri annorum triginta et trium curriculis; trigesimo videlicet imperatoris theodosii anno; venerabiles eius reliquiae per proclum constantinopolitanum antistitem id vel maxime insistente augusto a comanis ad urbem regiam delatae sunt. atque sub conventu populi universi et augustorum pariter; octavo kalendas augustas in ecclesia apostolorum debita sunt veneratione sepultae. Omnesque qui iohannis faventes parti per eundem excommunicationi subiacuerant; per prememoratum presulem ecclesiae restituti sunt.

Pag. 271 — Incipit prologus in vitam beati Gregorii theumatirgi.

Gregorius divina gratia nisenae sedis episcopus omnibus fidelibus in christi ecclesia commorantibus salutem. Gloriosa miracula et admirabilem vitam beati gregorii neocesariensis pontificis scripturus: invocando fautorem spiritum sanctum qui ei in omnibus auxiliator extitit. Flagito caritatem vestram attentis auribus illam audire. et devoto animo ac tenaci mente retinere. credentes per omnia non me adulationi sed veritati fideliter deservire. Superfluum enim et inane opus est in laudem tanti patris desudare; et auditorum animas ad bonam imitationem non proficere. Ipse autem deus pacis cuius est dare velle et posse; ipse et nobis referentibus et vobis audientibus opem suae misericordiae largiri dignetur. Quatinus et nos illius acta ad laudem sui nominis pandere valeamus; et vos cum fructu boni operis digne percipere mereamini.

Explicit prologus.

Igitur Gregorius neocesarea ponti urbe genitus; inclitam secundum saeculi gloriam a parentibus traxit prosapiam quanquam gentilitatis erroribus

tenerentur obnoxii. Sed quoniam dei gratia suum famulum murum inexpugnabilem praeordinaverat; in facie ecclesiae gregorium; tenebrarum caligo retinere illum non valuit immo potius splendida lampas effectus. et cultus ethnicorum parentum calcavit; et hereticam pravitatem penitus contrivit. Defunctis vero parentibus cum adolevisset; atque ad illam pervenisset aetatem quae plurimos in precipitium trahere conatur; cognovit contra se armatam vitiorum advenire turbam; quae in voraginem illum conabatur trahere mortis.

At puer insignis talia contra se sentiens; ut athleta strenuus clipeo protectus sanctarum virtutum davidica caepit decantare cantica dicens. Si consistant adversus me castra non timebit cor meum. si insurgat in me praelium in domino deo sperabo. Tunc contra singula temptamenta vitiorum singulas virtutes opponens; in omnibus se purissimum atque irreprehensibilem exhibebat. Talibus igitur adversariis exuperatis; caepit dare studium non solum in divinis: verum etiam in saecularibus grecis ac latinis disciplinis. et archana scientiae sitibundo pectore aurire. Ita ut recte cum salomone sapiente diceret. Soror mea es. et prudentiam vocaret amicam suam. Omni ergo scientia omníque prudentia optime eruditus; nil ei contra bonos mores obsistebat quod libros philosophorum gentilium necdum christicola perlegebat. Sapiens enim et prudens caute botros carpere; et spinas cavere sciebat. sicuti quondam abraam et moyses. qui edocti omni sapientia chaldeorum et aegyptiorum; viam mandatorum dei absque omni errorum scandalo inoffenso pede currere studuerunt.

Commorante vero gregorio discendi gratia alexandriae; ubi quondam beatus marcus evangelista christi evangelium praedicavit; conveniebant undique illuc pueri philosophiam discere cupientes. Ubi itaque cum esset beatus gregorius; et inter eos omnium gratiarum dulcedine maximeque sancta pudicitia tamquam sidus splendidum rutilaret. ut scriptum est; Odiunt mali bonos; invidiae veneno repleti pestiferis cum fallaciis infamare moliti sunt. adeo ut summitterent quandam impudicam orcistriam quae in faciem illius conquereretur et diceret; quod illi ob stupri facinus pecuniam dare pollicitus esset. Haec itaque cum venisset ubi ille cum plurimis residebat philosophiae operam dando.; caepit eum compellere et dicere. Surge concite surge gregori. et promissam michi pecuniam redde. Conscius autem beatus gregorius de se suaque pudicitia; cognita nequitia malignantium. ceptum opus peragens nec contradicere illi nec respondere dignatus est. Unde plurimum accensa quietis impatiens et garrula. improbo ore inepta et impudica conclamare verba non desinebat. Vir autem prudens quia nimietatis taedio afficiebantur cum eo loquentes; praecepit ministro dicens. Ne nostrum sermonem praepediat impudica. prebe illi quod postulat. Sed quid praevalet contra dei potentiam perversorum hominum calliditas? Vir autem domini versutiam iniquorum humiliter declinavit. sed deus omnipotens occulta illorum terribiliter pandere dignatus est. Mox etenim ut pretium accepit; statim daemoni mancipata in terram corruit cunctisque astantibus et concurrentibus magnum spectaculum fecit. Nec reliquit eam donec pro ea gregorius dominum exoraret. Factumque est mirabile in gregorio; ut quia demonis immissione improba contra sanctum et falsa proferre presumpserat; demonis impulsione merito plecteretur. Caepere namque omnes illum et amici et inimici benigno affectu venerari; quem cognoverunt divina protectione muniri. Cui eum. cui sanctorum in hoc facto dicemus esse similem? Nonne beato patriarchae ioseph? qui cum iniquae mulieris fallacia damnatus esset; ipsa eum damnatio immo potius castitatis constantia gloriosum dominum fecit aegipti.

Imbutus vero omnibus mundanae sapientiae documentis; cum cognovisset deo se instruente quod nil utilitatis quae ad supernae vitae gaudia pertinet consequi exinde valeret; Locutus est cum quodam viro illustri nomine firmiliano qui ei familiariter prae caeteris adherebat. Hoc inquiens studium scientiae ad saeculi pertinet gloriam. ad forensium sectatores. nobis autem qui fluxam saeculi pompam spernere cupimus; alia est eligenda religio. alia sunt dogmata perquirenda. Cui cum ille diceret hoc se velle agere quod ille anhelaret; perrexit cum eo ad quendam philosophum christianum nomine origenem. qui erat valde redimitus omni scientia sanctarum scripturarum. iuncto sibi uterino fratre atenodoro. Quos ille benigne suscipiens. instruxit caelestibus documentis uberius. et ad chri-

sti fidem optime perduxit. Nec dedignatus est beatus gregorius in divinis illum assequi praeceptorem; qui gloriosior fulgebat in mundanis. Imbutus autem christi dogmate. rogabat eum omnis populus ne eos desereret. ille autem genitale solum plus diligens. perrexit ad propria. Quem cum cives viderent omni gratia bonarum virtutum refertum; grandi frequentia illum adeuntes postulabant instrui eius scientia. At ille ut quibat edocebat huberius. Metuens autem favorem saeculi laudemque immoderatam; et contemplativae vitae requiem diligens; solitarium locum elegit ibique residens in conspectu domini supplicabat. et cum psalmista canebat dicens. Haec requies mea ihesu christe domine. hic habitabo. quoniam dulcia faucibus meis aeloquia tua; super mel et favum ori meo. Haec itaque cum gaudio in heremo decantando toto mentis amore; in dei lege erat voluntas eius. et in lege eius meditabatur die ac nocte. sancto spiritu illustrante; Sicuti quondam moysen et heliam.

Sed quoniam lucerna radians sub modio contegi non valebat; Fedimo cuidam amasenae sedis episcopo dominus revelare dignatus est; caelesti gratia repletum esse gregorium. dignumque episcopali apice sublimari. Quod vir domini fedimus comperiens non quievit. Sed magno studio. perquirere caepit qualiter dei hominem abstrusum latibulo ad salutem multorum dignum deo praesulem consecraret. Cuius desiderium cum beatus gregorius comperisset; metuens ne per occasionem curae pastoralis contemplativae vitae requiem perderet; ad alium deserti locum fugae latibula praeparabat. His taliter annitentibus; videlicet uno ad capiendum altero ad evadendum; Quadam die elevatus in spiritu fedimus; visum est illi ire ad locum trium dierum itineris ubi erat beatus gregorius. et quasi manibus propriis illum detinere. Atque illi tradere episcopalem dignitatem. Mira res. per eandem visionis seriem similiter visum est viro dei gregorio. et quia erat vir altioris ingenii; cum videret hoc dei placere voluntati; ne videretur eius contradicere mandatis; tandem aliquando inclinatus secundum canonicae sanctionis regulam episcopalem adeptus est dignitatem. Ordinatus vero caepit omni studio decertare ad vellendas sentes quae in campo sanctae ecclesiae adeo pullulaverant; ut non amplius quam decem et septem viri invenirentur qui verbum sanctae fidei acciperent. Nec tamen in docendo populum doctrinae frena penitus laxare voluit; donec divina illi gratia sanctae fidei evidenter panderet regulam. Namque ut beatus iacobus apostolus ait. Si quis indiget sapientia postulet a deo qui dat omnibus affluenter et non improperat et dabitur ei. Iste sanctus dum pro instruendis animabus christo ipse quoque instrui anhelaret; evidentius illum dominus verbo fidei et sanctae religionis documento munivit.

Nam quadam nocte evigilanti illi et de eadem re anxie cogitanti; lux emissa desuper circumdedit eum. et in eadem luce apparuit quidam senior vultu hylari. sacerdotali stola indutus. et super eum astitit. Quem cum beatus gregorius cerneret. illico de grabato exiliens inquirere caepit quis esset. et ob quam rem insinuandam venisset. Ille autem territam eius mentem pacificare volens; faceta quadam hylaritate ita eum affatus est. Petitionem tuam exaudivit dominus. desideria cordis tui pervenerunt in conspectu eius. Ideoque ab eo missus sum ad intimandum tibi divinae fidei veritatem. Mox letus effectus; gestiebat audire ab eo pollicitam fidei claritatem. et cum magna cordis exultatione aiebat. Utinam dignetur nobis hoc donare gratia christi. Eia beate senex. demonstra dogma salutis. Ille autem protenta manu; annuit alteram adesse personam. et quasi absque illius iussione loqui minime presumebat. Conspiciens itaque e latere gregorius vidit sanctae dei genitricis vultum supra solis splendorem fulgentem. et illum senem ex nomine iohannem evangelistam vocantem. eique praecipientem ut rationem illi sanctae fidei demonstraret. Qui ait libenter paratum esse eius iussionibus obedire. Inter haec autem de mysterio fidei clarius locuti sunt. Qua ratione plenius instructus; et tenaci memoria in pectoris arca illam recondens; ut quondam moyses in heremo legem accipiens; ad posterorum memoriam sanctissima sua manu litteris comprehendere curavit. et quasi hereditarium donum a deo sibi collatum sanctae ecclesiae catholicae dereliquit. per quod dei populus ab omni heretica pravitate mundatus splendidus hactenus perseverat. Huius autem simboli verba haec sunt. Unus deus pater verbi viventis. sapientiae subsistentis et virtutis suae et figurae perfectus perfecti genitor. pater filii unigeniti. Unus domi-

nus solus ex solo deo. figura et imago deitatis. Verbum perpetrans. Sapientia comprehendens omnia. et virtus qua tota creatura fieri potuit. Filius verus veri. et invisibilis ex invisibili. et incorruptibilis ex incorruptibili. et immortalis ex immortali. et sempiternus ex sempiterno. Unus spiritus sanctus ex deo substantiam habens. et qui per filium apparuit. imago filii perfecti. perfecta viventium causa. Sanctitas sanctificationis praestratrix. per quem deus super omnia et in omnibus cognoscitur et filius per omnia. Trinitas perfecta. Maiestate. et sempiternitate. et regno minime dividitur neque abalienatur. Igitur neque factum quod aut serviens in trinitate. neque superinductum tanquam antea quidem non subsistens postea vero superingressum. neque ita defuit unquam filius patri neque filio spiritus sanctus. Sed inconvertibilis et immutabilis eadem trinitas semper. Talibus ergo documentis instructus gratias egit omnipotenti deo. eo quod dignus esset caelesti visitatione muniri sanctaeque dei genitricis famine roborari. Quamvis enim vir deo iam plenus in sanctae religionis amore solidatus esset; tantam constantiam animus illius ex hoc sanctae trinitatis simbolo accepit. ut contra omnes sanctae ecclesiae adversarios solus paratus esset procedere ad dimicandum. quod et fecit. Statimque ut pote bellicosus miles omni magisterio pugnandi edoctus de heremo in campo sanctae religionis pugnaturus exiliens; ad civitatem properabat. in qua cupiebat ecclesiam construere. et daemonum fallacias destruere qua omnes decepti erant.

Cernens autem beatus gregorius universum populum in veneratione idolorum habere fiduciam; initium certaminis sui a principibus daemoniorum inchoare studuit. prudentissimo more pugnantium. nam bellicosus miles in bello positus dum totum exercitum convincere nititur; si principem percusserit citius omnes exuperat. Pergente autem eo ad civitatem antequam urbem intraret facta inundatione pluviarum in templum cuiusdam nobilis apollini dicatum intravit. in quo quasi manifesta quaedam virtus curationum ac responsa ostendebantur. Quo ingressus protinus ex eo per invocationem christi daemonium expulit. signoque sanctae et salutiferae crucis ab omnibus immunditiis sanctificans emundavit. et aulam ex eo consecravit protinus catholicam. in qua iugiter glorificaret omnipotentem dominum cum coetu sancto fidelium. Totam autem noctem in dei laudibus sacrisque vigiliis peragens; mane facto ad civitatem properabat. Inter haec sacerdos eiusdem fani regrediens solitum caepit daemoni exhibere servitium. Sed nullo accepto responso iterum iterumque sacrificia studiose praebebat. Quod cum incassum ageret; et quid hoc esset omnino nesciens anxiaretur; noctu ei assistens daemonium dicit in somnis. quid me illic invocas quo iam venire non possum? Percontanti causam; adventu se gregorii dicit expulsum. Quid nunc remedii daretur cum perquireret; Ait. non aliter sibi liceret ingredi locum illum; nisi gregorius permisisset. Hoc audiens sacerdos immenso furore iraque commotus perscrutari caepit quis ille gregorius esset. vel quo properaret. Indicio itaque sancti nidoris prodente gregorium repperit. quem nimiis conviciis adoriens minatur illi manus inicere. minatur hostem deorum principibus prodere. Constantissimus autem sacerdos dei patienter iram illius mitigans respondit ei. Cur michi frustra irasceris? Proice furorem si vis discere veritatem. Cui sacerdos. Iuste inquit irascor. nec ira in eo dicenda est qui iuste clamat. qui iusto zelo ductus divini numinis iniùriam nititur vindicare. Ad haec christi famulus. Si rationis inquit es capax et aequitatem aequa lance pensare velis; ex tuis sermonibus modo astruo te usque modo irretitum esse daemoniorum erroribus. et me non inique sed iuste sancteque gessisse. Et sacerdos. Quam michi iustitiae quam rectitudinis regulam ostendere vales. qui homo cum sis contra deorum virtutem pugnare satagis? Dei enim mei virtus et claritudo deifica te prophanum et facinorosum sentiens; iam michi responsa dare solita dedignatur. Et sanctus. Non est. ait ita ut opinaris. Audi rationem et disce veritatem. Homo etenim sum peccator. Sed talem deum adoro talemque regem glorifico. ut ad invocationem nominis eius deus tuus immo non deus sed daemon ommutescat. Et dum ego famulus dei templum daemonis tui ingressus sum; fugit exinde. et obstrusum est os eius. ut non audeat loqui nisi ego illi praecepero. Et sacerdos. Si dicta factis approbare valueris; omne dubium ex corde meo fugabis. Nam si talis est deus meus ut ad tuae iussionis imperium solutus michi loquatur;

ex hoc illum nequaquam adorem. sed dei tui numina excolam.

Haec domini famulus audiens statim abscidit particulam libri quem secum ferebat. Scripsitque in ea. Gregorius satanae. Ingredere templum. et age que consuesti. Hanc scidulam sacerdos accipiens ad templum perrexit. eamque super aram posuit. et secundum morem demones invocare caepit. Ilico vero demon rediit. et sicut prius responsa dedit. Quod videns sacerdos et rem intimo mentis acumine considerans. Si gregorius inquit iussit et deus iste discessit; et non potuit redire nisi iussus; quomodo non multo melior isto gregorius cuius hic optemperat iussis? Clausis igitur ianuis fani; venit ad gregorium. epistolam secum quam acceperat deferens. omnemque ei rei geste ordinem pandit. pedibusque se illius prosternens: rogat ut illi deo se offerat; cuius virtute diis gentium gregorius imperabat. Intellexit gregorium caelesti virtute repletum. et dominum ihesum christum omnibus diis esse potentiorem. Perquirensque a sancto viro eius potentiam; breviter ab eo edoctus est quod veram carnem veramque animam rationabilem de caelo veniens ex sacra virgine sumpserit et divinitati unierit et qui erat deus invisibilis mortalibus apparens oculis per lavacrum regenerationis peccata mundi abluerit. Postmodum vero in cruce positus ut principem mundi vinceret moriens ad inferna descendens diabolum superans iustos exinde traxerit. victorque resurgens cum ipsa vera carne ad caelos ascenderit. et cum ipsa iterum ad iudicandum venturus electos suos qui in eum crediderint resuscitans cum carne et anima secum regnare in sempiternum faciet. Attonitus autem sacerdos audiens deum invisibilem carnem et animam assumpsisse et deitati unisse; obstupuit. nec quidem statim verbis illius accomodare voluit fidem; priusquam dicta sanctus miraculo confirmaret. Erat vero coram eis mirae magnitudinis lapis. qui humana estimatione humanis manibus moveri nequaquam valebat. Hunc itaque sacerdos suae voluntati satis faciendo quaerebat in virtute domini nostri ihesu christi sancti gregorii iussione ad alium locum transferri. illoque translato ita se fidem daturum rei pollicebatur. Confidens autem beatus gregorius in virtute domini orationem faciens lapidem de loco illo ad alium locum solo imperio transtulit. et sacerdotem illum ad fidem christi convertit. ac de tenebris ad lucem veritatis perduxit. Qui relicta domo uxore filiis cum omni errore; sancto viro adhaesit. divinamque doctrinam et sapientiam adeo consecutus est a deo; ut post sancti viri excessum in eius loco episcopus ipse succederet. Mira dei potentia. gloriosus deus in sanctis suis. illi enim obtemperat omnis creatura qui eam ex nichilo creare dignatus est. lapis insensibilis a loco suo motus est; et cor lapideum ad viam veritatis mollitum est.

Post hec vir domini caeptum iter peragens; ad superandos christianae fidei adversarios; cum defensore quondam illorum sacerdote ibat ad civitatem. Omnis itaque populus cum talia cognovisset occurrit illi obviam. stupendo atque dicendo. Videamus quis est iste gregorius tam fortis; tam praepotens; ut diis nostris imperet prout vult. Qui cum ad eum pervenissent; cum magna constantia verbum vitae praedicans admonebat eos. Illi autem mirabantur nimis super prudentem doctrinam quae ex ore illius mirifice profluebat. Postquam vero ingressus est urbem; et contristarentur qui cum eo advenerant quod domum ad hospitandum non haberent; Cur inquit contristamini fratres? Dominus est requies nostra in ipso enim vivimus movemur et sumus. magis autem satagamus illam invenire domum quam psalmista desiderabat dicens. Unam petii a domino hanc requiram ut inhabitem in domo domini omnibus diebus vitae meae. Attamen et hanc de qua solliciti estis dominus citius providebit. Inter haec autem advenit quidam vir genere et dignitate praecipuus nomine musonius. magna prece deposcens ut in sua domo accipere dignaretur hospitium. Cumque et alii post illum venientes in domos suas illum certatim invitare vellent; ait. Iustum est ut qui prius petiit prius accipiat. Grates autem illis referens et salutiferis verbis commonens; apud musonium mansit. Eadem vero die antequam sol occumberet tantum accrevit multitudo fidelium; ut pauci remanerent qui non crederent in dominum ihesum christum. Altera autem die multitudo populi utriusque sexus ante ianuam illius astitit. deferens secum plurimos a daemonio vexatos variisque languoribus oppressos. petentes et obsecrantes ut eis sanitas prestaretur. Quos beatus gregorius in ihesu christi nomine sin-

gulis manus imponens curavit. edocens illos servare unitatem spiritus in vinculo pacis. et sanctae trinitatis inviolabilem fidem. Unde nimis compulsi amore illius fideles templum domino construere aggressi sunt. in quo honorifice vir sanctus sacra deo persolveret. et devote populus ad dei laudem concurreret. Quod templum quoniam divino iuvamine peractum est; divino auxilio ut postea res innotuit hactenus conservatum est. Nam cum terremotus factus esset magnus ita ut paene omnes fabricae corruerent hoc templum immobile permansit. ut verius claresceret quantum apud deum meritum beati valeret gregorii.

Expurgata itaque omni nequitia diabolicae fraudis a sancto viro quae in illa regione per multorum annorum curricula pullulaverat; et corda omnium tanquam venenosa gramina suffocaverat; caepit eis in virtute domini miraculorum semina ministrare. et veluti novellis arbusculis aquarum rivulos inferre. nequando caloris nequitiae immanitate torpentes ad pristinam ariditatem revertendo arescerent. In eadem denique regione ponti stagnum erat copiosissimum ad piscandum cuius emolumento possessores illius admodum ditabantur. Hoc itaque duobus fratribus haereditatis sorte dum obvenisset; inimica pacis et quietis cupiditas caepit amori fraterno caedes ac bella usque ad sanguinis effusionem inferre. Interea vir domini affuit gregorius. qui rem diligenter inquirens; caepit pacis semina inter fratres pacis amator optimus ministrare. Nolite inquit o filii karissimi. nolite rationabiles animas cupiditate mutorum animalium violare. fraternam pacem questus causa dissolvere. dei leges et naturae iura temerare. et una mecum ad oram stagni exitialis accedite. ego iam vos per virtutem domini omni certamine cruentae contentionis absolvam. Et cum haec dixisset; in conspectu omnium virgam quam tenebat ad litoris undas defigit. et ipse positis genibus dominum hac voce precatur. Domine deus creator omnium rerum. tu fecisti hominem ad imaginem et similitudinem tuam. et dominum illum mundi constituisti. sed quia praeceptum preteriens in mortis paenam cecidit; ad terram maledictionis detorsisti. dicens. maledicta terra in operibus tuis. Fac ergo domine ut lacus iste arefiat. ita ut nunquam illic aqua resideat. nunquam piscis appareat. Sed campus ferax frugum patiensque arari et custos in aeternum fraternae concordiae perseveret. Mira res. et post moysen stupendum miraculum. Simul ut ille orandi finem fecit; statim se unda subducens abissis suis redditur. et arentem campum germanis iam concordibus derelinquit. Sed et in hodiernum frugum ferax esse dicitur solum quod ante fuerat navium ferax. Ad indicium vero tanti miraculi hactenus per girum laci videntur signa aquarum. quatinus appareat quod et lacus olim fuisset; et per dei famuli orationem exiccatus pacem fratribus contulisset.

Aliud quoque huic simile ab eo est factum stupendum miraculum. Fluvius ingens in eisdem partibus hiemis tempore valde excrescens; sata camporum plurima disperdebat. Accole autem loci illius spem commanendi sibi penitus denegatam videntes; omnino quid agerent nesciebant. Tandem aliquando in se reversi; Reminiscentes miraculorum beneficia quae per suum famulum gregorium dominus eis praestiterat. Et maxime de lacu eius oratione siccato; Cum uxoribus et parvulis illum adeuntes dicebant. Scimus quoniam dei amicus es. et gratia spiritus sancti repletus. et ad multorum consolationem te nobis dominus donare dignatus est. Ergo beate pater subveni. succurre tribulationi nostrae. quoniam expellimur a propriis finibus; inundatione pessimi fluminis. Videns autem pater piissimus illorum afflictionem; consolatus est eos dicens. Confidite filii in domino et in potentia virtutis eius. non est manus domini invalida. qui credit in eum non confundetur. ipse enim promittere dignatus dicens; Invoca me in die tribulationis tuae; eripiam te et magnificabis me. Accedamus ergo ad fluvium invocantes illum suppliciter ut exaudiat nos. et magnificemus nomen illius. Haec ubi locutus est properans ad oram fluminis suppliciter christum rogabat dicens. Domine deus rex caeli et terrae. tuae iussioni utpote a te creata cuncta famulantur elementa. Tu enim domine terminum posuisti aquis ut non transgrediantur neque convertantur operire terram. dicens. usque huc venies. et hic confringens tumentes fluctus tuos. Fac ergo domine ut fluvius iste tuis famulis amplius nullam lesionem facere valeat. quatinus cognoscant omnes quia tu es deus creator omnium rerum. Haec cum dixisset; virgam quam gestabat

circa ora fluminis fixit. Mira dei virtus. Ad vocem sancti sui pontificis aquarum inundatio confestim refrenata est. quae ad magnam gloriam nominis sui et indicia miraculorum beati gregorii hactenus perseverat. Factumque est ut ex illo iam tempore refrenatus; cursum suum fluvius ille intra alveum suum perageret. nec ultra terminum quem vir sanctus posuerat transire niteretur. Unde nimis incolae hylares effecti; Beatum gregorium tanquam heliam et heliseum qui olim iordanem diviserant venerari caeperunt. Laudantes et benedicentes nomen domini ihesu christi. Memoratur etiam aliud illustrius ab eo et divinius gestum. In quodam loco ruris angusti cum res posceret ecclesiam construi. rupes quaedam vicini montis ex parte orientis obiecta ex alia vero praeterfluens fluvius. spatium quantum ecclesiae sufficeret denegabat. Et cum alius omnino non esset locus; omnesque mesti aierent quod solum ad construendam ecclesiam non haberent; ille fide plenus pernoctasse in oratione dicitur. et dominum ihesum promissionis suae admonuisse fideliter. qua dixit. Si haberetis fidem sicut granum sinapis; diceretis monti huic; tolle te et mitte te in mare; et fieret utique. Cumque hoc plena fide ac devotione deposceret; ad lucem coeuntibus populis inventa est rupes importuna secessisse tantum; quantum spatii ad condendam quaerebatur ecclesiam. Exhilarati itaque de dei munere; beatum gregorium venerari caepere tanquam angelum a domino missum. Cuius precibus tale gestum conspexere miraculum. Dignam itaque devotionem animi ad effectum perducere procurantes; protinus in loco eodem mirificam domino ecclesiam construxerunt. quae ad gloriam sui nominis permanet usque in presentem diem.

Cumque fama sancti viri longe lateque flagraret; et plurimos dulcedo miraculorum illius invitaret. Convenerunt ad eum populi ex civitate comana. magna prece poscentes. ut in ecclesia illorum quae episcopali regimine destituta erat. episcopum eligeret. talem utique qualem ipse domino sibi revelante monstraret. Assensus est autem homo dei. et cum illis properare caepit; ut eorum postulata compleret. Cum vero templum intrasset ut quis eligeretur ostenderet; detulerunt ei magnates regionis illius. ac potentes quosque viros. vultu ac dignitate perspicuos. putantes sanctum virum non moribus sanctis episcopum; sed decorum et potentem eligere velle. Tunc vir deo plenus non qui oculis humanis sed qui divinis obtutibus dignus esset eligere satagens; ut quondam samuhel dei arbitrio cuncta committens; ab ipso petebat quem suo officio dignum proferret. Precipiens interim populo et dicens. quia domino deo non solummodo divites et incliti placent; sed ab initio cum ruriculis sanctisque moribus pollentes semper habuit rationem. Afferte nobis etiam aliquos de minimis huius terrae. Tunc unus ex circumstantibus despexit hominis dei dictum. et cum magna subsaunatione recessit dicens. si inter tales ac tantos sacerdotem eligere dubitas; carbonarium tibi deferamus alexandrum. Audiens autem beatus gregorius nominari alexandrum; irati hominis furorem modeste sustinens animadvertit utpote vir altioris ingenii non sine dei nutu hoc esse patratum. et alexandrum illum ilico afferri precepit. Erat autem ipse alexander spiritualium gratiarum donis valde repletus. et opus vile non paupertate cogente faciebat; sed ut despectus saeculo videretur. Nitebatur humiliari cum mitibus operando cum manibus suis secundum apostolum; ut haberet unde tribueret necessitatem patienti. quatinus in caelesti regno cum sanctis gauderet; ubi perenniter esse valeret. Verum ubi sancto viro in conventu omnium praesentatus est; niger corpore et vestimento; caeperunt eum plurimi elata mente despicere. Beatus autem gregorius admirari. Sanctoque sibi revelante spiritu nectare gratiarum optime videre esse repletum. Quapropter seorsum illum advocans; sciscitabatur ab eo quis esset. vel qualiter in saeculo conversatus fuisset. Ille vero coactus nimis; qualiter argumentose gloriam mundanae laudis calcaverit caelare non potuit. Gratias autem agens deo beatus gregorius; iussit ministris ad balneum deferri alexandrum. lotumque stolis suis vestiri et sibi presentari. Quem omnis concio videns nimis admirata est. Ipsumque fore dignissimum propriis vocibus fatebatur. Unde pius pontifex occasione inventa. caepit exortari eos dicens; ne miremini fratres in hoc quod vobis accidit in alexandrum. hoc enim sepe solet agere hostis antiquus; ut boni despiciantur; et reprobi eligantur. Contra cuius fraudem semper vigilandum est. quoniam sicut dicit apostolus adversarius vester tanquam leo ru-

giens circuit querens quem devoret. Cui resistite fortes in fide nequando seducamini. Et propheta clamat. Vae qui dicitis bonum malum; et malum bonum. ponentes tenebras lucem; et lucem tenebras. ponentes dulce in amarum. et amarum in dulce. Haec ubi perdocuit doctor summus secundum decreta canonica consecravit pontificem alexandrum. quem etiam precatus est ut suae plebi sermonem faceret. Cui alexander humiliter parens; mellifluis dictis de mundi contemptu et caelestis vitae amore plebem allocutus est. Illoque docente cunctus aggaudebat et exultabat populus. gratias agentes deo; quod per suum famulum gregorium tali pastore gubernari digni fuissent.

Interea quidam iuvenis mente elatus qui inter caeteros sibi sciolus esse videbatur; non est veritus carpere alexandrum. despiciendo simplicem locutionem illius. sed ilico divino nutu correptus obstupuit. Vidisse namque se dicebat turmam columbarum nive candidiorem. de quibus cum haesitando inquireret cuius haec essent; audivit vocem dicentem sibi; hoc donum est alexandri presulis eximii; quem ipse non es veritus irridere. Ex qua visione et ipse correptus est; et caeteri qui audierunt cum magna veneratione illum honorare studuerunt. Quadam die exultantes populi iuxta ritum paganorum festa celebrabant iovi. ducentes choros in cantilenis et diverso genere musicorum. Cumque multitudo populi utriusque sexus ad hoc concurrerent; et pre multitudine spatium ludendi ut cupiebant habere non possent; in eadem exclamatione iovem invocabant; ut eis ad ludendum spatia loci larga concederet. Hoc beatus gregorius audiens et quid esset intellegens; valde tristis effectus est. Et quoniam toto mentis ardore hoc scelus eradicare et ad dei laudem cunctos perducere satagebat; misit ad eos dicens. Si deum nossent qui in caelis habitat; non daemonem sed illum niterentur laudare. qui se laudantibus premia dare non cessat. Verumtamen ut sciant quem laudant; et quod premium de laudati a se ope percipiant; datur eis spatium non ad laetandum; sed ad lugendum. per detrimentum mortis amarae. Hoc cum dixisset; mox repentina pestis adveniens et acerrime eos invadens velut ignis cousumere caepit. praecedente quodam horrendae visionis phantasmate. Tanta autem strages facta est mortuorum; ut ad sepeliendum eos nec portitores iam nec antra sufficerent. Tali igitur peste perculsi cum se cernerent atque timerent usque ad internecionem deleri; tandem aliquando reminiscentes beati gregorii dicta suppliciter illum adeuntes rogabant ut eis solita pietate succurrere; eosque ab instanti peste dignaretur eripere. Motus autem lacrimis eorum et precibus beatus gregorius; deprecatus est pro eis dominum dicens. Multa fecisti tu domine deus meus mirabilia tua. et operationibus tuis non est aliquis similis tibi. Etenim cum non accidenti dono sed naturaliter tuae sit potestatis velle et posse; nec desit tibi posse aliquando cum volueris; omnia in sapientia facis. Nos enim prophanos quos ante saecula ad agnitionem tuae gloriae vocasti; quoniam corda eorum obdurata erant et ad te venire nolebant. per terrorem crudelissimae pestis humiliasti; ut te cognoscentes discerent quia tu es deus solus et gloriosus super orbem terrarum. Nunc ergo deprecor clementiam tuam cesset pestilentia. cesset mortalitas. ut ad te perveniant quos tu clementissime ad te vocare dignaris. Ad hanc orationem omnis aegritudo omnisque pestilentia cessavit. nec ultra quispiam ex ea mortis periculum incurrit. Tunc omnes crediderunt in dominum ihesum christum. confitentes scelerate se egisse quod daemoniorum cultibus hactenus deservierint; et deum verum pro nichilo habuerint qui salvat omnes ad se venientes. et neminem in se confidentem perire permittit.

Igitur cum esset beatus gregorius in civitate caesarea; adierunt eum quidam christicolae praefatae comanensis civitatis. suppliciter flagitantes ut eorum urbem visitaret. et verbum vitae eis clementissime ministraret. Horum itaque precibus commotus pater dulcissimus; profectus est cum archidiacono suo lectoribusque duobus. Dum vero ceptum carperet iter; pervenit ad locum in quo erant ingentes cavernae. e quibus exibat intolerabilis fetor teterrimi draconis. Obstupefactus autem cum rem diligenter animadvertere vellet; Ecce mulieres duodecim obviaverunt ei cum natis suis. vociferantes amarissime. et artus suos cum fletu et gemitu laniantes. Cumque eas cerneret praesul piissimus; tanto dolori compatiens caepit inquirere dicens. Quae vos o mulieres cogit miseria? qui casus vel dolor opprimit ut tanta vobis vulnera inferatis?

At illae prociderunt ante pedes illius. et dolorem suum exponere caeperunt dicentes. Est hic pater immanis draco. cui haec miserrima civitas ne flatu eius pestifero devastetur duodecim infantes ad devorandum per singulos menses illi assolet ministrari. et iccirco coactae venimus infelices heu dolor; ut viscera filiorum nostrorum draconi ad devorandum tradamus. Haec illis narrantibus; ecce draco seviens exibat. quem intuentes matres cum filiis pavore perterritae conciderunt. et ad beatum patrem clamabant. Maxime dei confessor Beate gregori. Adesto quaesumus nostrae miseriae. Subveni succurrere et libera nos a draconis morte. ut verum sanctum et patronum te semper veneremur; et laudemus nomen domini nostri ihesu christi. Lacrimarum itaque doloribus motus pontifex beatus; preces fundens ad dominum dixit. Domine deus omnipotens qui hominem ad imaginem tuam plasmare dignatus es; et draconem malignum serpentem antiquum diabolum per ihesum christum filium tuum superasti. Tu sevitiam huius draconis humilia. ut haec creatura tua per tuam potentiam liberata; civesque comanenses a tali peste erepti; Te dominum creatorem te liberatorem agnoscant. Tibi adhaereant. et te collaudent. quia tu es deus benedictus in sempiterna saecula. Haec cum orasset; Ecce angelus domini astitit et apprehendit dexteram eius confortans eum et dicens. Constans nimis confide valde gregori. et ne metuas dirum sevumque draconem. Reminiscere a domino pollicitum esse iusto; super aspidem et basiliscum ambulabis; et conculcabis leonem et draconem. Et ecce inquit dedi vobis potestatem calcandi super serpentes et scorpiones et super omnem virtutem inimici. et nichil vobis nocebit. Talibus dictis confortatus beatus gregorius salutiferae crucis signum contra draconem fecit. Mira dei virtus. mox ante crucis arma draco extinctus est. periitque repente. Glorificans itaque beatus gregorius dominum et gratias agens. exhortatus est mulieres et dixit. Ecce dei clementia respexit super lacrimas vestras. vidit afflictionem. gemitus exaudivit. et filios vestros vobis incolumes reddidit. ite et laudem dicite deo; et narrate omnibus mirabilia eius. quoniam ipse est qui salvat et qui sperat in eum non confundetur. Quae cum ad propria reversae cum exultatione fuissent; et cuncta quae gesta essent per ordinem civibus retulissent; gavisi sunt gaudio magno. Et priusquam urbem ingrederetur beatus gregorius; omnes occurrerunt obviam illi. Ut et grates de tanto beneficio referrent; et salutifera eius monita ab eo perciperent. Afferentes insuper ad eum lunaticos et qui vexabantur ab spiritibus immundis. Quos pater beatissimus clementissime suscipiens et instruens plenissime; mirabiliter sanavit. illos autem qui paganitatis errore erant alligati per baptismi sacramentum ad agnitionem domini nostri ihesu christi perducere curavit. erantque gaudentes et exultantes et laudem domino decantantes.

Quiddam etiam terribile sanctus iste fertur egisse quod silendum non est. Ut discant pravorum mentes sanctos viros venerari non subsannare. quoniam secundum apostolum; templum dei sunt. et spiritus dei habitat in eis. De quibus dominus per prophetam. qui vos tangit tangit pupillam oculi mei. Cum igitur inter caetera bonitatum insignia vir domini gregorius hospitalitatem diligeret; et plurimi ad eum commoda petendo venirent; duo hebrei callida illum arte decipere conati sunt. Quadam namque die observantes viam per quam vir domini transibat; unus ex eis obire se simulans secus viam nudus iacebat. Alter vero illum simulata voce plangebat. sanctumque virum ut sibi aliquam vestem ad defunctum sepeliendum concederet deposcebat. Tunc pater egregius non tamen inscius vestem suam super nudum iactavit. et ceptum iter peragere properavit. Illo autem recedente caepit collega eius simulatum fletum in laetitiae cachinnum convertere. et collegae arridens dicere. Surge ambulans. quoniam quidem quod quaesivimus invenimus. sed non erat vox neque sensus. quia non ficte sed vere mortuus erat. Dehinc cum nutaret et fidem rei non daret; caepit illum voce magna clamare. calceque ut surgeret pulsare. Cumque illum mortuum esse cerneret; laetitia in merorem conversa; quod prius fraude caelaverat luctuosa voce invitus prodere caepit. Hoc ubi compertum est; timor et tremor cunctos perculit. omnesque dei pontificem tanquam deicolam venerari caeperunt. Hoc ne cui crudele videatur; ad memoriam revocet beatum petrum apostolum. qui cum claudum sanasset; atque eneam paraliticum tabitamque mortuam suscitasset; ad eius increpationem ana-

nia et saffira mentientes mortui sunt. Non quod viri sancti vitam supra terminum cuiquam donare aut mortem inferre possint. cum a deo terminus humanae vitae per omnia sit praefixus. Dicente scriptura. Constituisti terminos hominum qui praeteriri non poterunt. Sed permittente deo illo tempore miraculum per sanctos patratur; quo terminus vitae completur. quatinus uno eodemque termino et vita finiatur; et virtus sanctorum mirabiliter glorificetur. Ad laudem videlicet bene credentium; et ad terrorem perversarum mentium.

Quadam vero die beatus gregorius convocata plebe dum verbum vitae illis ministraret; illique sitibundo pectore haurirent; quidam maligno spiritu repletus prohibebat populum audire mandata eius. dicens. Non a semetipso hoc iste pontifex edocet; sed alio ministrante loquitur. Fallax namque spiritus cum semper falsa praedicet; hoc de viro sancto verum dicere suadebat. quoniam non a semetipso sed spiritu sancto docente predicabat. Dicente domino. Nolite cogitare quomodo aut quid loquamini. spiritus enim sanctus pro vobis digna loquetur. Cumque puer sermonem finiret; vir domini modeste illum ad se convocavit. et christo sibi revelante cognovit maligno spiritu illum repletum. quod statim populo intimavit. Et ut rei veritas panderetur; pallium quo operiebatur ori suo apposuit; et deinde super puerum iactavit. Quo facto mox in terram corruit. et coram omnibus vexari caepit. Sed ut virtus deifica panderetur qua dei famulus afflatus erat; cum pro eo dominum posceret ac manus super caput eius poneret; statim nequam spiritus ab eo exiit. nec illum ultra invadere presumpsit. Factumque est in beato viro mirabile. et in confusione antiqui hostis terribile. scilicet ut quanto magis dei famuli opera prepedire niteretur; tanto magis confusus elideretur. et in amorem domini corda fidelium accenderentur. Operante itaque dei gratia cum per dei famuli praedicationem omnes relicto errore daemonum simulacra everterent; ecclesias construerent; et gloriam christi longe lateque praedicarent; Tandem pervenit ad notitiam romani principis nomine galieni. Et quoniam minister satanae pessimus cum omnibus seguacibus suis erat; Accensus furore et ira misit ad praepositos diversarum regionum ut magna diligentia scrutando perquirerent christiani nominis cultores. et diversis poenis ac cruciatibus affligerent. quin etiam acerbissimae morti traderent; nisi a cultura christiana recederent. et ad deorum suorum famulatum colla flecterent. Haec ubi praecepit; praefecti illius iussa complentes per universum orbem mille modis crudeliter christicolas cruciabant. Ex quibus quidam non sustinentes tantos cruciatus; a fide christi quod dictu scelus est recedebant. quidam vero timentes crudelissimas poenas ne a sancta fide recederent precipitio se necabant. Quidam etiam de domini misericordia confidentes usque ad mortem agonizantes perseverabant. Igitur dum talia christiani nominis inimici agerent; sanctus gregorius videns multos apostatare a deo condolens humanae fragilitati dedit sanctae ecclesiae consilium. ut quicumque invalidos se esse conspicerent ad sustinendas malignantium paenas; fugae praesidium subirent. dando salvatoris saluberrimum preceptum; si vos inquiens persecuti fuerint in una civitate; fugite in aliam. melius esse iudicans immaculatam fidem custodire; quam timendo penas a fide sancta recedere. asserens se ipsum primum fugae latibulum quaerere; si exinde aliquis dubitaret. Revera enim ipsum prae caeteris inhianter per multimodas insidias extinguere cupiebant. sperantes quod si ipsum qui caput ecclesiae videbatur perderent; caeteros ad culturam daemonum celerius flecterent. et christianam fidem penitus conculcarent. Evadens ergo beatus gregorius persecutorum laqueos; christo duce et comite religioso viro illo sacerdote superius memorato quem a cultu idolorum converterat desertum petiit. Sed crescente malitiae zelo hii qui eum perdere querebant usque ad montem persecuti sunt. duce quodam viro qui eum ibi latere cognoverat. Pervenientes autem ubi erat occultus undique illum circumdederunt. Videns autem illos pater sanctissimus. commonuit socium dicens. ne timeas frater adversantium furorem. et pro christo quaerentium animas nostras. Deus noster refugium et virtus. adiutor in tribulationibus quae invenerunt nos nimis. Si deus pro nobis quis contra nos? Ille utique qui quondam clausit oculos heliseum quaerentium. ipse istorum visus obcecabit ut nos videant et non agnoscant. Illi autem qui pro ipsis venerant videntes eos stantes et orantes; non homines sed arbo-

res eos opinantes frustrati desiderio et confusi reversi sunt. Cumque ductor eorum inquireret quare non ad locum insinuatum pergerent ubi profecto eum invenissent; dixerunt. perreximus equidem; sed nichil ibi preter duas arbores invenimus. Intellegens autem vir ille non arbores sed homines fuisse; et caelesti protectione gubernatos esse; ascendit in montem. invenitque eos stantes et orantes. Procidens autem ad pedes beati gregorii se errasse. se peccasse voce propria fatebatur. sed ut ei dominus indulgeret eius orationibus instantius flagitabat. Cumque illum vir domini de christi misericordia confidere commoneret; credidit deo. et qui olim fuerat persecutor factus est christi cultor. et eius famuli adiutor. Persecutores autem totius ponti provinciae ablata spe sanctum virum inveniendi; in reliquos christi ministros rabiem suae ferocitatis immittunt. cruciantes eos et mille modis neci tradentes. Sanctus vero gregorius repletus sancto spiritu cuncta praevidens; et quasi corporaliter cum patientibus patiens; ut quondam moyses ille sanctissimus non desinebat die noctuque pro statu sanctae ecclesiae dominum flagitare dicens. O domine deus plasmator hominum. pastor bone et rector. Salva populum tuum quem ad agnitionem tuae fidei vocare dignatus es. et quod tibi ex eis placet. ad gloriam tui nominis per palmam martyrii vocare; conforta ad patiendum. quos vero in sancta tua ecclesia relinquere tibi placet; confirma et corrobora in fundamento sanctae et gloriosae fidei tuae. ne quando dicant gentes ubi est deus eorum.

Factum est autem dum quadam die pro persecutione ecclesiae dominum exoraret; caepit anxiari. et quasi in spectaculo positus aurem accomodare ad audiendum. et sollicitus preparari ad respondendum. Deinde post paululum ad se reversus laeta facie hylarique vultu clara voce dominum glorificare caepit dicens. Benedictus dominus qui non dedit nos in captionem dentibus eorum qui nos oderunt. Cumque interrogaretur quid hoc esset; vel unde tristaretur et laetaretur; ait. dicimus equidem et gloriam victoriae ihesu christi domini nostri non silemus. Vidi enim hac hora iuvenem nomine troadium ante tyrannum ductum. et diversis tormentis constrictum ut christi fidem negaret. sed adiuvante gratia christi calcavit ac derisit eum. tandemque coronatus per martyrii palmam ad caelorum gaudia gloriosus migravit. Audiens haec diaconus eius scilicet et sacerdos praefatus idolorum obstupuit. cepitque precari virum dei ut eum sineret illuc proficisci ubi ista fiebant. ut rei omnem disceret veritatem. Quem dei pontifex prohibebat et a latronibus viam obstrusam affirmabat. Cui cum diceret nulla me adversitas conturbare potest si tuis sanctis precibus armatus incedo; tandem oratione facta eum abire permisit. Vespere autem facto urbem ingressus est. qui faticationem itineris relevare volens ad balneum perrexit. Hoc autem balneum possidebat pessimus daemon. et quicumque post solis occasum illuc ingrediebatur suffocabatur a daemone. Cumque in illud vellet introire; prohibuit eum custos balnei. et causam daemonis liquidius innotuit. plurimosque illic necatos noctu asseruit. Quem cum vehementius postularet diaconus; nec se daemonem curare profiteretur; tandem custos coactus clavem illi balnei contulit. et a balneo ne cum eo pariter necaretur procul abscessit. Munitus autem diaconus signaculo crucis balneum introivit. Quem mox daemon terrificare nitens affuit. diversas figuras hominum ac bestiarum terremotus etiam et monstruosa portenta circa eum exagitans. Sed signo crucis et christi nomine omnia pro nichilo ducens; lotus diligenter innocuus egressus est. Cui egredienti locutus est daemon. ne estimes inquit tuis meritis te esse salvatum. hoc virtus et oratio egit gregorii. Igitur ut causam pro qua venerat cognosceret cives interrogat. qui omnia sicut gregorius in heremo per spiritum sanctum viderat de christi martyre troadio seriatim innotescunt. Gratias autem agens deo diaconus; didicit quantum valeret magistri meritum. quantum christianae fidei gloriosa religio. Letusque ad magistrum reversus; quid audierit et quid perpessus a daemone fuerit per ordinem cuncta narravit. Sanctus vero gregorius deo laudem referens; magis magisque pro pace sanctae ecclesiae cotidie dominum exorabat. quem tandem dominus exaudire dignatus pacem ecclesiae suae reddidit. Quo cognito dei famulus; laetus reversus est. et cunctas ecclesias visitans ac de sancto certamine gratias agens; iussit eis inquirere tempus et diem quo sancti martyres ad gaudia aeterna migraverunt. scilicet ut illorum festivitates summa cum

devotione annue celebrarent. Ut qui fecerant gaudium angelis in caelo. facerent gaudium hominibus in terra. illorumque intercessione ab omnibus iniquitatibus tuerentur.

Sancto igitur revelante spiritu dum cognovisset sui obitus diem beatus gregorius! totam caesaream circumiens commonere cunctos et singulos exhortari non cessabat. dicens. Estote filii karissimi solliciti. et vigilate contra astutias diaboli. Ante omnia quidem caritatis vinculum nolite dirumpere. in soliditate sanctae trinitatis semper manete. et nulla unquam angustia. nulla tribulatione a christi amore recedite. Haec et plura his similia ubi docuit. conversus ad dominum oculis ac manibus in caelum erectis his verbis dominum collaudat dicens. Gratias tibi ago domine deus quoniam tu adiuvasti me. et ab omnibus insidiis diabolicae fraudis potentissime liberasti; Tu fortitudo. Tu protectio. Tu praecepisti agonizare. Tu michi tribuisti haec superare. Gratias tibi ago. laudo et benedico nomen tuum. Commendo etiam tibi plebem tuam domine quam te adiuvante ad tuam sanctam gratiam perducere curavi. ut tu illos semper protegas. tuae consolides fidei. tuae applices caritati. Ego autem quia incolatus meus prolongatus est et tempus instat ut terram fragilem terrae reddam; et tuam te donante videam desiderabilem gloriam; et quidem tibi nemo sine premio servit; Ecce venio ad te. Tu clementissime in pace suscipe spiritum meum. Haec cum orasset; precepit discipulis suis. Nolite inquiens o filii tumuli gloriam michi construere. nec propriam volo habere domum. in alieno sepulcro me ponite. Sit de me post me talis collocutio. Gregorius dum vixit in saeculo nullius dici voluit dominus loci. In alienis vitam duxit ut peregrinus. Caro eius extincta in alieno recubat antro. Postquam vero pater sanctissimus sanctae religionis cursum fideliter consummavit; infideles multos ad christi gratiam convertit; Pluresque ad palmam martyrii roboravit; astra conscendens exultat cum sanctis angelis in aeternum. Claruit autem vir iste sanctissimus tempore galieni imperatoris. et romani pontificis dionisii. In synodo etiam quae contra paulum samosatenum hereticum episcopum antiochiae facta est cum atenodoro fratre suo mirabilis apparuit. Depositus est vero quinto decimo kalendarum decembrium. Regnante domino nostro ihesu christo qui cum patre et spiritu sancto vivit et regnat deus per cuncta saecula saeculorum. Amen.

Pag. 343 — (Passio S. Anastasiae et sociorum Mm.)

. . . . Revertente autem imperatore dioclitiano syrmium a macedonia; allata est ei theodote cum tribus filiis suis. natione bithinia. civis nicena. quae ideo fugerat de civitate sua; quia persecutio circa universos christianos illic vehementer agebatur. Comes autem leucadius qui eam tradiderat; petiit ab imperatore dicens. iubete eam michi dari uxorem. quae si non consenserit sacrificare mecum; ego eam diversis paenis interficiam. Accepta itaque potestate leucadius caepit eam suasionibus diabolicis et terroribus fatigare. Illa vero dixit ei. si propterea me petisti coniugem ut facultatulam meam universam invadas; ecce universa quae possideo vade et occupa. et dum redieris accipies me uxorem. Quo eunte; unanimis cum anastasia theodote permanens; cotidie curas sanctorum sicuti ipsa exercebat. Didicerat enim ab ea quasi mater de filiis esse sollicita. et cotidie sanctorum vulneribus medebatur. Dubios confortabat. timidos corroborabat. sollicitos succurrebat. nec altera anastasiae et theodotae cura erat neque aliud studium; nisi ut eorum curas agerent qui causa christi nominis in diversis vinculis tenebantur. Tunc cum diversa multitudo christianorum esset in ergastulis; et dioclitiano principi indicatum esset; iussit omnes una die interfici. quicumque autem sacrificare voluisset; honoribus et divitiis ampliari. Venientes autem ii qui missi fuerant. abstulerunt omnes sanctos et duxerunt. mittentes alios in mare. et alios gladio interimentes diversis suppliciis interemerunt. Ignorans igitur beata anastasia; quid nocte eadem evenisset; solito more perrexit. et diversas custodias circumgirans. dum neminem eorum inveniret; caepit vehementissime flere. Quam cum flentem attenderent quidam; dicunt ei. quid ploras? At illa respondens ait. servos dei confessores quaero qui in vinculis habebantur. et nescio ubi duxerunt eos. Qui dixerunt ei. tu ergo christiana es? quibus intrepida respondens ait. ego christiana sum. Tunc unus ex eis comprehensam eam duxit ad forum. ubi prefectus

illirici sedens causas diversorum audiebat. Cui exurgenti obtulit eam dicens. hanc inveni iuxta carcerem flentem. quam interrogans quare fleret; dixit quod personas nescio quas quaereret christianas. Ego autem cum hoc audissem; inquisivi si et ipsa christiana esset. Quae cum intrepida id se esse penitus non negaret; tenui eam. et ad vestram amplitudinem fidenter adduxi. Probus ad haec interrogans eam dixit. quae vocaris? respondit; anastasia. Probus dixit. vere ut asseris christiana es? Anastasia dixit. christiana sum. nec aliud me esse confiteor. Probus dixit. unde huc venisti? Anastasia dixit. Civis sum urbica. Probus dixit. et ab urbe roma huc quomodo venisti? Anastasia respondit. Amorem christi habens; vendidi omne patrimonium meum iuxta iussum eius. et secuta sum eum. Probus dixit. et ubi est christus? anastasia dixit. in caelo ad dexteram patris: in terra vero; ubicumque sunt sancti eius. Probus dixit. et ubi sunt sancti eius? Anastasia dixit. usque hodie hic fuerunt. Probus dixit. Ergo iam hic non sunt? Anastasia dixit. non sunt hic corporaliter; quia vos expulistis eos. Probus dixit. qui sunt quos expulimus? Anastasia dixit. Innocentes et sancti atque colentes deum. qui fuerunt in vinculis positi. Hos ergo cura diligenti suscepi. quibus ita serviebam; ut illis nichil deesset. Quos dubios videbam corroborabam. quos tristes videbam consolabar. et ecce subito quibus per annum iugiter et menses aliquantos deservivi; dereliquerunt me hac nocte. et ipsi cum triumpho martyrii ad regna caelestia perrexerunt. Videns ergo me ita remansisse; ut non sit aliquis pro quo me non ostenderem sed celarem; pia invidia ducta sum circa eos. quod illi iam regnent cum domino; et ego adhuc stem. Probus dixit: ut video non sunt tibi levia preparanda tormenta. Tu enim revocasti animos eorum ad sacrilegium; qui obtemperare decreverant regalibus institutis. Anastasia respondit. ego doloribus fatigatis etiam pedes osculabar; ne aliquando cederent dolore compulsi. Nam et quousque habui multam summam auri; in eorum necessitatibus expendi. nunc vero erogatis omnibus; animam meam ad passionem aptavi. iustum iudicans; ut eos qui me dereliquerunt aliquatenus comprehendam. Probus dixit. quoniam sacrilegam te dii diutius celari non passi sunt; ipsi fecerunt ut tuo te ore detegeres. Anastasia dixit. ego in zelo incitata sum eorum; in quibus sermo domini mei ihesu christi completus est qui ait; erunt primi novissimi et novissimi primi. Nam quicumque michi posteriores fuerunt in fide; priores michi sunt facti ad palmam martyrii attingentes. Probus dixit. insanis mulier. et quantum apparet; nobilis michi genere videris. Anastasia dixit; si de patre carnali gloriarer; non dixissem ancilla christi sum; sed dixissem pretextati sum filia.

Audiens probus hanc filiam pretextati; comprehendi iussit familiolam parvam quae eam sequebatur. et agnoscens ab eis ita esse; imperatori suggessit de ea dicens. filiam pretextati nobilissimi viri a christianis ita deceptam; ut pro christi nomine ultro vellet interfici. His auditis dioclitianus; iussit eam diligentius custodiri, dicebat enim ad aures suas perlatum; quod immane patrimonium vendidisset. Altera itaque die imperator iussit eam in secretarium suum adduci. quam interrogans de venditi patrimonii pretio quid fecisset; respondit dicens. ego si adhuc haberem quod expenderem; non me persequentibus demonstrarem sed celarem. Verum quia iam universa expensa sunt; secura festino ad christum. nichil enim licuit diabolo de facultatibus meis; per suos usurpare cultores. Et haec audiens dioclitianus; tradidit eam probo prefecto. ipse autem abscessit in aquileiae partibus. Tunc ad anastasiam probus dixit. deos deasque quorum cultor erat pretextatus pater tuus; ipsos colere debuisti. et non christum nescio quem iudaeum; qui a civibus suis occisus est. Anastasia dixit. ego deos deasque patris mei semper colui. et nisi eos bene coluissem; hodie ad confessionem sancti nominis non exirem. Probus dixit; et si coluisti eos. quare eorum deseruisti culturam? Anastasia dixit. non deserui nec desero. Probus dixit. ergo colis deos deasque patris tui? Anastasia dixit. In tantum colo eos ut ab omni eos iniuria liberarem. Denique dum araneae eos intexerent; et aves stercorarent; et mures intra eos foetus facerent; ego eos liberavi. atque conflans in pecuniam converti. Probus dixit. Hoc sacrilegium non aures meae admittere queunt. Tunc ridens beata anastasia dixit. miror prudentiam vestram ac si sacrilegium timere lapides frangi. succendere ligna. aeramenta conflare. Certe si putas aliquam divinita-

tem latere in simulacris vanissimis; date michi copiam evertendi eos. et ego eos evertens patiar ab eis aliquid; et non a vobis quos nemo contingit. Si vero vivos deos creditis; ecce isti nec sentire potuerunt nec moveri. Si vero illi propitii sunt; et non irascuntur etiam cum decoquuntur incendiis; vos qui eos colitis contra eos agitis; dum non ipsos imitamini. Et sicut illi patientissime confracti silent; conflati tacent; ita vos quoque tacere convenit. ne quod dii vestri nolunt fieri faciatis. Probus dixit. iusserunt te domini nostri invictissimi principes aut diis sacrificare; aut ut decet sacrilegam diversis suppliciis interire. Anastasia dixit; noli dicere interire; pro dei enim nomine mori regnare est. Probus dixit. istam vanitatem abice; et esto sapiens. Anastasia dixit. Apostolus paulus monuit nos dicens; qui vult sapiens esse in hoc mundo; stultus fiat ut sit sapiens. Ego sapientiam dei habeo; quae stultitia est apud homines. Probus dixit. insaniam pateris. Anastasia dixit. insaniam quis patitur? Ego qui vos stultos arguo? an vos qui michi non potestis reddere rationem? Probus dixit. doleo tibi ; quia vanis sermonibus credens decepta es. Anastasia dixit. doleo tibi; quia vana potestate elatus; plus hominem metuis quam deum. Probus dixit. sacrifica diis; ut ad civitatem tuam redeas gaudens. Anastasia dixit. civitatem habeo non manufactam aeternam in caelis. ad ipsam pergere cupio. Et cum haec et his similia ex alterutro sermone gesta retinerent; ipsa gesta legit imperatori prefectus. Tunc dioclitianus caepit furere; et consilium quaerere quid de ea fieret.

Cui extitit quidam qui diceret: ulpianum qui capitolii summus pontifex erat hanc uxorem velle; et huic illam dari debere. Cui si non consenserit; ipse et facultatibus eius fruatur. et habeat potestatem occidendi eam. Placuit dictum imperatori. et iuxta hoc consilium tradita est ulpiano anastasia. Quam ille ducens ad domum suam; caepit ei ornamenta ostendere et gladium. gemmas et fustes. eculeum et argentum. lectos argenteos stratos plumis et carbones ardentes. Syrmata strata et compedes. cellaria plena dapibus. et cellam obscuram repletam testaceis aculeis. Tunc anastasia gaudens cum omni fiducia ait. in cellam istam ubi tenebras putas; ego ibi lumen verum aspicio. Nam in cellariis tuis; nichil nisi stercorum confectionem attendo. In auro tuo draco est. in gemmis tuis diabolus. in lectis tuis argenteis libido requiescit. Ista autem ferrea vincula si in collo meo induxeris; renovabitur sicut aquilae iuventus mea. et videbor michi murena ornari ad placendum christo; cuius amore die noctuque suspiro. Tunc ulpianus dixit ei. dabo tibi triduanas indutias ut tecum cogites. quarta autem die aut ego te habebo uxorem; aut habebunt te diversa supplicia. Anastasia dixit. iam puta quia fluxit tertius dies. scias me supplicia magis eligere; per quae vadam ad eum quem diligo. Ulpianus dixit. et quis est quem diligis? Anastasia dixit; christus filius dei. Ulpianus dixit. mortem ipsius ducas. Anastasia dixit. Amen. Ulpianus dixit. quid est amen? Anastasia dixit. Indignus es huius sermonis habere notitiam. Ulpianus dixit. Esto tibi propitia. et dimisit eam. Post haec autem tradidit eam ulpianus quibusdam feminis secundum saeculi dignitatem nobilibus. secundum statum autem animae omni deformitate turpatis. Quibus et munera largiora promittens; monuit ut obnixe cum ea agerent; quatinus ad turificandum idolis consentiret. Quae beatam anastasiam suscipientes; multis eam blanditiis. multisque pollicitationibus delinentes; in nullo penitus mentem sanctam flectere potuerunt. ut earum delinimentis saltem aurium praebere dignaretur assensum. sed sine intermissione caelum aspiciens. christum sibi adesse totis visceribus precabatur. Post aliquot autem dies vocavit ad se ulpianus easdem mulieres quibus beatam anastasiam tradiderat. atque interrogavit quid proficere potuissent. Quae responderunt dicentes. Voces nostras velut cornicularum clamantium contemnens; porrexit in caelis aspectum. et ex ea hora qua eam nobis tradidisti; expansis manibus perseverat sine cibo. sine potu. sine somno. Sed si vis aliquid facere. vade et utere ea sicut decet virum. et noli stare et blandis eam lenire sermonibus. Tunc ingressus ulpianus accessit ad eam. volens eam complecti. et statim factus est caecus. et girabat per totum triclinium in quo erat orans dei famula. Ab hora diei tertia usque ad vesperam girabat caecus. invocans iovem. iunonem. minervam. dicens. dii liberate me. et erubescebat clamare. Tandem aliquando oculi qui caeci facti fuerant; caeperunt nimio dolore torqueri. Tunc caepit clamare ad eos qui fo-

ris eum expectabant. Qui ingressi; vident anastasiam orantem. et illum semianimem et caecum. et tollentes eum inde inter manus ad domum suam. maledicebant aperta et publica voce imperatores; cuius iussu anastasia ad eorum domum devenisset. Igitur dum facta fuisset media nox; petit se ad capitolium duci ulpianus. Et ut pote magnus pontifex; caepit inter superstitiones sacrificiorum suorum inquirere utrum possit evadere. Cui responderunt daemonia sua. quoniam dei famulam anastasiam contristasti; nobis es traditus. et ab hodie nobiscum semper in inferno eris. Quod audiens ulpianus; angustiatus est. Et cum ducerent eum ad domum suam inter manus pueri expiravit. Post haec anastasia exiens inde. perrexit ad domum theodotes. et narravit ei omnia quae fecerat dominus.

Igitur cum aliquantis diebus in dei laudibus permanerent; adveniens comes leucadius a bithinia caepit agere ut theodote eius coniugio necteretur. Cum autem per multos dies blandimentis et terroribus insisteret; et sancta theodote nullatenus consentiret. didicit quod sancta anastasia apud eius latebras foveretur. Tunc anastasiam tradidit iudici. theodoten vero ferro vinctam cum filiis tribus ad consularem bithiniae destinavit dicens. Augusti precepti auctoritate hanc sub ista condicione suscepi; ut si sacrificaret; michi eam in coniugio copularem. si vero cerimonias contempsisset; diverso suppliciorum genere deperiret. Tunc adiens eam nicetius consularis dixit. theodote. audi me. et sacrifica cum filiis tuis. ne una cum ipsis male intereas. Theodote dixit. ego ne male intereám. non sacrificabo daemoniis. Nicetius consularis dixit. si tibi ferreum pectus est. et tibi ipsa inconsulte non parcis; his saltem tuis tribus filiis miserere. et esto illis pia; si tibi impia esse desinisti. Theodote respondit. istos deus qui michi dedit ipse recipiet; si viriliter pro eius nomine tormenta contempserint. et despicientes mundum; caelos concupierint adipisci. Unde eos mors nunquam separat. nunquam morbus absumit. Nicetius consularis dixit. consule tibi. et suade filiis tuis. ut et tu evadas supplicia; et cum ipsis ad amicitiam regis attingas. Theodote respondit. perveniat ad amicitias huius imperii qui amicus esse christi non curat. me autem et filios meos certus esto nunquam tuis monitis prebere consensum. Tunc consularis caepit minas tormentorum tribus filiis eius ostendere. dicens se diversas plagas eis usque ad mortem inferre. Tunc primogenitus eius evodius nomine dixit. si timenda tormenta sunt; illa sunt metuenda quae ab angelis tartareis irrogantur. aut si quaerenda sunt gaudia; illa quaerenda sunt quae ab angelis dei inter nemora paradysi exhibentur. ubi roseis floribus per misteria corusci sanguinis prata pinguntur. Nicetius consularis dixit. cum sis puer; quando tibi ista verba sunt insita; cum longa aetas longa meditatione vix haec valeat retinere? Evodius dixit. Dominus noster ihesus christus nos monuit dicens. cum steteritis ante iudices propter nomen meum; nolite cogitare quomodo aut quid loquamini. dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. Non enim vos estis qui loquimini; sed spiritus patris vestri qui loquitur in vobis. Non ergo meditata tibi ego hodie verba suggessi; sed quae deus dignatus est. pectori meo infundere; ipsa locutus sum. Nicetius consularis dixit. vel fratribus tuis minoribus suade; ut vel ipsi non male moriantur. Evodius dixit. si esset in te sapientia; considerares aetatis nostrae non esse quod loquimur. et crederes christum esse verum deum; quem innocentes negare non possunt. Quis enim nobis in infantia positis dedit in lingua sermonem? in mente constantiam? in fide perseverantiam? Aut quis exclusit de sensibus nostris timorem hominum? Nunquid qui haec prestat dubitandum est quod ipse sit deus? Tunc nicetius consularis dixit ad matrem eius. suade tibi et filiis tuis; ne tali lumine careatis. Theodote respondit. hoc lumen nobis tenebrosum est. Nos enim tale lumen nosmetipsos credimus adepturos; quod nulla caligo inficiat. nullae tenebrae excludant. Tunc nicetius consularis evodium primogenitum filium eius. in conspectu matris theodotis fecit fustibus cedi. Cui mater clamabat; noli timere fili ista verbera. per ipsa enim ad aeterna christi gaudia pertinges. Tunc consularis nicetius vocari iussit quendam hyrtacum nomine qui in libidine erat famosus. et ait ad eum. Comprehende sacrilegam istam et ducito. ac postea quam eam illuseris; inter publicas constitue meretrices. ut videamus si christus defendet eam. Tunc hyrtacus dum pergit ad eam ut teneret et duceret. caepit de naribus eius sanguis infinitus

effluere. Clamabatque ad consularem byrtacus dicens. stat iuxta eam iuvenis pulcher; auratis vestibus indutus; ex cuius manibus pugnum accepi in naribus. Tunc consularis dixit. theodote. sacrifica. Nam facis ante te interfici filios tuos. Theodote respondit. hoc est quod desidero; ut eos ante me premittam. et secura post eos sequar. Consularis dixit. simul vos faciam igne consumi. Theodote respondit. gratias ago deo. si digna fuero pro eius nomine ipsi sacrificium fieri. Tunc repletus diabolo consularis nicetius iussit ignem copiosum accendi. et missa est in eum theodote cum tribus filiis suis. referens gratias deo et dicens. Benedictum nomen pietatis tuae deus. qui me nec in isto saeculo a filiis meis separasti; nec in confessione tui nominis disiungi passus es; nec in martyrio dividi permisisti. Passa est autem in provincia bythiniae apud urbem niceam cum tribus filiis suis sancta theodote. sub die quarto nonarum augustarum.

Igitur ut supra dictum est tradita sancta anastasia prefecto illirici; in grandi custodia habebatur. Notum enim erat iam omnibus; quod praetextato patre nata matronarum nobilissima femina romana; esset in custodia prefecture; et putabatur habere infinitas pecunias. Pro qua re temptans eam prefectus; iussit privatim sibi eam adduci. Cui et dixit. Anastasia. si christiana vis esse; precepta christi tui imple et vade quocumque volueris. Anastasia dixit. ego precepta christi desiderabilia habeo super aurum et lapides pretiosos. et dulciora super mel et favum. Dicit ei prefectus lucius. precepta ergo qui sunt dicentis; qui non renuntiaverit omnibus quae possidet; non potest meus esse discipulus. Da ergo michi omnia quae habes; et vera eris christi discipula. Anastasia dixit. Ego memor sum dominum meum in evangeliis ita dicentem. Vende omnia quae habes et da pauperibus. et habebis thesaurum in caelo; et veni sequere me. Tu dives es. et qui tibi dederit contra praecepta christi aget. Non enim dixit da divitibus. nam et ipsa mensula christianorum vos probavit indignos. dicens. dum vocaveris ad mensam tuam qui conviventur tecum; noli vocare divites vel eos qui te possunt repascere. Sed voca eos qui sunt egeni et miseri. Noli ergo te ad hanc iniuriam adducere; ut tibi iuxta sacratissimam salvatoris vocem ac si misero et egenti mea dare compellar. Sed in quo te pauperem novi; in eo si iubes accipe. ego etiam rogo ut accipias quibus te indigere cognosco. Lucius dixit. In quo ego pauper sum? Anastasia respondit. in fide. Dicit ei lucius. Tu ergo quae fidem te dicis habere; dic montibus ut transferantur. quia hoc dicit magister tuus. Anastasia dixit. iudaeus non es. ut quid signa a me ultima ancilla christi requiris? Lucius dixit. Iudaeis enim solis licet signa inquirere? Anastasia dixit. sancti pauli apostoli testimonium recordata sum quo ait; iudaei signa petunt; et greci sapientiam querunt. Nos autem praedicamus dominum ihesum christum; et hunc crucifixum. Lucius dixit. si dominus tuus crucifixus est; ut quid iovem non colis qui nulli nunquam iniuriae subiacuit? Anastasia dixit. iovis iniuriam fecit; christus passus est. tu imitare deum tuum; et ego deum meum. Lucius dixit. et expedit tibi ut imitaris deum tuum? Anastasia dixit. plusquam expedit. Lucius dixit. interim blandientem et hortantem me tibi exhibui; quia te nobilem natam addidici. sed si te iam in hac obstinatione permanentem videro; sevius vindicabo. Anastasia dixit. Incipe vindicare. quia christi me ancillam quamdiu vixero confitebor. Tunc lucius iussit eam in carceris ima concludi. et acerrimis terroribus fatigari. cibum vero permodicum ei serotinis horis afferri. Anastasia vero etiam quae offerebantur ei penitus recusabat.

Apparebat autem ei nocte spiritus sanctae theodotae cum luminaribus; et mensam honustam refectionibus variis ponebat ante eam. et orabant simul. ita ut diceret ad eam anastasia. iam passa es pro christi nomine. et quomodo venis ad me? Et dicebat theodote ei. quia hanc dominus martyribus suis tribuit potestatem; ut sanctis et castis et pure colentibus se demonstrent. et loquantur cum eis. et consolentur eos. Et quia tibi iam paradysi deliciae paratae sunt; et omnium in te angelorum laetatur exercitus; ideo michi licentia data est; ut tibi solacium prebeam. Et orantes simul tota nocte usque ad pullorum cantum. loquendi secum et videndi se terminum capiebant. Haec per dies triginta cum gesta fuissent; lucius putans eam fame iam et tenebrarum horrore defecisse; iussit tamen inquiri si viveret. Cui cum fuisset nuntiatum fortiorem esse quam fuerat; iussit eam adduci. Et videns eam robustiorem et laeti-

tiorem; indignatus est custodibus. dicens quod contemptus esset. et mutatis optionibus; alio uno mense iussit eam secundum pristinam sententiam custodiri. ita ut anulo suo iuberet claustra signari. volens eam in ipsa clausura deficere. Cumque ut diximus divino per sodalem martyram cibo refecta pinguior fieret; iussit eam in navi imponi. et cum multis aliis quos leges iure iam punierant; pelagi fluctibus demergi. Erant enim alii homicide. alii pro adulterio. alii pro diversis sacrilegiis damnati. Inter quos omnes unus erat christianus nomine euticianus. cui predia sublata paterna sunt; cum dives esset. Hic innocentissimae naturae etiam aristotelicos superavit. Nam sublatis sibi omnibus facultatibus tacuit. nichil cogitans. nichilque metuens. nisi hoc ne facultates ac divitias fidei perderet. Quotienscunque denique fuisset auditus; quotiens interrogatus; nichil aliud dicebat. christum michi non tollitis; etiam si caput abstuleritis. Impositis ergo ad centum viginti hominibus in navi; atque in altum perductis ubi furebat pelagus ut praeceptum est eis; illic perfoderunt navem. et ibi eos reliquerunt. Tunc apparuit ibi sancta martyr theodote. et super ipsam plagam navis considens; navem a periculo sublevavit. Hortabatur autem anastasia; ut omnes qui in navi erant domino crederent. et ostendebat eis sanctum euticianum martyr theodote. dicens eum collegam martyrum. Tunc anastasia osculari caepit genua eius dicens. da orationem et baptizentur universi. Quique cum orasset exorante sancta anastasia; universi crediderunt et uno die et una nocte in medio pelago ita fuerunt ut putarent se in terra esse. sine metu. sine estu. sine fluctuatione. Tertia vero die devoluti sunt ad insulas quas palmarias vocant. in quibus episcopi et presbiteri et multi religiosi viri temporibus diversis fuerant relegati exilio. et descendentes cum ymnis et psalmis suscepti sunt. Piscatores autem per diversa litora missi sunt tertia die; ut renuntiarent prefecto ubi eos mortuos procellae iactassent. Et nuntiaverunt omnes christianos factos ad palmarias insulas devenisse illesos. atque cum iis qui illic deportati habebantur die noctuque in dei laudibus permanere. Tunc misit lucius preses; et universos inde deponens. posuit munera ante oculos eorum et gladios evaginatos dicens. qui voluerit sacrificare ditabitur et honorabitur. qui recusaverit; aut decollabitur aut igni cremabitur. Atque hoc ordine cum essent amplius quam ducenti viri. et septuaginta femine; exceptis parvulis; ne unus quidem potuit ad vitae praesentis et sacrificii revocari consensum. Cumque omnes variis interfectionibus martyrium celebrassent; anastasia per manus et pedes extensa; et ligata ad palos fixos; circa media eius ignis accensus est. In qua passione orans et benedicens dominum ihesum christum; emisit spiritum. Tunc apollonia christiana matrona per matronam prefecti meruit corpus eius tollere. Quod accipiens exosculatur. et aromatibus condiens; atque dignis linteaminibus obvolvens; intra viridarium domus suae ut decuit martyram sepelivit. atque expensa non parva pecunia; basilicam ubi eam sepelierat fabricavit. Passa est autem sancta anastasia octavo Kalendas ianuarias. et condita in venerando tumulo. Deposita autem est postea quam basilica fabricata est in domo apolloniae; septimo idus septembris. in eadem basilica. in qua operatur beneficia sua dominus ad laudem nominis sui; usque in finem saeculi. Amen.

Pag. 373 — Passio sancte ecaterinae virginis.

Constantinus sacratissimus et christianissimus imperator cum post mortem constantii patris in galliis et britannia imperare caepisset; et maximianus cognomento galerius cum filio maximino caesare in orientis partibus pariter imperaret; romae maxentius maximiani herculii filius tyrannide assumpta regnabat. Sed postquam divinae virtutis auxilio a constantino in congressione pontis molvii idem tyrannus summersus est; et romanae urbis imperium prefatus augustus obtinuit; maximianus galerii filius constantini gloriae invidens; apud egyptum maximeque apud alexandriam adversus christianos persecutione commota; omnium scelerum et flagitiorum auctor imperii sibi nomen arripiens. in christianos saevire modis omnibus caepit. His temporibus erat in eadem civitate alexandria quaedam puella nobilissimi generis orta familia. decem et octo aetatis gerens annos. nomine ecaterina. prestanti forma. specie pulchra. Ab ipsis infantiae rudimentis omnium fere mundanarum ac liberalium artium studiis studiosius erudita. Quodque

his maius omnibus erat ihesu christi domini notitiam gerens; in eo solo spem suam. in eo fiduciam totam amoremque posuerat. Haec igitur omnibus idolatriis omnibusque daemonum nefariis cultibus imperatorio iussu predictam cernens deditam civitatem; ingemiscebat cotidie et plorabat. et dominum ut tanto sceleri quandoque secundum multitudinem misericordiarum suarum finem dignaretur imponere; instantissimis precibus flagitabat. Quadam igitur precipue festivitatis paganorum die; dum maximinus universo se civitatis populo comitante daemonum sacrificiis et ritibus nefandis de more devotus insisteret; tanta constantia divina gratia mentem eius accendit; ut immemor feminei pudoris ac fragilitatis; oblita etiam puellaris aetatis; nil verita imperatorem adierit. et ut erat oratorum ac philosophorum studiis vehementer accensa; cur tantus ac talis vir tantis ac talibus flagitiorum illecebris deserviret; constanter et libere eum palam omnibus redarguere caeperit. Ad quae imperator mirans obstupuit. sed religionibus et cerimoniis vanis intentus; eam licentius audiendam apparitoribus suis ad palatium duci; et diligentius custodiri precepit. Quo cum post sacrificia consummata rediisset; suo eam conspectui iubet protinus exhiberi. Quam talibus est aggressus. Quoniam nobilissimo te genere ortam ecaterina comperimus; et totius pulchritudinis eloquentiae ac honestatis fulgore comptam didicimus; quod unum tibi deesse videmus; non mirari et non dolere non possumus. scilicet quod deos per quos haec omnia possidere cognosceris non solum non venereris et colas; verum etiam infamare et blasphemare non metuens ad eorum dedecus christianorum religionem eorum cerimoniis praeferas. Sed de christianorum deo nunc nichil ad nos. Nostros autem deos quos totus orbis romanus adorat; et quos ex poeticis et philosophicis documentis omnipotentissimos esse constat; non sufficimus mirari quare non omni studio excolas. presertim cum sis quantum apparet universis eorum dogmatibus sufficienter instructa. Ad haec ecaterina vivificae crucis vexillo munita; si posses inquit o imperator audire quod verum est; possem satis ostendere quod dii vestri quos dicitis non dii sed turpes nefandi et miseri homines fuerint. Christianorum autem deus omnipotens omniumque rerum creator et conditor sit. Et ipsi vos iudicate si iustum est creatorem universorum relinquere; et manufactis simulacris honorem divinitatis ascribere. Imperator ait. Videmus quidem te in philosophia et eloquentia tua presumere. sed non desunt etiam nobis qui possint tuis argumentationibus obviare. Tunc iussu imperatoris ingressi sunt in eius presentiam viri totius saecularis sapientiae nube caecati. caeperuntque cum ea diutius altercari. Sed quoniam sapientia saeculi stultitia est ad sapientiam dei; ita eos sancta virgo suis propositionibus et conclusionibus superavit; ut neque quid quererent neque quid responderent possent aliquatenus invenire. Tunc imperator verecundia simul et furore commotus; precepit eos omnes vivos flammis absumi. Cumque predicti philosophi ad supplicium ducerentur; accesserunt ad virginem christi. et procidentes ad pedes eius orabant; ut quoniam sententiam mortis susceperant; fide eos dei veri dignaretur instruere. quatinus toto corde de transactis erroribus poenitentes; et in eum credentes; ad eius gratiam ipsius precibus pertingere mererentur. Quibus sancta virgo auditis gratias agens deo; et fide illos et religione divina pro tempore instruens; constanter eos agere et nil trepidare commonuit. quandoquidem per momentaneam mortem vitam percipere mererentur aeternam. Ita illi signaculo sanctae crucis se munientes; et in fide et confessione domini perdurantes; in ignem missi sunt septimo decimo kalendas decembris. viri numero quinquaginta. Cumque requisiti a fidelibus essent ut colligerentur; ita omnes illesi reperti sunt; ut neque capillus eorum aliquatenus fuisset adustus. Ad quod miraculum plurimi gentilium crediderunt in dominum. eosque cum omni honore et diligentia sepelierunt.

Post haec tyrannus iussit iterum sanctam virginem sibi praesentari. cui et dixit. Ut quid puella vecors tantam pulchritudinem tantamque sapientiam tuam nescio quibus prestigiis irretita perdere gestis? redi ad mentem tuam; et flectere monitis nostris. quoniam si hoc feceris; non qualicunque te honore sublimare; sed nostro utique lateri te coniungere cogitamus. Ecaterina respondit. Stulta te imperator et inepta cogitatio vexat. dum putas me immortalem sponsum posse relinquere; et ad te qui paulo post vermis et cinis futurus es meos libitus inclinare. Unde quod vis fac. immobilis enim

nobis et inconvulsa sententia constat. Maximianus dixit. Non multis utaris ambagibus. immo potius relictis omnibus sillogismis et versutiis tuis de quibus presumis; deorum sacrificiis subdere. quatinus per hoc et illorum gratiam; et nostram benivolentiam valeas optinere. Ecaterina respondit. Tu potius tuas ambages relinque. et aut veri dei notitiam me docentem excipe; aut quam vis in me sententiam iaculare. In dei enim mei virtute confidens; neque te neque tua tormenta possum metuere. Tunc imperator conversus ad suos; probemus ait constantiam pessimae huius. Et protinus iussit eam expoliari. et flagellis diutius verberari. demum vero in carcerem per dies duodecim trudi. hac videlicet condicione proposita; ut si post duodecim dies sacrificare contemneret; sententiam protinus capitalem subiret. Interea uxor imperatoris cognitis omnibus quae circa christi famulam gesta fuerant; divino accensa desiderio videre eam et alloqui ardentius cupiebat. Vocans itaque ad se quendam centurionem nomine porphirium; intimavit ei ex integro omne desiderium suum. eumque ut se clam nocte proxima ad eam perduceret in custodiam rogat. Quo facto; videns eam regina corruit ad pedes eius. et caepit eam exposcere ut divinae illi fidei sacramenta exponeret. ac pro ipsius facinoribus dei sui misericordiam exoraret. Quibus ut cupierat omnibus impetratis; et usque ad medium noctis sermone protracto; credidit regina in dominum una cum porphirio et ducentis militibus suis. et ita commendantes se Beatae ecaterinae; reversi sunt ipsa hora ad palatium. precipientes custodibus ut nemini hoc divulgarent; Virgo autem domini cum per duodecim dies haberetur inclusa; neque aliquis aliquid ei ministrare presumeret; angelica visitatione cotidie consolabatur. videbat etiam niveam ad se columbam introire; et quaeque erant necessaria exhibere. Cum autem duodecima dies qua producenda erat instaret; et nocte ipsa in vigiliis perstans constantiam sibi et perseverantiam a domino precibus lacrimosis exposceret; apparuit ei dominus dicens. Ne timeas ecaterina neque paveas. ego creator et redemptor tuus sum pro cuius haec amore sustines. et quia multi iam per te crediderunt in me et adhuc amplius credituri sunt; confortare et age viriliter. quoniam ego tecum sum usque in finem. His sancta virgo supra modum confortata et roborata faminibus; cepit laudare et benedicere dominum. parata pro eius nomine universa perferre. Illuxerat duodecima dies. cum imperator posito solio eam sibi presentari precepit. eamque iterum iterumque nunc blanditiis et delenimentis verborum; nunc minis et terroribus tormentorum ad sacrificia cogere nitebatur. sed cum nichil se proficere cerneret; eamque magis magisque corroborari videret. iratus iussit fieri rotas quattuor. et in singulis rotis acutissimos clavos infigi. eamque iuxta sedere. ut visu tantum horribili territa cederet. Quod cum factum fuisset; misit dominus angelum suum et eripuit eam de medio paenarum. Rotae autem devolutae nonnullos infidelium peremerunt. Videntes autem populi tanta mirabilia in christi virgine celebrata; multi ex eis conversi crediderunt in dominum. Turbatus imperator in talibus; non inquit ultra est consilium ad nos eam posse converti. sed ne potius nos suis incantaminibus ad se convertat; ite quantocius. eamque ut optat gladio animadvertite. Quod prefata regina comperiens; eique superesse vel ad modicum dolens; virili animata robore fideique succensa calore. caepit luctuosis vocibus exclamare. et magistram fidei suae magnis clamoribus appellare. et cur sanctam et innocentem puellam necari iuberet; nil verita tyrannum in faciem obiurgare. Quibus clamoribus perculsus imperator; ac primo putans eam compassionis id gratia facere; postquam didicit eam sanctae virginis institutione ad fidem christi conversam; ultra modum furore et indignatione permotus; deque eius iam conversione desperans; iussit truncari mamillas eius. Cumque illam multo constantius christi nomen inclamare; eiusque auxilium flagitare conspiceret; acrius exacerbatus protinus eam iugulari precepit. Sicque in christi confessione perdurans; gladio percussa migravit ad dominum nono kalendas decembris. Cernens talia predictus porphirius; et iniquum ducens si quam ad fidem secutus fuerat non etiam sequeretur ad mortem; immo ad vitam per mortem; igne divino succensus; simul cum ducentis prefatis militibus adiit imperatorem et dixit. Hactenus o caesar vestrae militiae cingulum non usquequaque ignaviter gessimus. vobisque obsecundati in omnibus sumus. Nunc alium dominum alium imperatorem invenimus; cui militare modis omnibus

peroptamus. qui multo potiora te nobis insignia. multo prestantiora munimina. multo praetiosiora prestitit ornamenta. His caesar auditis valde tristatus est. et verens ne quid contra eum insidiarum subito oriretur; caepit eos pacificis et dulcissimis verbis ne talia facerent dehortari. Sed cum eos omnino firmos in fide christi et fundatos aspiceret; nichil morandum ratus; extra civitatem eos duci; omnesque pariter decollari precepit. octavo kalendas decembris.

Post haec beatam ecaterinam suis iussit obtutibus iterum sisti. eamque torvo vultu intuitus ita alloquitur. Adeo ne tua precordia pestifere iniquitatis veneno repleta sunt ecaterina; ut non consideres quot qualesque nequissimis tuis exemplis illecti cotidie pereant? Sed resipisce iam iamque infelix. ut vel nunc deorum subdere cerimoniis. ut vel sic placati propitii tibi esse dignentur. Beata ecaterina respondit. Si ego quos tu meis exemplis asseris perire; non pro certo scirem perpetuam illos per hoc vitam adquirere; nunquam profecto possem haec aliquatenus ferre. Resipiscere autem tu magis debueras de laqueis satanae. et non eos qui unum et verum deum adorant ad falsorum deorum provocare culturam. Ego denique ipsi uni et vero deo me in sacrificium offero. deorum vero tuorum propitiationem non solum non expeto; verum etiam abominor. et una cum ipsis pro nichilo computo. Age iam quod maligno animo insidet. meque nunquam tuis idolatriis consensuram; quibuslibet tormentis qualibet morte trucida. Noli me quasi puellam attendens velle quasi blandiendo decipere; quam christi dei mei sapientia fecit et verba pariter et verbera tua hactenus pro nichilo computare. Admiratus caesar super tanta responsionum constantia. stupensque quod nunquam amplius expertus fuerat tantum in femineo pectore robur; simul et erubescens superari posse se a puella; vix tandem aegre et invitus quodammodo sententiam in eam pronuntiat capitalem. Protinus igitur tyrannicae iussionis executores eam accipientes; duxerunt extra civitatem ad locum quo decollanda erat. Ubi multa se plangentium turba sancta virgo comitata perveniens; spatium a carnificibus orandi petiit et accepit. Expleta oratione cervicem tetendit. et iuxta quod tyrannus iusserat decollationis sententiam laetanter excepit. sicque ad sponsi sui regis aeterni thalamum perenniter cum ea regnatura conscendit. Consummavit autem cursum certaminis sui beata ecatarina septimo kalendas decembris. et reconditum est corpus eius a fidelibus iuxta civitatem alexandriam; in loco optimo et condigno meritis eius. Ad laudem et gloriam dei omnipotentis; qui trinus et unus vivit et regnat in saecula saeculorum. Amen.

Pag. 379 — Passio sancti Petri Alexandrini episcopi.

Si omnes mei corporis artus... ut eam nostro stilo cooperatricem habere mereamur. Alexandria igitur urbs... sperabat se vel ab achilla vel alexandro reconciliari. Sagacissimus igitur pontifex.... (pag. 394) Postquam igitur magnificus propugnator petrus nomine suo dignus per martyrii triumphum siderea regna penetravit ad eum qui dixit volo pater ut ubi ego sum et ministri mei sint mecum; pontificatus retinacula uti divinitus est intimatum achilla suscepit. Tunc arrius voti campos effectus caepit dolosis poenitentiae vocibus exclamare. miseremini homini peccatori. suscipite penitentem. Dumque id ipsum nunc per se nunc autem per eos quos summittere poterat frequentaret; tandem compassione animi devictus achillas suscepit eum. Quibus ita peractis isdem achillas non amplius quam quinque mensibus episcopatu administrato vitam exivit. Atque alexander vir admodum docti ingenii et ipsa iam canitie venerabilis ad regenda ecclesiae gubernacula pontifex est ordinatus. Misera mens humana. quae pro fallaci divinitate olim utpote a serpente pollicita ignorantiae tenebris mancipata est. Idem nanque alexander dominicae contestationis oblitus; pro nefas. arrium ad sacerdotii dignitatem promovit. O caeca oblivio. arbor quam divina securis per martyrem petrum absciderat ecce ad multorum ariditatem huberius crescit. Qui more solito sub scemate piscis vipera latens; non recedebat ab eodem venerabili sene eiusque bonitatem paulisper negotiabatur. Caepit interea sub figmento magisterii utpote ypocrita scripturae dogmata populo exponere. faciensque in ecclesia quarta et sexta feria congregationem quasi ad dei verbum audiendum; inter reliqua quae salubria esse videbantur venena sui pectoris

melle deceptionis illita paulatim audientium auribus emovebat. Unde factum est ut plurimi quorum mens intelligibilis erat audientes impiae novitatis blasphemias quas nunquam audierant obstupefacti remanerent. crescebatque iugiter in apostalica doctrina. in tantum ut non iam adumbrato sermone sed publica voce. non solum in ecclesia persistens sed etiam in extraneis conventibus atque conciliis; adinventionem suae nequitiae impudenter predicaret. Ille nimirum hoc eius precordiis inspirabat; qui dudum paganorum mentibus idolorum figmenta atque idolatres errores ingesserat. Sed qui eiusmodi machinamenta revelata esse conspicit; et creaturam a plurimis iam non adorari sed creatori debitas laudes decenter immolari dolet; novas artes nova versat pectore consilia. quatinus iam non manifeste contra deum salvatorem nostrum conflictus excitet; sed viros adeat nominetenus christianos. fide autem deteriores paganis. utens eis tanquam fistula suae machinationis per quos nichil absimilem prisco instauret errorem. non quod denuo creaturam adorari dogmatizet; sed ipsum creatorem orbisque fabricatorem aequiparatum creaturae suadeat.

Plane huius teterrimum vas arrius consubstantialem et coaeternum dei patris filium blasphemans creaturam atque facturam astruere non metuebat. Adiciens. erat aliquando quando non erat. et alia quae dicere supersedeo. ne fidelium aures blasphemiae iaculis amplius vulnerentur. Quid coluber veternose venenorum propinator? quid per os arrianum insibilas dicens factura est christus; aut erat quando non erat? Quantum perversus tantum perversa susurras? Huc huc te confer caelestis aquila excellentissime evangelistarum iohannes. discerpe hunc spiritualibus ungulis. suffoca draconem intolerabiles blasphemias insibilantem. immo caput eius intollerabili evangelii fulmine quassa. Age. eia. dic. In principio erat verbum. et verbum erat apud deum. et deus erat verbum. Hoc erat in principio apud deum. Omnia per ipsum facta sunt. et sine ipso factum est nichil. In principio erat verbum. ecce habemus eius aeternitatem. Et erat inquit apud patrem. ecce habemus indiscretam a patre et inseparabilem eius virtutem. Et deus erat verbum. ecce habemus eius divinitatem. Tu etiam domine ihesu qui utique veritas es quid dicis de te ipso? ego et pater unum sumus. Tuba quoque caelestis apostole paule quid sentis de christo? christus dei virtus et dei sapientia. Ipse etiam patris brachium quia creator omnium. sapientia patris est quia ex ore dei processit. patris virtus quia in eo corporaliter inhabitat plenitudo divinitatis. Si dei virtus christus; nunquid aliquando sine virtute deus? Nunquid aliquando sine filio pater? Si semper utique pater; semper utique et filius. sed huiusmodi letale virus tortuose leviathan non ortodoxis auribus sed illorum cordibus infundere vales; qui tecum aeterno incendio sunt arsuri. Novit enim dominus qui sunt eius. ut discedant ab iniquitate.

Sane ubi venerabilis alexander tam detestabile scelus ab arrio predicari comperit; meroris mole depressus caepit vehementer affligi. seroque sue consecrationis in arrio penitens; erexit se contra divinitatis blasphemum. eumque ab ecclesiae membris denuo precisum foras expulit. At ille imitatus patrem suum satanan qui ab angelica dignitate proiectus invidiae stimulis exulceratus ab infestinatione humani generis recedere nescit; diu conceptam scismaticae persecutionis rixam parturire furibundus caepit. Applicansque sibi consentaneos atque complices suos; hac illacque versus facere conciliabula non desistebat. Ambitionis nanque cupiditate captus typo superbiae turgidus hinc inde daemonici furoris arma movens seviebat in alexandrum. expugnans ecclesiam. Sed tu o venerabilis senex sustine patienter. quoniam ut ipse potissimum nosti per quae peccat quis per haec et torquetur. Et quia iunior est subire certamen; tibi autem quasi iam senectute defesso frigidus obsistit circum precordia sanguis; gratias deo habes athanasium pulcherrimae indolis. tuis sanctis moribus magnificentius adornatum. qui tibi tanquam seniori heli fidelis samuhel deportet ephoth. et iacula divini dogmatis in adversarios mittat. Iam iam viriliter est desudandum. agonizandum. et gratia christi vincendum atque triumphandum.

Haud secus abel quisquam effici potest; nisi livore cain exerceatur. ideoque iuxta apostoli sententiam permissum est hereses in ecclesia oriri; ut probati manifesti fiant. Sic enim auri metallum per ignem probatur. sic spicarum grana trituris attrita aristis et paleis nudantur. ut quandoque ad orreum purgata perveniant. Sic olivae praelo com-

pressae in olei pinguedinem effluunt. vinearum butriones tunsi calcibus in vini saporem liquescunt. Gaude igitur magne pater. quia post te in pontificali iure optimum heredem relinquis athanasium. Arrius pofecto suique sequaces more faculae ardentis sibi quidem incendium. orthodoxae vero fidei robur. vobis coronam. ecclesiae autem victoriam praestant. Neque enim veritas unquam a mendacio vinci potest. Universalis namque ecclesia supra petram christi voce fundata; licet hinc inde paganorum atque hereticorum irrumpant flumina; malignorum spirituum nimbosa procella deseviat; tamen inconcussa manet. inexpugnabilis aeternaliter perseverat. Quoniam quidem sicut gentilium pervicaciam patientia vincit; ita hereticorum vesaniam sapientia superat. Utrique igitur quamlibet malivola intentione deserviant; nobis tamen triumphalem ingerunt questum. Porro nisi paganorum incendium tam nequiter estuaret; ecclesia hodie tot tantisque martyribus non micaret. Adde quod nichilominus proficuum esse monstratur. nisi enim heretica pravitas tam ferociter insaniret; ecclesia hodie sic dilatata in fide minime floreret. Revera enim simpliciter solummodo prius fides vigebat. Hereseon vero occasione claruerunt in fide doctores. scismaticis acuminibus ecclesiae magistri elimatiores fulserunt. Neque enim melius veritatis manifestatur assertio; quam si quando devicta quaelibet apparuerit dissentio. Huius rei gratia magnus constantinus eius spiritualis filius deo amabilis et inclitus augustus ubi huiusmodi comperit nefas; arrium suis obtutibus accersiri precepit. eiusque vesaniam acrius obiurgavit. Sed quia hereticorum mos est mille ut ita dicam syllogismatum irretire questiones; mille laberintheos obtendere laqueos; et e contrario catholicae consuetudinis est christi regere filo vestigia; sinodale concilium trecentorum decem et octo pontificum divino nutu apud niceam est congregatum. eodem augusto mediante. anno scilicet imperii sui vicesimo.

Reverentissimus autem senex alexander gerebat tunc in pontificatu annos decem et octo. Qui licet senio confectus; et ipse tamen ad eundem synodicum properavit conventum. Athanasius etiam cum eo iam tunc leviticis infulis decoratus. adeo acris ingenii et in ecclesiasticis negotiis apprime vigilans; ut heretici suos dolos atque strophas eius suggestionibus inibi detectas dolerent. Catholicus igitur conventus sancto spiritu eruditus omnes una sententia eodemque consensu arrianam heresim digno anathemate plectentes; a sacri ordinis dignitate deposuerunt arrium eiusque sequaces. quos nec longa dies. pietas nec mitigat ulla. Hereticorum quippe perfidia semel in altercationis voraginem mersa; aut vix aut nunquam resipiscere valet. Unde et apostolus admonet. hereticum inquiens hominem post unam et secundam correctionem devita. sciens quia subversus extat qui eiusmodi est. et delinquit proprio iudicio condemnatus. O heretice; cur te ieiunium vel quaelibet opera bona habere iactitas; cum tibi dominus per ieremiam aperta interminatione comminetur dicens. quia mei oblitus es; ecce ego annuntiabo quoniam iustitia tua et opera tua non proderunt tibi. Vos inquam vos estis de quibus per eundem prophetam itidem dominus conqueritur. me inquiens dereliquerunt fontem aquae vivae; et foderunt sibi cisternas quae non valent aquas continere. Denique cum beatus alexander per viginti et trium annorum curricula pontificatu administrato plenus dierum in senectute bona migrasset ad christum; athanasius vir per omnia eximius episcopatus regimina suscepit. Qui post transitum huius pontificis quantas hereticorum pertulerit machinationes; quantasque congressiones; vel qua veritatis inimicus caelitus sit clade multatus; seu etiam quo modo vel quo ordine prefata synodus sit celebrata; ex greco haurire fluvio supervacaneum duximus. quoniam quidem Rufinus vir religiosus haec sufficienter narrare videtur. Extat etiam libellus qui arrianam atque catholicam refert altercationem. Historia quoque cui vocabulum tripartita inscribitur; plurima super his commemorare studet. Sed huius auctoritas infirmata languescit. Nam beatus papa gregorius in epistola ad eulogium alexandrinae urbis episcopum inter alia sic describit. in historia zozomeni de quodam eudoxio a quo eudoxiani sunt dicti aliqua narrantur. Sed eandem historiam apostolica sedes suscipere recusat; quoniam multa mentitur.

Sciendum preterea est quia gesta beatissimi martyris petri non omnia inveniuntur in patria lingua quae superius transferre conati sumus. sed quaedam eorum ex libello decerpere studuimus qui vitam et gesta sanctissimi refert athanasii. quae-

dam vero ex chronica quam georgius reverentissimus monachus atque sincellus tarasii patriarchae ex autenticis chroniographis nobilissima serie componere studuit. Caepit enim a primo anno iulii caesaris; et pervenit usque ad primum annum horrendae memoriae dioclitiani. Mox autem humano preoccupatus debito vitam finivit. Postulatusque ab eo theophanes aeque venerabilis monachus atque yguminus monasterii quod appellatur sinagro; reliqua usque ad secundum annum michaelis et theophilactis simili studio subrogavit. Et quoniam clementissimi imperatoris constantini fecimus mentionem; Tale quiddam de eo prefatum theophanen inter caetera referentem audio; ut hoc latinis auribus celare sacrilegum sit.

Dicit enim. nono decimo anno imperii sui constantinus maior post tyrannorum interfectionem scilicet maximiani herculei et maximini atque licinii baptizatus est cum crispo filio suo sicut aiunt a papa Silvestro apud seniorem romam. in baptisterio sancti baptistae iohannis. quod usque hodie in eius testimonium perdurat. Qui vero in oriente sunt arriana dolositate circumventi nolunt eum a silvestro baptizatum. Sed erga obitum suum in nicomedia ab eusebio arriano. adicientes. ideo se baptizari differebat; ut iordanis baptismate tingeretur. Sed hoc omnino falsissimum atque fabulosum est. Arriani enim suum dogma colorare cupientes; id per quasdam pape miltiadis transmissiones affirmare nituntur. Ceterum nobis verissimum apparet; quod non ab eusebio sed a beato silvestro romae sit baptizatus. O misera vesania. adeo pium imperatorem malignum ostendere desudant; ut absque baptismo fuisset quando in sancta synodo trecentorum et octo patrum communi devotione resedit. Procul hinc procul effuge daemonica simulatio. quomodo enim consequens est ut homo ethnicus absque divini baptismatis purificatione apud eandem synodum cum sanctis patribus oraret; communionem sacrosancti corporis et sanguinis christi perciperet? Hoc omnino nefas est ad audiendum. quantò minus ad consentiendum. Neque enim beatus ieronimus cuius autenticis aeloquiis universa floret ecclesia eundem augustum a prefato eusebio baptizatum sua auctoritate astruit. sed potius ut moris est populi opinione chronicam fraudari noluit. Quis enim nesciat historiographos non omnia eodem modo quo scriptitant intellegere vel credere? Alioquin evangelistae quod dici nefas est mendacii vel imperitiae arguuntur. Nonne habes in evangelio et contristatus est rex propter iusiurandum et eos qui secum pariter discumbebant? Quid hic dicemus? ita ne absque serpentis prudentia tantae columbinae simplicitatis fuit evangelista; ut crederet herodem fortuito iuramento et non potius cruenta meditatione suum exitiale voluisse sancire pollicitum? Lucas vero cum diu desideratam iusti symeonis confessionem describeret; ilico subiunxit. et erat pater eius et mater mirantes super iis quae dicebantur de illo. Et certe sancto spiritu eius regente calamum errare non poterat ut ioseph christi patrem putaret. Sed sicut scriptoribus mos inolevit populi rumorem evangelica historia commendare curavit. Itemque scriptum est in actibus apostolorum; et sedit illic saul annos quadraginta. Nunquid nam super huiuscemodi numero aliud conicere possumus; nisi quia liber regum quotquot annis saul regnaverit aperte non exprimit; apostolum secundum famam vulgi locutum fuisse. Revera autem iuxta chronicorum libros samuhel et saul israheli prefuerunt annos quadraginta. Sic ergo et doctissimum ieronimum necesse est intellegamus tale quid fuisse prefatum. Et quia sicut bonorum est sanctarum virtutum gradibus cotidie ad meliora conscendere ita pravorum est multiphariae iniquitatis lapsu saepius in deteriora ruere; in tantum arriani simulque profani gentiles contra magnum constantinum ecclesiae dilectum filium atque inclitum ditatorem insaniunt; ut eum veluti nothum infamare contendant. Sed hoc procul dubio mentiuntur. nam eius genealogia imperialis refulsit. et ante dioclitianum extitit. videlicet pater eius constantius proles filiae claudii imperatoris fuisse dinoscitur. Iste ex prima coniuge sua elena habuit magnum constantinum. ex theodora quoque filia maximiani cognomento herculei habuit constantinum patrem galli dalmatii. a quo genitus est dalmatius iuvenis et iulianus apostata. Quamquam apud deum non generis sed morum nobilitas pro magno habeatur.

Ceterum nos post peregrini idiomatis lineas post longos yperbatorum confractus dissimilitudines casuum figurarumque varietates; et ut ita dicam post

alienae linguae vernaculum; licet non penitus ad verbum translata percurrat oratio; tamen velut de arenosis syrtibus tumentibusque fluctibus velis iam pausis evasimus. Sed illud in calce opusculi commemorare libet; ut quandiu in stadio huius vitae decurrimus; calcatis omnibus quae nobis ad saeculum blandiri possunt. Dominum ihesum tota mente et viribus amemus. ipsumque corde et ore confiteamur. qui nos in tantum dilexit ut propter nos consubstantialis nobis homo fieri dignaretur. Non amittens quod erat; sed assumens quod non erat. pro nobis non iudaeorum solummodo sed falsorum christianorum pertulit iniurias. Sed perpende quod dicit. glorificantes me glorificabo. et alibi qui me confitetur coram hominibus confitebor et ego eum coram patre meo qui in caelis est. Hunc ergo dominum et salvatorem nostrum karissimi fratres intimis animae visceribus cordisque medullis. sedule deprecemur; ut nos sub mysticis apostolorum principis claves propitius muniat. quatinus ipso largiente quandoque cum sanctis omnibus caeli municipatum adquirere mereamur. Amen. (1)

Pag. 412 — Passio sanctae bebianae virginis.

Orto iam imperio iuliani impiissimi presecutoris; cruciati sunt in diversis provinciis iussu eius multa milia martyrum. Collectus autem erat ad erudiendum a pigmenio urbis romae presbitero. de titulo pastoris. Hic pigmenius presbiter erudivit iulianum litteris. et sicut ipse edoctus erat; grammatica et rethorica et geometrica et dialectica et arithmetica et philosophia; sed et omni christiana lege eum erudivit. Quem etiam subdiaconum sanctae ecclesiae fecit. Caepit itaque omnibus illustribus coniungi. et exponere quod doctus fuerat a pigmenio presbitero. Et dum ab omnibus diligeretur; ipse de se ipso dicebat; quia de imperio fuerat procreatus. et ideo ab omnibus amabatur senatoribus. quia elegans et prudens videbatur. Ergo huius temporibus erat quidam vir illustris exprefecto urbis nomine flavianus. hic occulte cum omni domo sua factus fuerat christianus. Cuius uxor nomine dafrosa. et filiae duae. una demetria et altera bebiana. quae nutritae fuerant sub omni castitate et fide. Hic flavianus cum frequenter corpora sanctorum noctu cum christianis colligeret et sepeliret. Temporibus iuliani imperatoris divulgatum est hoc imperatori; quod flavianus corpora sanctorum prisci presbiteri et priscilliniani clerici et religiosae feminae benedictae perquireret. quia per beatos iohannem et paulum divulgaverunt quod in domo sua noctu fuissent cruciati. et caepit voce publica dicere; eo quod res publica deum offenderit ex persecutione iuliani. qui prius fuerat christianus et postmodum apostata et persecutor. Tunc iulianus imperator inscriptione flavianum damnari precepit. et omnem facultatem eius fisco sociavit. Ipsum quoque ad aquas tauranas miliario sexagesimo ab urbe roma via claudia in exilium deportari precepit. Qui triduo post directus in exilium; in oratione permanens et ieiunio; dormitionem accepit in domino undecimo kalendas ianuarias. Eodem tempore uxor eius dafrosa cum duabus filiabus suis in domo sua viduata remansit. Quam iulianus imperator fame cruciari praecepit. si non sacrificasset diis. et accepisset maritum. Illa autem permanens cum duabus filiabus suis in fide domini nostri ihesu christi; nullo modo preceptis imperialibus obaudivit. Traditur itaque fausto cuidam propinquo suo. tamen gentili. qui eam urgebat his monitis. dicens ei. Ut quid istam superstitionem vanam tenendo frater et parens noster periit? et vos rebus vestris privatae estis; et morte propinqua periculo subiacetis? Tunc dafrosa dixit. Deus qui misit dominum nostrum ihesum christum filium suum ut nos eriperet a falsa virtute inimici; potens est et virum meum michi reddere; et facultatibus suis caelestibus mancipare. Sed ita tu loqueris; quasi ego doleam de nece viri mei. et non magis gaudeam. Respondit faustus et dixit. et magna est mors ista de qua gaudes? Dafrosa dixit. quia non legisti; tamen vel audisse te non abscondas; quia scriptum est. Pretiosa in conspectu domini mors sanctorum eius.

(1) Huius vitae auctor seu potius translator fuisse videtur Guarimpotus sive Ioannes Diaconus Neapolitanus, qui iussu Athanasii II. Episcopi (876-902), ut habet antiquissimus Codex Bovinensis a Parascandolo (*Memorie storiche-critiche-diplomatiche della Chiesa di Napoli*, tom. II. pag. 160) citatus, ex graeco in latinum vertit vitas S. Febroniae Martyris, S. Petri Alexandrini, Ss. Mm. Eustratii et Soc. quam inferius edimus, scripsitque elogium S. Nicolai Mirensis Episcopi, aliaque nonnulla.

Faustus dixit. Et ubi est fraternitas tuae cognationis. ut michi nunquam ex vobis parentibus divulgaretur quia pretiosa est in conspectu domini mors sanctorum eius? Dafrosa dixit. tu crede in christum filium dei vivi quem iulianus imperator negat; et videbis dignitates tuas et facultates centies tantum multiplicari. Respondens faustus dixit. et quae erit credulitas? Dafrosa dixit. Fauste. audi me ut baptismum percipias. et non tantum nomine mortali clarus dicaris; sed ut merearis nomen accipere ihesu christi. quem infelix iulianus imperator negat. Nam ante dominum ihesum christum tempora non sunt. nec finis. sed quod est perpetuum est et aeternum. Tunc tremefactus faustus cecidit ad pedes. et caepit rogare eam ut baptizaretur. Tunc dafrosa dixit ad faustum cum lacrimis. Age poenitentiam; ut merearis accipere resurrectionem. Post haec dafrosa rogans ad se venire sanctum iohannem presbiterum; caepit rogare eum cum lacrimis pro fausto; ut poenitentiam acciperet et baptismum. Tunc more sancto ieiunio septem diebus; et cinere asperso capite; urgebat faustum ut daret omnia pauperibus. ut sanctorum mereretur orationibus adiuvari. Septimo itaque die omnibus venditis; non tamen praediis sed ornamentis; aurum vel argentum pauperibus distribuens baptizatus est. Qui cum iam baptismo christi redemptus fuisset; post dies viginti novem requiritur a iuliano imperatore. Qui cum venisset ante conspectum eius; sic interrogatur ab eo. Generositatem tuam magis argumentis quam obiectionibus credo adquisitam uxorem infelicis flaviani non perdidisse. Respondit faustus et dixit ad iulianum imperatorem. Ego quidem non tantum non eam perdidi; sed illa me sibi adquisivit. ut merear illum quem tu negas ego videre. cuius regnum sempiternum est. Tunc dixit iulianus imperator. Ego quidem fui christianus. sed diis deabusque serviendo; regno huic coniunctus sum. Tu vero qui romanae sedis illustris es; ac semper diis servisti; ex quibus ego humilis exaltatus sum; quomodo seductus es; ignoro. Respondit faustus et dixit. non sum seductus. sed angelis mancipatus sum. sicut tu. daemoniis. Sed ut cognoscas; audi quod dico. Oretur per me deus meus dominus ihesus christus; qui iudicaturus est vivos et mortuos et regnum tuum. et tu ora daemones tuos. et videamus quis exaudiatur. Iulianus imperator dixit. insanis fauste. Faustus autem sanctus vir positis genibus in oratione; reddidit domino spiritum in conspectu iuliani imperatoris. sexto idus iulias. Tunc iulianus imperator iussit corpus eius proici foras. et non sepeliri; sed canibus relinqui. Eadem vero nocte veniens dafrosa collegit corpus. et sepelivit in domo sua. iuxta domum sanctorum iohannis et pauli. Revertens vero in ea nocte ad domum viri sui flaviani; laudavit dominum. Moxque in somnio visitatur a viro suo dicente. veni dafrosa accipe coronam tuam. Et post dies quinque orando ad dominum emisit spiritum. ubi et sepulta est sub die iduum ianuariarum.

Iulianus autem imperator audiens hoc quod sine tormentis transisset; mirari caepit. Et iussit duas filias eius ad se adduci. omneque patrimonium earum fisco sociari precepit. Adductae sunt autem duae filiae eius in conspectu imperatoris. quae cum introissent; protinus demetria pavore perterrita emisit spiritum. Hoc audiens iulianus imperator. confusus dixit. requiratur talis mulier quae possit vel istam erudire doctrinam. Data est ergo bebiana rufinae cuidam sacrilegae feminae. Tunc bebiana mente fidei plena; eadem die sepelivit sororem suam demetriam iuxta matrem suam in sarcophago in domo suo. Post menses vero sex urgebatur bebiana a rufina ut turificaret idolis et acciperet filium eius in coniugium. Bebiana vero sanctissima virgo perseverans in fide christi; deridebat rufinam. Et dum frequens afflictio esset cum plagis; nunquam sancta quievit christum predicando. Rufina autem renuntiavit hoc imperatori. Eadem die iussit eam imperator plumbatis caedi. Quod cum factum fuisset; quarto die post iuliani iussum sanguinem per os emanans beata bebiana emisit spiritum. Cuius corpus iacuit duobus diebus in forum tauri; iubente iuliano imperatore. Veniens autem iohannes presbiter noctu collegit corpus eius. et sepelivit eam in domo sua iuxta matrem et sororem eius. in cubiculo romae ad caput tauri. iuxta palatium licinianum. ad formam claudiam quarto nonas decembris. ubi frequenter iohannes et pigmenius presbiteri conveniebant. Hoc audito iulianus imperator ex auctoritate sua mandavit pigmenio presbitero dicens. perge quo volueris. hic enim tibi nulla merebitur vita. Hoc tamen

pro merentibus tuis servitiis concedo tibi. Ipse enim collectum iulianum imperatorem a sanguine nutritum fecerat christianum. ac litteris erudierat. Tunc iulianus furore plenus tenuit iohannem presbiterum. Quem nec auditum in via salaria ante simulacrum solis decollari precepit. in clivum cucumeris. Cuius corpus collectum est a concordio presbitero; et sepultum in sarcophago in cripta in eodem loco. cum ymnis et laudibus. iuxta concilium martyrum; sub die octavo kalendarum ianuariarum. Pigmenius autem presbiter relicto titulo pastoris pergit ad persidem. ubi fecit annos quattuor. et factus est ibi caecus amissis oculis. Post annos quattuor; in somnio admonetur a domino ihesu christo dicente sibi. Pigmeni. revertere romam et ibi illuminaberis. Exurgens autem mane; nil metuit. sed confestim ascendens navim venit romam.

Post menses itaque quattuor ingressus civitatem; caepit ascendere per clivum viae sacrae cum uno puero stipem petendo. Et ecce iulianus imperator procedens in reda aurea vidit pigmenium a longe. quem cognoscens vocari eum ad se precepit. Qui cum adductus fuisset ante conspectum imperatoris; dixit ad pigmenium. Gloria diis deabusque meis quia te video. Respondit pigmenius presbiter voce clara dicens. Gloria domino meo ihesu christo nazareno crucifixo quia te non video. Iratus itaque iulianus imperator; iussit eum per pontem precipitari. Cuius corpus collectum est a quadam matrona nomine candida. et sepultum est in cripta in cymiterio pontiani. ad ursum pilleatum. duodecimo kalendas martias. Post mortem vero iuliani imperatoris; erat quaedam mulier nomine olimpina de genere flaviani. Quae cum audisset extinctum iulianum; introivit in domum sancti flaviani; et requisivit corpora sanctarum feminarum dafrosae demetriae et bebianae. Ubi basilicam construxit quae dicitur olimpina. et omnibus diebus vitae suae de domo sancti flaviani non recessit. usque ad tempora syricii episcopi. manens iuxta corpora sanctarum feminarum. Ubi ieiuniis et orationibus die noctuque ymnis copulabantur. qui etiam frequenter cum presbitero et diacono et aliis fidelibus in eodem loco domino ihesu christo sacrificium offerebant. Cui est honor et gloria in saecula saeculorum. Amen.

Explicit passio sanctorum martyrum flaviani. dafrosae. demetriae. et bebianae. prisci presbiteri. et priscilliani clerici. et religiosae feminae benedictae. fausti. iohannis presbiteri. et pigmenii presbiteri. quam scripsit donatus subdiaconus regionarius sanctae sedis apostolicae.

Pag. 488 — Incipit prologus in passionem sancti eustratii et sociorum eius.

In una eademque scripturarum serie. non una eademque est adhibenda mentis intentio. sed pro modo audientium formanda sunt verba loquentium. Sicut enim ex una humo varia oriuntur semina; ita ex eadem scriptura prout spiritus sanctus donaverit. varii sensus formantur. proficientes in sumptus rationalium animalium. In quinque etiam corporeis sensibus; diversae species delectationum inesse cernuntur. Quibusdam enim candida. aliis fulva. aliis cerulea placent. ita in ore; gustus multifarii sunt appetitus. aures etiam; diverso examine iudicant. Inde est quod in scripturis pedestri more quibusdam plana et mollia placent. quidam coturno comptoque delectantur sermone. nec omnia placent omnibus. Sed qui dei spiritu loquuntur; non magnopere quomodo; sed qualia omnibus prosint attendunt. Sicut de apostolis et de apostolicis viris scriptura refert; loquebantur variis linguis; prout spiritus sanctus dabat eloqui illis. Et paulo post; audiebat unusquisque lingua sua illos loquentes. Quia nimirum qui ora illorum per varias discreverat loquelas. ipse aures audientium multifarie ad audiendum formaverat. Dies me deficiet; si de linguis et modis scripturarum; disserere voluero. haec quia sunt magna; magnis memoranda relinquo. Nos vero ad ea que imminent accingamur.

Athanasius iunior parthenopensis ecclesiae presul; Athanasii patrui sui magnifici presulis studia secutus; mirabilis acuminis ingenio pollens; imperio suo me guarimpotum impulit; ut de graeca in latinam vocem vitam sanctissimi eustratii transfundere minime recusarem. Quid facerem? quo me verterem? diu multumque molitus; interclususque tanti viri auctoritate; instititi ut potui. annectens etiam beatissimi guari. quae et stili comparatione et tempore passionis conexa videbantur. ut

his interim duobus denariis interior homo sauciatus curetur. Quod enim supererogaverimus iure operando; samaritanus cum redierit reddet nobis. Bona ergo venia lectorem postulo. ut obedientiae non temeritati tribuat quicquid ineptum animadverterit. fideli quippe sensu; etsi non fideli sermone; haec me transtulisse confiteor. plurimis additis. plurimis ademptis. mutatis et transmutatis dictionibus. aliisque pro aliis positis; uti omnes maiores auctores nostros fecisse dinoscimus. Quis unquam tanti fuit ingenii; ut sermonem redderet sermoni; et non totam orationem veluti laeta sata gramina suffocaret? Quandoquidem nec ipsi qui gesta in patria lingua scripsere sanctorum; verba sunt prosecuti. nam haec memoria quis retinere valeret? sed solummodo sensus loquentium attendere curaverunt. et ex sensu et voluntate. finxere verba loquentium. Haec etiam sacra evangelia testantur; que super omnes divinos et humanos apices auctoritate viguerunt. et in quibus omnis veritatis summa consistit. usque ad iotam unum et unum apicem. Quod nisi ita advertamus; non parva dissonantia inter veridicos evangelistas esse probamus. Haec enim horum martyrum gesta; humanae infirmitatis in miraculis modulum nequaquam excedunt. quae ad credendum forsan cunctatio nutaret. quod in quibusdam etiam comperimus. licet quaelibet magna per sanctos suos deum patrare nullomodo titubemus. Ipse quippe ait. si credideritis; maiora horum facietis. et si haberetis fidem diceretis monti huic transi hinc. et transiret. Omni ergo scrupulo remoto; lege lector fideliter; credens haec quae vir domini eusebius greca edidit luce verborum. Haec nos ut aliena strictim. non ut nostra falerata protulimus. quia multo largius nostra componimus; quam aliena narramus.

Explicit prologus.

Imperantibus igitur dioclitiano et maximiano; universitas romani imperii nefandorum idolorum replebatur culturis. omneque hominum genus zelo quodam insanientes ad invicem; huiusmodi proficiebant sevitia. Imperatorum decretis ubique discurrentibus proponebantur premia ingentia custodientibus idolorum intemerate culturas. honoribus etiam et amicitia principum effici dignos eos. qui erga talia studiosi fuissent. Illos vero qui desidia quadam torpuissent vel in alteram partem declinassent. nudatos rebus propriis. multis suppliciis affectos. ad ultimum mortis sententie mancipandos. Erat vero persecutio ingens in universo orbe. prelatis iudicibus sevissimis. ingentem curam habentibus perdere omne christianorum genus.

Hac interea tempestate relatum est his tyrannis; quod omnis armenia et cappadocia contradixerit decretis illorum. respuentes idola. fixam mentem habentes erga dominum nostrum ihesum christum. Turbatus ergo caesar dioclitianus; convocavit omnes duces et praefectos regni sui. tribusque diebus a mane usque ad vesperum contulit cum eis. Tandem vero ex consulto; transtulit illos quibus creditae fuerant provinciae utrarum gentium increpans eorum segnitiam. direxit viros duos grecorum provinciis ortos. multa peritia preditos. paternarum traditionum acutos scientia; audire et reddere rationem; sophistica sagacitate astutiaque callentes. Quorum unum lysiam vocabulo; universorum limitaneorum precepit agere primatum. Alterum vero agricolam; praeesse mandavit totius regni gubernaculis. Obtemperare vero ei non solum limitaneorum regionem instituit; sed et omnium militum ordines; commorantium circumquaque civitatum. His ita preordinatis; continuo omnis aetas hominum sine respectu aliquo trucidabantur. nichil dignum mortis habentes. sed parva ut assolet occasione; aut inimicorum accusatione forte appetiti. Inter quos etiam christianorum multitudo; per singulas ut ita dicam horas innumerabilis scrutabantur et capiebantur. tradebanturque istiusmodi bestiis ad necandum. Lisias interea dux moras faciens in sataleneis finibus; quoscumque christianorum sanctos invenire poterat; post multas inquisitiones et pericula; transferebat vinctos arcta custodia agricolao degenti metropoli sebastinorum; crudeliter perimendos. Ea scilicet machinatione; ne in proprio solo a suis aliquam misericordiam consequi potuissent. vel certe ne corpora eorum debitae sepulturae traderentur. ac per hoc; omni pietatis solacio privarentur. Noverant enim hoc iniqua callentes versutia; magnum incutiendum terrorem christianis. si tali sorte periissent. Unde simili tenore destinabantur in sataleneam provin-

ciam incolae sebastinorum; a iudice agricolao presidente ibidem.

His ita fientibus; eustratius quidam scriniarius eodem tempore ordinis extans ducalis primarius; vir eximius et timens deum; irreprehensibilem ducens vitam et conversationem; tedio afficiebatur propter haec quae sedulae fiebant. desiderium habens ad dominum ihesum christum. ieiuniis et obsecrationibus perseverans deprecabatur; ut propitiaretur servis suis dominus; et visitaret populum suum in salute. revocans eos a malis. Desiderabili quippe optabat affectu; dignum se fieri agonis sanctorum; quo mereretur martyrium eorum. Verebatur attamen varias et intolerabiles minas; et multifarias machinas tormentorum a iudicibus exquisitas. Igitur non immemor gedeonis exempli. causam victoriae querentis in vellere; experientia quadam investigare voluit intentionem suam. huiusmodi subiecto argumento. tali praemissa prece. Deus virtutum. qui apostolum tuum nostrae salutis affectu experiri voluisti stigmata clavorum carnis tuae. da indicium propitius audienti famulo tuo; martyrii et penarum pro tuo nomine cognoscere tolerantiam. Sumens ergo balteum suum; dedit fidissimo suo famulo. precipiens ferre illum in ecclesiam araucenorum. unde ortus fuerat isdem ipse. et ponere in altari. seipsum occultans; eventum servare rei. Et quidem si cerneret quendam servum dei auxentium presbiterum tunc temporis introeuntem ad orandum; tollentemque illum; sineret habendum. ipse vero reverteretur ad eum. Sin autem alius quisquam illum tulisset; nequaquam quiesceret. sed repeteret ab eo balteum. Hoc precipiens; statuerat mente sua. ut si presbiter ille auferret illum. divina dispensatio praenuntiaret affectum desideranti martyrii sui. Alias quippe; delitesceret sibi. Hoc autem facto; revertens puer nuntiavit quasi divinitus missum presbiterum introisse; zonamque tulisse. Audiens haec; exultavit inenarrabili letitia vir. et assumens de praetorio omnes amicos suos hora prandii; intravit in domum suam; ostendens vultum in convivio splendidiorem laetitia plus solito. ita ut insolito miraculo viri stuperent universi; studentes addiscere hilaritatis conspersionem. Mox unus recumbentium iunior aevo amicissimus concivis eius; eugenius cognomento; audenter sciscitatus est dicens. Nunquid nam magister eustrati quia scitum iudicis imminet expediri nos in crastinam profectionem huiusmodi iocunditas apposita est tibi; commoda speranti ministerii tui? Sanctus ad haec eustratius. bene inquit amice putasti. etenim prestolor lucrari thesaurum huiuscae commoditatis; et largius in posterum ditari. Postera vero die; lisias tribunali sublimi posito in medio civitatis inter amicos; iussit omnes qui erant in custodia presentari ad examinandum sibi. Eustratius nanque properans ad ergastula; consolabatur sanctos in custodia. hortas pro se orationem fieri; aiebat liquido eadem die se participem fieri certaminis illorum. Tunc prostrati pariter oraverunt. et dicto Amen; secuti sunt eustratium artati militibus.

Astantibus ut mos est coram iudice; precepit lisias praesentari tribunali suo singillatim. auspicio sermonum hoc modo habito. Eustratius commentariensis ait; Olim relectis litteris imperialibus in consistorio; quibus precipiebatur. ubique inventos christianos cuiuslibet ordinis aut dignitatis omnes vestro examini exhiberi. Auxentius olim quidem inclitus dignitate et moribus; ornatus etiam et decorus huius temporis virtutibus; utpote caelestis regis famulus; assistens huic solio vestro ante paucos dierum. immortalem precucurrit agonem. vestram o iudex arguit vecordiam. sapientia verborum; et patientia passionum. quem vestra iussio publica gratis custodia mandavit. Nunc pariter cum sanctorum collegio presentatus; una mecum assistunt omnes virili et stabili mente; vestras strophas a vestro patre diabolo vobis ministratas confundere; et ultimae tradere oblivioni nitentes. Haec audiens lysias; et ad constantiam inopinatam viri attonitus; funereo optutu intendens in eum; imoque pectore suspirio iratae mentis trahens; intonuit huiusmodi voce. Splendidum hodie ut nunquam aliquando positum est michi iudicii solium. et paternis argivorum sevitiis plenum. rhetoricantibus istis qui sunt plectendi ferali iudicio. Expolietur primum hic qui assistit amictu clamidis et baltei. hisque auspiciis ostendatur privatus omnibus infulis quibus hactenus enituit. atque ita nudato corpore restibus extendatur. et expansis in terra manibus et pedibus; habeat honoris sui dignum commercium. Hoc veloci instantia expleto; dux ait. O eustrati. nulla tibi poenitudo in istis funereis sup-

peditat quae tibi incumbunt; quatinus evadere possis; et salutem accipias humanitatis nostrae clementia? Incipe et confitere ante tormenta cum patrio nomine fortunam. et quae novitas latentis fuerit culturae; edissere quantocius nobis. Miles christi ad haec. araucenorum oppido mihi oriundo; eustratius nomen est cognomento cirisicis praenominatus paterna lingua. servus existens dominatoris omnium dei; et ihesu christi filii eius; et sancti spiritus ipsius. A cunabulis maternis doctus; hanc adoro culturam. Dux ait. sciscitetur ordo militaris; quot annos functus sit tali militia. Respondens. ordo militaris; vicesimus septimus ait annus expletus est anno preterito; ex quo parvulus adhuc quaestoris implevit opus. Dux ait. nunc contemplare imminens tibi propter infidelitatem periculum. resipiscens ab hac quae accidit tibi insania. utere salute mentis; ne decidas militia quam per tot annos oportune administrasti. reformans tibi propitiam virtutem deorum; imperatorumque clementiam. nec non iudiciariam humanitatem. Ad haec domini athleta. demonibus inquit funestis et multis simulacris operibus manuum hominum; nullus unquam hominum ratione utentium liberare precipit. Dicitur quippe quodam loco nostrarum scripturarum. dii qui caelum et terram non fecerunt; pereant de terra. Dux dixit; oportet ergo homines rationales crucifixum colere deum; sicuti vos qui daemonica estis malitia pleni? Sanctus eustratius dixit. si sensus mentis tuae ab intellectu non recederet; neque fermento passionum terrenarum anima tua esset sopita; ostenderem tibi crucifixum istum; dominum et salvatorem verum. et omnis creaturae aeternum conditorem cum patre. sapientia vero et ratione ineffabili; restaurantem nostram mortalitatem.

Adhuc eo loquente; et de his rationem astruere cupiente; sermonem intercidens infelix iudex ait. Suspendatur funibus in aera iste animosus. et cumulus ignis eius sub pectore acervatim inferatur. desuper autem dorsum eius; ternis virgis uno sub impetu verberetur. quatinus aptam responsionem ad nos verbis suis faciat. Hoc autem facto; cum per multas horas et pectore et omnibus visceribus subtus sanctus ureretur. desuper verberibus cederetur; nec unam saltem vocem expressit nec apparuit mutatus vultus eius. sed erat videre et estimare; veluti in alieno corpore substineret paenas. Stupefactus autem in hoc truculentissimus iudex; vix tandem aliquando iussit eum ab his cruciatibus deponi. et subridens infit. quis tibi eustrati patientia talia sensus? Vis ne aliud aliquid in his verberibus addamus suavitatis tibi? Et sanctus. quam maxime equidem. Et arbiter. quoniam quidem omnia quae nobis visa sunt placita huic aepulanti probantur; salsamentum aceto misceatur; quod diu confectum; ustis ab igne membris illius superef-fundi precipio. et testaceis fragminibus complodere; donec nostro ministerio multae suavitatis suscipiat suavitatem. Quod cum multa celeritate paratum sacris visceribus esset effusum; eadem patientia perseverabat in sancto. quandoquidem nec vel suspirium aliquod parumper audiebatur prolatum ab eo. Tunc maior arbiter. quasi in specie ait sufferentiam simulat longaminis iste; sicuti suorum quondam crucifixus. Nunc itaque intimetur ei; si forte resipuit in verberibus istis; accedat altaribus deorum ut sacrificet. Eustratius ait. simulationis gratia putas me hanc servare patientiam in paenis quas intulisti michi iudex? Nunquidnam oblitus es multis me precibus optasse dignum fieri desiderabilibus passionibus istis? quatinus nebulam quandam et obscuritatem adherentem ex corporea crassitudine animae meae; penitus his tormentis expelleres a me. et presidem rationum custodires de reliquo victorem in me; qui multis temporibus incumbentibus temptationibus fuerat infirmatus. et passionum earum terga michi vertere fecisti. confirmans in me habitatorem immortalitatis spiritum sanctum. in quo incorruptionis thesaurizantur divitiae. Exhibuisti etiam compendiosum tramitem. per quem valeam in hoc fictili corpore permanens; angelicam amplecti civilitatem; et caelestibus frui exultationibus. nunc expertus sum; quia templum dei sum. et spiritus dei habitat in me. Discedite a me omnes qui operamini iniquitatem; quia exaudivit dominus vocem fletus mei. dominus orationem meam assumpsit. quoniam exultavit anima mea in domino; gaudebit in domino salutari suo. Omnia etiam ossa mea dicent; domine domine. quis similis tibi? eripiens inopem de manu fortioris eius; et a rapientibus eum. Festina igitur et agoniza minister diaboli. et ne parcas oculis tuis. examinans me quasi aurum in fornace magis ac magis.

et non invenies in me sordes tui appetitus; et opus exquisitum. dii plane tui abominationes tibi et imperatoris tui amentiae dominantes sunt. Tunc prophanus arbiter. fortassis ait et verisimile est sensus tui corruptio corporis secuta est corruptelam. Unde tantam verbositatem percurrere audes. Quid ergo? si valeret veluti tu inquis deus tuus ille immortalitatis participem te efficere; posset utique de presentibus poenis eripere te. Valedicens ergo his vanis spebus quas somnias; accelera in salutem quae tibi a me ostenditur. Athleta dei dixit. vis ne private omnibus sensibus ostendam tibi quod nichil impossibile est deo meo? Attende michi quem tu putas tantis periculis defecisse. Omnibus ilico in eum intendentibus; cito citius quasi squamae devolutae sunt a corpore eius; et sanctus astitit totus adeo incolumis; ut ne vel exiguum vestigium vulneris haberet in membris. Glorificantibus autem omnibus deum in hoc quod acciderat; eugenius quidam ex araucenorum et ipse existens municipio; officialis eiusdem ordinis persistens sancto; exclamavit voce magna dicens. Lysia. et ego christianus sum. et culturam tuam anathematizo. et imperatorum iussis non pareo. et tuis votis resisto; sicut meus iudex eustratius. Mox furore accensus dux super istis; et sevum indignans; praecepit et istum artatum adduci in medium; et concionatus est ita. Adversus hos quos factio impietatis impellit esse puniendos; congruis opus habemus temporibus. quod vero ad presens attinet; ad publicas compellimur exercendas utilitates quae nobis solito more incumbunt. Hunc vero eustratium qui prestigiis quibusdam signa portendit; et eugenium qui recens factus est conspirator eius ferro oneratos per omne corpus subire ergastula precipimus. pariter cum reliquis servandos ad aliud examen. Haec ubi dicta dedit; exiluit de tribunali. Sancti vero ducebantur omnes gaudentes et exultantes super tantis passionibus et longanimitate beati eustratii. superque salutaribus signis quae per eum dominus ihesus christus operatus est. Cumque introissent in custodiam; psallebant pariter consona voce; ecce quam bonum et quam iocundum habitare fratres in unum. Expleta vero oratione; resederunt instruente illos beato eustratio. atque informante ad superventuros agones.

In talibus ergo die consumpto; cum nox supervenisset; surrexit iudex. annuntians profectionem parandam in nicopolim. Cumque pararentur quae iuxta ritum itineris essent necessaria; praeripuit se saevissimus iudex ad carcerem ubi sancti erant retrusi. iussitque foras extrahi magnanimum eustratium. Quo viso; subridens ait. Ave amicissime eustrati. Et sanctus. deus omnipotens cui servio; dignam tibi rependat salutationem. Et dux. de deo tuo nichil michi curae. quod ad praesens est; sume hanc quae tibi offertur crepidinem. quo nobiscum suaviter valeas iter arripere. Crepido quippe erat transformata proceris clavis et acutis; ut transfoderent totam partem pedum eius. Cum autem calciasset eum; stringens loris; anulo suo impressit. iussitque flagris urgeri. et pertrahi toto itinere; cum reliquis sanctis. Iudex vero cum omni militia proficiscebatur. et post biduum venerunt secus oppidum araucenorum. Praetereuntibus videlicet sanctis; omnes provinciae illius ad contemplandos eos egressi sunt. videre cupientes quam maxime auxentium. Nullus tamen prosapiae nec amicorum ausus est appropinquare illi; ne quando et ipsi tenerentur. Nardarius interea quidam vir idiota in sufficientia vivens; domum sibi in illis diebus construxerat. quam domate tegebat. prospiciens sanctos. cernit in medio eorum quasi fulgens sidus eustratium. et confestim desiliens ex domate; dixit uxori suae armeno sermone. Cernis o mulier convicaneum nostrum. tanta gloria generis et possessionum qui fuerat gloriosus; quantaque militia splendidus; quomodo spretis omnibus holocaustum acceptum deo vadit fieri. quo dignus fiat polici regni? Beatus ille. quoniam et in hac vita felicissimus et gloriosus extitit; et apud deum dominum nostrum ihesum christum magnam possidet fiduciam. et cum angelis fruetur immortalitate beata. Cui uxor. mi dulcissime vir. quid prohibet te illum sequi. eandemque maturius scandere viam; ut dignus cum eo fruaris beatitudine? eris enim tutor credo mei. et horum parvulorum infantum. omnis etiam generis tui. Cui vir. expedi michi caligas meas. quibus gradiar desiderii mei viam. Quo facto; cum gaudio deduxit eum. Complexans itaque duos filios suos; stansque orientem versus; invocavit dominum dicens. Domine deus omnipotens. et ihesu christe. sancteque spiritus; una deitas; una virtus. Miserere michi peccatori.

et esto propitius ac tutor huius ancillae tuae. horum duorum infantum. pater orphanorum et iudex viduarum. ego enim dominator; multa fiducia accedo ad te. Cumque osculatus esset natos suos; vale inquit mulier. noli merere lacrimans; sed gaudens exulta. Te nimirum liberosque meos; nec non animam meam; in manus commendavi clementissimi et omnipotentis dei. In haec verba exivit festinus veniens ad quendam nuncapara vocabulo; habentem habitationem in araucenorum locis. et primarium in ea virum eximium et dignissimum. dixitque ei. Ecce vado ad amicum et parentem cirisicim tuum; cuius ero socius annuente deo. cum quo certaminis subibo triumphum. Tu ergo uxori meae natorumque meorum post deum tutor in hac vita. et ego ero cooperator tui. huius rei gratia; cum astiterimus iudicanti deo; suscipies mercedem tuam. Cui vir ille; proficiscere in pace. bonam profectionem. et ne cures talia. nam spirituali affectione; uxoris liberorumque tuorum succedo pater. Haec audiens valedixit. iam enim iuxta municipium occurrit sanctis. vocans cyrisicim et dicens. Vere sicut ovis innocens ad proprium festinat pastorem; ita et ego venio vobiscum volens comitari suscipe et annumera me vestro comitatui. Et haec dicens; exclamavit. christianus sum sicut et eustratius. Audite hoc filii diaboli. Audite. Tunc apprehendentes eum milites; vinxerunt simul cum reliquis. declinantesque in oppidum; publica custodia optulerunt eos duci.

Eadem hora rugiens ut leo; consedit ad interrogandum. Suggerentibus igitur ut moris est apparitoribus; oblatus est nudus restibus innexus manus beatus auxentius; laeto vultu. astantibus iuxta omnibus sanctis. et contuentibus per singula. Tunc iniquitatis censor. auxenti inquit. nos quaeso his laboribus exime. te autem dignum exhibe saluti. doce nunc si stultae et funestae illius renuntiasti pertinaciae; ut deorum reconcilies tibi benignitatem. Ad haec sanctus auxentius. breviter audi lysia testor terribile iudicium. quoniam irrevocabile est michi consilium. Unum enim deum novi; et hunc colens adoro. etiam si millenas alias inferas michi plagas. et acriores sevitias illis quas intulisti prius. etiamsi ferro et igne me consumas; nunquam flectetur aliquando robur intentionis meae. Mox infelicissimus censor dedit sententiam. auxentius qui post multa pericula et supplicia adhuc in sua permanet dementia; capitis amputatione puniatur. ut ferrea quam gestat anima; ferro consumetur in loco illo heremi silvosae; quatinus sperata etiam sepultura faedissimum illius cadaver careat. Ille vero audacissimus qui se modo praesumpsit inferre caeteris vinctis feratur in medium. adepturus premium honoris; quod diu quaesivit. Solventibus interea militibus martyrem nardarium; catenis collotenus positis; dixit sancto eustratio. Domine mi. Obsecro intercede pro me. et imbue me quid respondeam duci. ne quando quasi rusticum et illitteratum; me risui habeat. Cui sanctus eustratius. sustine patienter. solum confitens; christianus; et christi servus sum. nichil aliud respondeas; quicquid dixerit aut fecerit. Oblato itaque eo; officiales dixerunt. is qui se recens obtulit inquisitioni; doceat nomen. officium. et fortunam suam. quaeve cultura eius. Nardarius ait. christianus sum. Interrogatus ab apparitoribus confiteri et fortunam et nomen; et patriam; eodem verbo permanens clamabat. christianus sum. Interrogatus multis; nichil aliud; nisi christianus sum aiebat; et fidelis christi famulus. Cernens tantam eius simplicitatem lysias. dixit. transforentur tali pedum eius. funibusque traiectis suspendatur a terra. veribusque ignitis transforentur precordia illius. ut hoc previo calore resipiscens sufficiens reddatur ad responsa. His ita gestis; suspensus ac veribus exustus; talem aedidit vocem. Domine omnipotens. gratias tibi ago. quia dignus sum bonorum tuorum. concupivi salutare tuum et dilexi vehementer. suscipe in pace animam meam. et haec dicens tradidit spiritum. Deposito sancto corpore eius; dux dixit. offeratur nunc ille qui in sataleneis inquisitione habita cum eustratio. non dico christianus ut ipsi narrant; sed a christus innotuit. Presentato eo; officiales dixerunt. adest eugenius. Cui dux. dic michi infelicissime. quis falsorum daemonum te impulit ad malum fatum. et ad tantam audaciam erexit; Ut absque impudentia non sis veritus austeritatem iudicii? Eugenius respondit; deus meus qui tuos daemones destruxit quos colis; ipse me confortavit et tribuit michi constantiam conculcandi minas tuas. infelix. vas diaboli tecum in perditione positi. Dux ait. precidatur conviciosa lingua eius. privetur utraque manu gladio. et virgis ce-

dantur crura illius. ut sagacius nobiscum conferat sermonem. Hoc cum fieret; et ipse reddidit spiritum.

His ita decursis; nequissimus iudex exivit in campum ad exercendum milites. Signo siquidem posito; omnes viritim peritiam suorum expediebant iaculorum; expectante iudice. Inter quos etiam orestes nomine vir procerus et magnus; vocatus nominatim astitit lysiae. Cuius cum formam favoribus extulisset; et dignum militem illum acclamasset; precepit lanceam ad signum iaculari. Quam cum manu quassans vibrasset; crux aurea quae eius pectori clanculo herebat repente apparuit. ita ut omnes cernerent; dux etiam ipse. Continuo igitur propius accedens lysias; contrectavit propria manu crucem. interrogans quid hoc esset. Nunquid ait et tu crucifixo faves? Et ille. crucifixi domini dei me servum esse confiteor. et hoc ad munimen utor et expulsionem omnium imminentium michi malorum. Et dux. tam insignis miles infelici eustratio confederatus es? ergo comes eius eris in itinere eunti nicopolim; ubi congrua interrogatio erit in illum. Cumque nicopolim introissent; multitudo militum legionis civitatis illius accedentes; una voce clamaverunt. lysia. nos milites sumus domini nostri ihesu christi. fac quod vis. stupefactus ad haec primum iudex; caepit taedere ne quid novi adversus eum moliretur. Sed ut advertit quia ut oves se simpliciter prodidere; solutos cingulis; iussit eos omnes teneri. et vinculatos impelli. In semet vero reversus; conicere caepit quemadmodum eos perderet. ne oriretur adversus eum tumultus concivium; aut parentum eorum. Quamprimum metuens sanctum eustratium; ne adhibitis ei tormentis quicquam exhiberet miraculi. quo roborarentur ad fidem non modo iam christiani; sed ethnici quoque transferrentur ab idolorum cultura.

Post hinc mane surgenti; consilium incidit transferre in sebastiam sanctos eustratium et oresten agricolao. Facto vero die; hoc fieri praecepit. scribens epistolam publicam ad agricolaum. ita. Magnifico presidi agricolao. lysias dux. In universis quae sub sole sunt; a nullo alio subtilius orbis terrae archana scrutari quam a te cognoscentes divi nostri imperatores; potestatem tibi principatus tribuerunt. scientes prorsus possibile hoc esse a te noctes aeque et dies consumere in publicis rebus sedulo. Haec omnia tua superaverunt etiam vigilantia sidera. non enim tua lumina dormiunt; prius quam consummatio expleatur perfecta omnium curarum. Et ut simpliciter inferam; omnium virtutum maximam partem in te solo cernentes; merito tribuerunt potestatem tibi. nichil inexaminatum relinquenti; eorum quae nunc a te digeruntur. Ob id et ego testis existens tantarum virtutum; vinctum destinavimus hunc eustratium multo languore possessum eorum quae sunt christianorum. Presertim nichil sufficiens invenire valens iniquitati eius; et revocandi eum ab audacia cepti huius; sed sive militia donatus; sive fascibus sublimatus; magis magisque exaltatus; in convicia devolutus est. licet timorem speraret; contemptui ascripsit futurum. praesentis impetus supplicii in se benivolentiam potiorem iudicavit. quanquam etiam cerneret alios affici suppliciis; Nequaquam usum culturae suae mutavit experimento paenarum. sed accidens aestimavit beneficium magis quasi fieri; non dolorem patientis. Hunc ergo suscipiens; una cum illo et oresten. parili sententia sagacissimo examini tuo statue. imperiales exequens iussiones. Vale. Tunc ergo suscipientes milites hos apices; simulque sanctos vinctos; arripiunt viam. Beati quidem eustratius et orestes; psallebant in itinere. Viam iustificationum tuarum elegimus; intellectum da nobis ut discamus mandata tua. Completa oratione; sciscitatus est eustratius oresten. Narra michi frater quali constantia sanctus auxentius exivit vitam. quo et in loco. At orestes. postquam protulit iudex contra eum sententiam; postulavit ducentes se milites ut ingrederetur videre tuam affectionem; tibique commendaretur. sed non obtinuit. Hora incumbente prandii; festinaverunt explere iussa sibi famuli ventris; ducentes eum ad convallem ororian. Quique in via psallebat. Beati immaculati in via. et usque ad destinatum locum complevit psalmum. Et inclinans genua; diutissime oravit. et expansis manibus seu susciperet oblationem; conclusit amen. Vidensque me iuxta se; dixit silentio accedens dic eustratio; oret pro me. citius me consecuturus. opperior enim eum. Et confestim capite truncatus est; expulsis omnibus christianis notantibus locum. Unde et nullus potuit approximare loco. Nocte vero furatum est corpus eius a presbiteris araucenis. merentibus quod non invenerint

caput illius. Et ecce in ramo arboris cornix clamavit. currentesque presbiteri; invenerunt in conexione ramorum arboris illius positum caput. quod amplexati; cum corpore transtulerunt. Audiens eustratius; flevit amare. optabat enim expleri cursum suum dicens. properemus et nos karissime ut coniungamus eum. Post quinque vero dies applicuerunt sancti sebastiam. et traditi sunt a militibus presidi. Excipiens agricolaus scidulam lysiae. artissima custodia mandavit eos retrudi. Sequenti vero die sedens pro tribunali publico nundinarum loco; praecepit sanctos adduci; tota civitate assistente ei. Preses dixit; missi apices ab illustri duce lysia. et sequens examinatio quae continetur ab eisdem erga eustratium qui assistit; primum recitentur. Post lectos apices; quassans caput agricolaus; miratus eustratii sollertiam ex his quae de eo perlecta sunt; exorsus est ita. Ne extimes eustrati simili pristini iudicii esse impresentiarum examen. attamen priusquam experiaris illud; subdere decretis imperatorum. et accedens prosternere potentibus diis. Cui sanctus eustratius respondit. O iudex. imperant leges etiam regibus. an non? Et iudex. ita plane. quoniam quidem custodiuntur ab eis. Et sanctus. ergo et omnium vestrum et vestrorum omnium lex. in litteris formata est. Et iudex. Cuius gratia talia loqueris insani capitis? Quis enim adversa agere legum aliquando ausus est? Cui sanctus. eo quod continetur iure caesaris ita. violentia quidem inquit absit omnis verbi vel actus. suadeo vero ubique civilitatem. etenim utrumque dispensandum est prepositis. aut obtemperantem consequi quod studuit; aut suadentem ultronea mente quod iussum est agere. Post paululum iterum versuum decernimus arbitrem metum patientiae inserendo examinare. et nec quenquam propter pavorem inutilem iudicare; nec e contra propter patientiam derelinquere. Haec iudex descripta sunt ita. an non? Et iudex; etiam. sanctus eustratius; ergo inquit obsecro te hic ordo et in me servetur. Iudex ait et in te et in omnibus iura imperatorum custodiantur oportet. Sanctus eustratius ait. imploro ergo te; patientia temperetur timor tuus. utpote omnium sapientissime. ut potius suaderi quam suadere velis. discretione cuncta determinas. quod si hoc non fuerit; absque ratione et ordine; puni. trucida. fac quod vis. Iudex ait. quod volueris effare cum fiducia. laetante conventu. suadeo potius civiliter agas. Sanctus eustratius ait; iubes me iudex adorare deum. an deos? Et iudex. deum et deos. Cui sactus. maiorem et minores? et iudex. ita porro. iovem primo. deinde apollinem et liberum. Sanctus eustratius respondit. quibus sapientibus aut philosophis aut prophetis credentes hos repperistis adorandos? Et ille. platoni. aristoteli. hermi. et reliquis sapientibus ac philosophis. quorum si fieres particeps sapientiae; coleres utique illorum memorias: ut pote admirabilium et divorum virorum. Sanctus eustratius ait. nullius horum inscius sum. sed omnium sagacitatem habui a tenera infantia. precucurri etiam et musicam totam; studiosi patris natus existens. quod si iubes; incipiamus primum a platone. Et iudex. invenimus platonem in timeo libro in pyreum introisse et obsecrasse deos. videtur tibi sapiens hic fuisse; an non? Sanctus eustratius ait. penitus derogat plato iovi deo tuo. et ausculta eadem verba platonis. quoniam quidem a pyreo caepisti et a civilibus verbis. In secundo illius libro ponitur ita. quia quidem bonus deus omnium bonorum utique existit causalis; ut multi dicimus. multórum autem non causalis. hoc est malorum. et quidem bonorum nullum confitemur alium causalem esse; nisi deum. malorum nequaquam. Nec utique respuendus omerus; neque alii poetae quique. Iuppiter malorum et bonorum causalis existit. sacramenti et faederum confusionis quam pyndarus operatus est. nec laudibus efferimus certamen deorum quo ipse innisus est. Eschilus autem; quia deus quidem causa mortalibus; ipse sibi deitatis est causa. idest; non qui caeperunt et acceperunt ut dii putantur ex hominibus facti. sed qui nec caepit nec accepit est deus. Nullumque vult plato in tota urbe sua nec iuvenem nec senem dicere quicquam et audire super eo. Non enim fas est deum patricidam esse; sicuti iuppiter iste qui nunc a vobis colitur. quem genitorem facitis suum saturnum de caelis impulisse; et contrivisse illum. neque cygnum fuisse ut vos tergiversamini. mortalemque mulierem prostituisse. sed pro his horret plato iovem deum vestrum; quia nefando et muliebri furore confusus; plangit mortem sarpedonis. An non est ita? an non scripta sunt in libris vestris ista fabulosa? quod si iste plato sapientissimus vestrorum scriptor respuit esse deum; et

prohibuit ne ullus hominum virtutum studiosus imitaretur tales passiones; quam ob rem ad eos quibus ipsi detrahuntur actus. vos ipsi succumbitis; nos hodieque impellitis hos adorare? Iudex ait. sufferimus audacias tuas; propter philosophiam quae est in te. Narra ergo nobis et tu quis ille fuit quem colitis deum. quo pacto homo existens sub examen positus et crucifixus; deus vester reputatur. Sanctus eustratius. si iubes et patienter sustines; colligamus prius propositiones tuas. ac demum seriatim exponam quod scrutaris. Iudex ait. semel concessa tibi licentia oportune importune dicendi; quicquid volueris edissere nobis. Sanctus eustratius. omnem hominem ait sensu vigentem oportet iustum credere deum. indeficientem. incomparabilem. immutabilem. inenarrabilem. cuius divina potentia plena sit omnium virtutum et superabundans. An non est ita prudentissime arbitrum? Et iudex. ita extimo inquit. Et sanctus. concedimus nichil illi bonorum minus? Et iudex. prorsus. Cui sanctus. damus aliquos esse deos; et huiuscae incorruptibilis substantiae cunctipotentes existere dicimus. Licet quantulaecumque partis huius egentes fuerint. non extimo putari illos deos ab hominibus. divinum nichil imperfectum ut diximus habet. quodque omnibus modis credi et adorari debet. Iudex ait; ita habetur. Sanctus eustratius. quid ergo? multi tui dii; virtutum harum immortalium et intemeratarum pleni omnes existunt. aequiparant se substantia nichil distantes. Quod si ita habetur; et una perfectione divinitatis et potentiae et operis aequantur; non dii maiores et minores sed deus indiscreta maiestate et individuae deitatis nomen possidens. Nec putentur a vobis hic caelum possidere; ille maria; iste inferna; et reliqui partes suas. Num ita tibi videtur?

Ad haec praeses nichil valens opponere; diu siluit. vix tandem respondit dicens. Relinque sillogismos istos. et valedicens procul suasionibus istis; ad hoc quod percontatus es responde. qua ratione deum crucifixum colitis. Sanctus vero eustratius exorsus; incipiam ait ab esiodo poeta tuo. In principio erat chaos et confusio elementorum. hoc est tenebrae abyssus aquarum. Tunc deus expediens omnia; composuit hunc mundum. non de subiecta quae non erat materia; sed omnia ex nichilo ut essent produxit. Verbo vel imperio dispensavit omnem creaturam. Fecit et hominem ad imaginem et similitudinem suam. principari et frui visibilibus creaturis. dominari omnium bestiarum. et volatilium et piscium. Cui deo parent supernae virtutes. quorum unus quidam archangelorum sponte sua elatus superbia contra opificem suum; eiectus est ordine suo cum omni militia sua expulit eum desuper summa potestas privatum angelica dignitate. Posuit hominem in paradyso praecepto obоedientiae dato; fruendi omnibus paradysi deliciis. minus tantum arboris pomo interdicto. exercitamen in hoc ei contra advesarium posuit; ut obaediendo confunderet eum. et sedibus eius succederet immortalitate donatus. alias; propriis privaretur donis. Quique adversarius variis eum modis aggressus per mulierem; et mulierem per serpentem; precepto obaedientiae fraudavit. Exulatus ergo et multatus laboribus; a suasore suo dominatur. cui occasionem victoriae praebuit. Multiplicatis interea hominibus; corrupit quasi tyrannus omne genus hominum. possidens animas eorum. Post haec omnipotens diluvio diluit mundum; perdens omne hominum genus. octo tantum in arca salvatis. Noe cum filiis et nuribus. qui non est deceptus ab adversario suo diabolo. Quibus terram replentibus; denuo iniquitas prevaluit; et mortis dominabatur princeps. Post haec autem miseratus homines creator eorum; quando suo archano iustum iudicavit; non diu passus est perire opus suum. dedit notitiam suam gentibus; ut per creaturam intellegerent creatorem. Sed licet parumper quasi in umbra caligantes cognoverint eum; non tamen suo se penitus creatori reddiderunt. sed paternis suasionibus irretiti manserunt. viam veritatis non invenientes. Sed neque sic passus est creator prorsus perire creaturam suam. dedit legem scriptam. misit prophetas. ostendit gentibus haebreorum multiphariae salutis viam. sed nec sic omnino resipiscentes; deum sequi noluerunt. mortis adhuc vinculis vincti. Inter haec iustum iudicavit divina maiestas nostrum suscipere. et pro nobis nostrum adversario opponere. per omnia similis factus nobis deus. verbum patris absque peccato. humiliavit semetipsum. natus de virgine. non commutans divinitatem. sed manens quod erat. sicuti agnus pelle carnis venit indutus; ut lupum fallentem falleret. Potuit quidem superna virtus et potentia superare illum; sed

noluit occasionem excusationis adversario relinquere. quasi dicenti; hominem vici; a deo victus sum. omnia quippe deo possibilia. Archana dispensatione vicit in nobis per nos creator noster; mortale nostrum in se opponens principi mortis; ut nos redderet vitae.

Sumamus si placet praeses specimen huius nostrae disputationis; et credulitatis. Si tu ipse dominus huius urbis bestiam sevam vel quid aliud superventuram civitati prenosceres; diceresque famulo tuo occursans interfice illam; tunc ipse parere volens imperio tuo; vadens incautus et iners superaretur et necaretur; nequaquam tulisses precipere secundo servo tuo talem agonem. neque sufferres illius casum mortis. sed ne impossibilia iussisse videreris; contemptis his qui tecum fuissent; non equo vel armis utens habens quidem omnia; sed iusto dolore afflatus ob necem apparitoris tui; et ut exemplum virtutis preberes caeteris; accederes percuteresque bestiam; nunquid non exultares quia ultus es famulum tuum? et exemplum peritiae ac triumphi tribuisti tuis? Nonne doceres de caetero tuos congredi audacia et peritia; quotienscumque acciderit eodem aliquid typo; quo tutarentur se et sua ab imminentibus periculis? Quod si parvipenderent; inexcusabiles fierent. suae reputantes inertiae. insuper et publicam ultionem digne exolverent. Eos vero qui viriliter egissent; strenue imitati modum ostensae sibi virtutis; honoribus et muneribus extolleres. utpote bonorum tuorum preceptorum custodes; et fortitudinis milites. Haud secus dominus noster et salvator omnium sibi famulantium; ineffabili quadam et mistica dispensatione contra satane tergiversationem qui a vobis colitur fecisse probatur. Humiliavit semetipsum formam servi accipiens. natus de virgine. per omnia nobis similis absque peccato; in theatrum huius vitae descendit. divinitatem suam tyranno occultans. spontanea et sagaci salubrique humilitate; eum qui a vobis colitur contra se solito irruentem; veluti in simplicem quemlibet alium; caepit. necavit. et repulit. omnemque illius prudentiam destruxit. salutari sua possessione et morte. affigens eum cruci. expolians principatus et potestates; fecit eas ostentui. Erudivit etiam nos; ut eius exemplo virtutum inimicum superemus. Suscepit passiones nostras; et suam immortalitatem tribuit nobis. non solum in terris; sed etiam in infernis resurrectionem donavit. dignatus est nobis dei filios faciens contra demonas dimicare. triumphantesque coronare. Inde est quod corpore a vobis superamur; sed vos spiritu et constantia superamus. succumbimus temporali corruptioni; sed resurgimus in sempiternam incorruptionem. Terga prebemus ultronei divitiis et suavitatibus vestris; quibus more pecorum saginamini; ut angelicis in sempiternum fruamus divitiis. quos nec oculus vidit; nec auris audivit; nec cor hominis expertum. Discreti quippe ab animalibus conditi; caelum semper sursum aspicimus. ut terrena terrenis animalibus relinquentes; illud contemplemur ubi est nostra conversatio. Scimus et experti sumus in hoc corpore constituti; bellum corporis adversus animam. et utpote rationales; voluptatem carnis avertimus. delicias. et suavitates. mortificantes membra nostra; toleramus omnium paenarum genera nobis illata. solam pulcritudinem et splendorem animae quaerentes. Verbum enim dei manens in nobis; quod pollicitus est exhibebit. cooperantibus in nobis caelestibus virtutibus. Haec et multa horum plurima deus homo factus tribuit nobis. vos autem ea quae carnis sunt sectamini. deos putantes qui nefanda fecerunt et iusserunt. et idola eis constituentes colitis; a caelestium participatione decidentes. doletis incessanter non solum in adversis; sed etiam in prosperis. in hoc mundo quasi in somnio viventes. Merito ergo corpore et anima moriemini. nos e contra corpore soluti; anima et corpore nos vivere gaudemus. resurgentes in immortalitatem; sicut edocti sumus a domino et magistro nostro ihesu christo. Haec breviter percurrens; suadeo sapientissimo te credere platoni; per haec quae a me audistis. renuntians patricidae iovi deo tuo lugenti mortem filiorum suorum; et aphrodito cygno.

Agricolaus his auditis; non ad hoc inquam constituti sumus ut scrutemur virtutes et scientias magnorum et divorum imperatorum; sed tantum ut preceptis subdamur omnipotentibus eorum. Unde cessantibus contradictionibus omnibus et superfluis affatibus; accedens immola diis. sin alias; experieris tormenta talium machinarum; quales nunquam te audisse aut vidisse contigit. Sanctus respondit. quid ergo nobis tantum laboris incussisti; et non multo ante quod facturus eras fecisti? Nul-

la in medium mora; praecepit lectum ferreum afferri. multumque sumministrari ignem. Quo adeo ignito ut scintillas quasi de fornace iacularetur; iussit oresten superimponi. dixitque ad sanctum eustratium. Competens nobis videtur; ea quae te manent tormenta prius in aliis attendas. et tunc demum scies quid te conveniat sustinere. ac per hoc probes firmissimam tuam constantiam; quam te putas habere. Cumque perductus fuisset beatus orestes; videns expavit. conversusque ad sanctum eustratium ait. Ora pro me. quia turbatur sensus meus. Et ille. Ne deficias mi frater orestes. contemplatio huius tantum habet aliquid timoris et terroris. sensum vero nullum paenarum; si confidens accedas; adest nobis fortitudo christi nostri confirmans nos. Memento virtutis auxentii beati; aliorumque sanctorum. et ne inferior eorum estimeris. Modicum enim modicum quantulumcumque; et haec omnia deficient. ut maneat nobis in caelestibus thesaurus indeficiens. Haec orestes audiens; roboratus nimium; virili mente accedens insiluit et stetit super ignivomum stratum. et victrici signo munitus; continuo reclinavit se. toto extento in igne corpore. voce magna dicens. in manus tuas domine commendo spiritum meum. Ilico respondente sancto eustratio amen. animam exalavit. His ita expletis; praecepit preses ut extemplo duceretur in custodiam sanctus eustratius.

Reductus autem; sollemnes preces domino fudit. accitoque famulo qui cum eo morabatur; Affer inquit fili mi thomum. disponamus testamentum. Confido enim crastino me assistere in conspectu domini. Cumque delatus fuisset thomus; disposuit signans in eo ut sanctum corpus illius in municipium araucenorum reduceretur. Nullique liceret penitus illud temerare. sed solidum conderetur in loco quodam; cui vocabulum est analibozara. una cum concivilibus suis martyrio coronatis. oreste scilicet; nardario; atque eugenio. Hi nimirum sancti adiuraverant eum; ut post depositiones suas illius reliquiis iungerentur. ideoque solida et integra illorum corpora suo corpori socianda mandavit. Scripsit etiam destinans; ut possessiones suas in araucenis in sumptus darentur eorum qui futuri essent ministri sanctuariis eorum. omnis vero reliqua res mobilium; media quidem egentibus largiretur. item media sororibus suis. omnesque famulos libertate donavit; legationibus datis. His modo notatis; ieiunavit tota die illa. Episcopus interea tunc temporis sebastinorum qui latibulo degebat ob nimias persecutiones. noctu venit ad eum. et dans pecuniam custodibus; meruit visere sanctum in carcere trusum. Erat enim audiens et exultans super multa prudentia illius; et copiosa constantia. quomodo etiam confuderat presidem cum diis eorum. Ingressus vero ut vidit eum; cecidit in faciem suam super terram dicens ei beatus es fili mi; quia tanto roboratus es misericordia dei. memento etiam mei obsecro. Sanctus vero prohibebat eum dicens. non ita pater convenit. sed ut attendas ad culmen honoris tui; haec a nobis facienda sunt tibi. Sedentibus ergo eis; sanctus eustratius ait. quoniam quidem futurum est gratia dei crastino hora tertia transire nos ad christum; quod michi ab eo revelatum est; accipiens relege hos apices delegationis meae. Quibus relectis; subtitulavit se cum clericis qui sub ipso erant. adiuratus adhuc laborem non recusare. scilicet per se ipsum ferre reliquias suimetipsius. orestis etiam pariter in regionem eorum. et condere quemadmodum disposuit cum reliquorum reliquiis in locum quem testamento signavit; consumare etiam cetera eiusdem. Mercedem sane huius operis rependendam ei a domino ihesu christo spopondit in vita ventura. Pollicente vero episcopo ita omnia explere; mox adeptus est sanctae communionis dominicae participium; quoniam quidem ab ea die qua comprehensus est; hoc vitae sacramentum se nunquam sumpsisse fatebatur. Peracto ministerio; sanctoque sacrificio suscepto; subito quasi splendidum margaritum refulsit in custodia. Et audita est vox ad eum dicens. Eustrati. bonum certamen certasti. de reliquo veniens scande caelestia. destinatum tibi suscipiens diadema. Hac voce territi omnes; ceciderunt in faciem adorantes deum. Per totam videlicet noctem presul moratus est cum eo. gaudens sermonibus martyris. Mane autem facto. discessit. vale faciens ei. suscepto mandato; ut absque desidia impleret testamentum eius.

Surgens igitur agricolaus de stratu suo valde mane; resedit in solio. iussitque sanctum sibi presentari. Quo astante. advocans eum seorsum preses; dixit silentio. testes michi sunt intemerati dii

eustrati; quia merore plenus sum tui causa. nolente te suscipere monita mea; ut pareres preceptis imperatorum. Saltem nunc propter publicos circumstantium aspectus simulare te ne asperneris; adorans specietenus deos. apud temetipsum vero crede et ora deum tuum. petens indulgentiam ab eo; ob imminentia tibi supplicia. Ne quando talis tantusque vir; totaque sapientia preditus; ita male pereas veluti malefactorum aliquis. Neque hoc te simulandum suaderem; si sine meo periculo michi illud vitare licuisset. Multos enim tuae religionis perdidi; nulli unquam parcens. tui vero causa vehementer afficior. et per totam noctem propter te periclitatus sum merens. Et ille. noli propter hoc mestitia tedere. neque pericliteris quoquomodo propter me. sed quod incumbit tibi necessitate decretalium imperatorum; hoc inpresentiarum perfice. Ego enim neque simulanter neque alio quolibet modo vestris immolabo diis. sed incessanter confitebor domino meo in omnibus. et in medio multorum laudabo eum. vestra vero tormenta in epulas quantocius vertentur. Quod si placet; experientia probato. Tunc preses diu multumque manu propria vultum suum tegens; lacrimatus est; adeo ut omnis astantium multitudo cognoscentes presidis compassionem super iusto illo; lucubrem vocem assumerent. eratque fletus prorsus ingens totius civitatis. merentibus ethnicis. Dolens eustratius moram sibi fieri; quid tardamus ait iudex? Deus omnipotens destruat machinas patris vestri diaboli. etenim ipse michi etiam hoc ingerit obstaculum; quo impediat paratum michi optabile bravium. Fac quod vis. semel adhuc dico; servus christi sum. et contradico decretis imperatorum. vestraeque voluntati. abominationes etiam deorum vestrorum blasphemare non taceo. maledicens eis. quia maledicti sunt ipsi; et qui venerantur eos. Cernens igitur iudex tantam constantiam; vix tandem definivit dicens; eustratium dissidentem imperialibus iussis; nolentemque diis offerre libamina iubeo ipsum ipsiusque ferream animam igne comburi. finemque suscipere vitae. Haec dicens; festinus ad pretorium repedavit. Sanctus haec inter eustratius; stans omnibus audientibus oravit sic. Magnificans magnifico te domine; quia respexisti humilitatem meam; nec conclusisti me in manus inimici. eripuisti de necessitatibus animam meam. Et nunc domine; protegat me dextera tua. et veniat super me misericordia tua. quoniam conturbata est anima mea; exiens de corpore isto. nequando iniqua subreptio adversarii occurrat ei; impediens tenebris suis quas in hac vita ignoranter egi delictis meis. Propitiare michi domine; ne unquam aspiciat anima mea tetrum demonum aspectum. sed clarissimi suscipiant eam angeli tui in lucem perpetuam. Da gloriam nomini sancto tuo; ut perveniam securus ad iudicium tuum. Assistens esto michi salvator; confortans me in hora hac. haec enim supplicia deliciae sunt famulis tuis. te miserante. Scio domine voluptatibus saecularis vitae. animam meam pollutam. sed miseratione tua mundam eam suscipere dignare. quia tu es deus benedictus in saecula. amen. Haec eo orante; caminus urgebatur; et quam maxime succendebatur. Tunc sanctus dei signum christi depingens; ingressus est in eum psallendo et exultando. et sic emisit spiritum. Consumptus est autem tertiodecimo die mensis decembris. Pontifex ergo nichil oblitus mandatorum eius; curavit reliquias illius. studiose perficiens omnia delegata sibi ad honorem dei et domini nostri salvatoris ihesu christi. Cui est gloria in saecula saeculorum. Amen.

Ego post haec indignus et peccator eusebius; ab infantia monachus; degens in civitate sebastinorum a serie parentum meorum; in cellula consistens; habui memorias sancti huius scriptas. repositasque locello. cum multis aliorum sanctorum martyrologiis. Sed quoniam reliquiae huius martyris non erant in hac civitate; nec audieram a quolibet quod in araucenis essent revelatae; nec ego ipse publicavi memorias illius; nec indagavit aliquis ut exhiberemus ei. Hoc vero in tempore iuvenis quidam bonae indolis existens; fraequenter nostrae humilitati inferebat sermonem. Cumque omnes libellos meos recensuisset; revolvit etiam mentiones huius. suasitque michi; quod martyrium eius in araucenis positum esset. multaeque inibi virtutes curationum fierent. cuius tamen martyrii memoriam illic nullus haberet. Hinc etiam tedio affici omnes urbis illius. rogantes nos plurimum; dedimus illud. Ob id omnes peto legentes et audientes; obsecrare pro me; ut sit omnium in commune utilis et salubris hic nostri laboris effectus. patrocinantibus omnibus sanctis. Gloria domini nostri ihesu christi. cum quo

patri pariterque sancto spiritui; gloria et imperium in saecula saeculorum. Amen.

Pag. 616 — Incipit prologus in vitam sancti basilii archiepiscopi et confessoris.

Postquam lucifer ille procax de caelesti gloria demersus est; et invidiae stimulis incitatus de paradysi amaenitate per sevissimum anguem protoplastum expulit; veluti stomachus languens vitales fastidit dapes; ita omne genus humanum caeleste atque intellectuale convivium ignorabat. Sed pius ille sator atque redemptor humanae miseriae condoluit pio affectu. et de caelis per virginea viscera in convallem huius mundi descendit. ac humanum genus quod olim aemulatoris dolo deceptum fuerat coaeterno deo patri reconciliare cupiens; incontemplabilem ignem sancti spiritus misericorditer accendit. De quo nimirum igne primitus valde conflagrati sunt sancti prophetae. post illos sancti apostoli. martyres. confessores. virgines. et omnes utriusque sexus sancti. qui usque ad metam carnis pro eius dilectionis ardore ipso duce viriliter dimicarunt. De quibus nimirum agminibus sanctis basilius extitit sanctus. qui sine effusione sanguinis martyr effectus est. Cuius vitam et praeclara miracula cogis me ursum omnium christianorum ultimum infimumque sacerdotem. O gregori clarissime; filius atque nepos. frater. patruusque ducum; nec non et loci servator neapoleos; quod de attica in latinam linguam transferam. et in gremio sanctae matris ecclesiae fideli famine consignem. Nos vero animadvertimus nostram inertiam. et multo magis peccatorum pondere titubamus ne sub tanto onere succumbamus et tam sancto et admirabili viro magis ridiculum quam laudem proponamus. Sed tu clarissime cum nos renitentes multumque repugnantes conspicis; ais; quia dominus ab initio non cum philosophis nec rhetoribus tragicisque nec cum phisicis locutionem; sed cum ruriculis ac piscatoribus et idiotis orationem habuit. et multo magis puritatem spiritus prospectat; quam dialecticorum rhetorumque tendiculas. ac phalerata commenta. Nos vero ubi vestrum affectum consideravimus; tandem magis vi quam sponte inclinati; perreximus ad dominum nycolaum praesulem peritissimum graecorum atque philosophum. et secundum vestrum votum de greca in latinam linguam fideliter quod iniunxeratis transtulimus. Humiliter ergo veniam a lectoribus postulamus; ut quicquid ineptum invenerint sagacius corrigant. et ignoscant aetati puerili fragilitatique humanae. et magis obaedientiae quam audaciae temeritatis ascribant. Attamen si quis garrula voce in clamationem proruperit; indicet prius ipse nobis quis unquam fuit tanti ingenii; et quis unquam tam amplo famine praepotens; aut tam profusa facundus loquacitate; ut sermonem valeret reddere sermoni; sicut nos non sponte sed inviti fecimus; et non omnes vires grammaticae artis suffocaret? Quando et ipsi qui gesta sanctorum conscripserunt; magis sensus quam verba scripsere. sicuti maiores nostri referunt. Interea obnixe quaesumus; ut fidem dictis adhibeatis. per omnia credentes quia veraciter talem illam transtulimus; qualem illam scriptam ab amphilochio praesule iconiensi qui magnae auctoritatis est in graecorum commentis invenimus. Credere vero ne dubitetis; quia in illa invenietis animae ferculum. galeam clipeumque quem vestro hosti opponatis. et illo devicto summum regem facie ad faciem videatis. Adiuvante utique ipso cui
arcibus in summis una est cum patre potestas.
par splendor. communis apex. sociale cacumen.
aequus honor. virtus eadem. sine tempore regnum.
semper principium. sceptrum iuge. gloria consors.
maiestas similis. per omnia saecula saeculorum. Amen.

Basilius igitur in civitate cappadociae ex christianissimis atque deo dignis parentibus; scilicet ex basilio patre et matre emmelia natus atque nutritus; et ab ipsis cum factus esset annorum numero septem ad litterarum studia traditus fuit. Et cum per quinque annorum curricula cum magna sollicitudine indesinenter discendi gratia vigilaret; multum fructum philosophiae propter naturalem humilitatem adquisivit. Post haec autem statim reliquit civitatem cappadociae in qua natus fuerat; et perrexit athenas. Erat enim optime redimitus atque ornatus omni abstinentia. omnique pudicitia atque prudentia. Qui cum pervenisset athenas; adhaesit cuidam gentili philosopho nomine euvulo. qui caeteris philosophis sapientior erat. et auditor eius factus est. et per tantam industriam philosophiam didicit; ut ipse euvulus praeceptor eius et

omnes condiscipuli eius mirarentur de prudentia eius atque constantia. Denique ipse basilius condiscipulus factus est beato gregorio nazanzeno; qui cathedram apostolicam in bizantea civitate per duodecim annos rexit. et iuliano apostatae et libanio. Et cum omnes mirarentur de doctrina eius atque prudentia; statuit ipse in corde suo ut non manducaret panem neque biberet vinum; usque dum ipse a superna providentia intellegeret inenarrabilem sapientiam. et sic conversatus est per quindecim annos in philosophiae studiis. Et cum sagacius requireret omnes libros philosophorum ethnicorumque et astronomiam; et omnia utilia studiose legeret; et nequaquam invenire valeret per illos creatorem omnium; quadam nocte vigilante ipso divina claritas super illum illuxit. Qua nimirum percussus sanctus cohortari seipsum caepit ut omnia volumina scripturarum studiosius legeret. quatinus per illa quod quaerebat inveniret. Et cum non potuisset; statim egressus inde perrexit egyptum. et adhaesit cuidam porphirio archimandritae; et caepit ab illo quaerere libros sanctarum scripturarum; quatinus per illos inveniret divina dogmata. Qui cum illos saepius legeret; et quod quaerebat cognovisset; permansit ibidem gaudendo et exultando in meditatione divinorum verborum. nutriendo quidem se aqua et oleribus. Et cum per unum annum ibi permansisset; et verbum veritatis per fidem cognovisset omnia inquirendo; anxie ire desiderabat ierusolimam causa orationis. et ut videret miracula quae ibi facta fuerant. Ipse vero porphirius oravit ac dimisit eum. Ille autem reversus illo ubi sapientiam graecorum didicerat; caepit commonere multos gentiles philosophos. et offerebat eos christo. mostrando illis callem salutis. Quaerebat vero magistrum suum euvulum; quia ipse erat dux verbi; ut retribueret ei pro fatigiis eius. et ut doceret eum immaculatam fidem. quatinus si illum recte ad ipsam fidem convertisset; omnes illi sectarentur eum quemadmodum praeceptorem; qui eruditi erant philosophiam. Denique cum illum quaesisset per omnes illas scolas; invenit eum in proastio disputantem cum aliis philosophis. nulla etenim studia erant apud illos; nisi ad disputandum et audiendum aliquid novi. Disputante vero illo; arguit eum astans basilius. Tunc unus ex iis qui cum illis erant dixit ei. Arguit te quidam o philosophe. Cui dixit. aut deus sive basilius. Interea cum cognovisset eum; dimisit omnes qui cum ipso erant. et adhaesit basilio. et per tres dies perseverantes sine cibo et potu disputaverunt uterque. Euvulus autem interrogavit basilium. quis est primus terminus sapientiae o basili? Cui respondit. primus terminus sapientiae est timor domini. et meditatio mortis. Ille autem admiratus dixit. Et quis est mundus? Et ille dixit. qui est super mundum. Et dulcia quidem sunt verba mundi. sed mundus valde amarus est illis qui eum sectantur non rite. et alia sunt desideria corporis; alia desideria incorporeae naturae. et si insimul connexa sunt infelicia sunt. quia nemo potest duobus dominis servire. Verumtamen secundum vires nostras frangamus panem scientiae. quatinus qui per malitiam sine tegmine sunt. per bonam rationem portemus subtectum. et si mundus est induamus. atque de proprietatis nostrae semine non illi negemus. Haec loquens; disseruit ei multiformiter salvatoris misericordiam; quam nobis promisit per poenitentiam. Quorum omnium intellectu percepto euvulus ait. O basili caelestium narrator secretorum. et trinitatis praedicator per te credo in unum deum omnipotentem. et de reliquo spero resurrectionem mortuorum. et vitam futuri saeculi. Ego autem fidem quae in me est demonstrabo tibi. et omnia quae sunt michi in manus tuas tradam. et reliquum tempus vitae meae una tecum ero; si placitum coram deo est ut suscipiam ex aqua et spiritu sancto regenerationem. Basilius inquit. Benedictus dominus deus noster nunc et in saecula o euvule; qui clarificavit veram lucem in mente tua. et commutavit te a multorum deorum errore ad scientiam suae misericordiae. Unde si sicut dixisti esse mecum vis; demonstrabo tibi quemadmodum de salute nostra cogitemus. et de vinculis huius mundi nos liberemus. Vendamus omnia quae nobis sunt; et tribuamus egentibus et sic in sanctam civitatem proficiscamus. et inspectores ibidem fiamus miraculorum; ut a deo obtineamus auctoritatem. Et sic utrique quae erant apud se religiose dispensantes; et ad sanctum baptisma vestimenta ex illis ementes necessaria; ierusolimam properabant. convertendo ad dominum ethnicorum multitudinem copiosam.

Qui cum pervenissent in civitatem antiochiam; applicuerunt in pandochium cuiusdam. filius vero

pandochialis cui nomen erat philoxenus sedebat ante ianuam in meditatione maxima. Hic erat discipulus libanii sophistae. Qui cum accepisset versus ab illo homericos ut transferret illos in rhetoricos nec valeret; in tribulatione magna et discrimine manens fatigabatur. Quem cum vidisset basilius; ait ad illum. Quam ob rem tristis es o iuvenis? Et ille ait. quid michi prodest si tibi dixero? perseverante vero illo in promissione ut illi prodesset; dixit illi de philosopho et versibus. et pro qua re angustiaretur. Ille autem suscipiens ipsos versus; caepit dicere commutationem illorum. Tunc miratus perculsusque iuvenis; gavisus est valde. et rogavit eum ut in scriptis ordinaret illam. Ille vero scrisit expositionem illorum in tribus commutationibus. iuvenis autem suscepit illos gaudens. Altera vero die perrexit ad libanium; et dedit ei versuum commutationem. Suscipiens eos libanius attonitusque in commutationibus dixit. per divinam providentiam; nemo ex illis qui nunc sunt philosophis taliter interpretari posset. Unde igitur istorum dissertor? Et iuvenis. incola inquit hesterno venit in pandochium meum. et ocius disseruit michi istorum solutionem. Tunc haud neglegens libanius; festinanter ad pandochium perrexit. et invenit basilium una cum euvulo. Et cum cognovisset illos; gavisus est vehementer de illorum sine spe adventu. Et rogavit eos ut applicarent in domum eius. Qui cum fecissent; rogavit eos ut coctis pulmentariis vescerentur. illi vero panem et aquam parce sumentes sicut apud illos erat consuetudo; gratias egerunt deo datori bonorum. Tunc libanius caepit disputare cum illis. et proponere eis rhetoricos versus. illi autem proponebant ei fidei verbum. Libanius autem cum intellexisset quae dicebantur; non est ait tempus istius negotiationis. vocante autem divina providentia non est qui renuat. Sed quia magnifice michi profuisti o basili; loqui et qui apud me sunt iunioribus non dedigneris. Qui statim congregans iuvenes; docuit de animae purificatione. de discrimine corporis. de itineris mansuetudine. de vocis moderatione. ut cibum et potum sine tumultu sumerent. ante seniores silerent. ante sapientiores auditores essent. sublimibus ut subiugati essent. coevis et minoribus caritatem sine falsitate ostenderent. ab inanibus verbis et desideriis carnalibus cessarent. ut non pertinaces essent in verbo. non multum loquerentur. non arguti essent in cachinno. ut verecundia adornati essent. cum mulieribus impudicis ne loquerentur. deorsum visum haberent; sursum vero animam. effugerent contradictionem. non magistri appeterent dignitatem. nil putarent ab hominibus collatum honorem. non quaererent laudem ab hominibus. et si aliquis ex ipsis posset; adiuvaret et alios. et a deo mercedem expectarent; et aeternorum bonorum retributionem in christo ihesu domino nostro.

Et cum haec dixisset ad discipulos libanii basilius; mirantibus omnibus caepit iter simul cum euvulo. Qui cum pervenissent ierusolimam; et omnem locum sacrum fide et amore perlustrassent; et ibidem omnium deum adorassent; manifestati sunt qui tunc erat episcopo in ipsa civitate; cui nomen erat maximus. At illi procidentes; deprecati sunt ut reciperent divinam regenerationem in iordane flumine. Cumque vidisset sanctus ille vir quod repleti essent fide; adimplevit petitionem illorum; et simul cum fidelibus hominibus perrexit ad iordanem. Basilius interea cum ad oram pervenisset fluminis; prostravit se terrae. et cum lacrimis et clamore ingenti postulabat ut indicium ei fidei revelaretur. Surgensque pavens exuit se vestimentis. et una cum illis veterem hominem. et sic demum descendit in aquam orando. et accedens sacerdos baptizavit eum. Et ecce fulgur instar ignis emicuit in illis. et columba ex eo exiens descendit in iordanem. et conturbavit aquam. et volavit in caelum. Stantes vero tremefacti laudaverunt deum. Baptizatus autem basilius exivit de aqua. Miratus autem maximus basilii quam apud deum habebat caritatem; super eum orans induit vestibus resurrectionis christi. Baptizavit autem et euvulum. liniens eos sancto chrismate. et tribuens eis vivificae participationis eucharistiam. Postulavit autem basilius domini sacerdotem; ut per orationem statueret ei quemadmodum sumeret cibum. sicque fecit. Basilius vero ait. ihesu christe domine deus noster. sic credo evangelicae tuae voci; et confido in tua benignitate; ut comedendo et bibendo vincam adversarium nostrum diabolum per cooperationem sancti tui spiritus. Miratus autem dei pontifex in fide illius; reversus est in sanctam civitatem cum illis. atque unius anni tempore ibi permansit una

cum euvulo. et unanimiter perrexerunt antiochiam. Basilius interea a meletio eiusdem civitatis episcopo in levitico ordine constitutus est. et paremenion verba interpretans miratus est.

Nec multo post perrexit cum euvulo cappadociam. Qui cum caepissent introire in civitatem caesaream; per somnium nocte revelatum est episcopo eiusdem civitatis cui nomen erat eusebius de illorum adventu. et quia deberet basilius successor eius esse. Qui cum evigilasset; accersivit priorem qui erat in sacerdotali ministerio; et aliquantos religiosos qui erant in clero. et misit illos ad orientalem portam civitatis. indicans eis et visionem. Cumque pervenissent ad portam obviaverunt introeuntibus. quos videntes cognoverunt illos. et rogaverunt ut pergerent ad episcopum. Intrantibus autem illis; videns et illos sanctissimus praesul; admiratus in similitudine visionis deo gratias egit. Interrogavitque unde venirent. aut quo pergerent. et quae illorum nomina essent. Cumque cognovisset; dixit diaconibus ut illis quae ad requiem essent praepararent. At illi portaverunt illos in praeclarum habitaculum. et omnia ad suavitatem illorum obtulerunt. In ipsa autem hora convocans sanctissimus vir ordinem cleri et civitatis; indicavit eis quod a deo sibi revelatum fuerat. Illi vero una voce dixerunt. Vere hoc dignum est; ut tuae mundae vitae manifestum fieret per divinam revelationem; qui post te debeat summi sacerdotii solium decorare. unde sine omni tarditate fac quod tibi videtur. Ille autem vocavit basilium una cum euvulo; et caepit inquirere ab illis de divinis scripturis. et miratus est de profunditate quae in illis erat sapientiae. et habens illos honorifice secum; non multo post de saeculo transmigravit.

Congregati sunt interea ad concilium episcopi. et per sancti spiritus cooperationem elegerunt basilium ad pontificale solium. Et cum sacratus fuisset gubernabat ecclesiam per dei providentiam. Non post multum vero tempus postulavit deum ut concederet ei gratiam; sapientiam scilicet atque intellectum; ut per proprios sermones suos offerret immaculatum sacrificium deo; et ut veniret super eum sancti flaminis obumbratio. Post dies vero sex compunctus per obumbrationem sancti pneumatis; septima die caepit ministrare deo per singulos dies. Et post paucos dies; cum fide et oratione magna; caepit propria manu scribere missae secreta. In ipsa vero nocte venit ad illum dominus; et apparuit ei cum apostolis. propositionem panis et calicis faciens super sanctum altare. excitavitque basilium dicens ei. Basili. secundum petitionem tuam repleatur os tuum laude. ut per propria famina tua offeras immaculatum sacrificium. Cumque ille sufferre eum oculis aspectum non valeret; exurgens cum tremore accessit ad sanctam aram. et cepit dicere et scribere in carta ita. Repleatur os meum laude ut benedicam gloriam tuam. Domine deus qui creasti nos et adduxisti nos in vitam hanc. et reliquas orationes sanctae missae. Post finem vero orationis sustulit panem orando ac dicendo. Respice domine deus noster de sancto habitaculo tuo; et veni ad sanctificandum nos; qui sursum cum patre resides; et nobiscum invisibiliter manes; et dignare per tuam potentissimam manum tribuere nobis: et per nos omni populo sancta sanctis. Unus sanctus; unus dominus ihesus christus cum sancto spiritu; in gloria dei patris. Amen. Et post haec fregit panem in tres partes. et ex una communicavit cum tremore et veneratione; aliam vero servavit consepeliendum secum; tertiam vero ponens in columba aurea suspendit super sanctam aram. Euvulus vero simul cum cleri priore dum staret ante ianuas templi; viderunt lumen intellectuale in templo; et viros gloriosos albis indutos; et plebem glorificantem dominum. et basilium ad aram stantem. Admirantes autem in visione; ceciderunt in facies suas cum lacrimis glorificantes deum. Egrediente autem basilio; corruentes in faciem adoraverunt illum. Qui interrogavit eos de adoratione et adventu eorum. At illi narraverunt ei de admirabili miraculo quod viderant in templo per coniunctionem portarum. Tunc basilius grates referens deo; dixit eis de insigni gloria. et convocavit aurificem et fecit columbam ex auro obrizo; et in ea reposuit partem. ac suspendit super sanctam aram in figura illius sanctae columbae quae apparuit in iordane domino baptizato. Hoc autem facto; spopondit verbum consolationis populo. Pro qua re congregata est plebs inestimabilis in ecclesia. inter quos erat magnus et abstemius effrem. de quo postea vobis dicturi sumus qualiter per divinam revelationem contemplator factus est sancti patris basilii.

Igitur cum divinas missas celebraret; haebreus quidam sicut christianus plebi coniunctus est. et dum ordinem sacrae missae et donum eucharistiae explorare desideraret; videt puerum concidi in manus basilii. et participantibus omnibus; accessit et ille. et data est ei caro vera. Iterumque accedens ad calicem qui sanguine repletus erat; et ex illo factus est particeps. et ex utroque servans reliquias; pergens in domum suam monstravit uxori suae; quatinus affirmaret quae dicebat. narrans quid propriis oculis contemplatus fuerat et dicens. Vere terribile est et gloriosum christianorum mysterium. Altera igitur die perrexerunt ad basilium. deprecantes eum ut quantocius ab ipso susciperent christi signaculum. Ille vero non tardans sed more solito gratias agens deo; baptizavit eum cum tota domo eius. credentes in dominum.

Egrediente autem illo occurrit ei mulier solacium sibi postulans fieri. utpote qui posset apud terrenum principem. Ille vero tollens parvam cartam; breviter scripsit principi haec. Mulier paupercula accessit ad me. dicens posse me apud te. Si vere possum demonstra. Tribuitque mulieri cartam. at illa pergens dedit cartam principi. Quam ille cum legisset; rescripsit haec. Propter vos o pater sanctissime volui compatiens esse mulieri. propter quod in publico debet. Ipse autem iterum rescripsit illi. si voluisti et non valuisti; bene sit tibi. Si autem valuisti et non voluisti; perducat te divinitas in ordinem egenorum. ut quando cupis non valeas. Et evenit ei sicut sanctus per apices dixerat. Non post multum enim imperialem indignationem expertus; pergebat vinctus ut redderet rationem de iis que nequiter gesserat. Tunc factus est deprecator basilii; ut per orationem suam benignum ei imperatorem faceret. et ita factum est. Post sextum etenim diem descendit praeceptio; quae liberavit eum de compedibus. Ille autem quae facta est super illum misericordiam non ignorans; venit ad basilium gratias agens ei. vocavitque mulierem; et restituit ei quod abstulerat duplum de propriis suis.

Per idem tempus iulianus nequissimus imperator pergens contra persas pervenit in partes caesareae civitatis. Basilius interea et qui cum ipso erant obviaverunt ei. Et videns eum imperator dixit. Sapientior te sum o basili. At ille respondit ei dicens. et si es sapientior tu esto. et obtulit ei tres panes. Ille vero indignatus de paucitate numeri; praecepit ministris ut acciperent panes; et retribuerent ei foenum. At ille suscipiens dixit ei. Nos quidem o' rex de quibus comedimus obtulimus tibi. tu vero de quo alis animalia retribuisti nobis? Sponte quidem illudendo; sed sine voluntate nos ostendisti esse in foeno hoc praecidendos. Iulianus vero haec audiens; furibundus factus dixit illi. Nunc quidem pabulum istud foeni datum est tibi. sed cum persas subiugans reversus fuero; subvertam civitatem tuam. et arari faciam illam. ut fiat tritici germinatio magis quam hominum. Nunquidnam ignoro audaciam tuam et qui a te seductus est populi? quemadmodum post adorationem meam et aspersionem dianam confregerunt? Et cum haec dixisset; properavit in persidem. Ingressus autem civitatem basilius; et convocans universam plebem; nuntiavit illis imperatoris sermones. et consiliarius eorum bonus factus est dicens. pecuniam fratres pro nichilo reputate. sed de salute vestra curam habete. ut cum datum fuerit tempus superbo imperatori; muneribus eum placatum faciamus. Illi autem abeuntes in domos suas; quaecumque habuit unusquisque ad manus portaverunt ei. auri videlicet et argenti. lapidumque pretiosorum inestimabilem multitudinem. Ille autem videns alacritatem et oboedientiam eorum; reposuit illa in gazophilacio. scribens superius nomina singulorum. dicens. quia dominus valet et illum interficere; et vobis restaurare propriam substantiam. Statimque praecepit ut clerus cum omni populo civitatis et mulieribus puerisque conscenderent in montem didimum. in quo venerabantur et adorabant domini matris pretiosissimum templum. et per tres dies ieiunus permansit. nec non et supplicans deum ut dissiparet apostatae regis machinationem. Et cum diutius exorarent illi vigilantes cum contrito corde; videt in visione basilius plenitudinem militiae angelorum ultro citroque in monte. et in medio eorum in throno glorioso sedentem quandam et loquentem ad proximos sibi astantes magnificos viros. Vocate michi mercurium ut pergat ad interficiendum iulianum; qui in filium meum et dominum ihesum christum egit iniquitatem. Sanctus igitur cum armis suis advenit. et cohortatus ab illa citius abiit. At illa vocavit basilium deditque il-

li librum habentem historiam totius creaturae. similiter et hominem plasmatum a deo. In principio vero libri superscriptio erat. loquere. In fine autem eius ubi plasmabatur homo. ignosce. Suscipiens autem librum basilius; ante conspectum eius perlegit usque ad subscriptionem quae dicebat; indulge. statimque excitatus est timore et gaudio perculsus. Simili vero virtute visionem de morte iuliani vidit in ipsa nocte et libanius sophista; cum esset cum iuliano in perside. et questoris dignitate fungeretur. Attonitus ergo de visione basilius; euvulum solum excitans descendit cum ipso in civitatem. atque perrexerunt in ecclesiam sancti martyris mercurii. ubi et ille positus erat et arma eius. Quae cum quaesisset et non invenisset; vocavit custodem. interrogavitque ubi posita essent illa. At ille cum iuramento dicebat; quod sero ibidem fuissent ubi semper servata fuerant. Credens igitur sine ambiguitate basilius quod vera fuisset apparitio; glorificans deum qui non derelinquit sperantes in se; cum festinatione magna et gaudio inenarrabili ascendit in montem. et adhuc omnes dormientes invenit. Quos excitans et in orationem cohortans; in voce exultationis nuntiavit illis quae a deo facta fuerat sibi revelatio. et quod in ipsa nocte interfectus esset tyrannus. et simul cum omnibus gratias agens deo reversi sunt in civitatem.

Praecepit interea ut omnes congregarentur in magna ecclesia; quo participes essent divinae missae. Quo facto; cum sursum eucharistiam sustulisset; signum non est factum sicut consuetudo erat. quia non fuit mota columba. Cogitante autem illo quid esset hoc; vidit unum ex diaconibus innuentem mulieri respicienti desursum. Tunc amovit eum ab ara. et intra ecclesiam custodiri precepit. et sic demum vidit sancti spiritus adventum. Cohortans igitur totam plebem ut per septem dies perseverarent in ecclesia; levitam ieiuniis et vigiliis subiugavit. et ut de facultate sua egenis et advenis praeberet praecepit. et sic divinitate placata praesumeret accedere ad sacrificium. Vela autem statim praecepit suspendi in cathecumenia. contestatusque est mulieres dicens. ut quaecumque extra vela appareret quando divina missa celebraretur; iactaretur ab ecclesia. et sine communione remaneret. Populis autem festivitatem celebrantibus; in fine septem dierum cum omnes in ecclesia manerent; ecce libanius iuliani questor fugiens de perside ingressus est civitatem. Cumque audisset populum congregatum in ecclesia; illuc perrexit. atque nuntiavit de pessima morte iuliani. dicens. subito venit quidam et percussit eum lancea et mortuus est. Dicitur in alio loco quia percussus fuisset divino iudicio in iam dicto bello persico. et inplesset manuum suam de sanguine suo. et sparsisset in caelum dicens. Vicisti galilee. Vicisti. et sic mortuus est.

Post haec igitur libanius procidens ad genua summi sacerdotis; postulavit ut acciperet christi signaculum. Et cum accepisset; sub una domo mansit simul cum basilio et euvulo. Altera autem die praecepit omnibus ut reciperent propriam pecuniam. Illi vero una voce dixerunt. Si regi mortali haec tribuere volumus ut non destrueret nostram civitatem; multo magis immortali regi expedit ut offeramus illa; qui de confinio mortis eruit nos. Ecce in manibus tuis sunt omnia. sicut dominus inspiraverit tibi perage. Ille autem admirans fidelium populorum magnanimitatem; tertiam partem reddidit illis. ac de reliquo adornavit ecclesiam simul cum ciburio. Aram vero ex auro mundo et lapidibus pretiosis decoravit. Convocavitque multitudinem habitantium et sanctificavit aram. et per tres dies festum celebrari constituit. His ita gestis; nonnulli adhuc in errore gentilium manentes accesserunt et dixerunt ei. ecce per orationes tuas civitatem nostram de captivitate ventura liberasti. et templum dei tui optime exornasti. necesse est etiam ut nos ipsos instruas de virtute dei tui. Ille vero breviter demonstravit eis viam veritatis. Qui cum adquievissent; cathecuminos eos fecit et baptizavit. Perveniente autem sancta quadragesima; divina illa sex dierum ermineumata populis disseruit. et multam plebem hebraeorum atque ethnicorum perduxit ad christum.

Nonnulli vero ex illis qui superaverant gentilibus nec non et arrianis detraxerunt basilio apud valentem imperatorem. dicentes; quod patri consubstantialem filium praedicaret. et quod horreret atque respueret eorum dogma. Illis igitur credens propter simplicitatem scientiae valens; misit ut veniret basilius in antiochiam civitatem. Anastasius vero protector pergens in civitatem caesaream; manifesta basilio fecit quae praecepta fuerant ei. Cui in-

quit basilius. et ego fili ante paucos dies cognovi quod imperator crederet stultis hominibus. quando tres calamos confregit. et manus scriptoris attracta est cum voluit exilium meum scribere. et veritatem obscurare. Insensibiles calami retinuerunt incompositos eius impetus. et confringi magis elegerunt quam ministrare apostaticae eius sententiae. Et his dictis arripuerunt iter. Qui cum applicuissent antiochiam; ad praefectorum introducitur iudicium. Interrogatus igitur qua gratia imperatoris non coleret fidem; Respondit. Absit hoc a me ut relinquam callem veritatis; et erroneam arrianorum fidem eligam. Cumque praefectus mortem ei minaretur; dixit ei basilius. fiat michi ut propter veritatem absolvar a vinculis corporis. quia hoc per multum tempus desideravi. Praefectus vero constantiam viri et scientiam cognitam fecit imperatori dicens. Victi sumus o rex. Victi sumus. quia excelsus est nimis vir iste. Cumque imperator per furorem exestuaret; et cogitaret quali morte eum extingueret; per dei ultionem infirmitate percussus est filius eius. in tantum ut desperaretur a medicis. Mater vero eius imperatorem obiurgans dicebat. quoniam male ordinasti quae dei sunt; ecce puer moritur. pro basilii videlicet dei summi sacerdotis iniuria. Haec audiens imperator; accersens basilium inquit ad eum. Si verae sunt doctrinae tuae et deus in eis gaudet; filii mei infirmitatem per tuam orationem expelle. Ille ait. Si credis imperator orthodoxam fidem; et congregatur ecclesia dei per te; vivet puer. Illo vero promittente; non tardavit sanctus basilius in adventu suo levem facere pueri infirmitatem. Qui vero cum imperatore erant heretici episcopi opprobrium non sustinentes; suaserunt ei ut non se moveret a suo sensu. fidem illorum inconcussam tenens. ac si per illorum fidem puer convaluisset. Quo facto statim puer inter manus eorum mortuus est. Huic facto anastasius protector intererat. qui post mortem valentis intimavit imperatori valentiniano fratri eius de insigni bonitate viri. Ille autem attonitus glorificavit deum. atque inestimabile pretium dedit praedicto protectori; ut deferret ei ad opus egenorum. At ille munificentiam imperatoris conspiciens; aedificavit domos venerabiles intra civitatem et in omnibus partibus provinciae pro requie infirmorum. et collocavit ibi multitudinem virorum ac mulierum. nec non et puerorum. et magna diligentia requiem faciebat illis. Haec audiens imperator; opes multas donavit ad stipendia illorum. et venerationem maximam exhibuit summo sacerdoti christi.

Elladius autem quidam beatae memoriae qui inspector basilii et minister fuit; et successor throni eius; vir per omnia mirabilis omnique virtute redimitus. narravit michi inter caetera quia senator quidam fuit fidelis nomine proterius qui venit cum filia sua ad sancta et venerabilia loca. ut ibidem filiam suam tonderet. et in uno ex venerabilibus caenobiis sacrificium vivum deo eam offerret. Sed antiquus homicida diabolus aemulatus est eiusdem bonum consilium. et commovit unum de eius famulis. et conflagravit eum ad intolerabilem puellae amorem. Ille vero dum indignus esset tali praesumptione; et non auderet accedere ad talem actionem; locutus est ad quendam horribilem epaydum. spoponditque ei quod si ea abuti posset; magnum ei tribueret auri pondus. Tunc maleficus dixit ei. O iuvenis. ego impotens sum ad hoc. sed si vis dirigo te ad meum patronum diabolum. et ille perficiet tuam voluntatem; si tu prius feceris quodcumque ei placuerit. Ille autem dixit ei. etiam faciam omnia quaecumque dixerit michi. Et ille inquit. abrenuntias christum tuum per scriptionem? Et ille. etiam. Ait ei iniquitatis patrator. si ad hoc paratus fueris; cooperator tui ero. At ille. paratus sum inquit. tantum perficiatur desiderium meum. Tunc fecit iniquitatis magister litteras diabolo. habentes textum istum. Revera sicuti pro meo dominatore atque provisore nec non et patrono necesse est michi festinare. et a christianorum quos possum subtrahere fide; et tuae annectere benivolentiae. quo multiplicetur portio tua. Nunc autem dirigo tibi hunc meae portitorem litterae; amorem habentem in puellam. et deprecor ut petitio eius impleatur. quatinus et ego in hoc glorificatus; cum fortiore auctoritate congregare valeam amatores tuos. Deditque homini litteras. et ait. perge. et circa talem horam noctis sta super sepulcrum ethnici. et exalta cartam in aere. et statim aderunt qui debeant te perducere ad diabolum. Ille igitur promptus haec faciens; exclamavit miserabili voce. et querebat diaboli solacium. Et statim astiterunt ei principes potestatis tenebrarum; et spiritus nequitiae.

qui tulerunt eum cum gaudio magno. atque portaverunt eum ubi erat diabolus. Ille vero monstravit se ei sedentem super sedem excelsam et ultro citroque nequissimi spiritus astabant. Suscipiens igitur quas pharmacus miserat litteras; dixit miserrimo. Credis in me? Inquit ille. etiam credo. Et diabolus. Negas christum tuum? Ille dixit. nego. Dixit diabolus. Deceptores estis vos christicolae. quando enim me necesse habetis; venitis ad me. Cum autem perficitis desiderium vestrum; negatis me et acceditis ad christum vestrum. ipse autem dum est benignus et misericors suscipit vos. Sed fac michi scriptum de negatione christi tui; et de baptismi spontanea abrenuntiatione; et quod michi in sempiternum sponte tua subiugatus sis. et quod una mecum sis in die iudicii; et recipias quae michi preparata sunt aeterna supplicia; et ego statim desiderium tuum adimplebo. Ille autem statim scripsit cyrographum; sicut expetitus fuerat. Mox autem animarum corruptor draco misit scortorum daemones; et accenderunt puellam ad amorem praefati pueri. Quae prostravit se terrae. caepitque clamare ad patrem. miserere mei miserrimae; quia pessime crucior pro tali nostro famulo. Compatiens esto visceribus tuis. et demonstra michi paternum affectum unigenitae tuae. et coniunge michi puerum quem diligo. quoniam si non vis hoc facere; videbis me post paululum mortuam amarissima morte. et rationem reddes deo pro me in die iudicii. Pater vero eius lacrimans aiebat. vae michi peccatori. quid contigit miserrimae filiae meae? quis meae nocuit filiae? quis claram lucem oculorum meorum obcaecavit? Ego enim te caelesti despondi christo. et volui angelorum contubernalem constituere. ut in psalmis et ymnis et canticis spiritualibus laudares deum. et per te salvus esse speravi. et tu desiderio stupri exestuas? Sine me ut coniungam te sicut volo. et noli deponere senectutem meam cum tribulatione ad inferos. et nobilitatem parentum tuorum cum dedecore cooperire. Puella autem quasi telam aranearum quae dicebantur a patre reputans; perseverabat dicens. pater mi. aut comple desiderium meum; aut in modico videbis me mortuam. Pater vero illius cum in magna defectione factus esset; et ingenti tribulatione confusus; et multo magis amicorum consiliis adquiescens qui monebant eum dicentes; melius est ut voluntas eius compleatur quam ut semetipsam interficiat; tandem praecepit ut puellae compleretur desiderium. ne semetipsam amarissimo traderet laeto. Tunc accersivit puerum et propriam filiam. deditque ei omnia quae habebat dicens. Salva esto filia mea. perge. dominus tecum. certe miserrima multum plorabis poenitendo in posterum quando nichil tibi proderit. Igitur cum illicitum coniugium factum et diabolica operatio completa fuisset; modico percurrente tempore cognoverunt nonnulli quod puer non introiret in ecclesiam. nec accederet ad venerabilia loca. nec immortalem et sanctam sumeret eucharistiam. Et dixerunt miserrimae coniugi eius. scito praenoscens quia vir tuus quem dilexisti christianus non est. sed exter a fide et desertus. Quae nimio dolore repleta prostravit se solo. et caepit laniare se unguibus. et pectus suum percutiendo fortiter clamabat dicens. quis inoboediens fuit parentibus suis et immunis evasit? et quid putavi? quis annuntiabit patri meo de meo dedecore? heu me miserrimam. in quale profundum perditionis lapsa sum. Cur ergo nata et renata? Cur non statim renata consumpta sum? Taliter plorante illa; cognovit seductor vir eius. et veniens ad illam affirmabat quod non sic se haberet veritas. Illa vero in refrigerium veniens per seductoria eius verba dixit ei. Si cupis satisfacere animae meae; cras unanimiter procedamus in sanctam ecclesiam. et coram me suscipe immaculatam eucharistiam. et sic me facies certiorem. Tunc coactus ille indicavit omnia quae fecerat. Quae mox cucurrit ad nostrum pastorem et discipulum christi basilium. clamans et dicens. Miserere mei discipule domini; quia daemoniis annexa sum. Miserere mei quae proprio patri inoboediens fui; et daemonibus oboedivi. Et dixit ei ordinem rei. Sanctus vero dei accersivit puerum; et sciscitatus est eum si haec ita se haberent. At ille cum lacrimis respondit. etiam sancte dei. Nam et si ego tacuero; operationes meae clamant. Narravitque ei quemadmodum ab initio usque in finem sectatus fuerat diabolicam operationem. Sanctus vero ait. vis converti ad dominum deum tuum? Dixit ei puer. volo. sed non possum. Et sanctus. quare? Respondit puer. quia cyrographo abrenuntiavi christo. et tradidi me diabolo. Dicit ei sanctus. ne cures. benignus est deus noster. et suscipiet te poenitentem. miseri-

cors est enim super malitias nostras. Tunc prostravit se puella ad pedes eius; et obsecrabat dicens. discipule christi. in quantum vales adiuva nos. Inquit ad puerum sanctus. credis quod possis salvus fieri? Respondit ille credo domine. adiuva meam infidelitatem. Qui statim apprehendit manus eius: et faciens super eum christi signaculum oravit. et clausit eum in una domo circa sacra loca. dans ei regulam. et cooperator eius factus est per tres dies. Post hos autem dies visitavit eum dicens. quomodo habes fili? At ille. in magno inquit discrimine sum sancte dei. et non suffero clamores eorum. et terrores atque iaculationes. Retinent enim cautionem meam; atque expugnant me dicentes. Tu venisti ad nos. nequaquam nos ad te. Dicit ei sanctus. noli timere fili. tantum crede. Et tribuit ei modicum cibum. fecitque super eum christi signaculum. et orans clausit eum. Et post paucos dies iterum visitavit eum dicens. quomodo habes fili? Respondit ei. pater sancte. a longe clamores illorum et minas audio. nam non contemplor eos. Hoc igitur cum per quadraginta dies fecisset; postea venit ad illum et ait. quomodo erga te est frater? Ille respondit. bene sancte dei. Vidi enim te hodie per somnium dimicantem pro me. et vincentem diabolum. Mox autem secundum consuetudinem fecit orationem; et eduxit eum inde. et introduxit in cubiculum suum.

Mane autem facto; convocavit venerabilem clerum. et coenobia. et populum universum. Quibus inquit. Filii mei karissimi. omnes gratias agamus domino. ecce enim ovem perditam debet pastor bonus super humeros levare et perducere ad caulas. Oportet ut et nos per totam vigilemus noctem. deprecando eius bonitatem; ut non vincat corruptor animarum diabolus. Igitur cum haec egisset; et sponte populus congregatus fuisset; per totam noctem deprecati sunt deum cum egregio pastore. cum lacrimis clamantes pro eo. Domine miserere. Mane autem facto cum omni multitudine populi assumpsit eum sanctus. et tenens dexteram eius duxit eum ad sanctam dei ecclesiam cum psalmis et ymnis. Et ecce diabolus qui semper invidet nostrae vitae; et non vult ut simus sine tribulatione. venit cum omni sua fracta virtute. et invisibiliter apprehendit puerum. et voluit eum auferre de manu sancti. Et in tanta procacitate constantiae venit; ut et ipsum egregium basilium impelleret atque revolveret. Tunc caepit clamare puer. sancte dei adiuva me. Conversus autem sanctus ad satanam dixit. pertinax. et animarum corruptor. pater tenebrarum et perditionis. non sufficit tibi tua perditio quam tibimetipsi et eis qui tecum sunt fecisti? quare non desinis dei mei expugnare plasma? Diabolus vero dixit ei. iniuste michi hoc facis o basili. ita ut multi ex nobis voces eius audirent. Sanctus vero dixit ei. increpet tibi dominus deus satana. Respondit ille iterum. O basili. iniuste michi facis. non enim perrexi ego ad illum; sed ille ad me. et abrenuntiavit christo sua sponte. et repromisit michi. et ecce cyrographum eius in manibus habeo. et in die iudicii ante communem iudicem offeram illum. Sanctus dei dixit. benedictus dominus deus meus. non deponet plebs ista manus suas ab altitudine caeli; usque dum reddas cyrographum. Et conversus dixit plebi. levate manus vestras ad altitudinem caeli omnes clamando kyrie eleyson. Cumque perseveraret populus per horam prolixam; et extensas haberet manus ad caelum; ecce cyrographum pueri per aerem transvectum venit. et cunctis videntibus introivit in manus beati basilii. Qui suscipiens illud et gratias agens deo; gavisus factus est valde. Et inquit sanctus puero. cognoscis cautionem tuam frater? Et ille dixit. etiam sancte dei. ydiocyrum meum est. Sciditque sanctus praedictum cyrographum. Et introduxit eum in ecclesiam. et dignum fecit illum ut audiret missam sanctam. et susciperet sanctam eucharistiam christi. faciens praeparationem magnam et suavitatem omni populo. Dehinc accersivit puerum et admonuit illum. tribuens ei regulam oportunam. et reddidit illum coniugi eius; magnifice glorificantem et laudantem deum.

Narravit michi et hoc praedictus venerabilis vir elladius; quod quadam die sanctus pater basilius exiit de civitate nemini dicens quo pergeret. sed ante nos precedebat dicens nobis. filioli. sequimini me. ut videatis una mecum gloriam dei. et admiremur in discipulis magistrum. Egrediente vero eo; cognovit per virtutem sancti spiritus presbiter anastasius. dixitque coniugi suae nomine tantum. sed usu sorori. Domina soror. ego quidem vadam ad agrum colendum. tu vero surge munda domum tuam. et circa horam nonam tolle turibulum cum

cereis; et obvia sola sancto patri nostro basilio archiepiscopo. qui venturus est ut maneat in domo nostra. Illa vero tremefacta pro admirabili locutione. fecit sicut erudita erat. Erat autem et ipsa virgo. caste vivens per quadraginta et eo amplius annos a conversatione qua cum illo habitaverat. quae se custodiendo secretum sterilem simulabat hominibus. Illa vero obvians nobis decenti reverentia; cum nos salutasset; in primis benedicta est a sancto patre nostro. Post haec dicit ad eam. quomodo te habes domna theognia? illa vero stupefacta in vocatione nominis sui; dicit ei. bene sancte dei. Dicit ei sanctus. ubi est domnus anastasius presbiter frater tuus? Cui inquit. vir meus est domine. et abiit ad agri operationem. Ille vero dixit ei. in domo tua est. ne fatigeris. Illa vero attonita in locutione seu vocatione nominis eius; nec non quia dixerat ei sanctus pater noster quod mulier eius esset nomine; soror vero opere; cecidit in terram. et clamavit dicens. Sancte dei. ora pro me peccatrice. quia magnas et mirandas video in te res. At ille faciens super eam orationem; ante nos properabat. Appropinquantibus autem nobis domui presbiteri; obviavit et ille. et osculatus est pretiosos eius pedes. dansque in domino osculum. Dicit ei presbiter. Unde hoc michi ut veniat sanctus dei ad me? Respondit ei sanctus. bene te inveni discipule christi. Et ait ad illum. procedamus et canamus sanctam missam. Erat autem et ipse sacerdos ieiunans omnibus diebus. excepto sabbato et dominica. et nichil comedens aliud nisi panem et aquam. Et cum introissemus sanctam ecclesiam; exhortatus est presbiterum ut missam cantaret. Ille autem dixit. sancte dei. sicut doces minor a fortiore debet benedici. Dicit ei sanctus. cum omnibus virtutibus tuis habe obaedientiam. Tunc adquievit presbiter. et inchoavit sanctam missam. In illa autem hora quando sursum extulit vivificum corpus domini nostri ihesu christi; vidit sanctus dei et aliquanti qui digni erant sanctum spiritum instar ignis circumdantem presbiterum et sanctam aram. Communicantes vero nos et gratias agentes deo; ivimus in domum presbiteri et sumpsimus cibum. Dixit autem presbitero basilius. narra michi unde tibi thesaurus iste? et quae tibi actio? Dicit ei presbiter. Ego sancte dei homo sum peccator. subiugatus publicis censibus. Sunt michi duo paria boum. et unum quidem ego duco. alterum vero mercenarius meus. Unum vero est in ministerio egenorum; et alterum in opere censuum. Et ista similiter ancilla tua uxor mea ministrans est egenis et michi. Dicit ei sanctus. voca eam sororem tuam siculi est. et dic michi reliquas tuas actiones. Dicit ei presbiter. non possideo quid boni super terram. sed extersum ab omni actione bona. Tunc dicit ei sanctus. surge veni mecum. Et portavit eum in unum cubiculum domus eius dicens. aperi ianuam istam. Presbiter autem dixit ei. non sancte dei. ne digneris introire. quia sterquilinii domus est. Inquit sanctus. et ego volo videre sterquilinium istud. Et cum nollet presbiter aperire clavi. verbo ea sanctus aperuit. Et ingressus invenit leprosum cui iam ceciderant multa ex corpore membra. et nemo illum noverat quod ibi maneret nisi presbiter et eius soror. Dicit sanctus. quare voluisti michi abscondere thesaurum istum? Dicit ei presbiter. contumax est domine et iniuriosus. et ideo timui ne in sermone rueret. Dicit ei pater noster. bene certasti in eo sed sine me ut per noctem istam ministrem ei. ut et ego pro te mercedem accipiam. Relinquentes vero sanctum in cubiculo cum leproso qui nec vocem habebat ut loqui valeret propter periculum passionis. clausimus ianuas atque perreximus. Sanctus autem fecit super illum orationem. et per totam noctem deprecatus est deum; ut qui omnem infirmitatem et omnem languorem sanat; curaret illum. Tunc dum una nobiscum presbiter esset. dixit. Gloria tibi deus qui facis voluntatem timentium te. et deprecationes eorum exaudis. ecce medicus infirmum fecit sanum. Statimque vocavit sanctus basilius ut aperiremus illi ianuam. Et cum aperuisset; excussit leprosum totum sanum. ita ut non haberet cicatricem vulnerum in artibus suis. loquentem rite et glorificantem deum. Et cum hoc miraculum factum fuisset; reversi sumus cum gaudio magno in nostram civitatem. laudantes ac benedicentes deum.

De duobus equis velociter currentibus et conturbantibus aquas multas sicut dicit divinus abbacuc narrationem volo facere. idest de basilio et ephrem syro. videlicet quod de sancto patre nostro contemplatus sum. et quod de sancti et venerabilis ephrem impolluto ore audivi. Igitur ephrem iste mirabilis dum maneret in deserto; quaedam per illustratio-

nem sancti spiritus vidit. quaedam vero per interrogationem didicit de operibus sancti nostri pastoris basilii. unde et indesinenter deprecabatur deum ut revelaret ei qualis esset basilius. In mentis ergo excessu factus vidit columnam igneam. cuius cacumen pertingebat usque ad caelum. et audivit vocem e summo dicentem. Ephrem. Ephrem. qualis haec columna ignea talis est et magnus basilius. Qui statim tulit interpretem; propterea quia non sciebat loqui attica lingua. et venit caesaream. applicuitque ibi in ipsa festivitate theophaniae. Qui cum ingressus clanculo in sanctam ecclesiam fuisset; atque vidisset procedentem per ecclesiam sanctum basilium; dixit ad illum qui cum ipso erat. Existimo frater quia in vacuum fatigati sumus. quia iste profecto qui in tali manet ordine; non est quemadmodum vidimus. Vidit etenim illum indutum stola candida. similiter et venerabilem clerum dealbatum antecedentem illum. stansque in absconso ecclesiae augulo quasi desperando dicebat in semetipso. nos qui portavimus pondus diei et estus. nichil proficimus. et iste in tali ministerio et honore humano columna ignea est? admiror. Haec eo cogitante. misit ad eum sanctus archidiaconum suum dicens. perge ad occidentalem angulum ecclesiae. et cum inveneris monachum habentem cucullam; et alterum unum cum rara barba et brevi statura; dic ei. Si placet ingredere in sanctuarium. quoniam vocat te archiepiscopus. Archidiaconus autem cum fatigio magno dividens plebem; abiit ubi stabat sanctus ephrem. et sic ei orsus est fari. Domine benedic. Si tibi placet ingredere ad exedram. quia vocat te pater tuus archiepiscopus. Qui cum cognovisset per interpretem quae dicta uerant; respondit dicens. Errasti frater nos exteri et ignoti ei sumus. Archidiaconus vero reversus nuntiavit magno basilio haec. Interea insignis basilius dum sacram scripturam legeret populo; sanctus ephrem vidit linguam igneam loquentem per os eius. Iterum autem sanctus basilius dixit archidiacono. perge dic ei. Domine ephrem. si tibi placet intra ad sanctum tribunal. quia vocat te archiepiscopus. Ille vero abiit; et osculans vestigia eius dixit. Domine ephrem. ingredere. quia rogat te pater tuus archiepiscopus ut ingrediaris ad sanctum tribunal. Attonitus autem in istis sanctus ephrem; glorificavit dominum. prostratusque respondit dicens. Vere magnus basilius. Vere columna ignea basilius. Vere spiritus sanctus loquitur per os eius. Rogavit autem archidiaconum ut diceret ei; quia melius est ut post sanctam missam in gazophilacio salutem eum. Ingressus vero post absolutionem in gazophilacium insignis basilius; convocans sanctum ephrem tribuit ei in domino osculum dicens. Bene venisti pater filiorum heremi. Bene venisti; qui multiplicasti discipulos christi in ipsa; et daemonia effugasti per christum. Ad quid fatigium tuum pater? venisti videre peccatorem hominem. retribuat tibi deus mercedem secundum fatigium tuum. Tunc sanctus ephrem dicens ei omnia quae in corde suo versabantur; una pariter cum illo qui secum erat communicaverunt de sanctis manibus eius. Qui cum fecissent caritatem; dixit sanctus ephrem. pater pretiosissime. unam quaero abs te gratiam. et hanc annue dari michi. Dixit ad eum sanctus basilius. praecipe quae placita sunt tibi. multa enim tibi debeo. maxime pro fatigio quod ad me sumpsisti. Dicit ei sanctus ephrem. Scio pater sanctissime quia omnia quaecumque poposceris a domino dabit tibi. volo ergo ut depreceris deum ut faciat me loqui attice. Ille dixit. super potentiam meam petisti. sed quia fideliter quaeris; veni pater sanctissime et deprecemur dominum. potens etenim est facere voluntatem tuam. scriptum est enim; voluntatem timentium se faciet; et deprecationes eorum exaudiet. et salvos faciet eos. Et cum fecissent orationem per prolixam horam; surrexerunt. Dixitque ei magnus basilius. quare domine ephrem non suscipis manus impositionem presbiterii? decet enim te. Respondit ei per interpretem. quia peccator sum. Respondit sanctus basilius. utinam ego habuissem peccata tua. Dicit ei iterum. procidamus. Qui cum prostrati essent terrae; posuit manum super sanctum ephrem sanctus basilius. faciens orationem et dicens. praecipe ut surgamus. Tunc patula clarius facta lingua eius; dixit pretiosus ephrem attica lingua. Salva. Miserere. Erige. et custodi nos deus in tua gratia. Et adimpletum est quod scriptum est. Tunc saliet sicut cervus claudus; et aperientur linguae mutorum. Loquente vero illo grece; omnes glorificaverunt deum cunctipotentem. qui exaudit orationes servorum suorum. atque spiritualiter congaudentibus illis per tres dies; et consecrato

sancto ephrem presbitero; et interprete eius diacono; dimisit eos cum pace ad loca ipsorum. glorificantes et laudantes deum in omnibus quae viderant et audierant.

Post haec cum valens imperator ascenderet constantinopolim; et transitum faceret per niceam civitatem; accesserunt ad eum arrianae hereseos primores postulantes ut iactaret fidelissimam dei plebem de sancta ecclesia; et eam tribueret illis. Ille vero tyrannus et indignus apice imperiali dum esset defensor nefariae illorum heresis; ad hoc protinus inclinatus est. atque militari manu proiciens fidelem et orthodoxam plebem de ecclesia; concessit eam arrianis. Cum igitur in multa animi defectione propter hoc essent omnes fideles; deprecabantur deum nocte ac die ne fieret ecclesia eorum congregatio hereticorum. In illo autem tempore venit in ipsam niceam civitatem sanctus basilius. et occurrit ei omnis orthodoxorum plebs. et narrans ei omnia quae iniuste illis fecerat imperator. At ille. nolite inquit legere. non enim patietur dominus hoc usque in finem perfici. sed patienter expectate misericordiam eius. Ingressus vero beatus basilius constantinopolim; cum videsset imperatorem valentem dixit ad eum. O imperator. Scriptum est honor regis iudicium diligit. Et sapientia dicit. Iudicium regis iustitia. Si hoc ita est; quare tua potestas dignum duxit prohicere orthodoxos de illorum ecclesia; et constituere in ea hereticos? Dicit ei valens. Iterum ad iniurias conversus es o basili? non expedit tibi. Dicit ei sanctus. expedit profecto michi propter iustitiam et bonitatem etiam mori. Dicit ei imperator. perge tu et iudica inter illos. sed ne plus compatiaris plebi tuae. Et sanctus. si reprehenderis inquit iudicium meum; et me in exilium mitte; illos iterum proice. et concede ecclesiam hereticis. Venit igitur in niceam cum litteris valentis. accersivitque arrianos et dixit ad illos. Ecce imperator praecepit michi ut iudicem inter vos et orthodoxos de causa ecclesiae quam vi eis tulistis. Arriani dixerunt. iudica. sed secundum decretum imperiale. Sanctus inquit. venite vos et orthodoxi et diligenter claudite ecclesiam utrique. atque sigillantes ponite custodes. et pergite prius vos et orate per tres dies et noctes. et post haec redite ad ecclesiam. et si per orationes vestras aperta fuerit vobis; habete illam in sempiternum. Sin autem vigilabimus et nos per unam noctem. atque canendo cum letaniis ibimus ad ecclesiam. et si quidem aperta fuerit nobis; habeamus eam in saecula. Si vero non fuerit aperta; iterum vestra sit ecclesia. et recipite eam. Placuit autem sermo iste in conspectu arrianorum. Orthodoxi vero contradicebant sancto basilio. atque asserebant quod non recte iudicaret propter pavorem imperatoris. Igitur cum facta esset firmitas magna ab utrisque partibus; dati sunt et custodes qui custodirent cum omni cautela sanctam ecclesiam. Tunc secundum iudicium sancti basilii oraverunt arriani per tres dies. et abierunt cum letaniis ad sanctam ecclesiam. steteruntque ibi a mane usque ad horam sextam. clamantes kyrie eleyson. sed non est aperta illis ecclesia. fatigatique recesserunt sine effectu. Qui cum reversi essent; vocavit eos sanctus et ait. Ecce secundum quod praeceptum vobis fuit fecistis. sed sicut didicimus non est aperta vobis ecclesia. Faciamus ergo et nos orationem per unam noctem. et cum letaniis pergamus. et si non aperta fuerit nobis; accipite eam secundum iudicium meum. Tollens igitur sanctus basilius orthodoxam plebem cum mulieribus et infantibus; exiit foras civitatem ad templum sancti et gloriosi martyris dyomedis. et postquam fecit per totam noctem vigilias et orationes; movit plebem canentem. Sanctus deus. Sanctus fortis. Sanctus immortalis miserere nobis. Et ingressus in atrium sanctae ecclesiae in quod et arriani introierant; dixit plebi. Levate manus vestras ad altitudinem celi ad deum. clamando incessanter kyrie eleyson. Cumque hoc fecisset tota plebs; benedicens populum praecepit silentium fieri. Post haec autem signavit ter ianuas aecclesiae dicens. benedictus deus christianorum in saecula saeculorum. Et cum plebs simul confirmasset orationem dicendo amen. statim confractae sunt serae. et apertae sunt ianuae quasi a vento valido. percusseruntque in parietibus. Caepit igitur sanctus basilius dicere. Tollite portas principes vestras. et elevamini portae aeternales. et introibit rex gloriae. et introivit in sanctam dei ecclesiam cum omni catholica plebe. Qui dum complesset sanctam missam; absolvit populum cum laetitia et pace. glorificantes deum qui non avertit faciem suam a sperantibus in se. Inestimabilis autem plebs arrianorum; cum certa facta es-

set in facto miraculo; abrenuntiavit propriae sectae; et rediit ad christianorum orthodoxam fidem. Imperator autem cum cognovisset quod factum fuerat; reprehendit arrianorum erroneum certamen. quia non potuit reprehendere iudicium sancti patris basilii. Amplius autem caecatus oculis cordis; nec sic conversus ad fidem dei; permansit inflexibilis et immitis. ac non multo post tradidit in praelio quod contra gothos excitaverat ipse valens post magnam suorum perditionem spiritum suum. Vulneratus enim versusque in fugam cum ob dolorem nimium saepe equo laberetur; atque in vilissimam casulam deportatus esset; supervenientibus gothis igni supposito concrematus est. et sic traditus est aeterno igni. et cruciatur in saecula saeculorum. Iusto itaque dei iudicio ab illis crematus est; qui illum rogaverant ut praedicatores eis sanctae fidei mitteret. ille vero nequissimus ad eos arriani dogmatis direxit episcopos. et per illum universa gens gothorum arriana effecta est. et tradita aeterno igni.

Mulier quaedam fuit dives. et genere nobilis. et circa saeculi huius vanitates prae cunctis elata. nichilque horum quae deo sunt placita possidens. Haec per dispensationem misericordis dei qui dixit nolo mortem peccatoris sed ut convertatur et vivat; sero tandem ad se reversa; illuminata mente secretum locum petens et sedens sola; cogitabat de mole iniquitatum suarum. flensque dicebat. Vae michi peccatrici et luxuriosae atque impudicae. quomodo emundabor a multis et maximis sordibus peccatorum meorum? quam rationem redditura sum infelix ego de innumerabilibus criminibus quae operata sum? et de iis maxime quae post sanctum baptismum commisi? Quae enim meretrix sordidior unquam vel sceleratior me fuit? Hei michi miserrimae. quomodo satisfaciam? aut quibus me lacrimis abluam? aut quomodo confidam quia poenitentem me suscipiat deus? Haec ea cogitante nimiumque plorante. ascendit in cor eius tale consilium quale non puto sine superna inspiratione ei ascendere potuisse. sedens enim cogitabat quae et quanta ab adolescentia usque ad senectutem egerat. et omnia scripsit in carta. ad postremum vero scripsit etiam quod commiserat maius peccatum. eandemque cartam plumbo bullavit. custodiensque congruam horam quando sanctus basilius ad consuetas orationes pergebat ad sanctam ecclesiam; currens proiecit cartam ante vestigia eius. et proiciens se in faciem clamabat dicens. Miserere mei sancte dei; Miserere mei christi discipule; quae super omnes peccatrix existo. Stans autem sanctus; inquirebat ab ea causas gemituum eius. Quae dixit ei. Ecce domine mi omnia peccata mea scripsi in carta hac et bullavi. Tu autem vir dei bullam non solvens; per solam orationem tuam haec omnia dele. Credo enim quoniam qui michi dedit hoc consilium; per omnia exaudiet orationem tuam pro me. Sanctus autêm basilius accipiens cartam; et aspiciens ad caelos dixit. Tuum domine solius est opus istud. qui enim mundi totius peccata tollis; istius quoque unius animae facile subvenire si dignatus fueris praevales. quantaecumque enim fuerint nostrae iniquitates; tuae eas potentiae manus delere et dimittere potest. Et haec dicens ingressus est ecclesiam. tenensque cartam et proiciens se ante altare; mansit per totam noctem illam orando. et in crastinum intra missarum sollemnia incessanter deprecans deum. Completa vero celebratione missarum; vocavit mulierem. et reddens ei cartam dixit ad eam. Audisti mulier quia nullus potest dimittere peccata nisi solus deus? quae dixit. Audivi pater. et propter hoc movi te ad precandam misericordiam eius. Et haec dicens solvit cartam. et invenit eam puram tamquam novam. Remansit vero magnum illud peccatum non deletum. Quod videns mulier defecit. et percutiens manibus pectus suum; cecidit ad pedes viri dei. clamans et dicens. Miserere mei serve dei excelsi. et sicut pro omnibus meis peccatis certasti et exauditus es; ita et propter hoc peccatum deprecari dignare; et omnino delebitur. Vir autem dei lacrimans dixit ei; surge mulier. quia et ego homo sum. opus habens et ipse indulgentia. Qui vero delevit peccata tua quotquot voluit; potens est etiam et hoc peccatum exterminare; si amodo te ipsam custodieris a peccatis. et in viis domini ambulaveris. Vade itaque in heremum; et invenies virum sanctum nomine ephrem. et huic porrige cartam; et deprecabitur pro te et propitiabitur tibi dominus. Mulier autem valedicens sancto; festinanter perrexit ad heremum. et itineris longitudine peracta; venit ad designatum sibi locum magni heremitae. et inquirens invenit cellam eius. et pulsans

clamabat. Miserere mei vir dei excelsi. Qui prospiciens et spiritu cognoscens causam eius dixit. recede a me mulier. quia et ego homo peccator sum. Quae proiciens cartam dixit. archiepiscopus basilius misit me ad te; ut orando ad deum deleas peccatum meum. reliqua enim multa idem sanctus basilius oratione sua delevit. tu autem pro uno ne pigriteris orare deum; quia ad te missa sum. Cui vir dei respondit. Noli filia. Noli. qui enim pro multis valuit propitiare divinitatem; et pro uno amplius me potest rogare peccato. Vade ergo et noli stare. et dominus deus sit tecum. Quae absoluta a viro dei; venit iterum in caesaream. Et cum ingrederetur civitatem; obviavit ei funus corporis sancti basilii. et hoc videns caepit clamare provoluta in terra. et tanquam contra vivum ita adversus eum conqueri. ita dicendo. Vae michi miserae. Vae michi serve dei. ideo me ad heremum transmisisti; ut tu sine molestia abscederes. et ecce sine effectu reversa sum. Videat deus et iudicet. quia cum tu posses deum michi propitiare; ad alium me transmisisti. Et haec dicens; proiecit cartam supra corpus. recitans coram omni populo causam. Currens autem unus de clero; apprehendit cartam. cupiens videre quale esset peccatum. et exsolvens invenit eam totam mundam et puram. et exclamavit voce magna ad mulierem dicens. pura est o mulier tota carta et munda. Et mulier omnesque cum ea glorificaverunt deum. qui habet potestatem in terra dimittendi peccata. et glorificantes se glorificat et exaudit.

Hebraeus quidam ioseph nomine in arte medicinae adeo peritus erat; ut tactis aegrotantium pulsibus; ante quinque seu tres dies praevideret et praenuntiaret futura. Sanctus autem basilius praesciens eum fidelem futurum; valde diligebat eum; et frequenter cum eo collocutionem habebat. monens ut relicta superstitione iudaica; christianae fidei copularetur. Ille vero renuebat dicens. nequaquam. sed in qua fide natus sum in ipsa et finem faciam. Insignis vero basilius dicebat ei. crede ioseph; quia neque tu neque ego ex istis transmigrabimus tumultibus; quam renasci te faciat dominus meus ex aqua et spiritu. sine qua profecto impossibile est hominem introire in regnum dei. Nunquidnam et patres vestri non baptizati sunt in moyse in nube et in mari? et biberunt de spirituali consequenti eos petra? petra autem erat christus. Qui in novissimis diebus ex virgine incarnatus propter nostram salutem; et homo factus et miracula multa faciens; passus et occisus a patribus tuis in carne; sepultus et tertia die resurgens in caelos ascendit. sedetque ad dexteram patris. qui venturus est cum gloria magna et cum angelis suis iudicare vivos ac mortuos. et retribuere unicuique secundum opera eius. Tali vero admonitione dum eum sedulo instrueret; ille adquiescere nolebat. Quando autem placuit ei qui illum vocavit ex utero matris eius. ut susciperet spiritus sancti gratiam; instabat tempus quo sanctus dei de hoc mundo migraret. qui accersivit eum quasi pro medicinali industria. Cui inquit. quid cernis erga me? ille autem per pulsum sentiens eius mortem vicinam; ait ad famulos eius. ad sepeliendum vestimenta praeparate. iste enim statim moriturus est. Tunc dixit ei sanctus basilius. nescis quid dicas. Ait ad eum ioseph hebraeus. crede domine; quia cum sole occumbes hodie. Dicit ei sanctus. et si non mortuus fuero usque ad crepusculum; quid tibi erit? Respondit hebraeus. non potest domine fieri hoc. vix enim una hora erit anima tua in te. Sed dispone de ecclesia tua; atque de substantiis tuis ac rebus. non enim obscurabitur dies super te. Sanctus ait. Et si perseveravero in crastinum usque ad horam sextam; quid acturus eris? Ille dixit. moriar. Cui sanctus. etiam sic fiet inquit. ut peccato mortuus vivas christo meo. Respondit hebraeus. Scio quid dicis. faciam autem praeceptum tuum pater sanctissime; si sicut asseris fiet. Et cum terribilibus sacramentis promisit quia si viveret dei famulus; veraciter reciperet sancti baptismatis gratiam. Deprecatus est igitur deum egregius pater noster; ut spatium vitae concederet ei; ut et illum salvaret; et mulierem peccatricem expectaret revertentem a sancto ephrem sine effectu. Qui cum postulationem obtinuisset; misit sanctus mane vocans hebraeum. Ille autem venit. sperans eum veraciter reperturum se mortuum. Cumque vidisset illum vivum; stupefactus cecidit ad pedes eius dicens. fideli corde dico. quia magnus est deus christianorum. et non est alius nisi ipse. Respuo igitur totam iudaeorum superstitionem; et concurro fideliter ad veram christianorum religionem. Iube ergo insignis pater sine mora dari michi in christo si-

gnaculum; et sanctum baptisma michi et omni domui meae. Dixit ei sanctus dei. ego te manibus meis baptizabo; cum tota domo tua. Accedens igitur iterum medicus apprehendit dexteram eius. dixitque ei. defecerunt vires tuae domine. et natura difficilis in fine facta est. Dicit ei sanctus. habemus naturae creatorem; qui tribuet virtutem nobis. Surgens itaque introivit in sanctam ecclesiam. et coram tota plebe baptizavit eum cum tota domo eius. vocavitque nomen eius iohannem. et tribuit ei vivifica mysteria. et assumens eum duxit in cubiculum suum. et dans ei cibum docuit eum quae vitae aeternae sunt. Per reliquos vero dies sanctus pergebat per venerabilia loca et pandochia. tribuens eam quae sibi data fuerat a medico pecuniam. et de suis quae superaverant reliquiis.

Et quadam die circa horam nonam stetit ad missam in sancta ecclesia simul cum ordinibus clericorum. Et post absolutionem convescens cum illis panem absolvit eos. commendavitque se eis osculando singulos in osculo sancto. una cum iohanne novo christi milite. commendans et illum et omnes christo. Disposuit autem ut sepelirent cum illo tertiam partem quae a domino data fuerat ei communionis. Et collocavit se in lecto. gratias prolixius agens deo; pro transmigratione sua et fide medici. Et cum adhuc laus esset in ore eius; reddidit domino spiritum. et coniunctus est summis sacerdotibus summus sacerdos. et cum praedicatoribus magni verbi tonitruum. Videns autem medicus qui factus fuerat fidelis quia quemadmodum dixisset dei summus pontifex basilius ita requievisset; cecidit super pectus eius cum lacrimis. vociferans et dicens. Vere famulus dei es o basili. et si voluisses nec modo obiisses. In crastinum vero. congregata est plebs civitatis; et portaverunt pretiosum corpus eius in sanctam ecclesiam. et cum aromatibus et thimiamatibus illud sepelire parabant.

Cum ecce audiens gregorius nazanzene ecclesiae praesul; currens advenit. Et cum vidisset pretiosum corpus eius; procidens super illud lamentabatur valde. et haec compatiens dicebat. Corpus sine spiritu vivere prius quam me sine te basili christi famule amice putavi. sed sustinens steti. Quid tardamus? non auferens pones me in beatorum et tuo ordine? Num me derelinques? hoc sepulcrum testor. nunquam tui obliviscar. Dum basilii theophoni sustulit spiritum trinitas; tota caelestis militia congavisa est ascendenti. Omnis denique cappadociae flevit civitas. celse vociferans. periit praedicator. periit pacis instructor gloriosus. Ah. Ah. basilius clausis labiis silet. Surge et quiescat tuis verbis tempestas. tu enim solus aequalis apparuisti in actione et sermone. Unus deus in excelsis rex; unum dignum pontificem nostris generationibus vidi te o basili. praedicatorem veritatis atque praeconem. oculum splendidum christianorum. animae actionibus refulgentem. Ponti. cappadociae magna gloria hactenus. obsecro ut pro mundo orgia lites. O basili christi magna gloria. O firmitas sacerdotum. O verba. O communis amicitiae aedes. Scitote omnes quia basilius in caelo est sicut desideravit. Gregorius in terra labia obstrusa gero. O cesariensium magna laus. O preclare basili. tonitrui verbum. coruscatio actus. cur ita solium sacerdotale reliquisti? voluit christus ut coniungeret te veraciter caelestibus. Profunda omnia didicisti spiritus. omnia terrenae sapientiae animatum templum fuisti. octonos annos plebis theophronae aurigas tenuisti. Sed hoc tuis o basili parum. Gaude o basili. Gregorius basili tuae figurae has posui superscriptiones bis duodenas. Haec cum audissent qui convenerant ad sepeliendum sanctum virum lamentum et planctum magnum per multas horas fecerunt. in tantum ut sonus clamoris eorum per totam viciniam diffunderetur. Compressit autem illos omnes a tribulatione gregorius. et ad orationem cohortans cum ymnis et canticis spiritualibus debitum honorem gloriosae memoriae magno christi pontifici fecit. una cum concurrentibus duodecim episcopis. et universa plebe civitatis. et collocaverunt in mosoleo. in templo sancti et gloriosi martyris esichii. in quo et eusebius qui ante illum episcopatum tenuit; et simul caeteri sacerdotes praefatae ecclesiae collocati erant. Requievit autem sanctus basilius mensis ianuarii die prima. quinto anno regni valentis et valentiniani. relinquens ecclesiis in memoriam sui quos per cooperationem sancti spiritus scripserat libros. Ad gloriam et laudem domini nostri ihesu christi. Cui est honor et gloria in infinita saecula saeculorum. Amen.

Pag. 723 — (EX VITA S. FELICIS EPISCOPI.)

In principio narrationis nostrae. adesse nobis precamur gratiam domini nostri ihesu christi. quatinus ea quae per beatum felicem nostro tempore acta sunt proferre fideliter valeamus. Quidam igitur episcopus xistus nomine nolanae civitatis erat. habens nepotem. qui ab homnibus diligebatur eo quod infans sic prudentissime saperet. Hic prope horam accedendi ad missam obdormivit. et videt sanctum felicem dicentem sibi. dic episcopo ut non ingrediatur ad processionem quousque revertar. quia navis in periculo est. et qui in ea sunt vadunt perire. et clamantes ad dominum iussus sum ire. et eam cum omnibus animabus et entheca eorum liberare. et in portum neapolitanum perducere. et revertar cum eo qui michi iussit. Respondit puer et dixit sancto felici. Unde scimus quia redis huc? Respondit sanctus felix. et dixit ei. respicite ad candelam quae pendet ante tumulum meum. et quando eam videritis huc atque illuc moveri; tunc noveritis nos reversos esse. Dicentibus itaque episcopis una cum populo xysto episcopo iam preteriit hora; procedamus; supradictus episcopus iussit clero ut accederent. Expergefactus vero supra memoratus puer clamare cepit. nolite domini modo ingredi ad missas. quia sanctus felix hic non est. Audiente omni populo clamorem pueri. interrogatus est ab eis quid hoc esset. ille autem caepit flere. Dixerunt autem ei episcopi et nobiles qui venerant ad festivitatem sancti felicis. quid ploras puer? At ille non poterat eis loqui ullum verbum. usque quo pavor ab eo recederet. Et hoc factum est per unius horae spatium. Tunc omnibus illis dixit. relaxate me domini. et ascendens in mediocri loco manu silentium imperavit. et omni populo audiente quae illi per visum sanctus felix dixerat recitavit. Tunc episcopi et cunctus populus ad candelam caeperunt unanimiter respicere. ut viderent quae audierant si vera potuissent esse. Et necdum hora dimidia candelam vidimus fortiter usque ad parietes moveri. et omnes caepimus deo gratias agere et sancto felici. et acta est missa cum omni gaudio et iocunditate. Tunc omnes se devoverunt per tres dies tali hora missas ibi expectare ad sanctum felicem. quod et factum est. Quarta autem die ipse nauclerius mox descendens de navi; thelonearium rogavit qui ei hominem cum iumentis daret. et eum transmitteret cum ipsis luminariis ad sanctum felicem nolensem. Qui dixit ei. cras egredere. et noluit ei adquiescere. dicens. neque manducabo neque bibam hic. sed ieiunus ad beatissimum dominum et liberatorem meum sanctum felicem vadam. qui in illo rapidissimo pelago in nave nobis subvenit. ipsum quoque sanctum felicem in prora navis vidi. Quem interrogavi et dixi ei. per christum te coniuro. quis es tu? et dixit michi. felix nolanus. Et mox mare quievit. et navis salva facta est. et nos de profundo abyssi liberavit. quia arbor cum antennis et velis earum cum ambobus temonibus et ancyromachis et nauclis sine hominibus perierunt. Qui et dixit navem esse novem semis miriadas levantem. Haec eadem ipse nauclerius ad sancti felicis basilicam veniens cum gaudio omnibus enarrabat. et mirati sumus omnes quia verba eius cum verbis pueri in omnibus concordabant. Quem suscipiens xystus ad refectionem; per unam ebdomadam retinuit secum. Deinde venerunt enthecarii simul cum nautis. dona et luminaria ferentes ad sanctum felicem; et exenia portantes xysto episcopo. et nauclerio dicebant quia omnia quae tulit vis maris mane consurgentes illibata iuxta navem invenimus. nichilque laesum in eis inventum est. Et omnes qui audierunt nobiscum christo gratias egerunt. Qui vivit et regnat deus in saecula saeculorum. Amen.

EX CODICE CXL.

Acta Sanctorum

Pag. 140 — Vita sanctae eufrosinae.

Fuit vir quidam in alexandria paphnutius nomine; dives valde et honorabilis deumque vehementer timens. Hic accepit uxorem satis sibi et claritate generis et morum honestate consimilem. Qui cum per annos plurimos coherentes nec filium sibi nec filiam a domino concedi conspicerent; dolebant graviter. multasque incessanter indigentibus elemosinas largientes pro concessione filii seu filiae indesinentibus misericordiam domini precibus flagitabant. Et ubicumque paphnutius dei audiebat famulum remorari; adibat eum. preceque instantissima deposcebat; ut pro sterilitate uxoris dei dignaretur clementiam postulare. Unde factum est ut ad abbatem quendam deverteret mirae sanctitatis et famae; qui trecentorum quinquaginta fratrum congregationis gerebat custodiam. Magnaque munera sancto deferens loco; obnixa tandem et humili supplicatione hoc a patre congregationis illius impetrare promeruit; ut tam ipse quam congregatio universa pro adimpletione desiderii sui ieiuniis et obsecratione instanti domini pulsarent clementiam. Exaudivitque deus preces servorum suorum; filiamque concessit paphnutio. Quae cum septem facta esset annorum baptizata est. impositumque ei nomen est euphrosina. Duodecim autem cum consumasset annos defuncta est mater eius. Porro puella proficiebat sapientia et aetate; et parilitate morum defunctam in sese matrem vivere demonstrabat. Erat autem speciosa nimis forma et decora facie. qua capti nobiliores iuvenes civitatis eam sibi a patre singuli in coniugem postulabant. Cum igitur decem et octo annorum curricula complesset aetatis a patre adolescenti illustrissimo desponsata est alexandriae. Detulitque eam benedicendam pater ad abbatem cuius eam a domino orationibus promeruerat. pecuniam secum non modicam fratrum profuturam necessitatibus deferens. Cum autem puellam abbas in xenodochio caenobii recipi praecepisset; sermonem ei edificationis et salutis in partem aliquam diei protraxit. orationeque ad deum fusa; cum benedixisset ei; in monasterii sese interiora recepit. Puella autem cum patre tridui spatio in xenodochio remorata est. Audiensque in ymnis et psalmis et canticis spiritualibus fratres creatori laudes summa devotione in ecclesia sedulo persolventes mirae in eorum vocibus suavitatis dulcedine replebatur. gemebatque et suspirabat dicens in semetipsa. O bone ihesu; quam felices ego quam beatos istos iudico servos tuos qui in terris adhuc degentes vitam merentur ducere angelorum. tibique incessanter fere laudum concinentes praeconia. quod in futura felicitate electi omnes in perpetuum creduntur acturi isti in carne adhuc fragili constituti dies ac noctes agere non desistunt. O quanta me crederem felicitate beatam si michi via aliqua panderetur divinitus per quam ad horum mererer consortium pervenire. Haec et huiuscemodi multa per triduum quo illic commorata est mente volvens ut sibi semita panderetur salutis divinam non cessabat clementiam implorare. Peracto igitur triduo cum disponeret cum filia redire paphnutius. adivit monasterii patrem rogans eum et obsecrans ut filiam iterum dignaretur revisere. suarumque orationum fructum iterum benedicere. sicque domum redeundi utrisque licentiam contribuere. Cum igitur ad euphrosinam abbas venisset

confestim sese ad pedes eius puella proiecit. orans et deprecans ut quae illius esset orationibus genita. eius quoque in perpetuum orationibus servaretur. Extensis itaque manibus benedicens puellam abbas. christoque domino patrem pariter commendans et filiam; abeundi utrisque concedit licentiam. Porro de puellae animo quae semel fuerant inspirata divinitus salutis desideria non ultra potuere excidere unde ad effectum perducerentur ocius; eum cui nichil noverat impossibile sedulis non cessabat precibus invocare.

Pater autem eius sicubi dei famulum reperisset; instabat precibus ut eum duceret ad puellam benedictionem super eam et orationem pariter largiturum. laborabatque nisibus universis ut quam servorum dei habere orationibus promeruerat; servorum quoque dei servari orationibus mereretur. Paucis interiectis diebus postquam a memorato caenobio sunt reversi; diem anniversariam ordinationis suae sepe iam dictus abbas celebraturus misit quendam de fratribus ad paphnutium rogans eum ut natalicium illum ordinationis suae diem cum fratribus haberet. Forte autem cum domum eius delegatus ingressus est frater paphnutius deerat. Tunc puella vocans ad se dei famulum; caepit ab eo perquirere fratrum numerum qui in eius caenobio morarentur. Cumque eos trecentos et quinquaginta esse respondisset; adiecit perquirendo puella utrum in una ecclesia omnes pariter psallerent. et utrum equali omnes abstinentia ieiunarent. Cumque ille omnes quidem in una pariter ecclesia psallere respondisset; non autem pari omnes abstinentia ieiunare sed unumquemque pro viribus sibi collatis divinitus; subiunxit puella se ardentissimo flagrare desiderio. ut si qua via posset relictis ineptiis mundi huius divinae sese dumtaxat subderet servituti. sed si monasterium puellare adiret; timere se ne perquisita tandem et inventa a patre seu sponso vi illata exinde cogeretur exire. servorum vero dei qualiter posset congregationi misceri sese fatebatur nescire. Tunc servus ille dei eius per verba animum erga deum ardentissimum recognoscens id ei consilii contulit. ut cum pater eius cum abbate remorans suo absens per triduum futurus esset ipsa ad se interim servorum dei aliquem per internuntium evocaret cui suum in fide secretum committeret. atque ab eo ut comam abscideret capitis vestemque ei sancti indueret habitus postularet. sicque per tonsuram vestisque mutationem virum simulans. ad aliquam servorum dei congregationem deverteret. cum quibus usque in finem archanum nemini committens suum celata posset omnibus et absconsa manere. Quod cum puellae quasi demissum caelitus consilium nimium placuisset. deo et fratri illi super tantae salubritatis consilio gratias caepit copiosas referre. Dum super his et huiusmodi sermo volvitur; venit paphnutius. Cui cum missus frater legationem retulisset abbatis. nulla interposita mora arripit cum eo ad monasterium iter. Puella interim non fuit segnis fratris explere consilium. Missusque a puella nuntius qui ad sese monachorum quempiam evocaret. dispositione dei ut creditur religioso cuidam inter eundum monacho obviavit. suas tendendi pro monachorum more reculas in civitate venumdare. Hic igitur cum deductus fuisset ad virginem. totum eius fidei sui pectoris commisit archanum. Quid multa? Tonsa est per manus eius. tunicaque sancti induta habitus. Nocte autem insecuta muliebribus cunctis exuta vestibus. virilibus indumentis induitur. Sumptisque quingentis solidis ad monasterium sepe superius memoratum progreditur. Abbatique per ianitorem legavit. quod eunuchus quidam de palatio prae foribus staret. qui cum eo quaedam conferenda haberet. Egressus igitur abbas; cum facta oratione residens eam quoque considere iussisset. sciscitatur quisnam sit. cuiusque rei gratia ad eum fatigium sumpserit. Quae respondit eunuchum palatii se esse. seque illuc ea de causa venisse. ut ipse eum si domini voluntas existeret; suis dignaretur spiritualibus filiis aggregare. seque multas habere pecunias quae demum ad ipsum essent monasterium deferendae. Cuius cum nomen abbas interrogasset; smaragdum se vocari respondit. Cum autem eius abbas petitioni tribuisset assensum; protulit puella quingentos quos secum detulerat solidos. tradiditque abbati dicens. Hos paucos interim pater solidos ne dedigneris accipere. certus et indubius si michi dominus dederit ut inter vos valeam conversari huic sancto loco multa per me et magna alia largienda. Accipiens igitur eunuchum qui putabatur abbas; monacho eum cuidam agapito nomine monasticis tradidit studiis imbuendum. Tantus autem erat smaragdi decor; ut per eum in-

firmorum quorumdam fratrum mentibus temptationis scandalum gigneretur. Quo comperto abbas praecepit ut smaragdo pararetur cella. in qua solus remorari deberet. Quod smaragdus ovanter amplexus; sedebat in cella solitarius. vigiliis ieiuniis et orationibus studium indesinenter impendens.

Paphnutius autem reversus domum cum fugam filiae comperisset; misit legatos primo ad sponsi domum percontans si forte eo vel sponte vel vi rapta venisset. Cumque sponsus et socer tristes vehementer effecti eam illuc minime venisse responderent. mittuntur legati continuo quorum alii equis alii navigio discurrentes per totam eam alexandriam et egyptum perquirerent. Qui cum omnes casso desudassent labore. pater nullam poterat vel ad horam animo quietem admittere. iuges lacrimas et voces eiulatus indesinenter emittens. Illudque postremo mestisimo pectori occurrit consilium. ut abbatem illum sanctum saepe superius memoratum adiret. eiusque sibi orationibus restitui filiam postularet; quam eius sese meminerat orationibus genuisse. Cum autem per dierum ebdomadam tam abbate quam fratribus universis ieiuniis et orationi instantibus nulla cuivis de euphrosina revelatio extitisset; vocavit ad se paphnutium abbas. eique constanter asseruit. salubri se puellam tradidisse proposito. et propterea nichil de ea fratribus revelatum; quod eius e contrario ad deum indesinens esset oratio ne eam revelari concedat. Ne tu inquiens fortassis eam si revelata foret; a sanctis quibus procul dubio vacat studiis violentia irrogata conareris avertere. Per haec igitur et huiusmodi verba consolatum aliquantulum dimisit hominem. Qui cum crebro gratia consolationis monasterium viseret; sciens abbas sapientiam et sanctitatem smaragdi eunuchi; quadam die misit ad eum paphnutium. consolationem per eius colloquia recepturum. Tunc smaragdus in haec verba caepit adhortari paphnutium. Non est qui credat frater paphnuti animum te mestissimum gerere. quippe qui filiam perdideris unicam. et quam de sterili coniuge sanctorum accipere orationibus meruisti. Verumtamen ad memoriam debes frater dilectissime revocare. abraham filium quem centenarius de nonagenaria uxore acceperat. cum sibi eum dominus immolari preciperet; nullam pretendisse vultu nullam animo gessisse tristitiam. Non credens iustam esse tristitiam causam si ille acciperet filium qui donaverat. Quanto magis tu omnem ab animo debes propulsare merorem. cuius filiam non sibi dominus immolari precepit. sed viventem eam ad meliorem partem sua inspiratione pertraxit. Hoc enim tametsi ex relatione sancti patris huius monasterii certum habeas. me tamen etiam cohortante volo ut nullatenus debeas dubitare. filiam tuam sanctum elegisse propositum. et ob hanc causam nichil de ea vel sancto patri nostro vel sanctis fratribus revelatum. Noli igitur vir bone deficere a disciplina domini. nec fatigeris cum ab eo argueris. Quem enim diligit dominus corripit. flagellat autem omnem filium quem recipit. Magis autem illa sancti iob verba tuo sedulo versentur in animo. si bona suscepimus de manu domini. mala quare non sustineamus? dominus dedit. dominus abstulit. sicut domino placuit ita factum est. sit nomen domini benedictum. Vincat igitur in tuo pectore amorem filiae amor dei. neque doleas largitorem eam recepisse quam dederit. confidens de eiusdem clementia quod si patienter ad tempus pro eo feras absentiam filiae; prius te eo miserante visurum ipsam; quam hac vita demigres. Per haec et huiusmodi miris smaragdus consolationibus animum refovit paphnutii. Non potuit autem paphnutius in smaragdo aliqua signa filiae deprehendere. non solum propterea quia nulla ei de talibus poterat inesse suspicio. et quia eius facies mira abstinentia appalluerat. sed ob id maxime; quoniam tota fere facie obducta cucullo cum ipso loquebatur. Frequentabat vero smaragdi cellam paphnutius. magnam semper de filia in eius verbis consolationem recipiens.

Cum autem triginta et octo annos in cella consummasset euphrosina. languore gravi moritura corripitur. Ad quam cum paphnutius visitationis venisset causa; rogatus ab ea est ut se per triduum non dimitteret. Cum vero tertia venisset dies; in qua sese euphrosina ad dominum noverat migraturam; vocavit ad se patrem. eumque in haec verba alloquitur. Diem mortis meae pater paphnuti conspicis imminere. neque praeter te mortalium quempiam ultra vel alloquar vel videbo. Tribuit michi conditoris munifica largitas secundum cor meum. complevitque in bonis desiderium meum.

licetque iam de inestimabili gratiae ipsius munere illud apostolicum coaptare. Bonum certamen certavi cursum consummavi. fidem servavi. De reliquo reposita est michi corona iustitiae quam reddet michi dominus in illa die iustus iudex. Unde non est archanum meum tibi ulterius obtegendum. nec tua pater amplius consolatio differenda. Procul igitur pelle ab animo merorem omnem. meque tuam filiam euphrosinam sanctorum domino impetrata orationibus recognosce. Non est passa creatoris infinita clementia sanctarum orationum fructum; spirituum patere morsibus immundorum. Nec eam permisit maculari spurcitiis saeculi. quam orationibus sanctis saeculi parturiverant contemptores. Unde interiore eius erga me aspiratione est actum ut vestibus femineis commutatis inter ipsius famulos ancilla laterem. ne si indumentis vestita muliebribus ancillarum dei copularer consortiis cognitam demum vi illata ad saeculum cogeres remeare. Ad abbatem autem hunc veniens cum pauculos ei solidos obtulissem; dedi fidem copiosam alium causa mei huic sancto loco pecuniam deferendam. Quam repromissionem meam si erga me plenam geris dilectionem; ocius et sub omni maturato celeritate implere. Cadaver autem meum nulli praeter te abluendum; eiusque praeter te nuditatem nulli queso pater mi dilectissime patiaris videndam. Ecce ego viam ingredior universae carnis. Non ultra faciem tuam visura; nec ultra tecum colloquium habitura. Suscipe pater ultimum vale euphrosinae. Haec cum dixisset halitum extremum efflavit.

Quod cum contuitus fuisset paphnutius; exclamans voce magna cecidit in terram quasi exanimatus. Ad cuius clamorem excitatus agapitus institutor euphrosinae cum cellam fuisset ingressus; defunctam illam; et paphnutium quasi exanimem iacentem conspiceret; aquam algentem in faciem proiecit paphnutii. Qui ad tactum aquae in sese rediens; voces ingentes ad sidera ploratus et eiulatus iactare nullamque secretis filiae fidem servans; universa cum clamore et hululatu cepit in lucem dare. vociferans et dicens. Heu heu filia mea. heu heu filia ubi es? Quis te michi sub tanta celeritate eripuit? Quis tam perniciter os tuum obstruxit? Vocem abstulit? Verba subtraxit? Ubinam sum infelix? Ubinam est paphnutius pater agapite? Putas somnium fuit? An revera vox fuit filiae quae paulo ante meas perculit aures? Ubinam ergo tanta fugacitate delituit? Et haec dicens proiecit se super cadaver euphrosinae heiulans et exclamans. O filia mea. O lux. O vita. O omne bonum meum. heu me miserum. vel per triduum. vel per biduum. vel per diem saltim integram ista intimavisses. Ecce pater agapite. ecce filia. ecce euphrosina. ecce fructus orationum vestrarum. ecce luctum meum. me miserum. ecce planctum meum. ecce inconsolabilem ululatum paphuntii. Ve ve paphuti infelicissime cunctorum mortalium. quid acturus es? Ve ve quid agis? quo te vertes miserrime? Taces euphrosina. taces. me miserum. vita mea. Morior. vere morior. Non est michi ultra vivendi facultas. Ego te mortua ultra vivere potero euphrosina? Euphrosina mortua est. et paphuntius ultra vivet? Quis me solabitur? cum omne bonum meum deseruerit me. nunquam ad me ulterius reversurum? O crudelis. O pessima. O omni humanitate deserta. O saxeum pectus. O animum adamantinum. per triginta et octo annos posse pati patrem angustiari. conteri. tribulari. cum uno posset verbo ejus perturbationes sedare? Heu me quid agam filia unigenita? Filia de dilecta nimis michi sterilique uxore suscepta. filia sanctorum michi a domino orationibus impetrata. filia filiarum omnium hominum formosissima. filia feminarum omnium prudentissima. Filia mi quid taces? filia mi. Ubi mel. ubi favus eloquiorum tuorum filia mi? Quis michi det ut et ipse non ultra loqui valeam filia mi? Quis michi det ut hic protinus moriar filia mi? Ad clamores et eiulatus huiusmodi fratrum illuc omnium confluit multitudo. ipse etiam sanctus abbas intimata ei morte euprhosinae paphnutiique fletu maturus advenit. Quibus vehementer obnixeque instantibus ut lacrimis et vociferationibus parceret. resumptaque mente quaenam esset tanti ploratus causa evidentius aperiret. vix aliquando eorum potuit cohortationibus adquiescere. in seque tandem rediens. hos sermones effudit. Quid per me vultis patres sanctissimi vobis lucidius declarari? Haec est infelicis paphnutii filia euphrosina. haec eunuchum simulans ad vos venit. et per tot ecce tempora in hac cella viventes latuit universos. Et singultiens vocemque ferens altius. Si fortassis inquit non creditis verbis meis; exuite eam. detegite. prebete fidem saltim oculis vestris. Quid plura? Parata aqua cadaver

exuitur abluendum de more. Non fuit ultra cuilibet de verbis paphnutii ambigendum. cum iam nudata veritas ipsis oculis certum sui preberet indubiumque indicium. Quantus autem tunc stupor quantaque mentis hebitudo corripuerit universos; quae fuerit prae immensitate stuporis et gaudii inundatio lacrimarum in oculis cunctorum astantium melius silentio nostro cogitandum lectori; considerandumque relinquimus. quam rem quam digne scimus per nos explicari non posse. verbis prosequi quibuslibet laboremus. Abbas autem ipse super sanctum cadaver se iaciens. eiusque manus pedesque deosculans clamabat dicens. Euphrosina sanctorum filia. Euphrosina huius a deo congregationis precibus impetrata. ne obliviscaris confratrum et conservorum tuorum virgo sanctissima. oraque indesinenter pro nobis ad sponsum tuum. agna dei. sponsaque praelecta filii dei. ut te interventrice devicto hoste tuis tandem mereamur gaudiis admisceri. In haec verba interventum euphrosinae apud deum omnis quoque congregatio invocabat. Quantum autem deo conversatio euprosinae accepta extiterit. hora eadem magni est ostensione miraculi declaratum. Frater nanque quidam peste qua nescio invalescente languoris lumen unius oculorum amiserat. qui cum sancto cadaveri osculum impressisset; lumen sibi divinitus sensit continuo restitutum. Mandato autem terrae cum mirae devotionis exequiis sancto cadavere. domum paphnutius est reversus. suaque omnia per ecclesias pauperesque distribuens. partemque maximam sancto conferens monasterio; cellam in qua filia fuerat commorata ingressus est. ibique mira corpus macerans abstinentia atque in psiatho semper euphrosinae dormiens octo in sancta religione decursis annorum curriculis migravit ad dominum. cui est honor et gloria in saecula saeculorum. Amen.

Pag. 572 — Exhortatio de detractione fugienda.

Unde fratres nullum debemus in hac miserabili vita vel laudare vel vituperare; Quia nescimus dispensationem dei. Sed retinenda est lingua a detractione ut ait psalmista. domine libera animam meam a labiis iniquis; et a lingua dolosa. Maiora sunt vulnera linguae quam gladii. gladius enim etsi interficit corpus; animam non interficit. lingua vero nequam animam interficit. Lingua magnum malum est. modicum quidem membrum est. sed magna exaltat. Quantum autem malum habeat lingua; legite epistolam sancti iacobi et cognoscite. Lingua nichil medium habet. Aut grande bonum aut grande malum. Grande bonum si christum confitetur. grande malum si christum negat. Ergo ne putet aliquis et dicat opere non peccavi; sed si peccavi ; quod est maius peccatum quam blasphemia in dominum. et tamen lingua peccat Diabolus unde eccidit. Quia furtum fecit? quia homicidium fecit? Quia adulterium fecit? Non. et haec quidem mala sunt. Sed diabolus propter hoc non cecidit sed propter linguam suam cecidit. Quid enim dixit? In caelum conscendam super sidera caeli exaltabo solium meum. et ero similis altissimo. Non ergo putent monachi se aliquando debere esse securos. ne dicant interim grandia crimina non facimus in monasterio. non adulteror. non facio furtum. non homicidium. non parricidium et caetera grandia vitia. Et linguae grandia vitia sunt et grande scelus. Quando detraho fratri meo; lingua mea fratrem meum interficio. Vide quid dicit salomon. in manu linguae mors et vita. Ecce quantum malum est lingua; quae et manum habet. Quid enim dicit? mors et vita in manu linguae. Grande vitium est detrahere fratribus. circumire cellas. et nuntiare aliis mala aliena. Ego inquiens peccator sum. et ille peccator est. Quid ad te? Te ipsum considera ne cadas; qui in alterius ruina exaltas. Nunquid si ille ceciderit tu stabis. Ruina fratris tui mortificatio tua esse debet. non exultatio. Responde queso michi. frater cecidit. laetus es de casu illius an tristis? Si laetus es. de eius ruina laetus es. si autem tristis; quid circum is? Quid aliis enarras? Tristitiam tuam deus videat. et ipse frater sentiat. non fratrum aures audiant. Heu me dilectissimi mei. quoniam hi quidem dormierunt et ad dominum cum omni fiducia perrexerunt quorum mens in nullo prorsus mundanis negotiis colligata est. sed in sola domini caritate. Ego vero impromptus atque imparatus mea voluntate permaneo. et ecce comprehendit me gemitus et infinita tempestas. quoniam nudum me atque destitutum omnium bonorum operum extrema dies inveniet. Admiror in memetipso karissimi quomodo cotidie delinquo;

et cotidie poenitentiam ago. per horam aedifico; et per horam constructa subverto. Ad vesperam dico, sequenti die poeniteo. mane autem facto; elatus neglegenter diem totum praetereo. Iterum ad vesperam dico. nocte vigilabo et cum lacrimis obsecrabo dominum; ut peccatis meis propitius fiat. cum autem nox advenerit; somno potius satiabor. Ecce qui mecum acceperunt pecuniam; die ac nocte negotiare contendunt ut laudem preconii consequantur. et decem civitatibus praesint. Ego autem ad pigritiam meam occultavi eam in terram et dominus meus appropinquabit venire. Et ecce contremiscit cor meum; et defleo dies neglegentiae meae. non habens qualem excusationem obtendam. Sed miserere mei qui solus sine peccato es deus. et salvum me fac qui solus benignus et clemens es. quia praeter te benedicte pater et preter unigenitum tuum filium qui incarnatus est propter nos. et praeter spiritum sanctum qui vivificat omnia. alium nescio. neque in alium credo. Et nunc memento mei amator hominum. et educ me de carcere iniquitatum mearum; quia utrumque tuum est domine. et quando voluisti me in hunc mundum intrare ingressus sum. et quando migrare me iusseris exeo. Memorare mei domine memorare mei et salva me peccatorem et gratia tua quae michi in hoc saeculo opitulatio refugium et gloriatio facta est. ipsa me sub alis suis in illa die horrenda atque terribili protegat. Tu enim cognoscis qui es scrutator renis et cordis; quod multos pravitatum et scandalorum tramites declinavi. pravitatum dico et scandalorum crudelitates; pravitates et hereticorum defensiones. Et hoc non ex me. sed ex gratia tua. per quam illuminata est mens mea. Unde obsecro te. sancte domine; salva me in regno tuo. et dignare me benedicere cum omnibus qui placuerunt ante te. Quoniam te decet omnis gloria. adoratio. et magnificentia. trinum et unum deum in omnia saecula saeculorum. Amen.

Prologus vitae Sanctae Mariae Egyptiacae.
(Ex Cod. 406. pag. 462.)

Decretum regis occultare bonum est. Opera autem dei predicare gloriosum est. Sic enim dixit angelus ad tobiam. prodigiosam oculorum illuminationem et post illas periclitationes quas transiit et quas liberatus est pro qua et habiit pietatem. Etenim regis non servare secretum. error et interitus. et dei silere prodigiosa opera anime profert periculum. Unde et ego terror ad silendum divina producens et superventurum servi periculum hesitans accipiens a domino talentum. in terra illum deorsum effodere et quod datum est ad operationem occultare absque negotium enarrationem sacram usque ad me pervenientem nequaquam silebo. Etenim michi nemo discredat. quod audivi describens. ut mirabiliter quomodo inciperem. ut cause magnitudinis stupescerem. Michi autem absit sacrorum falsa loquere et detrahere verbum in quo meminiscitur deus. et prava quidem suscipere et indigna incarnati dei verbi magnitudinem et discredere ea que dicuntur. non visum est michi. bonam rationem habere. Si vero quispiam qui presentem scripturam legentes. et prodigiosum verbum utpote stupefacti. et credere ut extitit volentes. et illius propitiator sit dominus. quoniam et ipsi infirmanta humanitatis existimantes naturam que perdigibiliter sic de hominibus dicuntur. Summe ergo in eadem rationem causam dicam in generationem causam nostram faciam quod sacrum virum divina dicens. et opera ab infantia didicisse enarravit. Set neque hoc ad incredulitatem deducam legentes. quod ad nostram generationem totum miraculum. fieri incipere impossibilem. Nam gratiae spiritus per generationem sanctimoniales transiit amicos dei et prophetas perfecit. sicut salomon dicit divinitus. Tempus ergo sacre illius inhiare narrationi.

Vita Sanctae Mariae egyptiacae.
(Ex Cod. CXL. pag. 575.)

Fuit quidam senex in palestinae monasteriis vita et verbo decoratus; quia ab ipsis cunabulis monachicis est moribus informatus. zosimas nomine; cuius videlicet senis. tam sancta conversatio talisque vita existebat; ut plerique fratres multotiens ex propinquis monasteriis aliquando vero et ex longiquis; ad eius accurrerent doctrinam. eiusque imitari conarentur abstinentiam. et ab eo informari atque erudiri festinarent. Dicebat ergo hic zosimas; quod ex ipsis matris sinibus in eodem traditus monasterio quinquaginta et tres ibidem annos

fuit monachicum cursum perficiens. Post hec vero ut ipse retulit inpugnabatur a quibusdam cogitationibus suis dicendo intra se; Putas ne invenitur aliquis in terra monachus; qui possit quicquam novum tradere; aut edificare me quod nesciam? Et quod ego operatus non sim in monachico opere? Putas ne inveniri potest in deserto philosophus aliquis qui sensu vel opere me precellat? Hec secum cogitanti; vir quidam astitit et ait ad eum. Zosima; bene quidem inter homines certatus es. et optime cursum monachicum perfecisti. Verumtamen nullus hominum per semetipsum habet veram perfectionem. Nam sunt et alie salutis vie. quas si vis apprehendere; egredere de terra tua. et de cognatione tua; et de domo patris tui ut abraam ille qui inter patriarchas opinantissimus fuit; et sequere me in quoddam monasterium iuxta iordanem. E vestigio ergo senex sequens precipientem; egressus est de monasterio in quo pusillus creverat. Dumque pervenisset ad iordanem; deductus est voce clamante illum in monasterium. ad quod iusserat eum deus venire. et manu atrii regiam pulsavit. Mox vero ut locutus est; monachus ianuam custodiens. nuntiavit eum abbati suo. Susceptus ergo ab eo; conversationem atque habitum reverentie eius respiciens. humi prostratus ut monachis consuetudo est eum adoravit. Factaque oratione interrogatus est ab abbate ita. Unde advenisti frater? Et pro qua occasione ad pauperes venisti senex. Zosimas respondit. Unde quidem advenerim; dicere non michi videtur esse necessarium. edificationis autem causa huc veni o pater; Audivi enim signa magna atque laudabilia; per que possunt anime deo appropinquare. Dixitque ad eum abbas. deus frater qui solus humanam fragilitatem curare novit; ille te atque nos doceat suam divinam adimplere voluntatem. et ea peragere. que optima sunt; nam homo hominem edificare minime potest. Unusquisque autem semper se respiciendo; et sobrietatem servando; atque operando que bona sunt; deum sibi propinquum facit. Tamen quia christi caritas te videre nostram paupertatem invitavit; commane nobiscum. si propter hoc ad nos venire festinasti. simulque nos omnes sociabit gratia christi. Ipse est enim pastor bonus. qui posuit animam suam pro nostra redemptione; vocatque nos oves suas nominatim. Haec cum audisset zosimas; rursus humi faciem inclinavit. orantesque pariter. et celebrata oratione. dixerunt amen. Dum autem in eodem monasterio habitaret; vidit illic patres virtutibus et operibus coruscantes; spiritu ferventes. per totam noctem vigiles. atque manibus operantes. Ex quorum videlicet ore psalmi non recebant. stultum aut otiosum verbum ab eis non procedebat. secularia negotia vel causarum cure ad eos minime pertinebant. sed unum tantum eis erat omnibus arduum votum; ut singuli se ipsos mortuos facerent corpore; ut possent secularia evadere. Cibus vero illis erat spiritualia eloquia. ministrabant autem corpori quae necessaria erant; panem tantum et aquam; ut subsistere possent. et deo referre gloriam valerent. Haec divina opera dum videret zosimas; aedificatus est valde. proficiens in servitio dei.

Plurimis autem transactis diebus appropinquavit tempus dierum sanctorum ieiuniorum precedentium solemnitatem dominice passionis dei et salvatoris nostri. Ianua autem monasteri nullo tempore patefiebat sed semper clausa manens. ad divina opera peragenda monachis quietam prestabat vitam. Nec licitum erat aliquomodo patefieri; nisi forsitan aliquis monachorum propter aliqua necessaria advenisset. Desertus enim erat locus. et non solum peregrinis sed propinquis quoque ignotus. Qualis autem erat illic consuetudo et observantia regule referam. Dominico die prime ieiuniorum ebdomade omnes iuxta consuetudinem celebrabant sancta dei mysteria sicut mos est christianorum et unusquisque eorum sacratissimum domini corpus sumebat. parvumque sumebant post haec cibum. Dum autem complerent cibum et facerent orationem; flectentes genua ad senem; seque invicem osculantes; deinde omnes amplexantes et pacem dantes abbati; rogabant sibi ab eo orationem fieri. quae futuri certaminis eorum foret auxiliatrix. Hisque peractis monasterii aperiebatur regia. simulque omnes psallentes exibant ita dicendo. Dominus illuminatio mea et salus mea quem timebo? dominus defensor vitae meae a quo trepidabo? et cetera ipsius psalmi. Egredientes itaque omnes; unum tantum vel duos fratres in monasterio relinquebant ne oratorium sine veneratione solemni post ponerent. Singuli autem eorum secum deferebant vite tantum necessaria ut poterant. alii quidem

parum panis ad fragilitatem corporis sustentandam. Alii autem caricas; Alii vero dactulos. Ceteri autem legumina aquis infusa. Alii autem nichil nisi tantum proprium corpus et pallium quo vestiebantur. Reficiebantur vero quotiens natura compellebat herbis quae in deserto nascebantur. et regulam propriam sibi unusquisque eorum prout poterat statuebat. talemque habebant immutabilem legem ignorare alium quale alius operaretur certamen. eo quod iordanem mox derelinquentes seorsum ab invicem longe discedentes; pro civitate et habitatione habebant desertum. Nullus eorum alii iungebatur. sed si forsitan unus alium ad se longe venientem respiceret. evestigio deserens propositam itineris viam; ad aliam partem declinabat. Et ita omnes solitariam peragebant vitam. semper psallendo ; deoque gratias referendo. Sic igitur omnes dies ieiuniorum complentes remeabant in monasterium dominica die precedente ebdomadam resurrectionis domini et salvatoris nostri ihesu christi. quam diem palmarum sancta consuevit nuncupare ecclesia. ferens unusquisque eorum proprii laboris fructum cognoscendo se ipsum qualiter operatus sit. qualesque seminaverit fructus. Nulli vero erat licitum interrogandi proximum suum ; quomodo vel qualiter suum certamen exercuerat. quia huiusmodi monasterio illi antiquitus regula tradita fuerat; quod unusquisque eorum habitando desertum, deo tantummodo in certaminis sui cursu se demonstraret. a nullo glorificari hominum desiderans. Sed spiritualia operando, carnalia atque terrena relinquendo coelestia praemia expectabant. Nam demonstratio hominum infructuosa opera et damnosa adquirit. Tunc etiam zosimas iuxta consuetam regulam eiusdem monasterii pertransiens iordanem. parvum secum detulit cibum ad sustentationem corporis. et pannum quo induebatur. et conabatur omni virtute regulam adimplere pertransiendo heremum. Cum autem tempus refectionis erat; necessarium pro natura corporis parcumque cibum capiebat. modicum gustando somnum ubicumque eum finis diei occupabat. atque iterum diluculo suum iter faciebat. habens desiderium pertransire heremum. sperans aliquem reperire patrem in deserto; qui eum potuisset edificare iuxta eius desiderium. Viginti ergo dierum peragens iter. facta hora quasi sexta. parum se abstinuit ab itineris labore. elevatisque oculis ad orientem; consuetam sibi celebravit orationem. sic enim solebat statutis diei temporibus. idest; tertia. sexta. nonaque abstinere se ab itineris cursu orationis causa. Cumque ut dictum est circa horam sextam substitisset; et studium orationis implesset; respiciens ad dexteram partem; vidit in quodam loco stare quasi umbraculum humani corporis. Qui stupefactus ac turbatus valde. existimabat enim phantasma esse quod viderat; et ter signaculum sibi sanctae crucis faciens. completa oratione. vidit quendam in parte ambulantem meridiana; nudo nigroque corpore; et ex incendio solis exusto. capilli autem capitis eius ut lana candida; atque parvi erant; usque ad collum corporis descendentes. Hoc cum vidisset zosimas; admirans repletus est magno gaudio cepitque currere ad eam partem. qua eandem viderat visionem. Sed et illa quae a zosima videbatur. ineffabili exultabat laetitia. quoniam viderat quod per multorum spatia temporum minime respexerat. humane videlicet nature speciem; neque alicuius animalis vel volucris figuram. Mirabatur ergo zosimas. et cogitabat quis vel qualis esset quem viderat. Illa autem ut vidit zosimam de longe contra se venientem; cepit concita fugere in interiora deserti. Zosimas vero contemnens senectutis debilitatem fatigiumque itineris ; concito eam gradu sequebatur. Sed illa magis ampliusque fugam petebat. Erat autem zosime cursus velocior. et paulatim iam propinquabat fugienti. Proximus itaque ei factus; ut iam vox eius ab illa posset audiri; cepit vociferari zosimas cum lacrimis dicens. Ut quid me fugis hominem senem et peccatorem serve dei vivi. sustine me quicumque sis. adiuro te per deum, pro cuius amore hanc habitas heremum. et recipe me debilem atque indignum senem. per ipsum te adiuro a quo pro tantis tuis laboribus. bonam spem eterne retributionis expectas. colloquere mecum; et noli me derelinquere; sine mutua collocutione; per eum qui in te habitat. Haec zosima cum lacrimis rogante; venerunt uterque in quendam locum qui quasi torrens erat et cum illa precedens transilisset locum illum; zosimas vero nimis fatigatus minime valeret; stans ex altera parte eiusdem loci clamabat cum lacrimis et rogabat edificationis sibi impendi sermonem. Apud quem illa tandem taliter locuta est. Abba zosima;

ignosce michi per dominum te peto. quia minime possum convertere faciem meam ad te. eo quod mulier sim nuda. sed si pallinm quo uteris porrexeris michi. ut possim corporis mei verecundiam tegere; veniam ad te. et accipiam tuam orationem. Tunc zosimas stupefactus est atque vehementer turbatus; eo quod audisset se vocari ex nomine. Statimque expolians se pannum quo induebatur; iactavit ei aversa facie. Illa vero sumens eum cinxit se ut potuit. et cooperuit verecundam partem sui corporis; respiciensque ad eum ait. Quid tibi visum fuit abba peccatricem videre mulierem? Aut quid querens cognoscere tot imposuisti tibi labores? Ille vero genua flectens; obsecrabat benedictionem ab ea accipere. illaque similiter humo prostrata adorabat eum. Erant vero uterque invicem se rogantes; et adiurantes alter alterum; initium facere benedictionis. nullaque alia penitus audiebatnr vox: nisi tantummodo benedic me pater. Dumque diu in hoc persisterent; respondit mulier zosime dicens. abba zosima tibi magis concessum est benedicere atque orare; eo quod sacro presbyterii fungeris officio plurimisque iam annis sacris astitisti altaribus. Haec audiens zosimas; amplius conterritus atque stupens ait. certe video o mater quod omni spirituali gratia sis repleta. quoniam et nomen et officium presbyterii designasti in me. Spiritualis enim gratia non propter ordinem vel dignitatem tribuitur. sed magis ex bonis operibus actibusque adquiritur. Unde per deum te coniuro. ut prius a te benedictionem accipiam; tuaque oratione perfrui merear. Consentiens tandem sermonibus senis mulier respondit. benedictus sit deus redemptor animarum nostrarum. Zosimas autem respondit amen. Moxque erecti a terra. dixit ad senem mulier. rogo te pater. quid ad me peccatricem venire desiderasti? Aut quid nudam me ab omni opere bono infirmamque cernere voluisti mulierem. Zosimas respondit. non hoc mee tantum voluntatis fuit. sed divine dispensationis munus nos invicem fecit videre. Respondit mulier. Sicut asseris per divinam dispensationem hoc actum est. sed rogo te pater ut michi digneris edicere conversationem humani generis. et quomodo sunt reges vel pastores huius seculi narres. Zosimas vero respondit et ait ad eam. multifariam relinquens brevi sermone dicam tibi mater; quod christus dominus ac redemptor noster omni suo populo firmam pacem est dignatus concedere, sed rogo te ut depreceris dominum pro totius seculi constabilitate; simulque et pro meis peccatis. Respondit ad eum mulier; oportunum est te abba zosima qui habitu et mente sacerdotali ornaris officio pro omnibus atque pro me peccatrice dominum exorare. quoniam in hoc vocatus es. tamen propter preceptionem tuam obediam cum omni virtute et orabo dominum licet peccatrix. Et elevans oculos ad orientem; manus ad caelos tetendit. caepitque silenter orare. ita ut tantum labia eius moverentur. Unde zosimas nullum verbum orationis illius intelligere quivit. Sed hoc deum sibi adhibens testem dicebat; quoniam dum prolixam mulier faceret orationem. viderit eam ex loco in quo stabat orans suspensam in aere quasi ad unius cubiti mensuram. Qua visione magno comprehensus pavore cadens in terram caepit sudoribus inundari. nichilque aliud dicere poterat; nisi tantummodo kyrie eleyson. Dum hec gererentur; caepit senex cum magna dubietate intra se volvere ne forte spiritus esset phantasie; fingendo orationem. Moxque conversa mulier levavit abbatem a terra et ait ad eum. abba zosima ut quid te conturbant cogitationes tuae in tantum ut scandalizatus sis in me? Existimans me immundum esse spiritum. orationem simulantem? Ecce satis facio tibi licet enim peccatrix sim mulier; tamen sanctum domini nostri ihesu christi baptismum induta sum. et non sum spiritus. sed magis terra et cinis. nullaque habeo maligni spiritus opera. Et haec dicens signo sanctae crucis frontem. oculos. labia. pectusque sibi depingens; dixit. deus omnipotens abba zosima. eripiat nos ab iniquo atque maligno illo hoste; qui adversatur humano generi. et subveniat nobis per misericordiam suam. Audiens haec senex proiciens se in terram; et comprehendens pedes eius; dicebat cum lacrimis. Adiuro te per christum dominum et deum nostrum qui nasci pro hominum redemptione ex virgine dignatus est; propter quem hanc nuditatem sustines. propter quem carnem tuam ita afflixisti; ne abscondas a servo tuo que sis vel unde aut quando. vel quomodo ad habitandum in hanc heremum advenisti. sed omnia michi enarrare digneris; ut manifesta facias opera magna mirabiliaque dei. quia absconsa sapientia et thesaurus occultus nul-

la est utilitas in utrisque. Dicito michi omnia per deum te omnipotentem deprecor. quia non pro humana ac vana gloria a me hoc fit; sed ut michi peccatori et immerito edificationis causa omnia patefacias. Credo enim in christo cui animam tuam obtulisti; quia ideo in hanc pervenisti heremum ut glorificetur per te nomen dei. quia nullus nostrum perscrutari potest abyssum iudiciorum dei. Si ergo deo nostro non placuisset te michi facere manifestam; tuosque labores quos per hanc pertulisti heremum revelare; neque te ipsam michi demonstrari permitteret neque me tantos pertulisse pateretur labores.

Dum haec et his similia diceret abba zosimas; mulier a terra eum elevans dixit ad eum. Turpe quidem et omnino verecundum michi videtur abba zosima enarrare tibi turpitudines operum meorum sed ut veniam michi concedas dicenti; nudam me vidisti corpore; nudos tibi faciam actus meos. Scio tamen quod si initium narrationis illorum fecero; fugam petiturus es; ac si quis fugiat a serpente. nec poteris auribus percipere quanta vel qualia peregi facinora. Dicam tamen omnia; nec quicquam tibi occultum faciam. Sed peto et deprecor te pater, ut indesinenter pro me orare debeas. ut tuis intercessionibus merear invenire misericordiam in illo examinis die. Ego denique venerabilis pater patriam habui egyptum et dum mei adhuc superessent parentes; duodecim etatis annos habens; dereliqui eos; et alexandriam petii civitatem. Ubi qualiter ego infelix ab initio corpus meum corruptioni tradiderim; qualiter insatiabili libidinum fluxui deservierim; sermonibus enarrare minime possum. Nam per decem et septem et eo amplius annos publico astans loco pessimum mei corporis negotium exercebam. tradens volentibus irrecusabiliter carnis meae pudorem. repellens a me omne adquisitionis lucrum. unum tantummodo reputans questum. luxuriosam exigere vitam. Nam ludi ebrietates atque insomnietates michi pro thesauro esse videbantur. multotiens enim oblatum michi lucrum recusabam; ut amplius adquirerem pessimi mei desiderii amicos. Unus tantummodo michi et magnus erat ardor carnalis turpisque desiderii; conviviis risibus ac iocis insistere et diebus ac noctibus pessimam corporali naturae iniuriam irrogare. Aestivo igitur tempore contigit me quadam die videre turbam populi tam egyptiorum quam et libicorum currentium iuxta mare. et interrogavi quendam proxime michi astantem virum. ubi festinarent illi omnes. aut quo illis esset itineris cursus. Ille vero respondens ait michi. ierusolimam hi omnes festinant ascendere. crucis ac resurrectionis ascensionisque dominicae veneranda loca adorare. Tunc respondi ego viro illi haec michi narranti; per deum te coniuro frater. dic michi. si voluero cum eis pergere; dabunt michi licentiam secum iter facere? Ille respondens ait. si naulum dederis; expensasque habueris; nullus eorum te prohibebit. Dixique ad eum. certe frater naulum et expensas minime habeo. ascendam tamen in eorum navim. et pro certo nutrire me habent. vel si noluerint; corpus autem meum erit illis pro naulo. Ideo autem cum illis comitari festinabam; peto veniam abba; ut adquirerem illos amicos pessimae et sordidissimae meae voluntatis. sed ego quidem rogaveram te ut non michi imponeres meas tibi referre impurissimas actiones. quia undique cum haec recordor tremore concutior vivit dominus.

Tunc zosimas fortiter lacrimatus dixit. loquere per deum te coniuro mater mea; loquere. nec pretermittas aliquid de cepta narratione ad edificationem meam. Illa vero rursus cepit referre ita dicens. Vir itaque ille qui a me interrogatus fuerat. quo turba illa pergeret. audiens meos turpes sermones subridens abiit. Ego vero ad mare volocius properans; repperi iuvenes in litore maris stantes numero decem. expectantes aliquot sodales suos navigatores. nam plurimi eorum iam in navim ascenderant. Ego autem importuna subito in medio eorum astiti dicens. ducite o iuvenes et me vobiscum ubi ambulaturi estis. quia non vobis inutilis habeo videri. Ducentibus autem me illis simul cum eis in navim ascendi. cum interim expectati comites advenerunt. Tunc nauclerus terrae alligatum funem naviculae solvi praecepit. et elevantes vela cepimus navigare. Tota autem illa navigatio nil aliud michi miserae erat quam lusus et ebrietates. adulterium et turpia verba. quae tibi lingua mea referre minime potest. Nam quae aures eosdem sermones audire patiantur. quos in eadem navi pessima ego locuta sum? Non me infelicem vel terror maris vel procellarum fluctus terrificabant; nec me ab ullis malitiae meae operibus corrigebant

aut emendabant. adeo ut non solum impudicos; sed etiam honestos viros ad meam miseriam invitarem. eramque animarum illorum perditio; et lacus eorum erat mea turpissima caro. Unde ego semper admiror et obstupesco quomodo sustinuit mare iniquitates meas. Aut quomodo terra os suum non aperuit; et vivam me infernus absorbuit. sed ut video pius et misericors deus meam sustinuit penitentiam. quia non delectatur super morte peccatorum; sed magis manet longanimis eorum penitentiam expectando. Tunc sic itaque cum summo festinationis studio pervenimus ierusolimam. et quot dies ante festivitatem ibi fecimus similia operata sum. et ut verius dicam cotidie preteritis deteriora faciebam. amplius insaniens in multorum perditionem.

Cum appropinquasset autem sancte et vivifice crucis festivitas; conspexi diluculo homines ad ecclesiam concurrentes. et ego quoque misera cum eisdem comitari volens; perveni simul cum eis usque ad regiam atrii. Et cum appropinquasset hora adorandae crucis; ego immundissima pellebar atque repellebar. et nullatenus cum turba ingredi permittebar. Volens autem approximare ad regias per quas in sacrum templum ingressus erat; vix cum magno ibi labore appropinquabam. et quando limen regie pedibus calcabam. alii omnes facile ingrediebantur. me autem divina quedam virtus prohibens minime permittebat ingredi easdem regias. in tantum ut sola postremo in atriis templi astans invenirer. Existimans igitur ex feminea debilitate hoc michi contingere; iterum ingredi iterumque temptabam. sed iusto dei iudicio magis ampliusque pellebar. et tanquam militaris acies contra me consisteret; non sinebar. Iam vero defecta viribus ac dissoluta membris ita ut nec standi michi virtus adesset; in quodam angulo atrii eiusdem secessi. tractans mecum unde michi hoc evenisset; quod minime templum illud ingredi potuissem. Tandem ergo aliquando salutis verbum patefecit cordis mei oculos. revelans michi misericorditer ob sordes operum meorum ingressum me templi non promereri. Tunc cepi ego miserabilis amarissime flere; pectusque manibus tundere. atque ex alto cordis infinita suspiria reddere.

Respiciens autem de loco in quo stabam vidi seorsum fixam imaginem vultum habentem sancte dei genitricis. ad quam toto cordis affectu conversa dixi. Sancta et immaculata virgo quae deum verbum incarnatum genuisti. scio quod non sum digna tantis polluta sordibus et tantis miseriis repleta. respicere sacrosanctam imaginem tuam. sed certa sum quod ideo deus quem genuisti homo dignatus est fieri; ut peccatores vocaret ad poenitentiam. Auxiliare ergo nunc michi sancta dei genitrix. quia nullum habeo solacium. et precipe me regiam sanctae introire ecclesiae. obsecro te domina mea. ut annumerari me iubeas adorantibus sanctae crucis venerabile lignum. in quo carne affixus est deus quem tu sancta et immaculata genuisti virgo. qui suum pro totius mundi redemptione effudit sanguinem. Iube michi domina clausam templi ianuam patefieri. meumque adimpleri desiderium. adorandi sanctissimum lignum vivificae crucis. Ecce promitto sanctissima virgo coram deo quem genuisti; quod denuo carnem istam sordidis et pessimis non maculabo operibus. sed mox ut me lignum sanctae crucis adorare consenseris; renuntiabo saeculo et omnibus quae sunt eius. et vadam ubicumque michi preceperis; ac sequar quam demostraveris salutis viam. Haec cum dixissem; satis feci menti meae quod sancta et piissima dei genitrix possit a domino et filio suo pro me omnia obtinere. et mox prompta relinquens locum in quo oraveram. miscui me inter eos qui templum ingrediebantur. nullusque iam repertus est qui me foras repelleret. sed magis ut unda maris; ita me turba impellebat appropinquare sancto loco; quem prius nec pedibus calcare poteram. Tunc ex nimio gaudio apprehendit me pavor; dum me viderem locis astare sanctis. ubi prius iniquitas mea me ingredi prohibuerat. Adoravi ergo lacrimabiliter lignum sanctae et vivificae crucis. et merui videre omnia sancta dei mysteria. et demum egrediens ad illam quae ita mei miserta fuerat festinabam. Veniens igitur ad locum in quo prefatam promissionem sanctae dei genitrici feceram; flectens genua cum lacrimis his eam alloqui caepi sermonibus. Tu mei miserta es domina; measque preces non repulisti. per te hodie merui videre gloriam dei; quam peccatores respicere non merentur; per te glorificabo deum peccatorum suscipientem poenitentiam. Quid iam amplius quaeram domina mea quam quod merui videre divina mirabilia? Appropinquavit o do-

mina tempus in quo meam debeam complere promissionem. nunc ubi placuerit tibi dirige me. et demonstra michi misericorditer poenitentiae ac salutis viam. Dum haec et huiusmodi nonnulla dixissem; subito michi audita est vox dicentis. si iordanem transieris; illic bonam invenies requiem. Ego autem dum talem vocem audissem; credens eam propter me fuisse dictam. cum lacrimis meam levavi vocem; et ita dixi. sancta dei genitrix domina mea. ne me derelinquas; neque deseras. sed iugiter me custodiens tuere. quoniam in te confido et spero. Et haec dicens egressa sum atrium templi. et videns me quidam pius vir obtulit michi pro elemosina minutos tres dicens. suscipe mater. Ex quibus minutis tres protinus comparavi panes. quos mecum pro benedictione in via detuli. Interrogavi autem virum illum a quo panes emeram; ubi vel quae esset via volentibus ad iordanem ambulare. qui ostendit michi portam civitatis per quam iter ad iordanem facerem. Exinde vero egrediens. viam meam cum lacrimis faciebam. Erat autem quasi tertia hora quando lignum sanctae crucis adoravi. et ante solis occasum perveni ad oraculum sancti iohannis baptistae. super ripam iordanis positum. Mox faciem ac pedes ex ipsa fluminis aqua ablui. et sacrosancta mysteria in eodem sancti iohannis oraculo percipere merui. ibique dimidium panis edens; bibensque ex aqua iordanis. terrae me collocavi. Alia vero die ascendens naviculam transfretavi iordanem. enixius deprecans sanctam et immaculatam virginem dei genitricem. ut ipsa michi viam salutis ostenderet sicut ei placeret. Deo itaque duce perveni in hanc heremum. et ex illo tempore usque nunc semper elongavi fugiendo habitans per desertum. expectans dominum meum qui salvos facit sperantes in se.

Zosimas autem ait ad eam. quot anni sunt domina mea ex quo hanc habitas heremum? Respondit ad eum mulier. quadraginta et septem anni sunt ut existimo ex quo hanc heremum habitavi. Dixit ei zosimas. Quo quaeso cibo vixisti ex quo in desertum istud venisti? Mulier respondit. duos quidem panes et dimidium mecum detuli quando iordanem transivi. qui per tempora longa quasi lapides duri effecti sunt. et ex ipsis semper modicum comedendo aliquot transegi annos. Dixit ad eam zosimas. Num absque labore tot annorum curricula peregisti; vel subita conversationis mutatio non tibi incussit laborem? Respondit ad eum mulier. terribilem me causam interrogasti abba zosima. nam si voluero nunc recordari et recensere pericula que sustinui; atque importunitates turpium cogitationum; timeo ne rursus michi ex integro renoventur. Zosimas dixit. nichil oro te relinquas domina mea; quod non michi patefacias. semel te suppliciter rogavi et iterum iterumque efflagito ut omnia michi ex integro referas. Tunc illa respondit. crede michi abba zosima quod per decem et septem annos in hac heremo immanissimis cogitationum bestiis fatigata sum dum recordabar affluentiam praeteritorum ciborum. desiderabam carnes vel pisces quos antea in egypto comederam. delectabant me nefaria cantica demonum que antea didiceram. lenocinia quoque fornicationum. et turpissimarum cogitationum quasi ignis vehemens devastabant viscera cordis mei. impellentes me ad perniciosa desideria. Sed mox lacrimas effundebam et pectus manibus verberabam; et ad memoriam reducebam illam quam michi protectricem feceram dum hanc ingrederer heremum. sanctam scilicet dei genitricem. et quasi ante ipsius starem presentiam; ita eam lacrimabiliter recogitabam ut precibus suis amoveret a me pessimas ac sordidas mentis meae cogitationes. Et dum plurimas funderem lacrimas; undique michi subito refulgens videbam lumen. atque claritatis divinae circumdabar corusco. Non autem prius levabam faciem meam a terra; nisi totius diei noctisque consummatum fuisset spatium; et dulcissimi illius splendoris fuissem lumine circumdata; qui omnes illas cogitationum phantasias a me fugaret. Sicque sanctae illius protectricis mee adiuta solacio transegi decem et septem annorum spatia. Ex illo vero tempore usque nunc auxiliatrix mea presto michi in omnibus invenitur. et undique vigilans custodit me.

Dixit ad eam zosimas. nunquid eguisti ulterius mater mea victu aut vestimento? Respondit ei mulier. illis ut prius dixeram expensis panibus per decem et septem annos; postea comedebam herbas quas in deserto inveniebam. Vestimenta autem mea cum quibus iordanem transgressa sum; prae vetustate dirupta atque putrefacta sunt. et valde prunis hiemalibus vel estivis ardoribus tribulata sum. Ab illo autem tempore usque nunc divina dei mi-

sericordia eripuit corpus et animam meam a cunctis periculis. Cumque recordor quanta mala quantaque pericula per divinam evaserim gratiam; magna michi letitia et immensa spes crescit salutis. Cibus autem et potus ac vestimentum michi est verbum dei. quoniam non in solo pane vivit homo; sed in omni verbo quod egreditur de ore dei. Nam dicit scriptura. non habentes vestimentum induuntur petra. qui se vestimento expoliaverunt iniquitatis. Hoc audiens zosimas quod ex testimoniis divinarum scripturarum illi locuta est; ait ad eam. didiceras psalmos o domina mea; vel alios divinae scripturae libros legeras? Ait ad eum mulier. crede michi homo dei. quia non vidi alium hominem ex quo transfretavi iordanem; nisi te tantum nunc. neque bestiam qualemcumque. vel aliud quodlibet animal. Litteras vero nunquam didici; neque aliquem psallentem audivi. aut legentem. sed verbum dei semper vivens. illud omnes homines docet scientiam. Ecce explanavi tibi omnia mea opera o pater. sed sicut antea rogavi et nunc rogo te per deum verbum incarnatum ut pro me misera dominum orare digneris. Tunc senior flectens genua sua in terra vocem cum lacrimis elevavit dicens. benedictus deus qui facis mirabilia quorum non est numerus. benedictus es domine deus omnipotens qui michi peccatori revelasti bona; quae donare dignatus es omnibus timentibus te. quia nunquam derelinquis querentes te. Illa vero elevans senem a terra dicebat. haec omnia quae audisti a me o homo dei per christum te coniuro ut nulli ea loquaris; quousque me deus de terra assumi iusserit. Nunc igitur vade cum pace; et iterum venturo anno videbis me dei tecum gratia comitante. Rogo autem te per deum ut in sanctis ieiuniis futuro anno minime transeas iordanem; iuxta consuetudinem monasterii. Audiens autem zosimas quod et solemnem regulam monasterii ei nuntiasset; vehementer admirans nichil aliud dicebat; nisi tantum gloria tibi deus qui tanta prestas diligentibus te. Illa autem ait ad eum. mane oro te ut dixi in monasterio; et non egrediaris iuxta regulam. quia nec permittetur tibi. et sancta vespera cenae dominicae sumes sanctum corpus et sanguinem domini nostri ihesu christi in vas mundissimum; et affer michi. expectans me ex illa parte iordanis iuxta ecclesiam. et ego ibi veniens suscipiam a te vivificationis ac redemptionis nostrae misteria. quia a die illa qua in oratorio sancti iohannis prius quam transirem iordanem communicavi; usque nunc; minime sacrum corpus et sanguinem christi percepi. Sed oro te ut me peccatricem deprecantem te o pater ne despicias. michique sacrosancta mysteria quibus dominus suos discipulos in illa sacratissima cena participes fecit deferas. Iohannem autem abbatem monasterii in quo habitare videris commone. dicens. cautus esto frater et sollicitus erga congregationem tuam. eo quod aliqua ibidem operantur que necessaria sunt emendari. Et hec dicens adiecit ora pro me domine pater. et petiit interiora deserti. Abbas autem zosimas flectens genua osculabatur terram in qua sancta dei pedibus steterat. et glorificans deum regressus est plenus gaudio magno. collaudans et benedicens dominum ihesum christum. Remeansque ex heremo eo die ad proprium pervenit monasterium. quo soliti fuerant monachi remeare. et totum quidem annum siluit; nullum alicui verbum dicens; de omnibus iis que viderat.

Elapso autem anni circulo veniente die ieiunii prima dominica quadragesimae post sollemnem orationem alii omnes iuxta regulam monasterii egressi sunt. zosimas autem lenibus febribus attactus egredi monasterium minime potuit. sicque recordatus est verbi sanctae mulieris quod dixerat; eo quod si etiam egredi monasterium volueris minime tibi licebit. transactisque paucis diebus; convalescens ab egritudine degebat in monasterio. Veniente autem die sacratissimo cenae dominicae; festinans preceptis parere sanctae mulieris detulit secum in parvo calice sacramenta corporis et sanguinis domini nostri ihesu christi. Sumensque secum paucos dactulos et caricas et lentem aqua infusam. iam vespere pervenit ad ripam iordanis fluminis. expectans presentiam sanctae mulieris. Qui dum orationem faceret; aspiciebat ad desertum. expectans videre quam valde desiderabat. dicens intra semetipsum. forsitan mea peccata prohibuerunt eam ad me venire. aut certe precessit me in hoc loco. me autem non inveniens remeavit. Haec dum summo cordis merore plorans diceret; in caelum elevans oculos; dominum in his rogabat verbis. Domine deus rex omnium creaturarum. ne fraudes me illius aspectu quam cernere desidero. neque me ab eius visione vacuum derelinquas. Et iterum caepit in-

tra se cogitando dicere; quid faciam si sancta venerit mulier; eo quod navicula hic minime repperitur? Et qualiter iordanem hunc poterit transire ut ad me veniat peccatorem? Ve michi misero. quomodo fraudatus sum tanti desiderii. Dum haec tacitus intra se diceret; Ecce sancta dei pervenit ad ripam fluminis. et videns eam zosimas prae gaudio exultavit. et glorificans deum; cogitabat qualiter posset iordanem transire. Et subito respiciens vidit eam facto signo sanctae crucis super aquas iordanis pedibus ambulare; sibique festinanter occurrere. Ille autem tantum videns miraculum; prostratus in terra adorare eam volebat. Illa vero hoc videns; vociferando compescebat eum dicens. vide ne hoc facias abba zosima; dum sis sacerdos dei; et sancta portes mysteria. Haec dicendo transiens pervenit ad senem; et ait ad eum. benedic me pater. Ille vero tremefactus ait. Gloria tibi christe deus noster qui me non fraudasti a desiderio cordis mei. neque abstulisti misericordiam tuam a me; sed revelasti michi per hanc famulam tuam quantum distarem a via salutis vel integritatis. Quibus dictis petiit eum mulier sacratissimum sibi fidei simbolum dicere. nec non et dominicam orationem. Finita itaque oratione; dedit pacem seni. et sic sacrosancta percepit mysteria. extendensque ad caelum manus dixit. nunc dimittis famulam tuam domine; secundum verbum tuum in pace. quia viderunt oculi mei salutare tuum. Dixitque ad senem. iterum peto te ut unum aliud michi adimpleas desiderium. Et nunc quidem perge ad monasterium tuum in pace. venturo autem anno venies in locum ubi prius tecum locuta sum; et videbis me qualiter deo placuerit. Ille vero respondens ait ad eam. Quicquid precipis domina mea vita comite faciam. Sed et ego multum deprecor te ut concedas michi quod in presenti te rogo. quatinus vel modicum gustare digneris de his que attuli mecum. Tunc illa tria grana lentis infuse sumens; cum gratiarum actione percepit dicens. sufficit nobis sancti spiritus gratia. ut conservare possimus dei precepta immaculata. Addensque ait. ora pro me abba per deum te deprecor. et memor esto mei. Ille vero provolutus eius pedibus dicebat. ora domina pro sancta dei ecclesia; ac pro christiani imperii incolumitate. atque pro me peccatore. Et ita invicem sibi vale facientes; signum sanctae crucis sibi faciens mulier iordanem ut prius fecerat pedibus transiit. Senex vero regrediens ad monasterium; reprehendebat valde se ipsum; quod nomen sanctae mulieris minime requisisset.

Transacto igitur anno; ad heremum iuxta consuetudinem properare zosimas studuit. ambulansque consuetum numerum dierum; ad locum pervenit condictum. expectans aliqua signa sui desiderii reperire. Videns autem nullum ad se venientem caepit faciem lacrimis rigare dicens. revela michi domine ihesu christe thesaurum tuum; quem fures furari non possunt. quem in hac heremo occultasti. demonstra michi corporeum angelum; quem iste mundus habere non est dignus. Dum haec orans diceret; conversus vidit a parte torrentis quem supra diximus veluti solem orientem; ubi corpus sanctae mulieris iacebat exanime. pedibus manibusque ita dispositis; sicut oportet disponi mortuos; respiciens in partes orientis. Videns itaque hoc zosimas; currens gradu concito eius sanctissimos pedes lacrimis caepit rigare. nullamque aliam eius partem corporis tangere presumebat. Caepit ergo ei oportunos psallere psalmos; et orationem offerre sollemnem. secumque interim cogitabat dicens. Ego quidem sepelire volueram corpusculum sanctum. sed quid faciam nescio. timeo enim ne sanctae mulieri hoc displiceat. Haec eo cogitante; curiosis oculis circumspiciens vidit litteras. iuxta caput eius in terra descriptas; continentes ita. Sepeli abba zosima in hoc loco miserae marie corpusculum. et redde terrae pulverem suum. et ora pro me ad dominum. cuius praecepto sum kalendis aprelis de hoc assumpta saeculo. Repletus est autem senex gaudio magno eo quod per ipsam scripturam eius cognoscere potuit nomen. sicque certus factus est quia postquam sancta mulier ad iordanem sancta dei perceperat mysteria; mox in eumdem recurrit locum in quo vitam finierat. Illudque desertum quod zosimas per viginti dierum spatia vix ambulavit; illa in una hora peragravit. et ad dominum in ipso loco migravit. Tunc zosimas intra semetipsum dicebat. Ecce cupio sanctae huius mulieris implere preceptum; sed quomodo faciam miser ignoro. qualiter enim terram fodere possim omnino non habeo. Cumque haec cogitaret vidit parvum iuxta se in terra iacere lignum. quod accipiens caepit cum eo quomodo

poterat terram fodere. erat autem durissima et nullo modo fodiebatur. Laborabat ergo senex profusus sudoribus; et suspirans ex intimo cordis affectu. Et subito aspiciens vidit leonem magnum stantem iuxta pedes sanctae; et osculantem vestigia eius. Quem ut vidit zosimas nimium tremefactus est; et recordatus sermonum sanctae mulieris quae dixerat quod nunquam feras vidisset in heremo; plurimum mirabatur. Tandem itaque confortatus animo consignans se venerabilis crucis signaculo credidit quod non eum noceret leo; propter virtutem sancti illius corporis. Leo vero coepit ad senem innuere; ostendens se quodam modo illi esse mansuetum. Zosimas autem ait ad eum. sancta haec mulier praecepit o leo sepeliri suum corpus. ego vero sum senex; et minime possum terram fodere; quia nec habeo qualiter hoc vel quomodo faciam. sed tu assume hoc opus; et fodi terram hanc; ut possimus sanctum sepelire corpus. Mox itaque leo coepit pedibus suis terram fodere quantum sufficere videretur ad eiusdem sancti corporis depositionem. Tunc deponens eam zosimas in eandem foveam; terra cooperuit. astante secum leone. et obsequium quodam modo sanctae mulieris exequiis deferente. Quibus omnibus rite peractis protinus leo quasi agnus mansuetus desertum petiit. zosimas autem regressus est ad monasterium suum. benedicens et hymnum dicens deo. Omnia igitur quaecumque viderat vel audierat; nec non et universa quae egerat per ordinem fratribus enarravit. nichilque ab eis abscondit. Illi autem haec audientes glorificaverunt deum caeli: facientem mirabilia magna. et cum honore ac multa devotione ex eo tempore caeperunt celebrare anniversariam eiusdem sanctae mulieris depositionem. Abbas autem iohannes repperit aliquid in suo monasterio reprehensibile; quod erat necessarium emendare. quatinus omnia verba sanctae mulieris adimplerentur. Habitavit autem prefatus zosimas in eodem venerabili monasterio sub omni sanctitate et religione per centum fere annorum curricula. glorificans et collaudas deum caeli; qui se toto cordis desiderio querentibus misericordiae suae ianuam aperire dignatur. et sic plenus dierum atque repletus desiderii sui voluntate: de hoc saeculo migravit ad dominum. qui vivit et regnat in saecula saeculorum. Amen.

EX CODICE CXLI.

Acta Sanctorum

Pag. 329 — Passio sancti Anastasii martyris.

(*Edita supra pag. 102. ex Cod. CXXIII.*)

Pag. 346 — (Passio sancti Ignatii Episcopi Antiocheni et Martyris.)

Tempore quo traianus domitiani successit imperio; maximae persecutionis pondus urgebat ecclesiam. Et tam immensae catervae martyrum cotidie iugulabantur; ut plinius secundus qui tunc syriae provinciam administrabat multitudine peremptorum permotus; scriptis notificaret imperatori quod innumera hominum milia cotidie obtruncarentur. in quibus nichil omnino sceleris deprehenderetur admissum; aut aliquid contrarium romanis legibus gestum; nisi hoc solum quod antelucanos ymnos christo cuidam canerent deo. adulteria vel caetera huiusmodi crimina apud eos illicita haberi; et penitus arceri; caetera vero secundum leges eos agere communes. Tunc traianus rescripti sui auctoritate decernit; ut christiani quidem non requirerentur. tamen si inciderent punirentur. Hoc itaque tempore famae maximae celebritate vulgatus ignatius; apud antiochiam post petrum apostolum secunda successione episcopatum sortitus gubernabat ecclesiam. Qui dum pro christi nomine captus a persecutoribus fuisset condemnatus ab bestias vinctus ad urbem romam sub militari custodia mittitur. Dumque per asiam sub custodia navigaret singulas quasque digrediens civitates; ecclesiae populos evangelicis cohortationibus edocebat in fide persistere. et observare se ab hereticorum contagiis; qui tunc prius copiosius coeperant pullulare. et diligentius et tenacius apostolorum traditionibus inhaerere.

Cum autem smirnam venisset ubi policarpus iohannis evangelistae erat discipulus; scribit inde unam epistolam ad hephesios eorumque pastorem. Aliam magnesiae civitati quae supra meandrum iacet. sed et ecclesiae quae est aralis. Inde vero cum ad romanam ecclesiam scriberet; deprecatur eos ne se tanquam suppliciis suis parcentes velint privare martyrio. et his post aliquanta utitur verbis. Ab assiria inquit romam usque cum bestiis terra marique depugno die ac nocte. connexus et colligatus decem leopardis militibus dico ad custodiam datis. qui ex beneficiis nostris saeviores fiunt. sed ego ex nequitiis eorum magis erudior. nec tamen in hoc iustificatus sum. Salutares bestias quae praeparantur michi quando videbo? quando venient? quando emittentur? quando eis frui licebit carnibus meis? Quas ego et opto acriores parari; et invitabo ad devorationem mei. et deprecabor ne forte ut in nonnullis fecerunt timeant contingere corpus meum. Quin immo et si cunctabuntur; ego vim faciam. ego me ingeram. Date quaeso veniam. ego novi quod expediat michi. nunc incipio esse discipulus christi. Facessat invidia vel humani affectus; vel nequitiae spiritualis; ut ihesum christum merear adipisci. Ignes cruces bestiae dispersiones ossium discerptiones membrorum ac totius corporis paenae; et omnia in me uuum supplicia diaboli arte quesita conflentur. dummodo ihesum christum merear adipisci. Haec et multa alia his similia ad diversas ecclesias scripsit. Inde vero egrediens; ad policarpum velut apostolicum virum datis litteris; antiochenam ecclesiam illi praecipue commendavit.

Postquam autem a militibus quibus traditus fuerat romam vinctus adductus est; imperiali traditur maiestati. Praesente vero imperatore traiano atque circum sedente senatu; cum interrogaretur utrum christum negaret; arisque tura imponeret; neque christum se negare; neque idolis sacrificare respondit. Tum vero imperatoris iussu pilis plumbeis primum scapulae eius contusae. deinde ungulis latera eius dilanieta sunt. et lapidibus asperis confricata sunt. Quae cum patienter sufferret; nec passionibus cederet; expansae manus eius igne repleri; deinde papiro oleo infuso et incenso latera eius aduri iubentur. Quae dum nichilominus pro christi amore constanter toleraret; carbonibus ignitis pavimento aspersis nudis pedibus superimponitur. Cumque saevissimus traianus neque hoc modo eum ad sua iussa flecti conspiceret; super lectum igne candentem iussit extendi. Quod ut caetera tormentorum genera invictus christi superavit athleta. Cernens autem caesar nullis flecti posse tormentis; dorsum eius ungulis discindi atque dilacerari; deinde aceto saleque plagas eius perfundi; ac vinculis ferreis beata membra illius astringi; et pedes eius in ima carceris ligno arceri indignatus praecepit. ubi tribus diebus ac noctibus neque panem comedens neque aquam bibens permansit. Quarta autem die traiano sedente pro tribunali in amphiteatro; concurrente omni turba romanorum; imperatoris praecepto ligatus duobus obicitur leonibus. Cumque iam proiectus bestias rugientes audiret; ardore stimulatus patiendi; ait. Viri romani qui ad hoc certamen spectandum convenistis; non sine causa me laborasse cognoscite; non haec propter meorum criminum patior pravitatem; sed propter divini cultus pietatem. Frumentum etenim christi sum. bestiarum dentibus molar; ut panis mundus christo efficiar. Haec illo dicente; occurrerunt ei leones. et ex utraque parte super eum irruentes; praefocaverunt cum tantummodo. et non tetigerunt carnes eius. ut romanorum magnaeque urbis esset tuitio. in qua petrus est crucifixus. paulus decollatus. onesimus lapidatus. Passus est autem venerabilis christi martyr ignatius; undecimo traiani imperatoris anno. consulatu attici et marcelli. kalendis februarii. Religiosi autem christiani qui eum pietatis studio secuti fuerant eius sacratissima ossa colligentes; digno honore condiderunt. atque antiochiam magna cum reverentia deferentes; extra daphniticam portam in cymiterio ecclesiae cum magna laetitia christianae plebis locaverunt. sexto decimo kalendas ianuarias. Ubi plurima fiunt miracula. Ad laudem et gloriam domini nostri ihesu christi; qui cum patre et spiritu sancto vivit et regnat deus in saecula saeculorum. Amen.

EX CODICE CXLII.

Acta Sanctorum.

Pag. 1 — Passio Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli.

Cum fides domini et salvatoris nostri ihesu christi per omnium cresceret mentes; et per dies singulos religionis propagarentur augmenta; nequaquam quievit hostis salutis humanae. sed urbem maximam romam quae est caput omnium pervenit. et symonem illuc ex apparitorum suorum numero evocavit. ut ibi athletis domini ac salvatoris nostri ihesu christi apostolis in hoc ipsum ab eo surrogatis obsisteret. Erat enim hic symon samaritanus. de vico githo. qui prius in iudaea per apostolum petrum de iis quae gerebat sceleribus confutatus; transmarinam aggressus est fugam. Et ab oriente ad occidentem usque pertendit. nusquam sibi vitam nisi in fugae subsidio sperans. Igitur sub claudio caesare urbem romam ingressus; utens adminiculo assistentis sibi et adhaerentis. demonicae virtutis quam paredrum vocant. brevi tempore in tantum malorum venit profectum; ut etiam simulacri in flumine tiberis inter duos pontes collocati a romanis civibus tanquam deus honore potiretur. habentis etiam titulum latinis litteris scriptum. symoni deo sancto. Sed non in longum permanet fraude quaesita divinitas. Continuo nanque in ipsis claudii temporibus; clementia divinae providentiae probatissimum omnium et apostolorum maximum fidei magnificentia et virtutis merito primorum principem petrum ad urbem romam velut adversum humani generis communem perniciem repugnaturum deducit. ducem quendam et magistrum militiae suae. scientem divina praelia gerere; et virtutum castra ductare. Iste adveniens ex orientis partibus; ut celestis quidam negotiator mercimonia divini luminis si quis sit comparare paratus advexit. et salutaris praedicationis verbo primus in urbe roma evangelii sui clavibus ianuam regni caelestis aperuit.

Igitur cum romanae urbi clarum verbi dei lumen fuisset exortum; symonis quidem tenebrae cum suo auctore restinctae sunt. Sermo autem veritatis et lucis qui per petrum praedicabatur; universorum mentes placido illustravit auditu. Ita ut cotidie audientibus eum nulla unquam satietas fieret. Unde neque auditio eis sola sufficit. sed marcum discipulum eius omnibus praecibus exorant; ut ea quae ille verbo praedicabat; ad perpetuam eorum commonitionem habendam scripturae traderet. quo domi forisque in huiuscemodi meditationibus permanerent. nec prius ab obsecrando desistunt; quam quae oraverant impetrarent. Et haec fuit causa scribendi quod secundum marcum dicitur evangelium. Petrus vero ut per spiritum sanctum religioso se spoliatum comperit furto; delectatus fidem eorum per haec devotionemque considerans; factum confirmavit. et in perpetuum legendam scripturam ecclesiis tradidit.

Interea claudio defuncto; nero suscepit principatum. a quo festus mittitur in iudaeam succedere felici. apud quem causa dicta paulus vinctus mittitur romam. Aristarco se comitante quem in suis epistolis concaptivum appellat. nec non et luca qui et actus eius ceterorumque apostolorum describit; sed praecipue pauli. Affuit sibi tamen paulus; et defendit se apud neronem. et postquam biennio in urbe roma positus verbum dei per populos nemine prohibente disseminavit; rursum profectus est ad

praedicationis officium. Qui postquam denuo romam regressus est. ac beato petro socium se praebuit; gravissime eis ac tota vi malignitatis suae exagitatus stimulis symon obviare contendit. sed divina virtus et gratia quae in maximo praecipue certamine nunquam deserit suos; incensam maligni flammam tota celeritate restinguit. Propter quod neque symon neque alius quis congressus tunc adversus apostolos domini victoriam potuit optinere. quia veritatis lux et verbi divini claritas quae ob salutem hominum nuper affulserat; per apostolos suos totius mendacii discussa caligine; de humanis mentibus ignorantiae tenebras effugabat.

Igitur cum in tantis sceleribus post bona principia nero progressus esset; ut ne a propriis quidem domesticis temperaverit; set et in matrem et in fratres et in uxores atque in omnes sanguinis proximos et parricida extiterit et incestus; his omnibus deerat ut ipse primus ex imperatoribus romanis etiam in ipsum deum impietatis arma converteret. Denique cum iudaeorum bello afflictam romani exercitus validam manum cognovisset; adversum christianos insurrexit. ut ei debitus finis appropinquaret. Erant tunc temporis romae ut praemissum est Petrus et paulus doctores christianorum. sublimes operibus. clari magisterio. qui virtute suorum operum neronem sibi adversum fecerant. captum magi symonis deliramentis. qui sibi animum eius conciliaverat. Cui adiumentum victoriae; subiectiones gentium; vitae longevitatem; salutis custodiam; feralibus artibus pollicebatur. atque illi credebat; qui vim rerum nesciret examinare. Denique summum apud eum tenebat amicitiae locum. quandoquidem etiam praesulem eum suae salutis. vitaeque custodem arbitrabatur.

Sed ubi petrus eius vanitates et flagitia detexit; et species illum rerum mentiri non solidum aliquid aut verum efficere demonstravit. ludibrio habitus et digno est merore consumptus. Et quamvis in aliis terrarum partibus petri esset expertus potentiam; tamen perveniens romam ausus est iactare quod mortuos resuscitaret. Defunctus erat id temporis romae adolescens propinquus caesaris; cum universorum dolore. Admonuere plerique experiendum; utrum possit resuscitari. Celeberrimus in his operibus petrus habebatur. sed apud gentiles nulla facti huiuscemodi deferebatur fides. Dolor exegit remedium. Perrectum est ad petrum. fuere qui etiam symonem accersendum putarent. uterque affuerunt. Ait petrus symoni qui de sua se iactaret potentia priores se partes dare. ut si posset mortuum suscitaret. si ille non resuscitasset; se non defuturum. christus opem ferret defuncto quo posset resurgere. Symon qui putabat apud urbem gentilium plurimum suas valituras artes; condicionem proposuit. ut si ipse resuscitasset mortuum; Petrus occideretur. qui in magnam potentiam; sic enim appellabatur lacessendo; iniurias irrogavisset. sin vero praevaluisset petrus; in symonem pari genere vindicaretur.

Adquievit petrus. adorsus est symon. accessit ad lectulum defuncti. incantare atque immurmurare dira carmina caepit. Visus est agitare caput qui mortuus erat. Clamor ingens gentilium quod iam viveret; quod loqueretur cum symone. ira et indignatio in petrum; quod ausus esset conferre se tantae potestati. Tunc sanctus apostolus popóscit silentium. et ait. si vivit defunctus loquatur. resuscitatus est surgat. ambulet. fabuletur. fantasiam illud esse non veritatem; quod videatur caput movisse. Denique separetur inquit a lectulo symon; et tunc ne id quidem ostentui futurum. Abducitur symon a lectulo. manet sine specie motus alicuius qui mortuus erat. Astitit petrus longius. et intra se orationi paulisper intentus; cum magna voce ait. adolescens. surge. sanet te dominus ihesus. Et statim surrexit adolescens; et locutus est. et ambulavit. et cibum sumpsit. et dedit eum petrus matri suae. Qui cum rogaretur ut ab eo non discederet; ait. non derelinquetur ab eo qui illum fecit resurgere. cuius nos servi sumus. Secura esto mater de filio. non vereris. habet custodem suum. Et cum populus in symonem surgeret ut lapidaretur; ait petrus. satis est ad paenam eius quod cognoscit suas artes nichil valere. vivat. et christi regnum crescere videat vel invitus.

Torquebatur magus apostoli gloria. collegit sese. atque omnem excitat carminum suorum potentiam. Congregat populum; offensum se dicit a galileis. relicturum urbem quam tueri soleret. Diem statuit. pollicetur volatum quo supernis sedibus inveheretur. cui quando vellet caelum pateret. Conscendit statuto die montem capitolinum. ac se de rupe eiciens volare caepit. Mirari populus et vene-

rari. plerique dicentes dei esse potentiam non hominis; qui cum corpore volitaret. nichil tale christum fecisse. Tunc petrus in medio stans ait. ihesu domine; ostende ei vanas artes suas esse; ne hac specie populus iste qui crediturus est decipiatur. Decidat domine. sic tamen ut nichil se potuisse vivens recognoscat. Et statim in voce petri implicitis remigiis alarum quas sumpserat; corruit. nec exanimatus est. sed fracto debilitatoque crure ariciam concessit. atque ibi mortuus est. Quo comperto; deceptum se nero et destitutum dolens tanti casu amici; sublatumque sibi virum utilem et necessarium reipublicae; indignatus quaerere caepit causas quibus petrum occideret. et iam tempus aderat quo sancti vocarentur apostoli petrus et paulus.

Denique dato ut comprehenderentur praecepto; rogabatur petrus ut sese alio conferret. Resistebat ille dicens; nequaquam se facturum ut tanquam metu mortis territus cederet. bonum esse pro christo pati qui pro omnibus se morti optulisset. non mortem istam. sed immortalitatem futuram. Quam indignum ut ipse fugeret passionem sui corporis; qui multos doctrina sua compulerit hostias se pro christo offerre. Deberi sibi secundum domini vocem ut et ipse in passione sua christo gloriam atque honorem daret. Haec et alia petrus optexere. sed plebs lacrimis orabat ne se relinqueret. ac fluctuantem inter procellas gentilium destitueret. Victus fletibus petrus cessit. promisit se urbem egressurum. proxima nocte salutatis fratribus et celebrata oratione; proficisci solus caepit. Ut ventum ad portam est; videt sibi christum occurrere; et adorans eum dixit. Domine quo venis? Dixit ei christus. iterum venio crucifigi. Intellexit petrus de sua dictum passione. quod in eo christus passurus videretur qui patitur in singulis. non utique corporis dolore; sed quadam misericordiae compassione. aut gloriae celebritate. Et conversus in urbem rediit; captus a persecutoribus cruci adiudicatur. poposcit ut inversis vestigiis cruci affigeretur. quod indignus esset qui simili modo crucifigeretur ut passus est dei filius. Quo impetrato; vel quia ita debebatur ut christus praedixerat; vel quia persecutor non invitus indulget paenarum incrementa; et ipse et paulus alter cruce alter gladio necati sunt. Anno sexto et tricesimo post domini passionem. sicque post apostolatus meritum etiam martyrio coronantur. Denique beatus petrus postquam antiochenam fundavit ecclesiam; quinque et viginti annis romanae urbis tenuit pontificatum. Sepultum vero est eius sacratissimum corpus in vaticano. Hoc est templo apollinis. secus viam triumphalem. contra occidentalem plagam. Beatissimus vero paulus cum apud aquas quae dicuntur salviae martyrium excepisset; corpus eius tertio ab urbe lapide orientem versus in via ostiensi sepultum est. Passi sunt beatissimi apostoli et martyres christi petrus et paulus sub nerone caesare; tertio kalendarum iuliarum. Regnante domino nostro ihesu christo; cui est cum patre et sancto spiritu. Honor et potestas; in cuncta saecula saeculorum. Amen.

Pag. 4 — Incipit prologus in passionem sanctorum apostolorum Petri et Pauli.

In universo orbe terrarum quantas virtutes atque signa et prodigia per sanctos apostolos suos petrum et paulum dominus noster ihesus christus operatus est; vel quanta sustinuerint pro nomine eius a iudaeis et gentibus; paene inenarrabilia quidem esse videntur. Sed nos de multis haec pauca decerpsimus; quibus possimus eorum gloriosissimas coronas et palmas victoriae velociter demonstrare. Explicit prologus.

Pag. 31 — Passio sanctorum martyrum Processi et Martiniani.

Tempore quo symon magus crepuit intus; impiissimus nero tradidit beatissimos apostolos christi petrum et paulum paulino viro clarissimo magistro officii. Eodem autem tempore paulinus mancipavit beatissimos apostolos in custodia mamertini. et veniebant ad eos multi christiani infirmi et curabantur ab infirmitatibus suis. atque alii a daemoniis liberabantur per orationem apostolorum. Erant autem custodientes eosdem beatissimos apostolos multi milites. inter quos erant duo magistriani; processus et martinianus. Hi cum viderent mirabilia quae faciebat per beatos apostolos suos dominus ihesus christus; mirari coeperunt dicentes. viri venerabiles. Nostis quia hic imperator nero iam in oblivionem recessit a persona vestra? Ec-

ce enim novem menses sunt ex quo in custodia estis. Rogamus itaque vos ut ambuletis ubi volueritis. et tantum in huius nos nomine in cuius vos agnovimus facere virtutes magnas baptizate. Tunc dixerunt eis beatissimi apostoli petrus et paulus. vos credite ex omni corde et mente vestra in nomine trinitatis. Hoc audientes omnes qui in custodia erant; clamaverunt unanimiter dicentes. date nobis aquam; quia siti periclitamur. Eadem autem hora beatissimus petrus apostolus in ipsa custodia mamertini dum esset; dixit ad omnes. credite in deum patrem omnipotentem; et in dominum nostrum ihesum christum filium eius unigenitum; et in spiritum sanctum; et omnia ministrabuntur vobis. Eadem autem hora miserunt se omnes prostrati ad pedes apostolorum. rogantes ut baptismum ab eis reciperent. At vero beatissimi apostoli oraverunt in eadem custodia. Cumque orassent; ilico a beato petro apostolo facto signo crucis in monte tarpeio in custodia mamertini; eadem hora emanaverunt aquae de monte. Tunc baptizati sunt beati processus et martinianus magistriani principes a beato petro apostolo.

Hoc dum audissent cuncti qui in custodia erant; prostraverunt se ad pedes beati petri apostoli. et baptizati sunt promiscui sexus et aetatis numero quadraginta septem. Tunc optulit pro eis sacrificium laudis. et participati sunt omnes corpus et sanguinem domini nostri ihesu christi. Tunc beati processus et martinianus dixerunt ad sanctos apostolos christi petrum et paulum. pergite quo desideratis. quia oblitus nero desperavit de vobis. Exeuntes autem de custodia sancti apostoli petrus et paulus; ambulantes per viam quae appia nuncupatur. caeperunt pervenire usque ad portam appiam. Tunc beatissimus petrus; dum tibiam demolitam haberet de compede ferri; cecidit ei fasciola ante septisolium in via nova. Eodem autem tempore venit iuxta portam appiam; et vidit dominum ihesum christum quem cognoscens; dicit ei petrus. domine. quo pergis? et dominus dixit ei. romam redeo iterum crucifigi. tu autem redi romam. Et rediit petrus romam. Cumque rediret mane; ecce magistriani tenuerunt eum. Eodem quoque tempore nuntiatum est paulino viro clarissimo magistro officii; eo quod processus et martinianus magistriani christiani effecti fuissent. Tunc misit milites et tenuit eos; et iussit in custodiam retrudi. Alia autem die praecepit sibi eos praesentari. Qui cum adducti fuissent ante conspectum paulini viri clarissimi; dixit eis paulinus. Sic stulti facti estis ut deserentes deos ac deas quos invictissimi principes colunt; et antiquitas nostra adorat; sequentes vana in audacia vestra sacramenta militiae vestrae amittatis? Respondens martinianus clara voce dixit. nos modo coepimus habere sacramenta militiae coelestis. Paulinus dixit. deponite iam amentiam cordis vestri. et adorate deos immortales quos a cunabulis vestris venerati estis et coluistis. et per quos nutriti estis. Beati martyres processus et martynianus respondentes una voce dixerunt. nos christiani facti sumus. Dixit autem ad eos iterum paulinus. audite commilitones mei; et facite quae dico. et estote amici mei. et fruimini militia vestra. et estote praeclari principes. sacrificate diis immortalibus et vivite. Respondentes ambo simul quasi ex uno ore dixerunt ei. sufficiat nobis declarare tibi quia christiani sumus. et servi dei et domini nostri ihesu christi. quem beatissimi apostoli eius petrus et paulus predicaverunt. Paulinus dixit. iam dixi vobis et audistis. et nunc iterum dico vobis. audite consilium meum et vivite. Illi autem tacuerunt. Iterum autem atque iterum interrogavit eos paulinus. et tunc iussit ut cum lapide os eorum contunderetur. Cumque diu caederentur; clamabant ambo pariter dicentes. Gloria in excelsis deo. Paulinus dixit militibus suis. proferte modo tripodam. et turificent maiestatibus. Beati igitur martyres processus et martinianus hoc audientes; dixerunt. nos nosmetipsos semel optulimus deo omnipotenti. Et allata tripoda dixit eis. facite quae dico. Et detulerunt iovem aureum. Hoc autem cum viderent; risum fecerunt. et expuerunt in iovem et in tripodam coram paulino magistro officii. Iterum autem idem paulinus praecepit eos in eculeo suspendi. et attrahi nervis. et caedi fustibus. Illi autem vultu alacri gaudentes dicebant; gratias tibi agimus domine ihesu christe. Paulinus magister officii nimio furore accensus; iussit ut flammas ponerent circa latera eorum. Illi autem vociferabantur dicentes. Benedictum nomen domini nostri ihesu christi; quem beatissimi apostoli eius petrus et paulus praedicaverunt.

Erat autem ibi quaedam matrona nobilissima fe-

mina nomine lucina. quae stabat ante eos. quae etiam confortabat eos; et dicebat eis. milites christi. constantes estote. et nolite metuere paenas quae ad tempus sunt. Paulinus dixit ad eos. quae est ita amentia in vobis? Ille autem corroborati deridebant tormenta. Tunc iussit militibus suis ut scorpionibus eos appensos in eculeo castigarent. sub voce praeconia dicentes. praecepta principum contemnere nolite. Eadem autem hora paulinus amisit oculum sinistrum. Tunc poenitentia ductus; prae dolore caepit clamare et dicere. O carmina artis magicae. Et praecepit eos deponi de eculeo. et diu maceratos eos; retrudi in custodiam mamertini. Matrona quidem venerabilis femina lucina incessanter ministrabat sanctis martyribus in custodia. Post triduum autem subito paulinus arreptus a daemonio expiravit. Tunc filius eius pomponius caepit vociferando clamare ad palatium pergens. moderatores et gubernatores rei publicae nostrae subvenite. et extinguantur arte magica imbuti. Hoc audiens praefectus urbis caesarius; intimavit neroni augusto rem gestam. nero autem imperator praecepit dicens. non tardentur; sed celerius extinguantur. Pomponius vero filius paulini caepit fortiter urgere praefectum urbis caesarium. Tunc praefectus data in eos sententia; iussit illos eici de custodia. et ducti sunt foras muros romae. in via quae aurelia nuncupatur. ibique gladio capita eorum sunt amputata. Beatissima autem lucina cum hoc videret; sequebatur eos cum familia sua. usque dum pervenirent iuxta formam aquaeductus. ubi etiam et decollati sunt. et corpora eorum relicta sunt trunca a canibus devoranda. Tunc sanctissima femina lucina collegit corpora eorum et condivit cum aromatibus praetiosis. et saepelivit in praedio suo in arenario iuxta locum ubi decollati sunt. sub die sexto nonarum iuliarum. in via aurelia. ubi praestantur beneficia eorum usque in praesentem diem. Regnante domino deo atque salvatore nostro ihesu christo; qui vivit et regnat cum patre in unitate spiritus sancti per omnia saecula saeculorum. Amen.

Pag. 34 — Passio sancti procopii martyris.

Regnante impiissimo et nefandissimo dioclitiano caesare. sacrilega institutione omnibus eius sub regno militantibus hoc iniquissimis scriptis atque decretis mandatum est. Ad construenda deorum templa et cerimonias ibidem offerendas properantes; accelerate servitium. festivitatesque eorum magna cum letitia celebrare curate. Quoniam quidem relatum est nostrae magnificentiae de quibusdam homunculis. qui aliud dogmatizantes novos mores ad aures famulorum nostrorum ferre nequaquam verentur. Hi enim subito apparentes in mundo contra magnos deos; sacratissima phana destrui docent. quae nostri progenitores cum ingenti studio aedificare curarunt. praeclarasque eorum festivitates veluti nefas contemnunt. Unde quidam ex nostris insania furentes; sub impietate animas suas morti dederunt. Hi autem iudicio inenarrabili nescio quo pacto quendam solitarium deum diffamare conantur. quibus assertionibus non solum semetipsos; sed etiam totum mundum ludificare probantur. Quandam etiam melodiam concinnentes; plurimos per maleficia repente in perditionem trahunt. suosque sodales efficiunt. roborantes eos contra nos ut deos blasphement. suasoriis insuper quibusdam mithologiis nostras leges et deorum salutationes irritas ostendere decertant. Quasdam enim mysticas habent litteras; quas evangelia vocant. et per illa quendam male natum ex muliere deum introducunt. nostrasque cerimonias ad suam respuentes ultionem per omnia satagunt exterminare deos. nostrumque subvertere regnum. Mansuetudinem quoque nostram tanquam sine viribus inefficacem demonstrare student. et veluti pigros atque imbecilles ad deorum nostrorum vindictam nos esse infamant. Huius rei gratia hoc proponimus edictum; quatinus in omni loco regni nostri unius religionis et sectae sint omnes. divinos autem deos nostramque clementiam digne venerari nitantur. Si quis autem haec parvi pendere praesumpserit; utpote apostata publice gladio feriatur. qui autem pro deorum religione eiusmodi consenserit decreto; copiosum auri pondus ex nostro accipiat palatio. Valere vos diis semper optamus. Iudices itaque qui singulis praeerant locis suscipientes hoc edictum; sicuti cruentae bestiae rapiebant christicolas. et ad sacrilegam trahebant idolatriam. Ea tunc tempestate sceleratissimus flavianus venit in civitatem quae caesarea nuncupatur. hic adeo crudelis erat; adeoque superans atrocitate omnes atroces; ut non se putaret de humana esse natura.

Beatus procopius ex helia civitate oriundus de locis scilicet sacratissimae crucis; moribus et vita lectoris atque exorcistae fungebatur honore. Hic deifica scientia repletus; sanctitate quoque perspicuus; divinos utriusque testamenti libros credentibus diserte legebat. et eorum aures interius exteriusque demulcens; gratiores reddebat. Erat enim adeo sermone mellifluus; ut cuncti qui eum audiebant laetarentur dulcedine oris eius. Ieiunio autem et oratione ita videbatur armatus; ut nemo de eius sanctitate ambigeret; et secundum nominis ethimologiam de virtute in virtutem proficeret. Procopius namque attico sermone proficiens interpretatur. Neque enim ab eius vocabulo opera discordabant. quippe zelo dei et pietate admodum proficiebat. caelestibus vero semper adiunctus; evangelico magisterio suam mirabiliter armabat scientiam. frequentius autem in dei morabatur aula. deprecans deum ut ecclesiae tempestatem sedaret. Comitabatur eum interea signorum efficacia. solo nimirum sermone et virtute dominicae crucis ab inerguminis daemones eiciebat. At illi exeuntes; vociferabantur vim se perpeti ab eo. et deprecabantur ut illis misereri dignaretur. Denique copiosa multitudo per eius praedicationem deposito gentilitatis errore; christianae fidei iugo mentis colla summiserunt. Quam ob rem beatum procopium doctorem esse christianorum latere flavianum minime potuit. qui continuo destinavit qui eum ad suam deferrent praesentiam. Qui venientes; comprehenderunt constantissimum dei athletam. eumque caesaream detulerunt.

Flaviano igitur residente pro tribunali; introductus est beatus procopius. Mox videntes eum accolae civitatis; furore bachantes et tanquam bestiae ferocitate tumentes; coram flaviano clamabant. hic est qui respuit deorum culturam. et imperiale decretum despectui habere non metuit. Haec audiens flavianus; utpote ab spiritu diabolico inflammatus cum terrore ait ad christi martyrem. quis diceris? Et ille. nomine quidem procopius vocor. religione autem christianus sum. Et iudex impietatis. tu inquit solus ignoras divinas iussiones quas magni statuerunt imperatores; ut qui non immolant diis cruciatibus afflicti morti tradantur? Unde te in tanta iam aetate positum sic agere stulte mirari non sufficio. Quomodo enim alios doces qui proprium perdidisti sensum? Deum nanque ex muliere natum et hunc crucifixum qua fronte asseris? talis assertio cui non moveat risum? ideoque admoneo te huius vanitatis errorem deserere; et diis libamina immolare. imaginemque imperatoris reverenter adorare. Alioquin diversis evisceratus suppliciis; infelicem animam stygialibus dabis incendiis. Quid plura? saltem passiones eorum ad sensum tuum te revocent; qui talia dudum dixerunt. Quibus auditis sanctus procopius; dixit ad eum. O utinam michi dominus omnium gratiarum largitor concedere dignetur; ut te regemque tuum de tam execranda stultitia cui tam pertinaciter estis affixi eripere possim.

Revera enim oportuerat te creatorem caeli et terrae omniumque rerum opificem cognoscere dominum. qui est causa bonitatis. et in eum credere qui est vere deus. nostra et totius orbis verissima salus. Ideoque si cupis addiscere quid ex eo mundi huius philosophi sentiant; reperies mercurium qui et trismegistus habetur. dehinc homerum. et platonem. aristotelem. et socratem. galanum et scamandrum. unum praedicantes deum. Illos vero qui ex hominibus dii facti vel potius appellati sunt; in mendacium atque periculum devenisse concinunt. Ecce quam nequiter nos de uno deo calumniamini. Christum autem ex muliere natum et hunc crucifixum si sollerter attendas; non ludibrium sed est inenarrabilis pietas. Ille autem vere deus est; eo quod ex patre unigenitus maneat filius. quem cognoscentes in patris divinitate omousion; invisibilem; incommutabilem cum patre sanctoque spiritu regnantem. adoramus et colimus. non tres sed unum deum. in tribus scilicet personis unam aeternitatem. unam maiestatem. unam aequalitatem venerantes confitemur. Hic est deus et dominus noster ihesus christus. qui pro salute generis humani cooperante sancto spiritu dispensationem nostrae carnis ex sacra virgine assumere dignatus est. Plene autem si vis de dei audire cultura; saltem diei praebe spatium; et sollicitus audi. Ego enim gratia salvatoris christianus sum. in cuius etiam virtute quos vos colitis daemonas expello. Tunc flavianus volens eius detrahere assertionibus; ait ironice. bene nobis de dei cultura professus es. tu enim claves caelorum et dei signacula defers. Verumtamen consule tibi priusquam pae-

narum genera contumax experiaris. velociusque ab erronea desine professione. et nega vesanae christianitatis sectam. ac deinceps gentilium vitam vivere nullatenus contemnas. Laetare itaque in omnibus mundanarum rerum copiis. consentiensque imperialibus iussis; prestolare magna praemia. Porro si nostrae admonitioni aures cordis accomodare renueris; horribilia sustinebis supplicia. et sic demum quae tibi iussa sunt coactus perficies. Ad haec sanctus procopius. qui de divino inquit diffidunt auxilio; et luce veritatis illustratam non habent conscientiam; illis dominantur supplicia. qui vero cordis oculos caelesti lumine serenatos habent isti paenas propter christum tanquam in alieno suscipiunt corpore. Sed quia tu nescis creatorem tuum veluti rabidus canis humanos artus dilaniare non vereris macta et comede. infelix. Non intelligis quia contra deum pertinaciter pugnas? O tartareum errorem. lapideum hominem formas. mensamque illi ponis; et tura incendis. Si enim lapidem pro deo colis; cur eum multifarie scindere non erubescis? Facturam ut deum adoras? Parietem ex eo non solum in aedificium magnae domus; sed etiam in latrinas ausus es fabricare? Noli ergo tanta dementia tuum obscurare cor; ut relinquas caeli et terrae factorem. et lapidem qui per se sistere non valet erigas. et veluti misericordem flagites. aurum ei offeras; et incensum ponas. et tanquam deum glorifices. Rogo. qualis est illa sapientia quae lapidi et ligno velut incorrupto deo sacrificium et holocaustum defert? vitam et salutem a putrido petere ligno non ambigit? Nonne ut ipse vides ferrum ab igne domatur; et sua natura minuitur? ignis autem lignum consumit flammasque producit. sed huius virtus limpha extinguitur. Unde ergo tanta processit vesania; ut ignem et aquam deifico celebretis honore? Noli ergo elementa deos putare; quae se alterutrum ita consumunt. Sed ais. non lapidem veneror neque illi sacrifico. quin potius instar deorum meorum quasdam effigies componere decrevi. Haec equidem asserens; contra rationem resultas. quorum enim nulla est veritas; quae potest esse similitudo? Quoniam autem vestri philosophi ut dicere caeperamus unum confessi sunt deum; quem incorporeum et ineffabilem incomprehensibilem rerum omnium constat esse creatorem. et quia deus spiritus et veritas est; illos qui adorant eum in spiritu et veritate oportet adorare. Vos autem ex diversis metallis ligneaque materia diversos deos sub variis scematibus ad vestram perniciem fingere conamini. Denique iure prophetica intonat tuba. similes illis fiant qui faciunt ea; et omnes qui confidunt in eis. Similitudo igitur cuius veritas approbari non potest. quid aliud quam falsitas est appellanda? Quapropter deponentes huiuscemodi mortiferum laborem sacrilegamque contentionem deum qui est et qui erat mecum venerantes colite. Omnis enim vestra religio quae vobis iusta videtur; nil aliud quam stultum probatur sacrilegium. et opus coinquinatum. quae suos cultores in aeternam praecipitare combustionem dubium non est. Deus etenim omnium creator suae misericordiae thesauros super nos expandere dignatus est. odit mortem. eiusque aculeos per christi dissolvit adventum. nobisque resurrectionis fiduciam in eius resurrectione collocavit. ut quotquot in eum credimus; immortalitate donati gaudiis caelestibus perfruentes; semper cum illo regnemus. Unde si tibi non est mutabilis sensus; infer gladium quem idola tua execrantibus minaris. non enim tuis participabo iniquitatibus; qui particeps sum gratiae christi. nec mundanam gloriam pro quibuslibet minis vel praemiis caelesti gloriae praeferam.

Haec et horum similia sancto procopio clara voce circumstantibus protestante; atrocissimam praeses minatus est ei mortem. statimque in ligno fecit suspendi. et latera eius novacula radi. plagasque illius sale inspersas eum cilicio hirsuto fricari praecepit. Cumque haec agerentur; manus carnificum deficiebant. Mox autem crudelitatis arbiter eadem vulnera denuo iussit abradi. faciemque illius ungulis ferreis exarari. Tanta vero cruoris effusio inundavit; ut eius aspectus cerni nullatenus posset. Quam crudele nefas. insuper omnia eius ossa contriverunt. His ita peractis; sevissimus iudex cuidam agricolao caput eius gladio amputari praecepit. Et christi miles cum ingenti gaudio paravit se ad martyrii metam. Spiculator autem dum sibi scelus iniunctum perficere vellet. dissolutae sunt manus eius. et cum ipso mucrone concidens expiravit. Quod cernens flavianus amens effectus; catena inquit ferrea collo tenus ei posita; manus pedesque illius vincientes; carceralibus tenebris mancipate. sed omni humanitate privatus; ex vulnerum

fetore intolerabiles sentiat cruciatus. et sic tandem imperatorum compleat iussionem. Haud mora constantissimum dei martyrem compedibus aggravatum miserunt in carcerem. Sed quia eius animae libertatem ligare non poterant; iacens in terra his verbis ad deum preces fundebat. Omnipotens sempiterne deus qui ex nichilo cuncta creasti. qui genus humanum ne penitus in sacrilego periret errore dominum ihesum christum ad eius redemptionem mittere dignatus es. erue me ab insidiis diaboli. et dirumpe omnes machinationes eius quas michi per flavianum optendere molitur. neque enim viribus nostris idonei sumus tantas sufferre temptationes. sed tu qui omnia potes auxiliare nobis; ut participes et cohaeredes inveniamur promissionis tuae. Tibi enim gratiarum actiones persolvimus. quoniam tu iacentes erigis. poenitentibus ignoscis. errantes ad veritatis tramitem revocas. captivos liberas. mortuos vivificas. Sit tibi gloria. laus. et maiestas. patri et filio. una cum sancto et vivificante spiritu. et nunc et per infinita saecula saeculorum. Amen. Mox autem in angelico scemate dominus apparens; imposuit ei manus. et sanavit eum dicens. gratia mea sit tecum. Dehinc post triduum residens flavianus iussit introduci sanctum. et ait illi. tuam ne fatuitatem macerarunt penae; et suaserunt ut immoles diis? An adhuc priori stultitiae mancipatus tabescis? Puto enim quod medicantibus tormentis resipiscas. et imperialibus decretis assensum praebeas. Principum nanque severitas similis eorum esse dinoscitur; qui parvulos erudiendo perducunt ad scientiam. iccirco iam tempus est ut sensum tuum meliori tradas consilio. quatinus et tibi consulas. et laborem meum inanem non facias.

Ad haec fortissimus christi athleta respondit. sic tibi videor tanquam si in somnis patiar. nonne miraculum sanitatis quod in me dominus patravit intellegis? ecce enim post tuae ferocitatis paenas potentior assisto. noli ergo miser ad aeternum interitum sacrilega dementia tecum alios trahere. Verumtamen larvalibus stimulis exagitatus; corpus meum iuxta tuum libitum dilaniare potes. christianae fidei vigorem michi extorquere nullatenus quibis. unus est michi philosophiae terminus; ut pietatem scilicet praeferam impietati. Et flavianus. non me inquit pertinacia tua furore accendere poterit; ut tibi momentaneam inferam necem. video enim te patientiam christi tui imitari velle; qui patiens a vobis asseritur. sustinebo interim contumaciam tuam ter maledicte; qui spiculatorem maleficiis interemisti. variosque paenarum apparatus velut aranearum telas ostendisti. Non itaque omnia membra tua exarare cessabo; donec quae tibi iniuncta sunt perficias. Continuo praecepit apparitoribus dicens. manus pedesque illius restibus innodantes; extendite eum suspendentes a terra. crudisque taureis totos eius artus contundite. igneosque carbones ei super dorsum congerite. fortassis enim a sua vesania resipiscere valebit. Sanctus denique procopius dum talia pateretur ait. O stipula ignis aeterni. omniumque scelerum patrator. me quia veritatem testificor quasi stultum dilanias. ego vero pro caelesti remuneratione quae omnes mundanas superat felicitates; libenter omnes tolero cruciatus. Et quanto gravioribus afficior periculis; tanto magis me supernis gaudiis beatum fore non ambigo. Tunc ait flavianus. nequissime omnium. non tuae contumaciae parcam. Et sanctus. nec ego cessabo testificans veritatem. Tu quidem omnium daemonum fautor existis. et impiorum regum sacrilegus procurator. ego autem sum christi miles; et verae fidei testificator. Quibus auditis crudelissimus ait tyrannus. ferreis accensis clavis totas eius corporis plagas compungite. ut a tanta recedens dementia discat non blasphemare deos. eorumque cultores invictissimos reges. Beatus autem procopius dum ignivomis punctionibus ureretur; cruenta inquit bestia. humano sanguine nesciens satiari. quam tu dementiam appellas; hanc ego philosophiam amplector. vincens tuam vesaniam. Divina etenim virtus omnes michi illatas superat passiones. Et sevissimus ait praeses. vulnera eius iam adusta iterum ignitis confodiantur acutis; ut pro huiuscemodi paenas animae sentiat dolores. atque in talibus deficiens non deludat deos; quos magni principes pro communi salute summo celebrare nituntur honore. Robustissimus itaque christi athleta dum denuo ignitis clavis confossus incenderetur; dixit. pestem quam tu communem dicis salutem; quamque imperatores; immo mundi devoratores inducunt cupientes daemonum augere potestatem; deus et hanc et illos cito destruet. humano generi consulens.

Audiens igitur haec flavianus; ampliori bachatus furore excogitare caepit qualiter eum nova et inaudita morte necaret. Arulam interim prunis fartam iussit afferri. Sanctique martyris dexteram fecit extendi. eamque ardentibus carbonibus repleri. et super eosdem carbones tus imponi praecepit. et dixit ad eum. per magnos deos; si iactaveris ignem cum ture super arulam; immolasti diis. Ita enim vas igniferum erat positum; ut declinare illud excusssione manus nullatenus posset. Christi autem miles suae manus incendium fortiter sustinens; nichil loquebatur. sed erat mens eius fixa in deo tanquam si nichil pateretur. stupebant autem omnes. et mirabantur constantiam eius. Taudem post duarum fere horarum curricula suspiciens in caelum et ingemiscens; dextera inquit tua domine glorificata est in virtute; dextera manus tua domine confregit inimicos; dextera virtutis tuae exaltavit me. Tunc flavianus ait ad eum. infelicissime omnium. Nunquid non sentis paenarum cruciatus? Alioquin quomodo ploras? Et sanctus. non inquam tormentorum dolores sed animam ploro tuam. quoniam minister impiorum regum atque daemonum cultor existis. et cum eis velut atrocissima bellua humanum sanguinem bibis. Unde miserrime scire te convenit; quia pariter cum illis aeternam tolerabis combustionem. Cernens itaque truculentus iudex quia nichil proficeret; noluit ad sui confusionem novos adhibere agones. quin potius metuens ne contra sacrilegum imperatorem deosque nefandos peiora narraret; capitalem in eum dedit sententiam. Mox autem spiculatores qui ad hoc ipsum deputati erant; assumentes illum duxerunt foras civitatem. ubi cum ventum esset; christianae religionis robustissimus propugnator oravit dicens. Omnipotens sempiterne deus. martyrum palma. laborantium fortitudo; miserere ecclesiae tuae. pacifica procellam eius. mei quoque iam parce peccatis; et suscipe animam meam in pace. His ita ad deum precibus fusis; signaculo sanctae crucis semetipsum muniens tetendit cervicem; statimque capite truncatus est. Christiani igitur glorificantes sanctam et individuam trinitatem; tulerunt sacratissimum corpus eius. et posuerunt congruo in loco. ubi pie postulantibus miraculorum beneficia exhuberare non desinunt. Martyrizatus est autem gloriosissimus dei famulus procopius octavo idus iulias. ad laudem et gloriam domini nostri ihesu christi; qui cum patre sanctoque spiritu vivit et regnat per immensa saecula saeculorum. Amen.

Pag. 116 — Passio sancti Pantaleonis martyris.

Regnante impio et iniquo maximiano; et omni conamine persequente christianos; erat quidam senator nomine eustorgius habitans in nicomedia civitate. Hic habuit filium nomine pantaleonem. quem apprime erudivit litteris. et tradidit archiatro cuidam nomine eufrosino. qui omnem circa imperatorem curam habebat in palatio. Hic accipiens pantaleonem; summo studio docebat eum arte medicinae. et frequenter una cum eo ibat ad palatium. Quem videns imperator et omnis senatus; dicebant ad eufrosinum. Cuius est speciosus iste puer? Erat enim tam pulcher pantaleon; ut nemo inveniretur pulchrior a vestigiis pedum usque ad verticem. Eufrosinus vero dixit ad eos. Iste puer filius est senatoris eustorgii. qui tradidit michi illum ut discat disciplinam medicinae artis. Imperator autem et qui cum eo erant dixerunt. per salutem deorum; dignus est iste iuvenis assistere imperatori. Veniebat autem puer cotidie ad magistrum suum; ut disceret omnem disciplinam artis medicinae. Nam et imperator iusserat eufrosino ut cum summa diligentia doceret puerum. volens eum habere in palatio successorem eufrosini.

Erat autem quidam presbiter nomine hermolaus; qui se absconderat in domo cum duobus aliis christianis; unde transitum habebat pantaleon. Hunc videns hermolaus frequenter secundum consuetudinem transeuntem; videns etiam decorem et reverentiam eius; et cognoscens per spiritum sanctum quia vas electionis christo futurus erat. Quadam die vocavit eum in domicilium suum ubi absconsus erat. Et cum intraret; salutavit eum presbiter dicens. gaude puer omni decore ornate. Puer respondit. gaudeas et tu senior omni honore digne. Et tenens eum fecit secum sedere. et locutus est ad eum. filiole. Quis es? Et quae circa te geruntur? Et cuius disciplinae doctrinam discis? Pantaleon respondit. filius sum eustorgii senatoris. mater autem mea vocata est eubola. quae iam christiana defuncta est. Presbiter hermolaus dixit. Cui sectae

consentis? Pantaleon respondit. cum adhuc viveret mater mea; voluit me secum habere. pater autem meus non consensit petitioni eius. magnum habens desiderium me in palatio militare. Postquam vero defuncta est mater mea; pater meus ubi ei placuit tradidit me. Hermolaus presbiter dixit. quae sunt quae discis a magistro tuo? Pantaleon respondit. Quae disco haec sunt. Asclepii Ypocratis et galieni artes. sic enim praecepit michi magister meus dicens. si didiceris eorum disciplinam; scies curare omnes infirmitates. Hermolaus presbiter dixit. fili. vide quia nichil est asclepius. nec ypocras. neque galienus. nec dii quos colit maximianus imperator. Sed veni fili et consenti michi. et crede in christum filium dei vivi; per cuius invocationem omnem infirmitatem curabis sine omni medicamento. Ipse enim mortuos suscitavit. infirmos sanavit. cuius etiam fimbriam mulier tetigit; et fluxus sanguinis eius cessavit; quem per duodecim annos patiebatur. Aquam in vinum convertit. et multa mirabilia fecit; quorum non est numerus. et adest famulis suis. et liberat eos ex omnibus tribulationibus eorum. et illis qui ex toto corde in ipsum credunt donavit ut maiora his faciant. Pantaleon autem quemadmodum terra bona suscipiens semen; sic fructificabat secundum sanctum evangelium. Dixit autem hermolao. domine hermolae. si possibile est nota faciam archiatro quae tu dicis. Haec enim et a matre mea audiebam; orante et invocante dominum ihesum christum quem predicas. Presbiter dixit. crede in ihesum christum et accipe baptismum in domino. et gratia caelestis habundabit super te. et eris haec omnia faciens in omnibus. De die autem in diem ibat pantaleon ad ipsum presbiterum; et confirmabatur in fide. nec ibat ad suam domum nisi prius faciem ipsius vidisset. Una autem die dimissus pantaleon a suo magistro; pergebat in domum suam. et declinans modicum a via; conspexit et vidit puerum a vipera percussum et mortuum. et serpens iuxta eum manebat. Pantaleon autem timore nimio comprehensus; discessit modicum. et in se rediens recordatus est verba presbiteri. dicens. nunc habeo cognoscere si vera sunt quae hermolaus presbiter ad me locutus est. Et aspiciens in caelum dixit. domine ihesu christe. si vere dignus sum tua vocatione; et vis me tuum esse famulum; in nomine tuo resurgat puer iste; et serpens crepet. Et statim surrexit puer; et crepuit serpens. Tunc pantaleon maiorem gratiam fidei accipiens dixit. Benedico te domine ihesu christe; quia dignatus es me cum servis tuis fidelibus annumerare. Vadens autem cum magno gaudio. procidit ad pedes presbiteri dicens. deprecor te famule christi; da michi lavacrum immortalitatis. ego enim cognovi hodie; quia non est alius deus praeter dominum ihesum christum; per quem mortui resurgunt. Et narravit ei omnia quae facta sunt; quomodo per invocationem christi puer de morte surrexit; et serpens crepuit. Et presbiter dixit ei. veni fili ostende michi serpentis ruinam. et pergens pantaleon ostendit ei. Quod videns hermolaus presbiter; respexit in caelum et dixit. domine ihesu christe sit gloria pietati tuae et inenarrabili tuae gratiae. quia celeriter donasti famulo tuo pantaleoni sacramenta tua gloriosa cognoscere. Et iterum utrique reversi in domicilium fecerunt omnia secundum legem ecclesiasticam. et dedit ei baptismum presbiter. et erat cum eo diebus septem.

Octava autem die ivit in domum suam et videns eum pater eius dixit ei. Ubi fuisti fili tot diebus? et fecisti me in tribulatione esse. Et pantaleon respondit. virum in palatio in multa infirmitate costitutum curavimus. eo quod de optimatibus palatii erat. et amicus imperatoris. et observavimus eum diebus septem; donec diligenter sanatus est. Et adquievit ei pater eius. Sequenti autem die ivit pantaleon ad eufrosinum magistrum suum. et videns eum eufrosinus dixit ei. Dic michi pantaleon ubi fuisti per tot dies? Respondit ei pantaleon. pater meus agrum emit; et misit me suscipere illum. et mansi ibi diebus septem; donec intrarem in terminos possessionis. omni autem margarita pretiosior est possessio quam possedi. Haec vero omnia dicebat per illuminationem baptismi. Audiens haec eufrosinus; cessavit loqui ei. Igitur pantaleon gratia christi repletus; thesaurum fidei adquirens. cogitabat ut etiam patrem suum ad dei scientiam adduceret. et per singulos dies loquebatur ei per parabolas christi virtutem. et idolorum vanam gloriam; dicens. pater. quare immobiles sunt dii? quicumque eorum stat; stat semper. et quicumque sedet; nunquam surgit. Et pater eius dixit. per meam salutem; sermo quem quaeris gravis est; et non valeo citius tibi exinde respondere.

Sanctus vero pantaleon repletus gaudio magno; dedit gloriam deo. quia per unum verbum vocavit patrem suum ad omnipotentis dei scientiam. Pater vero eius dubitans erat ab illa hora circa deos. et iam non offerebat eis sacrificia. Habebat autem simulacra in domo sua. quae pantaleon aliquotiens volens confringere; verebatur; dicens. non contristem patrem meum adhuc infidelem. sed prius credat in christum; et sic communi consilio confringemus ea. Haec cum diceret pantaleon; ecce viri adduxerunt quendam caecum. et pulsantes ianuam interrogaverunt si esset ibi medicus pantaleon. Cumque cognovissent quia ibi esset; rogabant eum ut exiret. et caecum curaret. Quod audiens pantaleon cum magna festinatione una cum patre exivit videre eum. et videns caecum dicit ei. Quid est quod vis? Dicit ei caecus. deprecor te domine. miserere mei. quia excaecatus dulce lumen non video. Omnes enim medici multa in me operati sunt; sed nichil michi profuerunt. quin insuper parum luminis quod habebam tulerunt a me. et omnem substantiam meam ipsis dedi. et nunc mendicus et caecus remansi. Dicit ei pantaleon. caeteris medicis substantiam tuam tribuisti. michi vero quid dabis si illuminatus fueris? Respondit caecus. domine. subveni michi. et quod reliquum remansit de substantia mea dabo tibi. Dicit ad eum pantaleon. lucis donum dabit tibi pro me christus. vade igitur. et eroga pauperibus quod michi promisisti. Pater autem pantaleonis prohibebat eum dicens. recede fili ab homine isto. non enim potes peritior esse medicis illis; qui ante eum curare non potuerunt. Pantaleon dixit. curam quam ego presto homini huic nemo caeterorum medicorum prestare potest. meus autem magister solo verbo sanat eos qui credunt in eum. Pater autem eius suspicabatur quod de eufrosino diceret. et dixit illi. fili. audivi quia et magister tuus adhibuit curam ei; et non potuit eum curare. Respondit pantaleon; sustine modicum et videbis gloriam christi; per quem curabitur homo iste. Et statim tenens caecum. et signans eum signo sanctae crucis in oculis; dixit. in nomine ihesu christi qui illuminavit quae prius erant obscura; et sanat quae contrita sunt; et colligit quae dispersa sunt; et convertit errantes; eris videns lucem omnibus diebus vitae tuae. et aliud lumen maius videbis si credideris in christum. Et cum adhuc loqueretur; vidit caecus. et ipsa hora pater eius credidit in dominum. et ipse qui sanus est factus. Tunc vadens pantaleon retulit hermolao presbitero quanta fecit dominus per eum. et erat multis diebus is qui sanus fuerat factus cum eo. et ibat cum illo et cum patre suo ad presbiterum. qui confirmans eos in fide domini ihesu christi; dedit eis baptismum caelestis gratiae. Pater autem pantaleonis ingressus domum suam; omnia idola confregit. et proiecit in foveam. Quod videns pantaleon. dedit gloriam deo. Post paucum vero temporis defunctus est pater eius. substantiam vero quae ei dimissa est per pauperes distribuebat. nec non et eis qui in carceribus et tormentis propter nomen domini erant ministrabat. et cooperabatur ei christus in omnibus. Multa autem invidia habebatur in eum a caeteris medicis. Quadam vero die congregatis medicis. astabat inter ipsos ille caecus qui a pantaleone sanatus fuerat. et videntes eum. dixerunt ad invicem. Nonne iste est caecus quem nos sanare non potuimus? Quis est qui eum curavit? Et vocantes eum dixerunt ei. dic nobis. quis est qui te curavit? Dicit ad eos qui fuerat caecus. Pantaleon filius eustorgii. Magnam igitur invidiam habebant medici adversus sanctum pantaleonem. et querebant occasionem aliquam invenire adversus eum. Per tempus autem multum observantes; viderunt quendam de confessoribus qui ab eo curabatur. et accusaverunt eum ad imperatorem maximianum dicentes. Imperator. quem tu iussisti discere artem medicinae. volens eum habere apud te; hic ambulat ad eos qui diis conviciantur. et curat eos. volens et ipse eadem sentire. Si autem velociter eum non tuleris; multos habet prohibere a sacrificiis. et sanitates asclepii in christum habet transferre. Et rogaverunt imperatorem; ut vocaretur caecus qui a pantaleone fuerat curatus. et iussit vocari eum. Et cum introductus esset; dixit ei. Dic michi homo. Qualiter sanatus es? Qui respondit. dominum ihesum christum invocans pantaleon; signavit oculos meos. et ipsa hora vidi. Maximianus imperator dixit. Tu ergo quid dicis? virtute deorum sanatus es; an eius qui dicitur christus? Ille autem dixit. isti quos tu vides medici multa in me operati sunt. et omnem substantiam meam accipientes; nichil me iuvaverunt. Sed et modicum quod habebam lumen amputaverunt. Quis ergo maior est? asclepius qui a

multis invocatus non me potuit sanare. an christus qui a pantaleone mox invocatus lumen michi donavit? Maximianus imperator dixit. Vade et noli esse stultus. et nomen christi non invoces. quia dii nostri donaverunt tibi lumen. At ille dixit. tu potius noli fatuus esse et stultus. michi enim dominus ihesus christus lumen donavit per famulum suum pantaleonem. Caeterum vero dii tui non videntes quomodo possunt alicui visum donare? Imperator vero ipsa hora iussit eum duci; et caput eius amputari. dicens. si iste vixerit; multos avertet a diis. Et postquam decollatus est; dedit pantaleon pecuniam iis qui eum decollaverant. et accipiens corpus eius sepelivit eum iuxta patrem suum. Post haec autem iussit imperator vocari pantaleonem; et dixit ad eum. Dic michi si vera sunt quae audivi de te. Pantaleon respondit. quae sunt quae audisti de me? Imperator dixit. quae audivi ego non credidi. potest enim fama mendax esse. Audivi autem quia quos punimus propter incredulitatem deorum tu curas. et necessaria eis prestas. et cum eis collaudas nomen ihesu. Pantaleon dixit. dii tui caelum et terram non fecerunt. Si enim iubes requiramus. et videamus si caelum fecerunt. aut terram fundaverunt. si mortuos suscitaverunt. aut caeco lumen donaverunt. aut aliquem infirmum sanaverunt. et credimus eis. si autem non; quid exinde dicis? Maximianus imperator dixit. Ille ergo quem christiani colunt potest haec facere? Pantaleon respondit. Vere quem christiani colunt haec omnia facit. Imperator dixit. quomodo possumus scire? Pantaleon respondit. Iube unum paralyticum afferri; et veniant sacerdotes tui; et invocent deos tuos. et ego invocabo christum meum. et eum credamus verum deum. cuius invocatio sanabit infirmum. Imperator dixit. bene dixisti. sic fiat. Et statim iussit afferri paralyticum; et poni in medio. Cumque allatus esset; certabant immundi sacerdotes invocatis diis suis curare eum. Quidam autem eorum invocabant asclepium. alii iovem. alii vero dianam. quidam vero herculem. et caeteros deos. et horum omnium vana erat invocatio. Pantaleon vero stans et videns eorum vanum laborem; subridebat. Illi vero cum nichil egissent; dixit imperator. curet eum pantaleon per invocationem dei sui. Tunc respiciens pantaleon in caelum; dixit. domine exaudi orationem meam; et clamor meus ad te perveniat. Ne avertas faciem tuam a me. in quacumque die invocavero te velociter exaudi me. quia ad te domine levavi animam meam. Ostende malignis et immundis sacerdotibus quia tu es qui exaudis eos qui sperant in te. Et cum haec dixisset. tenens manum paralytici erexit eum dicens. in nomine ihesu christi esto sanus ab hac hora. Et statim surrexit paralyticus; et abiit in domum suam gaudens et laudans deum. Multi autem in illa hora crediderunt in dominum. et discesserunt a diis vanis. Immundi autem sacerdotes una cum medicis stridebant dentibus suis super eum. et dicebant imperatori. destructa est virtus deorum si ei concesseris vitam. omnes enim avertet a diis. Imperator igitur dixit ad pantaleonem. cessa pantaleon invocare christum. et sacrifica diis. Nam si non feceris; multae et magnae tormentorum penae te expectant. Pantaleon dixit. ego paratus sum omnia pro christi nomine sustinere. Imperator dixit. cognovisti quanta passus est ante hos dies antimus presbiter? Pantaleon respondit. utique scio quanta passus est. et non claudicavit in fide. Sed si ille toto animo et prompto corde tradidit tremulum corpus confortatus in fide; quanto magis nos novelli aetate debemus promptiores accedere ad supplicia; ut digni efficiamur corona incorruptibili? Tunc videns imperator immobilem fidei eius constantiam; iussit suspensum eum exungulari. et lampadibus suppositis latera eius incendi. Et respiciens pantaleon in caelum; viriliter dolores sufferebat. dicens. domine ihesu christe. sicut in sanandis infirmis astitisti michi; ita et in paenis citius subveni. et da michi perfecte certare. Tunc apparuit ei christus in specie hermolai presbiteri; et dicit illi. noli trepidare fortissime athleta meus. ego enim sum tecum in omnibus. Et statim manus questionariorum dissolutae sunt; et lampades extinctae sunt. Videns autem imperator quod factum est; dicit ei. Quae est ista ars magiae tuae ut lampades extingueres; et eos qui te torquebant in defectione constitueres. Pantaleon respondit. mea virtus christus est; qui et lampades tuas extinxit; et ministros tuos in defectione constituit. Maximianus imperator dixit. si ergo maiores tibi paenas intulero; quid tunc acturus es? Pantaleon respondit. si tu maiores paenas michi intuleris; et christus maiorem michi virtutem prestabit. Haec audiens impe-

rator; iussit afferri sartaginem ferream et poni super ignem. et mitti plumbum in eam. et cum ferveret sartago; iussit exhiberi sanctum pantaleonem et mitti illuc. Et aspiciens pantaleon in caelum dixit. exaudi deus orationem meam dum deprecor ad te. A timore inimici eripe animam meam. protege me a conventu malignantium; et a multitudine operantium iniquitatem. quia exacuerunt ut gladium linguas suas. Et cum sic orasset; apparuit ei christus. et tenens manum eius intravit cum eo in sartaginem. Statim autem ignis extinctus est. et plumbum frigidum factum est. Astantes autem populi admirabantur; talia videntes et audientes. Imperator autem dicebat astantibus. Quid vult hoc esse? et ignem extinxit; et plumbum frigidum fecit. Quali ergo poena puniam eum? Et qui astabant dixerunt ei. Si iubes imperator; in profundum maris mittatur. Nunquid et inde potest evadere? Et accipientes eum ministri; duxerunt ad mare. Imperator autem sequebatur eos. volens agnoscere quid ei eveniret. Accipientes igitur ministri lapidem magnum alligaverunt ei ad collum; et ducentes eum quasi stadia triginta; proiecerunt in pelagum. Ibique apparuit ei christus in specie hermolai presbiteri; et increpavit mare. Mare autem divino timore compressum; portabat eum super undas incolumem. lapis vero tanquam folium super undas natabat. Sanctus vero pantaleon a christo deducebatur ad manum. et adductus est in aridam. laudans et glorificans deum. Cumque venisset ad ripam; dicit ei imperator. magiae tuae etiam mare vicerunt. Pantaleon dixit. non ego sed qui mecum est dominus ihesus christus hoc fecit; quem tu non es dignus videre. Imperator autem insania multa repletus; iussit omnes bestias colligi. ut per eas interficeret martyrem christi. et dicit ad eum. Vides bestias quae propter te paratae sunt? Consenti ergo michi; et sacrifica diis ne moriaris. Pantaleon respondit. omni errore replete. cum michi vis formidinem inferre; fortiorem me constituisti. Qui enim lampades tuas extinxit; et ministros tuos dissolvit; et plumbum frigidum fecit; et mare infrenavit; ipse et feroces bestias mitigabit. Haec audiens imperator; iussit duci eum in arenam. et dimitti omnes bestias ad devorandum eum. Statim autem cucurrit omnis civitas ad spectaculum. Dimissae igitur bestiae circumdederunt sanctum. et leones quidem vultum. leopardi vero pedes eius lingebant. caeterae autem ferae semetipsas consumebant; certantes quae prius venirent ad pedes viri dei.

Videns autem haec omnis populus; exclamaverunt una voce dicentes. magnus est deus christianorum. dimitte hominem iustum. Tunc iussit imperator occidi ex iis qui clamabant mille homines. christiani autem occulte tollentes eos qui mortui sunt; sepelierunt. Et ait imperator iis qui sibi astabant. quid faciemus huic qui per magias plurimum populum avertit a diis? Et dixerunt ad eum. iube fieri rotam magnam. et ponatur in altum montem. et alligari eum fac super rotam. et dimitti deorsum per montem. ut carnes eius malis paenis dissipentur; et sic spiritum reddat. Ductus est autem pantaleon in carcerem; donec fabricaretur rota. Cum ergo facta fuisset; precepit imperator nuntiare precones per civitatem; ut congregarentur omnes expectare perditionem beati pantaleonis. et iussit eum adduci. Cum autem duceretur sanctus martyr; psallebat domino. et post orationem tenentes eum ministri ligaverunt super rotam. Et cum coepisset volvi rota; statim ligaturae ruptae sunt. et sanctus dei martyr stabat incolumis. Rota autem decurrens; occidit de gentilibus homines quinquaginta. et factus est timor magnus super omnes. Imperator vero timore comprehensus; vocans athletam dei dixit ad eum. usquequo haec facis ut eos qui vivunt avertas a diis; et reliquos mortifices? Pantaleon respondit. ignominiose et impudice. fili diaboli. bene de vobis dixit propheta. convertatur dolor eorum in caput ipsorum; et in verticem eorum iniquitas eorum descendet. Maximianus imperator dixit. quis te docuit haec omnia miserabilis? Pantaleon respondit. dominus meus presbiter hermolaus. Imperator dixit. possum eum videre ut et ego discam ab eo? Haec autem dicebat dolose. Pantaleon dixit. si iubes vadam et adducam eum. Et iussit eum ire cum iis qui eum custodiebant. Vadens autem pantaleon intravit in cellulam ubi hermolaus presbiter se absconderat. et videns eum dixit. domine meus pater. vocat te imperator. Et ille dixit. bene fili. venit enim tempus meum. In hac enim nocte astitit michi dominus ihesus christus. dicens. hermolae. oportet te multa certare sicut et servus meus pantaleon. et ibat cum eo

gaudens. Et cum introductus esset; dicit ad eum imperator. Quod nomen habes? Presbiter respondit. Parentum quidem hermolaus. dominicum vero christianus. Dicit ei imperator habes aliquos alios tecum? Presbiter respondit. sunt mecum alii duo fratres. Imperator dixit. Quod nomen habent? Hermolaus presbiter respondit. hermippus et hermocrates. Imperator dixit. vocentur et ipsi. Et cum inducti essent; dicit eis imperator. Vos estis qui pantaleonem apostatare fecistis a diis? Responderunt. dignos sibi vocat famulos christus. Imperator dixit. suadete ei ut sacrificet diis. et eritis michi amici karissimi. Responderunt ei. oramus deum ut et tu credas. ut simul et tu et nos in quem credimus in ipsis consumemur. Et cum starent omnes quattuor et orarent; statim commotus est locus in quo stabant. Et dicit eis imperator. Videtis quomodo dii indignati sunt et commoverunt terram? Pantaleon dixit. si dii tui irati sunt et commoverunt terram; quare ipsi dii tui cadentes comminuti sunt? Et cum haec dixisset pantaleon; venit quidam nuntians imperatori. ceciderunt dii et confracti sunt. Audiens haec imperator dixit. per meam salutem; nisi istos celerius exterminavero; facientes consilium omnes quattuor incipient rebellare. Et iussit pantaleonem in carcerem mitti. Illos autem tres multum torquens; ad ultimum iussit decollari. Et cum orarent; amputata sunt capita eorum. et tollentes corpora eorum christiani sepelierunt. Post haec iussit imperator vocari pantaleonem. et dixit ei. non speres quia vivus effugias manus meas si non sacrificaveris diis. Ecce magistri tui hermolaus hermippus et hermocrates consenserunt et sacrificaverunt diis. et facti sunt priores in palatio meo. Pantaleon dixit. iube ergo ut videam illos. quo possim cum illis permanere in aeternum in caelesti palatio. Imperator dixit. necessitas michi facta est. et in aliam civitatem misi eos; ut ibi sint constituti. Pantaleon respondit. bene rabidissime canis mentiri volens; veritatem dixisti. Sunt enim vere in civitate christi constituti.

Tunc imperator ira commotus; iussit eum torqueri. et post haec decollari. et corpus eius igni comburi. Ibat igitur sanctus pantaleon laudans deum et dicens. saepe expugnaverunt me a iuventute mea. etenim non potuerunt michi. Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores. prolongaverunt iniquitates suas. dominus iustus concidet cervices peccatorum. Postquam autem oravit ad dominum. ducentes eum milites foras civitatem ad dimidium miliarium; alligaverunt eum ad novellam olivae. et accedens unus de militibus percussit eum gladio. et mox ferrum sicut cera plicatum est; et minime eum nocuit. Videntes vero milites quod factum est; dicebant ad invicem. Magna est virtus christi. Et procidentes ad pedes viri dei. dixerunt. deprecamur te famule christi. ora pro nobis. ut et nos credamus in eum. Et aspiciens in caelum sanctus pantaleon dixit. domine deus meus comple desiderium meum in loco isto. et viris istis remissionem peccatorum dona. et da illis partem in regno tuo. Et facta est ad eum vox de caelo dicens. Pantaleon serve meus. completum est desiderium tuum. et ianuae paradysi apertae sunt tibi, et iam non vocaberis pantaleon; sed pantaleymon, hoc est omnibus misericors. propter quod multis eris misericordiam prestans et sanans eos. Et convocans beatus pantaleon gladiatores; rogabat ut eum percuterent. illi vero metuentes nolebant. Tunc sanctus pantaleon dixit ad illos. nisi feceritis hoc; nullo modo habebitis mecum partem in regno dei. Haec illi audientes; accedentes adoraverunt. et sic eum decollaverunt. Et pro sanguine lac cucurrit. arbor vero illa olivae ubi alligaverunt eum; statim repleta est fructu. Populus autem nicomediae civitatis cum vidissent quia pro sanguine de sancto corpore lac cucurrit; et arbor illa olivae fructificavit; dederunt gloriam deo. et multi crediderunt in dominum. Audiens maximianus tirannus omnia quae facta sunt; iussit succidi arbusculam. et ex ea corpus sancti martyris comburi. Et venientes alii milites fecerunt sicut preceptum est illis. et sic consummatum est certamen sancti martyris. Christiani vero tollentes reliquias corporis eius cum canticis; sepelierunt in eodem loco quo decollatus est. foris muros civitatis nicomediae. in villa cuiusdam amantis scholastici. Regnante domino nostro ihesu christo; cui est cum patre et spiritu sancto honor et gloria in saecula saeculorum. Amen.

Pag. 186 — Passio sanctorum septem dormientium.

Regnante impio decio imperatore facta est ingens persecutio christianorum. Decius autem oppugnans christianos; descendit in civitatem bizantium; et inde in ephesum. Ubi congregata est ante eum omnis multitudo civitatis. et ecclesia fidelium dispersa est. et sacerdotes humiliati sunt. et omnis fraternitas conturbata est. Quando vero ingressus est decius in ephesum; exaltatum est cor eius nimis. et coepit aedificare templa idolorum in medio civitatis. et praecepit ut omnis populus et omnis dignitas sacrificarent cum eo idolis suis. Et congregabantur ex omnibus civitatibus. et maculabantur ex sacrificiis. et fumus hostiarum implebat omnem civitatem tanquam nebula. et tenebre et caligo nidoresque immunditiarum surgebant in medio civitatis. et cooperiebant muros eius. Et in festivitate immunditiae eorum luctus apprehendebat omnes fideles et miseria. et capita eorum humiliabantur. et abscondebantur ingemiscentes. et operiebant facies suas. Subito vero praecepit decius imperator; ut in tertio die comprehenderentur christiani, et compellerentur ad sacrificandum. Iudaei autem adiungentes se militibus; acrius persequebantur christianos. et ex domibus et ex speluncis cunctisque antris eiciebant eos impellentes. usque quo adducerent eos ubi erant populi congregati et sacrificantes cum imperatore.

Quidam vero ex christianis timentes tormenta et mortem. propter immanitatem cruciatuum lapsi cadebant. et inclinati ante populum sacrificabant idolis. Quod fideles audientes; gemebant vehementer. et lugebant animas eorum. Qui vero erant firmi in fide et solidati in christo; in petra firmissima stantes et immobiles persistentes ante iudices; sagittas inimici ignitas suscipiebant. et marcescebant carnes eorum. et tanquam pulvis a facie terrae proiciebantur. et sanguis membrorum eorum effluebat sicut aqua cum perimerentur. Et supra muros et pinnacula civitatis suspendebant eos. et capita eorum iuxta civitatem infigebant in stipite ligneo. et volucres caeli devorabant carnes eorum. et viscera detinebant in ore suo circa muros civitatis. Et comedebant athletas christi et martyres. luctusque grandis detinebat omnes fideles propter sanguinem martyrum. et timor et formido ac tremor apprehendebant unumquemque. Haec est autem dimicatio admirabilis. hoc certamen est gloriosum. implens amore omnes aspicientes. in tantum ut etiam ipsi lapides et caetera elementa proclamare viderentur; prae angustiis tormentorum. Quis unquam luctus fuit hoc maior? Aut quod tormentum isto validius? Quae visio crudelior? Videre corpora martyrum pendentia super muros; et fideles libratos de manibus hominum non habentium misericordiam. Parentes abnegabant filios; et filii parentes. amici abnegabant amicos. et elongabant se propter acerbitatem tribulationis.

Inter huiusmodi vero acerbitates poenarum; fideles ac firmi existebant viri Maximianus et Malchus. Martinianus et Dionisius. Iohannes et Serapion. et Constantinus. qui firmi in fide filii dei videntes tormenta quae fiebant christianis; magis se in vigiliis et ieiuniis atque orationibus coartabant. et propensior eis cura erat animas suas domino commendare. Et cum haec in secreto agerent; in palatio tamen officii sui dignitatem portabant. et ita se in utrisque partibus aptabant; ut sine querela redderent deo quae sunt dei; et caesari quae sunt caesaris. Tempore vero sacrificii adveniente quando imperator et populi veniebant ad victimas idolorum; isti abscondebant se in occulto. et ingrediebantur in domum orationis; et prosternentes capita sua in terra; flebant et mittebant pulverem super capita sua. et in orationibus et lacrimis. ingemiscebant in conspectu dei. Cumque haec per plurimum tempus agerent; pervenit sermo ad imperatorem; et ad optimates eius. Dehinc iam socii eorum observabant eos in hora victimae; quando sacrificabatur idolis. Cumque in hora sacrificii maximianus cum sociis deesset; Euntes quidam optimatum invenerunt eos in uno cubiculo orantes. Erant autem in terra prostrati. facies eorum et capita eorum plena pulvere terrae. et erant plangentes et commendantes animas suas in conspectu dei.

Haec videntes satellites; et inimici veritatis; ingressi sunt ad imperatorem. et dixerunt ei. Auguste invictissime. In sempiternum vive in decore imperii tui. Tu ex longinquo colligis homines. ad sacrificia deorum; et ecce proximi tibi despiciunt decretum tuum. et preceptis tuis non oboediunt. sed consuetudinem christianorum sequuntur; et

christo sacrificant. Maximianus enim filius prefecti et sex socii eius qui sunt primi civitatis; ipsi despiciunt regnum tuum. et decreta tua contemnunt. Haec audiens imperator; iratus est vehementer. et iussit eos adduci in conspectum suum. Ut autem fuerunt adducti; erant oculi eorum lacrimis pleni. et pulvis super capita eorum. et erant orantes et deprecantes in conspectu dei. Et dixit eis imperator. O fideles nostri. quare non permansistis in supplicatione et sacrificiis deorum; in quo omnis mundus propitiatur ab eis? Et cur non estis assimilati fortissimis primatibus sociis vestris? Nunc autem nostra clementia non pensans puerilem intellegentiam vestram; indulgentiam de preteritis tribuit. Modo ergo aggredimini; et sacrificate sicut omnes; caritate et devotione quam debetis diis. Sanctus vero maximianus respondit. nos habemus deum in caelis; cui sacrificium cotidianum offerimus. ipse est verus deus. caeli et terrae creator. et ipsi offerimus sacrificium contribulato corde. et filio eius ihesu christo misso in hunc mundum. et spiritui sancto. trinitati inseparabili et indivisae. regnanti ubique per cuncta saecula. Haec sunt munera dei nostri. haec grata sacrificia. sicut propheta dicit. sacrificium deo spiritus contribulatus. quos nos iugiter offerimus. integra mente in sinceritate cordis nostri. cum continuatione deprecationis nostrae. Semper enim in conspectu eius nos astare putamus. Et ideo nidorem obscenum non offerimus ante idola; nec libamus daemoniis. indignum profecto ducentes; ut munditiam quam per baptismum accepimus pro novis et nefandis ritibus violemus. Non eis sacrificamus omnino. nec sinceritatem nostram. his immunditiis violamus. Tunc imperator. ut vidit obstinatam mentem eorum; cupiens adhuc revocare eos; non eos iussit puniri. sed praecepit incidi balteos eorum. Et dixit eis. propter quod abscidistis vos a diis; extranei eritis a dignitate vestra; et maiestate imperii mei. usque quo sumam tempus emendare vos; et arguere de interrogatione sermonum vestrorum. Nolo enim perdere aetates vestras in tormentis. et tantum decorem pulchritudinis vestrae. Propter quod ecce do vobis spatium ut vos recognoscatis. et intellegatis quanta sit erga vos clementia nostra. et corrigatis pertinaciam vestram; ut feliciter vivere possitis. Tunc imperator. ut facilius eos attraheret; iussit auferri de cervicibus eorum ferrum. et precepit eos dimitti. dicens. quod si eos rediens emendatos inveniret; magnis honoribus ampliaret. Sin vero in pristina pertinacia perdurantes reperiret; exquisitis cruciatibus interimeret.

Post haec autem decius imperator. egressus ab epheso; in alias quoque civitates. eadem facere coepit. Tempore itaque dilationis accepto Sanctus maximianus et socii eius; perfecerunt opera iustitiae. in fide domini ihesu christi. et erant unanimiter perseverantes in oratione; et commendantes deo animas suas. Tollentes autem aurum et argentum. vel reliquam substantiam parentibus suis; dabant pauperibus et mendicis. Cumque omnia expendissent; dixerunt ad invicem. Eruamus nos de habitatione civitatis istius; et eamus in speluncam secretam in montem celium. et ibidem incessanter precemur deum. et erimus sine timore remoti ab hominibus; usque quo revertatur imperator. et iudicemur ante ipsum. Et non impediamur a servitio dei; sed secundum voluntatem eius faciamus. Faciat autem deus voluntatem suam nobiscum; ut perficiamus in conspectu imperatoris martyrium nostrum. et recipiamus immarcescibilem coronam fidelium. Haec dicentes ad invicem septem sancti; sumpserunt parvam pecuniam in rationem victus sui. et abierunt in speluncam in montem celium. et ibi fuerunt diebus multis orantes deum super facies suas. expectantes ab eo misericordiam. Unum vero ex seipsis sapientem constituerunt ministrare sibi. et quotiens ibat in civitatem; induebatur habitu mendici. et accipiens argenteos secum; discebat sollicite quae fiebant in palatio imperatoris. Et impertiens de nummis faciebat misericordiam cum mendicis. et emens panes revertebatur ad suos. et nuntiabat eis quaecumque homines loquebantur de eis in civitate.

Post tempus autem aliquantum reversus est decius imperator in ephesiorum civitatem; et precepit ut omnes immolarent idolis. Inquisiti sunt autem maximianus et socii eius; et non sunt inventi. Et facta est persecutio magna in christianos. Tunc timor irruit super omnes fideles. et cum festinatione fugerunt omnes a facie eius. Ipse vero malchus, qui ob rationem victus venerat de spelunca; timens valde, fugit de civitate. ferens secum modicos panes. et venit ad fratres suos tremens ob immanita-

tem persecutionis. quae agebatur in civitate. et innotuit eis furorem imperatoris. et magnitudinem persecutionis. et quia querebantur sollicite in omnibus locis, ut immolarent idolis. Et cum audissent sancti narrantem eum talia; proiecerunt se super facies suas cum tremore. et deprecati sunt deum collidentes in terra capita sua. et flebant in conspectu dei; suspirantes graviter in doloribus maioribus. commendantes deo vitam et animas suas. atque dicentes. ne quaesumus tradas nos domine in manus sacrilegi principis. et ne despicias humilitatem nostram. sed da nobis refugium tuum. et fac nobiscum misericordiam in sempiternum. Surrexit autem malchus; et apposuit modicos panes ut comederent, et confortarentur ad bellum adversarii. Et cum sederent omnes in medio speluncae ut participarent; implebantur lacrimis ora eorum. et meror intolerabilis erat circa viscera eorum. Occidente vero sole, et sedentibus eis in luctu ac loquentibus ad invicem; soporati sunt et dormierunt. Erant enim oculi eorum gravati ex lacrimis. et ex multa tristitia cordis. et factus est in eis sopor dei. Et indixit illis mortem quietis eorum et suavitatis, propter miraculum quod habebat revelare. et non senserunt quomodo dormierunt. neque animas eorum deposuit deus. Simul autem erant positi in terra sicut dormientes. Mane autem facto. facta est inquisitio ab imperatore. et requisiti sunt in palatio et in omnibus locis, et non sunt inventi. Et dixit imperator primatibus suis. Multam tristitiam habeo, quod privati sumus a septem iuvenibus illis. quoniam clarissimi genere sunt. Putant enim quod potestas nostra irata sit super eos. propter culpam inoboedientiae eorum. Nostri autem mansuetudo imperii non recordatur adversus peccantes. Tantum ut revertantur ad magnos deos. Respondentes autem optimates et seniores qui assistebant augusto dixerunt. De illis iuvenibus seditiosis non habeas tristitiam domine imperator. eo quod usque nunc in duritia permanserunt. Audivimus quod in omni tempore quo dedisti eis dilationem ut pro se cogitarent. perfecerunt voluntates suas malignas. et in omnibus his diebus quibus concessa est eis dilatio. non cessarunt spargere aurum et argentum. et omnes res parentum suorum, per pauperes et per omnes plateas civitatis. et ipsi absconsi sunt usque nunc. et nusquam inveniuntur. Si vero preceperit maiestas tua. ut parentes eorum stent ante te. et distringantur fortius. confitebuntur ubi absconditi sunt. Cum audisset haec imperator. incaluit. et iussit adesse parentes eorum. Qui cum adstarent coram ipso. et interrogavit eos dicens. Ubi sunt seditiosi illi qui contempserunt maiestatem meam. et despexerunt potestatem. et terribile preceptum imperii mei? Nisi eos presentaveritis. Vos pro ipsis puniemini. Respondentes autem parentes eorum dixerunt. Nos domine imperator nichil contra mandatum tuum egimus. nec in aliquo eis conscii sumus, qui res nostras, eisdem auferentibus perdidimus. Proinde oramus, ut non devolvas super nos calumniam. neque aliquid patiamur mali. quia nos preceptum tuum, non sumus trangressi. et deorum timorem non deseruimus. Illi autem contemnentes imperium tuum aurum vel argentum nostrum dissipaverunt. et ecce absconduntur in monte celio. Nec est locus longe a civitate. et in periculo sunt. et sive vivunt sive mortui sunt, nos non scimus. nec vidimus eos his diebus. Haec audiens imperator; mitior effectus, dimisit eos; et abierunt. Iterum vero imperator; estuabat quid de illis faceret. et cum vellet ledere eos. Immisit deus in cor eius ut non eos lederet. sed opturaret os speluncae lapidibus, ut egredi non possent. Et haec egit dispensatio dei. ut per hanc obtrusionem, sepelirentur quodam modo corpora sanctorum. et non moverentur; sed dormirent usque ad diem revelationis suae. Et non sunt mota corpora eorum; sed dormierunt sopore quieto. Ut in tempore resurrectionis suae; revelarent se fidelibus. Et dixit decius imperator. Ego precipio de seditiosis illis. pro eo quod contempserunt mandatum meum, et discordantes abscesserunt a nobis; ut prohibeantur a gloria imperii mei et non pareant ultra in conspectu nostro. neque amplius irritare audeant nos. Ideo precipimus speluncam in quam fugerunt obstrui petris lapideis. Ut sint ibi quousque moriantur. et paulatim tabescentes deficiant, in miseria circumclusi. Suspicabatur enim imperator, et omnis populus civitatis; quoniam viventes sancti introrsus, in spelunca inclusi essent. et hanc poenam, in vindictam sui reputabant. Contigit vero, ex dispensatione dei theodorum et rubinum, viros christianos, et fideles imperatoris, abscondere se ipsos, propter timorem

imperatoris. Hi ergo cogitaverunt quomodo scriberent martyrium sanctorum in paginis plumbeis. et cum corporibus eorum deponerent scripturam, in medio lapidum constitutorum, in introitu speluncae. Usquequo visitaret eos deus et exuscitaret a somno suo. et manifestarentur corpora sanctorum iacentium in spelunca per notitiam scripturae ipsius. et fieret notum de ipsis, quando vellet deus per litteras illas. Et sicut cogitaverunt predicti duo socii fideles imperatoris, scripserunt litteras. et sigillantes, deposuerunt secrete. perficientes omnia per dispensationem dei. His transactis; mortuus est decius imperator. et omnis generatio illa consumpta est. et regnaverunt imperatores alii, post eum in gloria imperii sui; Usquequo surrexit theodosius piissimus augustus, filius arcadii imperatoris. Tricesimo autem et octavo anno imperii eius, coepit heresis pullulare; volens evacuare signa resurrectionis; quae posuit christus in ecclesia sua. Et audientes maligni; posuerunt in aures imperatoris. et mittebant litteras hereticas, tanquam ab imperatore prolatas. et ab iis qui dicebantur episcopi. multiplicabatur tumultus in ecclesia dei. Fuit autem initium omnium malorum, et totius perversionis et tumultus; theodorus et gaius episcopi. iuxta sanctam civitatem. cum aliis, quos non oportet narrationi horum martyrum interponi; eo quod ecclesiam dei perturbaverunt. Imperator vero theodosius. vehementer de hoc perturbatus; flebat per singulos dies. merore afficiens animum suum. et erat afflictus, et multis cogitationibus perturbatus. videbat enim fidem ecclesiae agitari ac vacillare. Et ob hoc vehementius ingemiscebat. deprecans auxilium de coelo sumministrari. Quidam enim hereticorum dicebant, resurrectionem mortuorum non esse. Alii autem dicebant, quod anima sola suscipiat consolationem resurrectionis. et errabant in vanis sermonibus. et opturati sunt sensus eorum. Et non inclinabant aures suas, ad audiendos sermones dei dicentis; Mortui qui in monumentis sunt. audient vocem filii dei et vivent. Et iterum dicit; Evigilate, et expergiscimini dormientes. Et iterum scriptum est; ecce ego aperiam tumulos vestros; et educam vos de sepulcris vestris. et vivetis. et scietis quia ego dominus. Et compunctus est theodosius, piissimus imperator; et lugens contristabatur. et indutus sacco, sedit in exteriore cubiculo. Haec autem aspiciens misericors deus; nec volens perdere quemquam de via veritatis; dedit talem occasionem ut et theodosii fides corroboraretur; et hereticorum perfidia confunderetur. Dum enim consolationem vult dare in luctu constitutis; spem vitae est dignatus revelare in resurrectione mortuorum. ut dum theodosius affligitur, pro fide unicae trinitatis; per ipsum deferatur spes resurrectionis. et solvatur scandalum ecclesiae universalis.

Si quidem in diebus ipsius theodosii religiosi principis. misit deus in cor dalii. domini montis celii. in quo erat spelunca ubi iacebant sancti requiescentes; ut aedificaret in circuitu montis. stabula pastoribus. Contigit autem pueros eius. cum aliis operariis. fatigari duobus diebus. et volvere lapides. ex ore speluncae. et adiungentes se ad introitum sanctorum; invenerunt onichem lapidem in aedificio. et in secundo die aperuerunt omnino introitum speluncae. Contigit autem ex voluntate dei. dari vitam sanctis. qui iacebant in spelunca; et suscitari eos a sumno. Qui enim dat spiritum positis in vulva ventris; et arbitrio suo ossa sicca et abiecta resuscitat; qui et lazarum resuscitavit. institis ligatum iacentem. et vocans eiecit de monumento. ipse proprio precepto dedit spiritum vitae. his sanctis iacentibus in spelunca. Et exuscitavit eos. et surrexerunt et sederunt cum summa hylaritate et gaudio. in claritate vultus sui. Et secundum consuetudinem suam psallebant. et signa mortis non apparebant in eis. et vestimenta eorum non erant corrupta. et corpora eorum inventa sunt florida pre solito. et tanquam nocte dormientibus et mane surgentibus sic eis visum est. et cogitatio noctis in qua dormierant, inventa est in cordibus eorum. et arbitrabantur. quod quasi decius imperator. adhuc quaereret eos. Et haec arbitrantes. mesti facti sunt. et lacrimantes. respexerunt ad malchum. qui erat unus ex ipsis. qui etiam ministrabat eis. et interrogaverunt eum quae essent locuti nocte. de ipsis in civitate. Et dixit eis malchus. sicut vobis dixi. hesterno quaesiti sumus. cum primatibus civitatis. ut immolaremus idolis. et non repertis nobis. facta est inquisitio valida per omnia loca. et ecce cogitat de nobis decius imperator. deus scit quid. Nos autem quid faciamus non habemus. nisi forte recogitet deus de nobis,

et non pereamus. In manu ipsius sumus. quod bonum est coram se faciat de nobis. Et respondit maximianus et dixit. Fratres dulcissimi. parati simus stare, ante terribile solium christi. et non timeamus tormenta caesaris. et non negemus vitam. quam habemus per fidem filii dei. Et post haec dixerunt malcho. Accipe paucos argenteos, quos habemus. et descende in civitatem. et eme nobis panes. quoniam pauci fuerunt nocturni panes. Putabant enim sancti, quia nocte tantum dormissent. et mane expergefacti surrexissent. Surrexit autem malchus mane ut erat ei consuetudo. et acceptis sexaginta duobus argenteis. ibat ad civitatem. Egressus est autem foras speluncam. et videns lapides, miratus est. Sed non ascendit in cor eius, aliquid pro lapidibus, ut diceret, quid sibi volunt lapides isti; aut unde huc adducti sunt, cum hesterno hic non fuerint. Descendit ergo de monte cum tremore. et abiit in civitatem. Metuens ne agnosceretur ab aliquo, et in notitiam deveniret caesaris. Et cum appropinquasset ad portam civitatis. aspexit a longe; et vidit signum crucis infixum in porta. et cogitabat intra se; quid esset tale; quod fecisset dominus.

Cautius autem progrediens. observabat hinc atque illinc. et prospiciebat in cruce. et mirabatur nimis in semetipso. Et ivit ad aliam portam. et vidit ibi similiter crucem. et vehementer miratus. suspiravit et flevit. Deinde circumivit omnes portas civitatis. et vidit per singulas; signum sanctae crucis. et stupefactus admirabatur. et civitas erat immutata; in oculis eius. et aedificium eius aliud ei videbatur. et non cognoscebat; sicut dudum consueverat. et tanquam in visione factus; miratus est nimis. Et reversus est ad primam portam; qua introierat; et cogitabat intra se dicens. Quid factum est; quod signum crucis hesterno sero fuit absconsum; et modo aperte est in porta civitatis infixum? et obstupescens admirabatur. signans se frequentius ac dicens. putasne ipse sum? Aut somnium est quod video? et multa secum reputans; Tandem confirmavit se. et cooperuit caput suum; et ingressus est civitatem. Et cum venisset ad locum negotiationis; audiebat multos ad invicem dicentes. In nomine christi. Et haec audiens; obstupuit. et formidans valde; dixit in animo suo. Quid est hoc; quia nocte praeterita; non audebat quisquam aperte nominare nomen christi. Et nunc omnis lingua ipsum loquitur? Puto non est haec ephesiorum civitas. quoniam aedificia eius alia sunt. sermones christianorum sunt in ea. Et accedens ad quendam iuvenem; interrogavit eum dicens. dic michi quaeso. quod est nomen civitatsi huius? Et dixit ei iuvenis. Ista est ephesina civitas. Hoc audito malchus; cogitabat in semet ipso dicens. nunc erravi in conscientia mea. Egrediar de civitate ista; ne forte amplius errem. et non revertar ad fratres meos; qui me miserunt. ecce enim excessus mentis; detinet me. Haec autem omnia. ipse malchus enarravit; cum ascendit in speluncam; quando aperte manifestata est resurrectio eorum. et sic scripta sunt gesta eorum.

Malchus vero factus in excessu mentis; et volens egredi de civitate; appropinquans iuxta vendentes panes in similitudine mendici; protulit argenteos et dedit eis. Ipsi autem considerantes argenteos; mirati sunt. porrigentes ad alterutrum; ac dicentes. Iste iuvenis thesaurum absconditum invenit. et est ante plurimos annos. Erat enim superscriptio argenteorum; anni primi imperatoris decii. Malchus ergo videns eos. considerantes in invicem et conferentes; formidabat, et contremiscebat. putabat enim quia cognovissent eum. et timebat ne imperatori decio traderent eum. Ipsi autem intentius; considerabant personam eius. et ipse pavens ac formidans dixit eis. Oro vos, habete argenteos; et nolo panes. Tantum ne michi molesti sitis. Tunc illi insurgentes, comprehenderunt eum. et dicunt ei. Unde es; quoniam pecuniam antiquorum imperatorum invenisti? Pande nobis; et erimus socii tecum. et celabimus te. Malchus autem mirans in semet ipso; dicebat. ecce quod a domino habeo; et hoc michi adiectum est in scandalum et in tormentum. Et dixerunt ei. Non potest hoc inventum abscondi; iuvenis ut putas. Prode illud; et bene tibi erit. Malchus vero pavore correptus; non poterat ultra respondere eis. At illi videntes quia tacens non responderet eis; ira permoti, miserunt fasciale in collum eius. et trahebant eum in platea. et tenebatur in medio civitatis. Et notum factum est omnibus habitantibus ephesi. et dicebant ad invicem. Eamus et videamus; quoniam apprehensus est quidam; afferens thesaurum. Et congregatus est ad eum populus multus dicens. Iste homo peregrinus est. et nunquam vidimus eum. Et volebat mal-

chus satisfacere eis; quia nullum aliquando thesaurum invenisset; et non poterat. Confidens autem quia viverent adhuc parentes eius in civitate; et genus eius esset magnum; et omnibus cognitum quemadmodum fuit antea. querebat signum facere; quod quasi pridie cognoscebatur ab omnibus. et ipse neminem cognoscebat; nec eum ullus recognoscebat. Et sollicitus prospiciebat in populum; volens cognoscere aliquem suorum. Aut fratrem. aut notum. et non inveniebat. Sed stabat veluti amens effectus; aut in extasi positus.

Et divulgatum est per omnes angulos civitatis. et pervenit sermo usque ad venerabilem virum marinum episcopum; et antipatum proconsulem. Et denuntiaverunt episcopus et proconsul. Ut cum multa cautela custodirent eum. et perducerent ad ipsos, una cum argenteis eius. Et haec audientes ministri; trahebant malchum. et adducebant ad ecclesiam. Ipse vero existimabat; quod ad decium imperatorem traherent eum. et intendebat huc atque illuc; et perfundebatur lacrimis. Et ut pervenit ad episcopum; optulerunt eum et siluerunt. Episcopus vero et proconsul discutientes eum; dixerunt. Adolescens. Ubi est thesaurus quem invenisti? ecce enim superscriptio antiqua, in manibus tuis. Respondens malchus dixit. thesaurum ego aliquando non inveni; secundum quod dicitis michi. Sed ego scio manifeste; ex sacculo meorum parentum, esse hoc argentum. Siquidem ex nostro proprio, et ex commercio civitatis istius. est omne quod habeo. et quid est quod michi accidit ignoro. Nec possum cognoscere; quae obligatio michi facta est. ut hanc calumniam patiar; dum nichil mali fecerim. Proconsul dixit. dic michi iuvenis; cuius civitatis sis. haec enim est ephesina civitas. Si hinc es ut dicis; veniant parentes tui; et attestentur de te. et liberent te. Tunc malchus; coepit ex ordine nomina parentum suorum exponere. et omnem progeniem suam indicare. Et non cognoscens proconsul ullam rei notitiam; dixit ei. nunc scio quoniam mendax es. et nullam veritatem denuntias. Malchus autem nichil ulterius respondebat. sed audiens stabat defixis in terram oculis. Ita ut quidam dicerent; Non dicit verum. sed fingit omnia; ut per hanc occasionem evadere possit. Proconsul autem iterum intendit in eum; cum furore dicens. qualiter credimus tibi quod loqueris fatue; cum argentum quod baiulas veterum nomina cum caracteribus ipsorum contineat? Aut quomodo consequens est ut parentum tuorum sit; cum inscriptio denariorum plus quam trecentos annos habeat; et est primorum dierum decii. imperatoris; et non est forma vel species illius mista cum argenteis temporis istius quibus utimur. et parentes tui ante tot generationes fuerunt. et tu iuvenis vis decipere senes et sapientes ephesi? Propter quod enuntio nunc quod vinctum manibus et pedibus; tradam te legibus; usquequo confitearis aurum quod invenisti. Haec audiens malchus; procidit in faciem suam ante pedes eorum. dicens. deprecor vos domini. patientiam habete in me. et indicate michi ubi est decius imperator. Marinus episcopus dixit. Fili. non est in terra hodie; nec in universo mundo; qui decius dicatur imperator. Ante multos enim annos fuit. et iam non est. Sed tu si quid vere denuntiare potes; ex his quae interrogaris; omni formidine summota, enarra.

Tunc ille quantulacumque fiducia et auctoritate recepta; coepit dicere unde advenerit. et pro qua causa venerit. et ubi pares suos dimiserit. vel cuius rei causa absconsi fuissent. et quemadmodum decio furente fuerint vincti et fatigati. et quibus parentibus fuerint procreati. et qualiter legem christianitatis acceperint. et quas persecutiones; pro eadem christi lege perpessi sint. Seu etiam consilium quod acceperint; ut se ab urbe subducerent. Et in speleo celii montis sese absconderent. et quomodo ibidem flentes cum multo animi merore in somnium inciderint. Ac postremum qualiter a fratribus suis missus; ad ipsam civitatem venerit. et quod victum eisdem comparare volens; per hanc occasionem fuerit detentus, et fatigatus. His auditis episcopus et proconsul; stupefacti; non tamen his satis creduli; dixerunt ad eum. rem audivimus inauditam. Sed si nosti vera esse quae dicis; Age, qualiter cognoscamus veritatem. Malchus autem dixit. Si verbis meis non creditis; sequimini me. et ostendam vobis socios meos. qui sunt in spelunca celii montis. et ipsi videte et credite. Ego enim hoc scio; quod nos septem, decium imperatorem fugimus. cum in hac civitate persequeretur christianos. Si tamen haec est ephesiorum civitas. Tunc marinus episcopus. cogitavit in se-

met ipso dicens. quae visio est quam innotuit deus; in iuvene isto? Putas verum est? Aut illusio est? Surgite eamus cum eo; et probemus veritatem. Et surrexit episcopus et proconsul cum multa turba civitatis; et secuti sunt malchum et pervenerunt usque ad speluncam. Et ingressus est malchus primus ad sanctos socios suos. et post eum introivit marinus episcopus. Cumque essent in initio introitus speluncae. Invenerunt in dextera parte. onichinum loculum sigillatum duobus sigillis argenteis. quod posuerant ibi predicti duo fideles decii caesaris. Inventum autem loculum eiecerunt foras et vocaverunt omnem turbam civitatis. et non aperuerunt eum usque congregati sunt omnes. Et cum adessent omnes; desigillavit ipsum proconsul. et aperiens invenit tabulam plumbeam scriptam. et legens invenit; quia hi septem socii. Maximianus filius prefecti, et malchus Martinianus, et dionisius, Iohannes, et serapion, et constantinus, a facie decii fugerunt. et absconderunt se in hac spelunca. et iussu ipsius decii. opturati sunt lapidibus quadratis.

Legentes autem haec eorum gesta; mirati sunt. et glorificarerunt deum. qui tanta mirabilia operatur in servis suis. quia sicut malchum in civitate narrantem audierant; Ita et per scripturam cognoscebant. Sedebant autem sancti martyres; in angulo speluncae. et facies eorum tanquam rosae flores. et odor eorum quasi lilium. et species vultus eorum, erat valde mirabilis. Et cadentes in faciem suam marinus episcopus et proconsul; adoraverunt sanctos. et omnes magnates. et omnis populus glorificabant deum; qui dignatus fuerat eis prestare, videre talia mirabilia. Ipsi vero sancti admirantes quae facta essent sibi; satis blando alloquio innotuerunt episcopo et proconsuli, et primis civitatis, quaecumque sibi contigerant. Et computantes qui advenerant de civitate. seriem annorum per imperiales successiones; Invenerunt tempus ex die quo requieverunt sancti; Usque in diem quo expergefacti sunt; annos trecentos septuaginta duos. Proconsul autem et episcopus et seniores civitatis, consilio accepto; miserunt festinanter nuntios. ad piissimum imperatorem theodosium. scribentes ei haec. Festine maiestas tua dignetur venire; ut videat mirabilia magna. quae nobis ostendit deus. in diebus imperii tui. Lumen enim spei nostrae, et vitae, effulsit nobis de terra. et de spelunca. exurrexerunt sancti septem martyres; qui decii temporibus occubuerunt. Audiens haec imperator theodosius; nimio gaudio perfusus; surrexit ex humo. et deposuit saccum, in quo persistebat lugens. et exclamavit dicens. Confiteor tibi fili dei unigenite christe ihesu viventis. rex caeli et terrae. Benedico et glorifico nomen tuum benedictum; quoniam irradiasti in terra solem iustitiae. et non despexisti humilitatem meam. et dedisti lumen misericordiae tuae. Ut auferas opprobrium servorum tuorum. de eorum insania; qui nisi sunt negare veram carnis resurrectionem; quam in christo filio tuo domino nostro, dignatus es ostendere. Te igitur benedico et glorifico, quantum sufficio; quia dignatus es michi adiutorium procurare. Ut non esset extincta, lucerna confessionis meae, ex lampade patris mei constantini; dilecti famuli tui. Completa autem oratione theodosius; ivit cum curribus suis cum multa festinatione, de constantinopoli ad ephesum. Quo appropinquante ad civitatem; Egressa est omnis civitas, in occursum eius. et episcopus cum primatibus civitatis. et simul omnes ascenderunt ad sanctos in speluncam, quae est in monte celio. Egressi sunt autem sancti martyres in occursum piissimi imperatoris. et mox ut viderunt eum; resplenduerunt facies eorum, tanquam sol. Et precurrens imperator, cecidit ante pedes eorum. et adorans, amplexatus est eos. et deosculans flebat, super cervicem uniuscuiusque. et cor eius liquefiebat, pre amore et desiderio eorum. et non satiabatur visione. Et effusus in laudationem christi; exultans dicebat ad eos. sic vos video ante me; tanquam si videam regem christum dominum nostrum, cum revocaret lazarum de monumento. et ita michi constat; quasi in presenti audiam vocem gloriae eius; quando mortui exilient. et egredientur in occursum eius incorrupti.

Et dixit maximianus imperatori theodosio. at nunc permaneat in pace imperium in fortitudine fidei tuae. ihesus christus filius dei viventis custodiat imperium tuum in nomine suo, a temptationibus et laqueis satanae. et protegat te semper scuto potentiae suae. et perducat ad promissa gloriae suae. Et omnibus respondentibus amen; et intendentibus in iis quae dicebantur; Ait iterum

ad imperatorem. Dominus deus tuus quem tu dilexisti et diligis; ipse sit adiutor tuus. et protegat atque dilatet in pace imperium tuum. et confortet dexteram manus tuae. Et crede nobis, quoniam propter te suscitavit nos deus a terra ante diem magnae resurrectionis. Ut credas sine dubitatione; quoniam est veraciter resurrectio mortuorum. sicut et nos resurreximus; et vivi in conspectu tuo assumus. Nam ut infantes sunt in utero matris suae, non sentientes neque honorem, neque inhonorificentiam; neque laborem; neque iniuriam; Et vivunt, non sentientes neque vitam neque mortem; sic fuimus viventes atque iacentes et dormientes, donec venit mandatum et suscitavit nos. sicuti nunc vivimus; et glorificamus vivificatorem nostrum. qui nos faciat in aeterna vita vivere sine fine. Haec audientes omnes; glorificabant deum qui tanta prestat hominibus. Et erat gaudium et ingens exultatio tam clementissimo imperatori theodosio; quam cunctis optimatibus ejus; et universo populo christiano. Post haec autem beati martyres huberrimam imperatori consolationem facientes; et omnibus devotis animabus hylaritatem atque laetitiam accumulantes; Vale ultimum facientes; et benedicentes imperatorem; In loco suo se condiderunt. et videntibus omnibus atque mirantibus; inclinantes in terra capita sua, dormierunt. et tradiderunt spiritus suos secundum preceptum dei. tam a dolore mortis effecti extranei. quam a contagione mundana fuerant alieni. Haec autem videns imperator; Erupit in fletum magnum. et cecidit super eos. plorans atque eiulans quod se desererent. Amplexans autem eos; deosculabatur sancta corpora eorum. et perfundebat lacrimis. Et tollens purpuram suam et insignia ornamenta; misit super eos. et composuit eleganter. In ipsa autem nocte apparuerunt sancti imperatori; et dixerunt ei. ex terra sumpsimus materiam; et ex terra surreximus. non ex auro, neque ex argento. et nunc unde surreximus, ibi dimitte nos. deus iterum recipiet nos. Et haec audiens imperator; Continuo precepit lapides pulchros et inauratos adduci. et composuerunt atque ornaverunt diligenter locum illum. et sic demum adorans imperator, rediit ad sua. et dimisit eos in loco eorum. Et facta est congregatio episcoporum; et fecerunt ibi memoriam maximam. et festivitatem celebraverunt sanctis martyribus. Et post haec fecit imperator receptaculum maximum mendicis et pauperibus civitatis. et eiecit de universis custodiis omnes episcopos; et cunctos religiosos, Resurrectionem confitentes. qui pro hac causa in custodia tenebantur. Et in gaudio fidei ipsorum secuti sunt imperatorem in constantinopolim. Glorificantes et laudantes deum pro miraculo quod viderant. et gratias agentes domino nostro ihesu christo; Qui vivit et regnat in saecula saeculorum. Amen.

Pag. 297 — Passio sancti Adriani martyris.

Factum est imperante maximiano tyranno, ut ingrederentur persecutores nicomediam civitatem; ad interficiendos eos qui christum colerent. Et dum idem imperator advenisset in eandem civitatem; festinanter perrexit ad templum. et procidens adoravit deos suos. et iussit sacrificia eis offerri. Et dum haec audisset omnis multitudo civitatis; cum festinatione venerunt. et offerre coeperunt, alii oves. et arietes. seu hircos. vel etiam volatilia. Erat autem idolis repleta tota civitas. et omnes plateae eius replebantur odore fumi sacrificiorum. Praecones vero stantes vociferabant; ut omnes advenirent ad offerendas hostias ac victimas diis suis. qui vero contemnerent; tormentis afficerentur. vel etiam igne consumerentur. Et constituti sunt quidam, qui omni sollicitudine circumirent omnem civitatem vel regionem illam. ut si alicubi invenirent viros vel mulieres credentes christo; mox ad iudicium pertraherent. propositis eis diversarum poenarum tormentis; si aliquem occultassent. Hii vero qui eos indicassent; perciperent premia constituta. Hoc audito, vicini tradebant vicinos. Amici, amicos. propinqui, propinquos. attendentes dona solummodo premiorum. Quidam etiam non propter munera; sed propter timorem tantum regis tradebant domesticos suos. poena enim terribilis proposita erat adversus eos, qui caelassent christianos. Tunc revertentes ii qui propositi fuerant ad inquirendos christianos; nuntiaverunt principi maximiano dicentes. ecce sunt quidam christianorum absconditi in speleo. Audivimus enim eos psallentes in vigilia nocturna. Audientes autem haec qui erant primi in palatio; assumentes secum mul-

titudinem militum et venientes ad locum; circumdederunt speleum. et comprehensos qui erant ibi; perduxerunt in civitatem; ferro vinctos per totum corpus.

Factum est autem cum procederet imperator ad adorandos deos suos ut offerret eis hostias; optulerunt eos illi dicentes. ecce circumeuntes totam civitatem vel regionem; invenimus omnes adorantes et colentes deos magnos nostros. nec non etiam oboedientes tuis preceptis. Hi vero soli inventi sunt contemnentes precepta tua; atque iniuriantes deos nostros. Statim autem ut audivit maximianus haec verba; iussit stare currum suum. et dum appropiassent ad eum sancti; dixit ad eos. Unde estis? de istis locis, An de alia regione? At illi dixerunt. Nati quidem in hac patria sumus. secundum fidem vero galilei existimus. Maximianus dixit. Non audistis qualis poena proposita sit adversus eos qui huius religionis sunt? At illi respondentes dixerunt. Audivimus. et stultam tuam iussionem irrisimus. Sed et satanam qui operatur in filios infidelitatis. quorum princeps es tu. Maximianus dixit. et audetis stultam dicere nostram iussionem? per deos magnos, tormentis amarissimis consumam corpora vestra. Et dixit ad ministros. extendantur et caedantur. et videamus si veniens deus eorum adiuvabit eos, vel eripiet de hora ista. Et adducti sunt tres quaestionarii, caedentes eos nervis crudis. Et cum caederent eos; sancti martyres dixerunt. Auge adhuc alios tortores impiissime inimice dei. quia quanto amplius auxeris tortores; tanto amplius multiplicas nostras coronas. Maximianus dixit ad eos. infelicissimi. ecce modo faciam abscidi capita vestra. adhuc et coronas expectabitis? abnegate hanc perfidam doctrinam. et nolite in vano perdere vosmetipsos. Martyres dixerunt. perdat te deus. quoniam sine causa servos eius affligis, qui sunt inculpabiles. Tyrannus autem iussit cum lapidibus contundi ora ipsorum. Quaestionarii vero accipientes lapides; contriverunt maxillas eorum. Christi Martyres dixerunt ad eum. quasi inveneris nos perperam agentes; sic nos tradidisti huic tormento immisericordi. Nunc vero percutiet te angelus dei; et omnem impiissimam domum tuam. prevaricator et inimice dei. Adhuc non es satiatus tormentis quae induxisti super nos? nec poenituit te super tam nequissima poena; vel quae induxisti super nos supplicia? nec consideras hoc quod corpore circumdati sumus sicut et tu? licet tuum corpus secundum voluntatem malam, impium sit ac nequissimum? ecce lapides tui durissimi non potuerunt conterere maxillas nostras. agnosce o fili diaboli. Audiens haec tyrannus maximianus; cum magno furore dixit. per magnos deos; quoniam linguas vestras faciam amputari. ut ex vobis discant omnes homines non contradicere dominis suis. Christi martyres dixerunt. nequissime tyranne. si tu eos qui secundum saeculum suos dominos contemnunt odio habes; et tormentis affligis; quomodo nos cogis contradicere deo nostro; ut merito patiamur ea quae tibi preparata sunt? Maximianus dixit ad eos. quid enim michi paratum est patiendum? Sancti martyres dixerunt. quae preparavit deus diabolo et angelis eius. ignem scilicet inextinguibilem et vermem non morientem. tormenta non finienda. poenam aeternam. tenebras exteriores. ubi est fletus oculorum; stridor dentium. sed et alia tormenta. quorum species scit ipse solus. qui ea vobis preparavit. Maximianus dixit. ecce nunc faciam linguas vestras abscidi. Sancti martyres dixerunt. etsi organum nostrae laudationis abscidas; melius poterit ascendere ad deum gemitus cordis nostri. et melius clamabit ad deum cor nostrum. Nam et sanguis noster quod innocuum effudisti; habet os magnae vocis super tubam. clamantem ad deum pro quo haec patimur. Dum audisset haec imperator; furore repletus ait. annotate uniuscuiusque responsionem. et constrictos eos ferro; perducite in custodiam vinculatorum. ac per omnia affligite eos. ut sicuti digni sunt tormentis conteram eos. Non enim solius gladii poena digni sunt. et necesse est ut horum exemplo omnes corrigantur.

Adrianus quidam nomine qui erat prior officii; videns sanctorum martyrum constantiam et magnanimitatem adversus tormenta; dixit ad eos. Adiuro vos per deum vestrum pro quo haec patimini; dicite michi in veritate. quae est remuneratio vestra quam expectatis pro his tormentis? videntur enim michi aliqua magna et mirifica esse quae expectatis. Respondentes martyres dixerunt. non potest nec os nostrum sufficiens esse ad enarrandum haec; nec aures alicuius ad audiendum. Adrianus dixit. ex toto nichil audistis de his? neque per le-

gem; neque per prophetas. neque ex aliqua scriptura? Responderunt sancti martyres et dixerunt ad eum. nec ipsi prophetae agnoverunt sicut oportebat. homines enim erant simpliciter deum colentes. et quaecumque acceperunt per spiritum sanctum, haec locuti sunt. Scriptum autem de gloria illa sic est. oculus non vidit; et auris non audivit; nec in cor hominis ascendit; quae praeparavit deus diligentibus se. Et cum audisset haec adrianus; statim exiliens stetit in medio eorum. et dixit ad exceptores. annotate meam confessionem cum his sanctis athletis dei. quia et ego christianus sum. Et mox cum festinatione venerunt exceptores ad palatium; ut renuntiarent haec imperatori. Videns eos maximianus; suspicabatur quod adrianus aliquam accusationem scripsisset adversus martyres christi. et ait. legite relationem quam transmisit dilectissimus noster adrianus. Exceptores vero respondentes dixerunt. ne existimes imperator quod accuset eos. sed potius semet ipsum christianum profitetur. Rogavit enim nos; ut nomen eius cum eis qui damnati sunt scriberemus. Audiens haec maximianus; iratus est valde. et iussit. eum celeriter ad se perduci. Qui cum venisset; dixit ad eum maximianus. Insanis adriane? Nunquid et tu vis tam male perdere te? Adrianus dixit. non insano rex. sed ex multa insania, ad sanam mentem reversus sum.

Maximianus dixit. quid multum loqueris adriane? pete tibi indulgentiam a me et dic in conspectu omnium quoniam surreptum est michi talia loqui. sed et dele haec quae dictaveras exceptoribus; ut nomen tuum scriberent cum condemnatis illis. Adrianus dixit. peto ego a deo meo indulgentiam pro pravis operibus meis. et pro iis qui me perverterunt erroribus. Audiens haec maximianus; furore repletus est. et iussit eum ferro vinctum pertrahi ad carcerem. constituens diem quando et ipsum et caeteros martyres audiret. Unus autem ex servis adriani currens cum festinatione ad domum illius; nuntiavit coniugi eius nataliae dicens. dominus meus ferro vinctus ductus est in carcerem. At illa audiens haec; surrexit. et scidit stolam suam. et ululans emisit vocem cum fletu. et ait ad puerum. et in qua culpa inventus est ut truderetur in carcerem dominus meus? Respondens puer dixit ad eam. quosdam vidit torqueri propter nomen eius qui dicitur christus. et illis non adquiescentibus ut sacrificarent diis; nec omnino optemperantibus preceptis imperialibus; tunc et ipse dixit ad exceptores. Ascribite et me cum viris istis. libentissime enim cum his morior. Respondit natalia et dixit ad puerum. et non intellexisti ex qua causa torquebantur illi? Respondit puer et dixit ad eam. iam tibi dixi. propterea quia noluerunt sacrificare. Haec cum audisset natalia; gaudio repleta est. et surgens mutavit stolam suam scissam. et currens abiit ad carcerem velociter ad adrianum. Erat enim ex parentibus christianis; et sanctorum filia. quae ante quidem timuerat se manifestare quod esset christiana; propter imminentem amarissimam persecutionis impietatem. Et dum ingressa fuisset in carcerem; procidens ad pedes viri sui, osculabatur vincula eius. et dicebat ad eum. beatus es domine meus adriane; qui invenisti divitias quas tibi non dimiserunt parentes tui. Ecce sic benedicetur omnis homo qui timet dominum. Vere dominus meus nunc congregasti divitias in iuventute tua; quas non poteras invenire in senectute tua.

Vere iam securus pergis ad illum saeculum. recondens tibi divitias quas invenies in tempore necessitatis. quibus egent ii qui hic multa possident. et quibus abundabunt ii qui hic sunt pauperes. quando non erit fenerandi tempus; nec mutuo accipiendi. quando nullus neminem poterit liberare de poenis. nec aliquis aliquem adiuvare. nec pater filium; nec mater filiam; nec divitiae eum qui eas congregavit. nec servus dominum nec amicus amicum. omnes enim sibi tantummodo solliciti sunt. Tu autem domine meus, omnia tua tecum habes; perge ad christum; ut percipias illius promissum; perge fiducialiter ad eum; nichil timens futurorum malorum. ut percipias ab eo debitam tibi mercedem. Sed et hoc te peto domine meus; ut viriliter permaneas in hac vocatione qua vocatus es. nec pulcritudo tua animum tuum impediat. nec affines. nec divitiae. nec possessiones. nec pueri. nec puelle. nec aliud aliquid terrenum. omnia enim haec transeunt. omniaque corrumpuntur. Illa solummodo pone ante oculos tuos; quae sunt aeterna. et ne aspicias haec quae pertranseunt. Non dissolvant animum tuum amicorum adulationes. nec furentur tuam fidem suis mollibus ac seducto-

riis verbis. quin potius odio habeto eorum adulationes. Abnega eorum impiissima consilia. eos solos attende qui tecum sunt sanctos. eorum imitare constantiam et patientiam. Non te terrat furor regis. nec timeas diversas species tormentorum. Non te conturbet ignis; neque flamma perterreat. Et cum finisset loqui haec; tacuit. Iam enim prope vesperum erat. Tunc dixit ad eam adrianus. perge nunc in domum tuam soror mea. et refice te. et cum agnovero debere fieri interrogationem nostram; mittam et accersiam te; ut possis cognoscere finem nostram. Exurgens autem natalia a pedibus viri sui; circumibat omnes sanctos illos. et osculabatur singulorum vincula. Erant enim numero viginti tres. et deprecabatur eos dicens. Rogo vos servi christi; docete eum consilia patientiae. docete eum quae sunt illa premia quae dantur iis qui in fide christi permanent. Lucrificate animam eius cum vestris animabus; ut sit debitor vester christus. et confortate eum beatissimis monitis vestris. ut futura credens, presentia respuat. et viriliter suum agonem adimpleat. Et cum haec dixisset; procidit ad pedes eorum. et adoravit vincula eorum quibus circumdati erant. et iterum ingressa est ad adrianum. Erat enim in interiori custodia extensus in ligno. et dixit ad eum. Vide domine meus; ne aspicias ad pulchritudinem corporis tui. nec ad decorem iuventutis tuae. haec enim omnia esca vermium sunt. Nec seducant te aurum, aut argentum, aut indumenta pretiosa. Aut possessiones. seu reliqua mundi huius momentanea blandimenta. Non enim aderunt cuiquam in hora illa iudicii. quoniam omnia ista huc remanent. Non est illic ut aliquis det munera pro anima sua. nec est qui accipiat. Solummodo sanctarum animarum suscipiet munera deus. Et dum haec dixisset; valefaciens abiit in domum suam. Per dies autem aliquot, dum cognovisset adrianus quod deberet fieri interrogatio eorum; dixit ad sanctos martyres. si adquiescitis michi domini mei. pergam ad domum meam. ut adducam ancillam vestram sororem meam. et presens sit passioni nostrae. Spopondi enim ei cum iuramento dicens; quoniam in fine passionis nostrae accersiam te. Et dum adquievissent; dedit munera iis qui erant custodes carceris. dans eis fideiussores congregationem sanctorum martyrum qui erant ibi. Et dum pergeret; vidit eum quidam concivis illius, et agnovit eum. et precurrens nuntiavit nataliae coniugi ipsius, dicens. absolutus est adrianus. et ecce venit per viam. Iamque in proximo reliqui eum. Audiens autem haec illa; non credebat. dicens. et quis potuit eum absolvere de vinculis illis? non michi contingat ut absolvant illum. nec aliquando separetur a sanctis illis. Et dum adhuc loqueretur; ecce puer domesticus eius supervenit dicens. cognosce quia dominus meus dimissus est. et ecce venit. Dum haec audisset natalia; suspicata est eum refugisse martyrium. et constristata valde. flebat amarissime. Et cum audisset eum venientem; surgens proiecit quae erant in manibus suis. et clausit ostium domus. et clamans dicebat. Longe efficiatur a me, qui corruit a deo; et mentitus est creatori suo. non michi contingat loqui ori illi, per quem abnegavit dominum deum suum. nec audiam linguam quae dolose egit in conspectu factoris sui. Et conversa dicebat ad eum. O sine deo pre omnibus hominibus. Quis te coegit apprehendere opus quod non potuisti perficere? Quis te separavit a sanctis? Aut quis te seduxit, ut recederes a conventu sanctorum martyrum? Dic michi. quare in fugam conversus es antequam videres pugnam? Quare proiecisti arma tua antequam videres repugnantem tibi hostem? Quomodo vulneratus es, necdum emissa sagitta? et ego mirabar, si ex gente sine deo, et de civitate impiorum aliquid deo offerretur. Quomodo enim fieri poterat ut ex gente iniqua et homicida, hostia munda deo consecraretur? Qualiter poterant ex loco immundissimo, et de medio eorum qui amatores sunt effusionis sanguinum, mundissimum thimiama offerri deo? Nunc ergo quid faciam infelicissima, quae coniuncta sum huic super impios impio? Ve miserae michi. non michi concessum est, ut vel unius horae spatio vocarer uxor martyris; sed ut coniux diceret transgressoris. Ad modicum quidem exultatio mea fuit; et ecce per saecula opprobrium meum. Ad horam exultavi inter mulieres; et ecce nunc in confusione conversor in medio earum. Beatissimus autem adrianus haec audiens; libentissime suscipiebat verba eius. et valde delectabatur in sermonibus illius. Amplius anxians implere quod promiserat. Mirabatur autem quod ex ore feminae talia egrederentur; eo quod esset iuvenis et nuper

nupta. Erant enim tantum menses tredecim ex quo cognoverat virum suum; vel commorata fuerat cum eo. Beatissimus autem adrianus cum vidisset eam tribulari valde ; et omnino afflictam; dixit ad eam. Aperi michi domina mea natalia. non enim sicut tu existimas refugi martyrium. non michi contingat hoc. sed ideo veni, ut accipiam te. et presens sis consumationi nostrae; sicut promiseram tibi. At illa non credebat dicens. vide quomodo me seducit transgressor. ecce quomodo mentitur alter iudas. Recede a me homo. alioquin meipsam interficiam ut satieris. Et dum moraretur ad aperiendum; dixit ad eam. Aperi citius. nam vadam, et ultra non videbis me. et post haec lugebis; eo quod non videris me ante excessum meum. Fideiussores enim dedi congregationem sanctorum martyrum. et dum inquisierint me ministri et non invenerint; sustinere habent ipsi sancti martyres etiam et mea tormenta super suas proprias poenas. et non poterunt sustinere; dum sint quasi mortui ex hiis poenis quae illatae sunt eis a tyranno. Dum audisset natalia verba haec; statim aperuit ei. et invicem se suis vestigiis prostraverunt. Et dixit ad eam vir suus. Beata es inter mulieres; quoniam tu sola apparuisti super terram amans virum tuum. Benedicta corona tua, et sapientia tua. tu enim es particeps victoriae, et martyrum consors; etiam si non patiaris. Et accipiens eam pergebat. Euntibus autem eis per viam, dixit adrianus. dic mihi soror mea, quomodo ordinasti substantiam tuam? At illa respondit et ait ad eum. noli domine mi. noli memorare iam quae sunt mundi huius; ne te attrahant ad se. sed hoc solummodo memorare, in quo vocatus es. Auferantur a te omnia saeculi huius corruptibilia. solummodo illa festina videre; quae nunquam transeunt. quaeque reposita sunt tibi, et illis sanctis cum quibus ambulas in via domini. Et dum ingressi fuissent in carcerem; festina procidit ab pedes sanctorum ancilla dei. et adoravit vincula eorum. Invenit autem corpora eorum putrefacta a tormentis. ita ut vermes caderent de ulceribus eorum. et inclinans se, extergebat omnem putredinem. Mittens autem puellas suas; iussit ut afferrent ei omnia linteamina eius. multa et valde pretiosa. Erat enim inter feminas clarissima secundum parentes. Et dum attulissent puellae linteamina; accipiens manibus suis tergebat de eis ulcera sanctorum. et colligavit de ipsis manus et pedes eorum. erant enim dissoluta membra eorum a pondere ferri. permansitque cum eis in carcere diebus septem. curans ulcera eorum. Completa autem die productionis eorum. iussit maximianus exhiberi eos in conspectu suo. Et statim venientes ad carcerem ii qui missi fuerant; compellebant eos ut egrederentur. et dum vidissent eos resolutos a poenis; sic in nudis animalibus portaverunt eos ad palatium quia non poterant ambulare. Omnes enim vincti erant in una catena.

Adrianus vero sequebatur eos vinctis retrorsum manibus, Et dum appropinquassent auditoris. Videns eos qui prepositus erat causae; introivit ad imperatorem, et ait. ecce astant ante consistorium, condemnati illi. Maximianus tyrannus dixit. succinto prependiculo ante pudenda; introducantur omnes simul. ut invicem videant suos cruciatus. Commentariensis dixit. illi qui prius tormentis afflicti sunt; non possunt modo interrogari. sed si placet; adrianus introducatur, qui adhuc, recens est. Nam illorum undique corpus ita putrefactum est: ut costae eorum forinsecus videantur. et si modo interrogati fuerint; expirant et finiunt vitam. et non percipiunt quae eis preparata sunt tormenta. nos autem nolumus ut in compendio torti, vitae finem accipiant; quasi qui nichil peccaverint. Nunc ergo accipiant indutias paucorum dierum. ut dignas factis suis percipiant poenas. et si iubes, nunc adrianus introducatur. Maximianus dixit. succincto ergo prependiculo introducatur. Et dum expoliassent eum; introduxerunt. portantem sibi met ipsi eculeum. Et dum pergeret; dixerunt ad eum sancti martyres. ecce adriane dignus effectus es. ut tollens crucem tuam sequaris christum. vide ergo ne absorbearis timore; et revertaris retrorsum. et fiat merces tua inanis. Vide ne thesaurum tuum depredetur diabolus. nec terreant te ea quae vides tormenta. Sed respice ad ea quae expectas. et fiducialiter accedens, confunde tyrannum. non enim condignae sunt passiones huius temporis, ad futuram gloriam quae revelabitur in nobis. Natalia vero adiungens se ei dicebat. Vide domine meus ut solummodo ad deum fiat mens tua. ne tuum cor in aliquo trepidet; dum videris proposita tibi tormenta. Labor equidem nunc

modicus. sed requies magna, et aeterna repausatio. Modicum nunc patieris; sed continuo cum angelis exultabis, si enim dum saeculo militabas, ab iis qui erant principes tui multotiens caedebaris propter modica stipendia; multo magis nunc sustine omnia quae inferuntur tibi tormenta propter regna caelorum. Et dum introisset adrianus; videns eum maximianus tyrannus dixit. adhuc permanes tu in illa insania; et vis de hac vita male exire? Adrianus dixit. Iam tibi dixi; quoniam recessi ab amentia. et ideo paratus sum hanc vitam exire. Maximianus dixit. Ergo nunc non sacrificas, nec adoras deos, sicut et ego et omnes? Adrianus dixit. quare dum tu erras, et alios errare facis? et dum temetipsum perdis, multitudinem hanc populi quos adorare facis deos tuos qui sine anima sunt; et relinquere deum omnipotentem qui fecit caelum et terram. mare et omnia quae in eis sunt; animas suas perdere cogis? Maximianus dixit. ergo modici tibi videntur dii qui magni sunt? Adrianus dixit. Ego neque modicos neque magnos eos dico. sed nichil. Et dum haec audisset tyrannus; iussit eum lignis tundi. Audiens autem beatissima natalia, quoniam coepisset caedi; festina cucurrit ad sanctos martyres. annuntians eis et dicens. ecce dominus meus inchoavit martyrium. Audientes autem haec sancti; fuderunt pro ipso orationem. Tyrannus vero dixit ad eos qui eum caedebant. dicite ei; noli blasphemare deos. Adrianus dixit. Si ego iam torqueor pro eo quod blasphemaverim eos qui non sunt; Qualia putas et quanta erunt tormenta quae tibi praeparata sunt, qui deum vivum et verum blasphemas? Maximianus dixit. haec verba illi seductores te docuerunt. Adrianus dixit. quare seductores dicis eos qui ductores sunt ad vitam aeternam? seductores magis vos estis; qui illaqueatis animas ad perditionem. Audiens haec maximianus; furore repletus, iussit eum iterum a quattuor caedi. Adrianus dixit. tyranne. quantum multiplicas in me tormenta; tantum adauges michi multitudinem coronarum. Omnes vero interrogationes et responsiones quae fiebant inter tyrannum et adrianum; per ordinem nuntiabat beata natalia sanctis martyribus. Maximianus dixit. Adriane. Vel nunc adora deos. et parce tibi vel iuventuti tuae. ut quid in vanum perire festinas? Iuro tibi per deos; quoniam videns pulchritudinem tuam, compatior tibi. Adrianus dixit. Vere parco michi ut non peream. Maximianus dixit. ergo adora deos; ut tibi repropitientur. et ut ego te honorificem; et in locum tuum restituam. non enim similis es illis qui tecum vincti sunt. Tu enim nobilis, et magni viri filius es. et licet sis iuvenis; magnis tamen honoribus dignus. Illi autem rusticani; et filii stultorum sunt et pauperum. Adrianus dixit. novi quia scis patriam meam. et genus. necnon et avos meos. sed si cognosceres illorum sanctorum nationem vel divitias; aut patriam quam expectant; statim caderes ad pedes eorum. et rogares eos ut rogarent pro te. sed et propriis manibus inciperes confringere deos tuos. Audiens maximianus; iterum iratus est. et iussit eum in ventre caedi. et dum vidisset effundi viscera eius; iussit parci ei. Erat enim ipse beatissimus adrianus admodum iuvenis et delicatus. annorum circiter viginti et octo. Maximianus dixit ad eum. videsne quantum tibi parcam? Si ergo solummodo voce tua invocasses deos; statim fecissem venire medicos, ut curarent vulnera tua. et hodie mecum esses in palatio. Adrianus dixit. quamvis promittas michi ut curer a medicis; vel etiam honores me; et introducas me in tuum regale palatium; et quamvis dicas deos tuos michi propitiari; ipsi tamen volo michi dicant ore suo, quid michi facturi sint. vel quale michi beneficium collaturi. Et cum hoc fecerint; tunc adorabo eos. et sacrificabo eis, quemadmodum tu vis. Maximianus dixit. Ipsi loqui non possunt. Adrianus dixit. infelicissime hominum. Quibus ergo sacrificas tu? Aut quid loqueris eis qui non tibi loquuntur? Et cum haec audisset tyrannus; valde iratus est. et iussit eum cum reliquis martyribus constrictum ferro, mitti in carcerem. constituens diem in qua omnes simul producerentur ad audiendum.

Et accipientes eos milites; perduxerunt in custodiam. Alios eorum trahentes. Alios vero qui resoluti erant a poenis, portantes. Beatissima vero natalia sollicite confortabat adrianum virum suum. et dicebat ei. Beatus es domine meus; eo quod dignus effectus es numero sanctorum. beatus es lumen meum; eo quod dignus factus es ut patiaris pro eo qui pro te passus est. Perge nunc dulcis meus; ut videas gloriam eius. qui enim communicaverit passioni eius; similiter communicabit et gloriae ipsius. Et dum introissent in carcerem; re-

clusi sunt. et gaudio repleti sancti martyres; accedentes salutabant eum. etiam ii qui in pavimento iacebant, et ambulare minime poterant; manibus suis reptantes, festinabant offerre ei pacem. et osculare eum osculo sancto. Beata vero natalia extergebat sanguinem beati adriani. et perungebat ex eo corpus suum. Et dum osculassent eum sancti martyres; dixerunt ei. Laetare in domino dilectissime; quoniam nomen tuum iam scriptum est in libro vitae. Adrianus autem dixit ad eos. Vos gaudete domini mei; et vos laetamini. vestra enim corona est, et vester fructus, mea victoria. et orate pro me; ut nichil adversus me prevaleat diabolus. multum enim defeci corpore. Sancti martyres dixerunt ad eum. confide in domino; quoniam non prevalebit diabolus adversus te. et longe effugiet a tua patientia. Et quidem nos timebamus de te, cum adhuc esses homo. cum autem supergressus es naturam humanam; non poterit iam amplius adversarius prevalere adversus te. Ne ergo formides. quoniam christus est victoria tua. Diaconissae vero et aliae nonnullae mulieres quae erant notae; permanebant in carcere. curantes ulcera sanctorum. Et aliae quidem curabant vulnera. aliae autem suis stolis quibus vestiebantur, extergebant putredinem vulnerum eorum. diviseruntque sibi numerum sanctorum ad ministrandum vel curandum eos.

Cognoscens autem tyrannus quia concurrebat ad eos multitudo feminarum, et valde honestarum; contristatus est valde. et precepit ut prohiberentur ingredi ad eos. Videns hoc sancta natalia, quod prohibitae sunt mulieres ministrare eis; exurgens totondit crines suos, et induit se veste virili. et introibat sicut vir ad sanctos martyres. et curabat omnes quotquot susceperant supradictae illae feminae ad curandum. Et cum compleret ministerium suum in cura sanctorum. Veniens sedebat ad pedes adriani. et deprecabatur eum dicens. Rogo te domine meus; memorare quoniam cooperata sum tecum, in hoc martyrio. memorare quoniam ego perduxi te in hunc agonem certaminis. memorare quoniam ego preparavi tibi has coronas. Deprecare ergo dominum; ut et me accipiat tecum. ut quomodo communicavimus in unum in hac vita miserabili et plena peccatis; ita simul simus in illa beatissima vita quae est sine dolore. Obsecro te domine meus; ut hanc primam petitionem postules a deo. ut has primas petitionum tuarum preces offeras ei. Scio enim quia prestabit tibi quodcumque petieris ab eo. Tu nosti perversitatem civium urbis huius; et impietatem tyranni. et ego satis vereor, nequando suggeratur ipsi tyranno; ut me coniungat homini sine deo. ne polluant impii torum tuum. vel sanctam coniunctionem nostram. Rogo te, salva coniugem tuam; sicut didicisti ab apostolo. Retribue michi mercedem continentiae; ut permaneam tecum. et discant per me omnes mulieres optemperare viris suis; videntes sollicitudinem tuam erga me. Cognoscentes autem aliae mulieres quod fecerat natalia; totonderunt se et ipsae. et induentes habitum virilem; similiter introibant in carcerem, et ministrabant sanctis. Maximianus autem dum cognovisset quod fecerant mulieres; et quia iam in defectione erat spiritus martyrum; iussit incudinem aeneam afferri; et supponi pedibus eorum. et cum vecte magno confringi tibias eorum. dicens. faciam ut non communi morte sicut caeteri homines exeant de hac vita. Fecerunt ergo questionarii sicut eis iussum fuerat; et venerunt ad carcerem. Beata vero natalia cum vidisset eos venientes; occurrit eis. et deprecabatur dicens. Rogo vos ut initium faciatis ab adriano meo ne forte videns quemadmodum alii patiuntur; aliquatenus terreatur. Fecerunt autem illi sicut eis dixit natalia. et dum supposuissent incudinem aeneam pedibus eius; Beata natalia apprehendens pedes sancti adriani extendit super incudinem. Questionarii vero cum magna virtute percutientes absciderunt pedes eius. Iterum ait natalia ad beatum adrianum comparem suum. precor te domine meus; dum adhuc in te viget spiritus, extende manum tuam ut abscidant eam a te. ut in omnibus aequalis efficiaris sanctis martyribus. amplius enim illi quam tu tormenta sustinuerunt. Extendens vero beatus adrianus manum suam dedit ei. et illa superposuit eam in incudinem. Questionarii vero percutientes; absciderunt eam. Et dum amovissent a beato martyre incudinem; statim reddidit spiritum.

Circumeuntes autem milites omnes sanctos cum incudine et vecte ferreo; confregerunt crura eorum. Veniebant itaque sancti martyres porrigentes pedes suos prius quam venissent ad eos que-

stionarii; clamantes et dicentes. domine ihesu christe, suscipe spiritum nostrum. et haec dicentes; reddebant sanctas animas. Maximianus vero iussit corpora eorum igne exuri. dicens. ne forte veniant galilei et tollant eos. Beata vero natalia abstulit manum sancti adriani quae fuerat abscisa ab eo. caelans eam in sinu suo. ut non simul igne cremaretur. Questionarii vero ex precepto tyranni portabant corpora sanctorum; ut ea mitterent in ignem. Iam enim preparata erat fornax ardens. Beata vero natalia sequebatur corpora sanctorum. suscipiens destillantem sanguinem eorum. de quo corpus suum ungebat. Sequebantur etiam aliae mulieres religiosae et nobiles. suscipientes sanguinem sanctorum martyrum in linteaminibus et purpura. Vestimenta etiam questionariorum quae erant sanguine infusa sanctorum; magno valde pretio clarissimae feminae comparaverunt. Et cum pervenissent questionarii ad fornacem ardentem. miserunt sanctos in ignem de superioribus fornacis. Astantes autem mulieres, clamabant. flentes et dicentes. memoramini nostri domini in requiem vestram. Natalia vero impetu facto cum voce magna; voluit se ipsam mittere in ignem. Missis autem corporibus sanctorum in ignem; subito facta sunt tonitrua magna. et pluviae. et grandines. et coruscationes. et terraemotus. ut etiam nataret sicut in diluvio civitas. Sed et fornax ardens, a multitudine imbrium et tempestatum extincta est. Quaestionarii vero haec videntes; fugerunt. quidam vero eorum cadentes in facies suas expiraverunt. Currentes vero qui ibi aderant fideles; et natalia simul cum aliis mulieribus fidelibus et religiosis; venerunt ut raperent sanctorum martyrum reliquias. et invenerunt eas omnino illesas. ita ut nec capillus eorum exustus esset ab igne. Religiosus autem quidam loci illius, cum sua coniuge procidens ad vestigia beatae nataliae vel fidelium qui aderant; rogabat dicens. Ecce nos olim iuxta civitatem hanc manebamus; in loco secreto. horrentes vero impietatem vel sanguinis effusionem quae fiebat ab impiis in hac civitate; ideo fugientes abivimus bizantium. et deseruimus loca nostra. Propter quod date nobis corpora sanctorum; et levabimus ea in navicula nostra. et euntes recondemus ea apud nos; usque dum moriatur iste impiissimus. et translationem eorum dignam faciemus; ut omnes venientes adorent eos. Si enim reliquerimus eos hic; et cognoverit hoc impiissimus tyrannus; tollet iterum et incendet illos; quos deus liberavit de igne; per tonitrua et terraemotus et tempestates. Et placuit hic sermo in conspectu omnium qui erant ibi. et levaverunt corpora eorum in navi; et detulerunt ea byzantium. Natalia vero remansit in domo sua. habens secum manum beatissimi martyris adriani. Dicebat enim. ne forte comprehendantur corpora sanctorum; et inveniar ego simul, tradens spem meam. Accipiens vero manum sancti martyris adriani; involvit purpura. et infundens myrro, posuit eam in grabato ad caput suum. nullo sciente.

Post aliquot vero dies cognoscens quidam tribunus civitatis, quod beata natalia esset in eadem civitate; veniens ad palatium, rogavit imperatorem ut eam acciperet in coniugium. Erat enim multum dives. et prima in clarissimis mulieribus. et valde pulchra. Tribunus vero hoc impetrato; transmisit ad eam honestas feminas, ut ei loquerentur de coniugio. Beata vero natalia audiens haec verba; ita respondit. et ego audiens hoc. multum gavisa sum. Quis enim michi poterat prestare hoc ut coniungerer tali viro? Sed peto ut detur michi trium dierum spatium, ut me preparem. non enim me estimabam inquiri. Haec autem dicebat, volens fugere; et abire ubi erant corpora sanctorum martyrum. et his verbis seduxit mulieres quae missae fuerant a tribuno. Illa vero post egressionem illarum, abiit ad reclinatorium suum, ubi erat manus sancti martyris adriani. et procidens in faciem suam; clamabat cum lacrimis ad dominum dicens. Domine deus noster. deus tribulantium. qui iuxta es iis qui tribulato sunt corde. respice in me ancillam tuam. et ne permittas maculari immaculatum torum adriani martyris tui. Precor te domine deus meus; ne obliviscaris adriani servi tui. Miserere domine, miserere mei. et ne obliviscaris vinculorum eius quae sustinuit propter nomen tuum. Misericors domine, ne obliviscaris fracturam pedum eius. et abscisionem manus illius. Misericors domine, ne in vacuum facias tormenta eius. et miserias quas passus est propter te. Erue me domine a consortio inimicorum; ut non polluat multiformis inimicus torum adriani servi tui. Tu domine qui liberasti sanctos tuos de illo igne; libera me

de expectatione impii huius. Et dum haec orasset; ex multo merore atque tristitia soporata est. Et ecce unus de sanctis illis martyribus astitit ei dicens. pax tibi natalia. confide quoniam non despexit te deus. neque nos obliti sumus omnium laborum tuorum quos exhibuisti in nos. Sed statim ubi apparuimus in conspectu christi; deprecati sumus eum ut cito venias ad nos. Cui beata natalia dixit. dic michi sancta dei; si astitit vobiscum dominus meus adrianus coram christo. Et dixit ei. etiam ante nos ei apparuit. Sed exurge ascende in naviculam; et navigans veni ubi sunt corpora nostra. ibi enim visitabit te deus; et perducet te ad nos. Et dum evigilasset natalia; exurgens reliquit omnia sua. et solummodo manum beati martyris adriani auferens secum; ascendit in navem. ut iret ubi erant corpora sanctorum. Et dum ascendisset navem; invenit ibi multitudinem virorum et mulierum, qui et ipsi fugiebant a conspectu impiissimi maximiani. et cum eis navigavit. Addiscens autem tribunus qui eam petierat quod fugisset natalia; ingressus ad imperatorem, postulavit adiutorium militum. et dum accepisset; ascendit navem aliam et sequebatur eam. Et cum navigassent quasi mille stadia; exurgens ventus contrarius, revocavit eos retrorsum unde ascenderant. quidam etiam ex eis mortui sunt. et impetu fluctus demersi sunt in profundum. Media vero nocte apparuit spiritus seductionis illis qui cum beata natalia navigabant in speciem navis. et dicebat eis quasi voce naucleri. Unde existis? et ubi pergitis? At illi dixerunt ex nicomedia civitate egressi sumus. et byzantium navigamus. Dicit eis spiritus, erratis vos. non enim est ipsa via navigatio vestra. sed ad illam pergite quae ad sinistram est. volens eos in pelagum mittere. Existimantes autem illi nautas orientales eos esse; surgentes transmutabant vela ut pergerent illuc ubi spiritus erroris dixerat eis. Et ecce subito apparuit eis sanctus adrianus, veluti in carabo sedens. et clamans dixit ad eos. Ite quemadmodum coepistis. nec audiatis eum. et statim nusquam comparuit ille spiritus erroris. Videns autem sancta natalia quia precedebat eos sanctus adrianus; repleta est gaudio maximo. et mox vento flante secundo; venerunt byzantium priusquam illucesceret. et descendentes de navi; abierunt ubi erant corpora sanctorum. Procidens autem sancta natalia: adoravit corpora sanctorum martyrum. et sumens manum sancti adriani quae fuerat abscisa; adiunxit eam corpori eius. Et inclinans genua sua oravit. et ingressa est interius cubiculum. et salutavit omnes fratres vel sorores. dicens ut orarent pro ea. Et cum requievisset; apparuit ei sanctus adrianus per somnium dicens. Bene venisti ancilla christi et filia martyrum. veni in requiem tuam; et percipe ea quae debentur tibi. Et continuo evigilans; narravit omnibus quod viderat et denuo obdormivit. et statim emisit spiritum. Venientes vero qui erant ibi ut eam excitarent; invenerunt eam defunctam. Exurgentes vero oraverunt. et accipientes eam posuerunt iuxta corpora eorum in pace. In ymnis et laudibus multis gratias agentes domino nostro ihesu christo; cui est cum patre et spiritu sancto honor et gloria in saecula saeculorum. Amen.

Pag. 341 — Exaltatio sancte crucis.

Tempore quo constantinus augustus per manus silvestri pontificis aqua regeneratus et spiritu. christianae fidei iugo regias subiecit cervices; augusti mater helena passionis dominicae crucem diligenti hierusolimis examinatione perquisitam. tandemque divinae munere dignationis repertam; mediam secuit. parteque hierusolimis derelicta; partem ad filium constantinopolim destinavit. ut et in locis quae patientem in cruce dominum contueri meruerunt crux esset; et crux iterum in urbe augustali et imperatoria non deesset. Quatinus et ubi christus in cruce contumeliis a populo et iniuriis non aspernatus est affici crux honori et venerationi haberetur a populo; et rursus per quem crux potissimum per orbem fuerat exaltata crucis minime privaretur thesauro. Elabentibus post haec multorum annorum curriculis: anno videlicet ab incarnatione domini sexcentesimo tertio; anno vero imperantis eraclii secundo; visum est severitati divinae iustitias domini prophanantium et in mandatis eius non ambulantium visitare in virga peccata; et in verberibus scelera. Unde factum est; ut chosroes rex persarum sarbatazan militiae principem ad asiam et europam pariter expugnandam cum apparatu copiarum innumero destinasset. quatinus videlicet aut ultro se terrasque sponte dedentes pa-

cificus caperet; aut rebelles et repugnare nitentes viribus armisque devictas suo imperio subiugaret. Europa igitur deserta reddita; asia quoque prorsus exterminata; desolatisque urbibus; et romanis in praelio plurimis interemptis; post captam damascum populoque innumero captivo ducto; ierusolimam cum omni penitus palestina caeperunt. Dissipatae itaque munitiones sunt. Destructa oppida. Dei templa a fundamentis eversa. factique sunt christianorum liberi persis in predam. In captionem sacerdotes. In direptionem matronae. Caeterorum vero pars gladii ore consumpta est. pars capta. reliqui vero qui nec captione nec occisione visi sunt digni; detruncati turpiter; spreti potius in locis quam derelicti sunt. Feruntur in captione eadem christianorum milia nonaginta a iudaeis perempta. Emebant siquidem a persis christianos iudaei. quisque iuxta facultatem pretium largientes. Arbitrantes nimirum gratum deo se exhibere obsequium; quisquis in christiani hominis iugulum vibrasset manum. Captus est inter caeteros tunc a persis zacharias ierusolimitanus patriarcha. parsque vivifici ligni quae ab helena sanctis argenteis condita thecis fuerat derelicta; in persidem asportata est. Capta igitur universa aegypto; persae; et lybia usque ad ethiopiam; predis multis exuviis pecuniisque onusti; anno sexto imperii eraclii ad propria sunt regressi. Misit post haec ad chosroen in persidem legatos eraclyus; pacem efflagitans. Quod penitus chosroes renuit. adiciens se nec pacturum cum romanis prorsus nec parciturum eis; nisi crucifixi cultu spreto et abnegato; magno soli cuius videlicet radiis orbis terrarum omnis illustraretur divini cultus reverentiam exhiberent. Redeuntibus nuntiis; responsaque chosrois eraclyo referentibus, egre ferens animo nuntiata augustus; de divinae clementiae opitulatione confidens; decernit ut ingrediatur persidem pugnaturus. Sed quoniam sumptus necessarii qui tantae rei sufficerent ei deerant; de ecclesiis dei mutuo pecunias sumit. Porro de magna ecclesia candelabra vasaque plurima tam argentea quam aurea accipit. Quibus omnibus augustali preceptione conflatis; numerosa copia nummorum tam aureorum quam etiam argenteorum confecta est. Nec dubitavit pro universalis ecclesiae iniuriis et opprobriis pugnaturus; ecclesiarum ad huius operis adminiculum pecunias sumere. Praesertim cum divinis auxiliis prosperatus vita comite rediens; cunctas cum superabundantiis se restauraturum confideret.

Anno igitur imperii sui duodecimo; indictione decima; feria secunda post actam sollemnitatis paschalis celebrationem; pridie videlicet nonarum aprilium advesperascente iam die iter in persidem imperator arripuit. Qui armeniam ingressus; legatos iterum chosroi litterasque mandavit. notificans ei quod si pacis ulterius foedus aspernaretur; sciret indubius se cum exercitu bellatorum persidem ingressurum. Chosroes vero rursus legationem sprevit. nullatenus arbitrans imperatorem praesumpturum quae diceret. Post annum igitur evolutum a prima arreptione itineris; duodecimo kalendarum maiarum eraclius ingressus est persidem. Convocatoque universo exercitu; in haec omnes verba convenit. Confortamini milites invictissimi; et animo robusti estote. non emolliat virile pectus quelibet parentalis affectio. nunc se quisque vestrum virum. nunc militem romanum meminerit. Nunc reminiscatur animus bellicosus; si quid egregie; si quid strenue; si quid viriliter gessit. Nunc aut opprobrium quo dehonestemini etiam mortui incurretis; aut merebimini famam cunctis post hac saeculis celebrandam. Nec vos vestra paucitas; et eorum cum quibus conflicturi estis terreat multitudo. Reminiscimini et vos et parentes et ipsos vestros tritavos et longe supra; romanos milites paucissimos; adversantium manum et robustam et innumeram expugnasse. Naturale vobis est in praeliis robur animi. Naturalis bellandi peritia. Aderit ad haec dominus; cuius suffragiis unus persequetur mille; et duo transmovebunt dena milia. Nec poterit deesse bellantibus; cuius molimur bello ulcisci iniurias. contumelias vindicare. Quam enim ut caetera sileam maiorem in christum iniuriam; quam in eum maiorem potuit os prophanum contumeliam iaculari; quam se id minitari acturum; ut desertis christi divinis cultibus; solem christi licet non exiguam inter corporeas creaturas; divinis studeremus obsequiis honorare? Nos nos potius michi credite christo opitulatore agemus; ut aut chosroes a se christum divinis polliceatur cultibus honorandum; aut christum colentis mucrone turpiter iaceat obtruncatus. Quapropter confortamini praeclari milites. Robusti equites. Bella-

tores invicti. Aderit pugnatoribus suis rex gloriae. Virtutum dominus. fortis et potens. potens in prelio. Et in eo potius quam in proprii viribus brachii confidentibus deesse non poterit ihesus christus dominus; qui a saeculi orientis initio in se sperantes iuvit. confortavit. defendit. Cum his et in hunc modum plurimis ad prelia exercitum esset adhortatus eraclius; omnes se ad expeditionem. ad pugnam. ad ipsam denique mortem. cum pro causis aliis; tum vel maxime pro christi vindicandis iniuriis. paratissimos responderunt. Tunc super animis et super virilitate militum gratulatus augustus; persidem interiorem ingreditur. igni ferroque obviantia quaeque depopulans. Sex autem annis in perside est spatiatus eraclius. ubi quae bella gesserit; quae ei divinitus sint suppeditatae victoriae; non est huius scriptionis evolvere. Unde ad id expediendum qualiter chosroe perempto gloriosus reversus sit; lignum secum reportans dominicum; transitum faciamus.

Cum igitur eraclius maximam partem persidis cum igne tum ferro depopulatus esset. legavit fugienti chosroi legatos qui dicerent. ut vel tunc cum romanis pacisceretur. protestans se pacis potius quam belli avidum. nolentemque et invitum persidem devastare. At vero chosroes cuius caelitus animus fuerat obduratus; noluit sibi magis suisque quam eraclio profuturis assensum accomodare consiliis. Fugiens itaque chosroes eraclium cum seleuciam pervenisset; incurrens ibidem disynteriae morbum; nardasan filium suum in regem voluit coronare. Quod syroes primogenitus eius filius audiens; egerrime tulit. Atque ab ea die de patre cepit nece interituque tractare. Unde ad quendam collactaneum suum gundabasan nomine litteras destinavit. significans quod si eo mediante populo in militiae principem mereretur preferri; et eum ad dignitatem ad quam idem vellet proveheret; et donativa exercitus universi augeret; et pacem cum romanorum imperatore firmissimam stabiliret. consiliumque cum eis caperet pariter; quo nefandus chosroes peremptor universae persidis interiret. Quod cum syroes interventu collactanei impetrasset; curavit per internuntium eraclio nuntiare. notificans quod si suis eraclius assentiret consiliis; perempto chosroe paceque cum persis solidata firmissima; gloriosus et victor remearet in sua. Quibus imperator auditis; remisit syroi dicens. Quatinus si huius animi voluntatisque esset; apertis mox carceribus romanos universos qui in eis detinerentur educeret. armisque ab eo omnibus attributis; in chosroen pugnaturus insurgeret. Quod syroes facere nec ad modicum distulit. Eductisque romanis de carceribus; armisque omnibus contributis; in patrem preliaturus direxit militiam. Quem fugientem potius quam resistentem captum syroes; vinculis ferreis tam pedes quamque etiam post tergum manus; quamque nichilominus collum alligari precepit. sicque in domo tenebrosa quam idem chosroes ad recondendas pecunias a fundamentis extruxerat retrudendum mandavit. Panis ei et aquae modicum certis temporibus imperans contradendum. Delegans ei; ut in auri camera positus aurum sufficienter comederet. propter quod videlicet colligendum fame ab eo essent innumerabiliter interempti.

Mittebat ad haec syroes ad eum optimates; et eos potissimum quos eius fuisse noverat inimicos. qui videlicet ignominiis plurimis dehonestatum verborum; ad extremum eum etiam sputis ignominiosis delinerent. Filioque eius quem coronare decreverat caeterisque filiis in conspectu ipsius gladio interemptis; in ultimo sagittis confossus innumeris; vitam turpem morte turpissima terminavit. Quae omnia syroes eraclio litteris significare curavit. pacemque cum eo solidissimam statuit. Zachariam ierusolimitanum antistitem ei cum crucis ligno pariter remittens. Remissis una christianis omnibus qui vincti seu captivi in perside tenebantur. Cum sex igitur annos eraclius ut iam diximus persidem expugnasset. septimo triumphator et victor iter in propria reversurus arripuit. Revertenti itaque eraclio omnis urbis populus cum sergio pariter patriarcha et cum constantino eraclii filio quem ipse in persidem proficiscens constantinopoli dereliquerat; cum lampadibus et olearum ramis ymnos deo decantantes et gloriam occurrerunt.

Per aliquod ergo tempus in urbe commoratus augustus super presentia sui civibus universis gaudium praestitit. Post haec ierusolimam lignum crucis revecturus ibidem pergere tendit. Veniens itaque ierusolimam imperator restitutoque zacharia in sede; salutis lignum in loco de quo ablatum

fuerat collocavit. in crucis ibi preconia erumpens huiusmodi. O lignum admirabile et vivificum; quibus laudibus. quibus te preconiis prosequar; in quo tantum taleque patratum noscitur opus quo ab ipsis mundi exordiis nichil omnipotens creditur patrasse prestantius! O celebranda crux o cunctis obsequiorum generibus excolenda. in qua mors mortua; et vita est perennis credentibus restituta. Tu causa gaudii sempiterni. Tu scala caeli. Tu ianua regni. Tu clavis aurea. et inferni reseratrix ad exitum; et caeli pariter ad ingressum. Per te de captivis erepti. de servis liberi. da miserrimis reddimur felicissimi. Per te irae soboles reconciliationis filii statuuntur. Per te noctis et tenebrarum filii in diei et lucis pignora transferuntur. O crux splendidior astris. Lucidior luna. sole fulgidior que sola fuisti digna portare regem celorum ac redemptorem mundi. dulce lignum. dulces clavos. dulce pondus sustinuisti. Tu legis terminus. Prophetiae completio. et initium gratiae. Tu deum inferis. defunctos superis. et coelo delegas terrigenas. Tuo odore reviviscunt mortui. tactu confortantur infirmi. et umbra languentes restituuntur saluti. Tu diffusior terra. celo altior. Abisso profundior. Dignare domine ihesu. crucis tuae laudes has qualescumque benigne suscipere. eosque ab adversantibus cunctis sedulo per crucem tuere; quos in cruce fuso sanguine es dignatus redimere. His et huiuscemodi ab augusto crucis laudibus celebratis; unusquisque gaudentes in propria remearunt. Post haec imperator hebraeos universos ierusolimis pepulit. atque ne plus quam tribus milibus civitati presumerent appropinquare precepit. Sicque peractis ierusolimis omnibus quae a se digna ibidem peragi iudicavit; constantinopolim reversus est glorificans et laudans deum; qui est benedictus in saecula saeculorum. Amen.

Pag. 347 — Passio sanctorum Luciae et Geminiani.

Imperantibus dioclitiano et maximiano tyrannis; persecutio in christianos saeva exorta est. Erat ergo apud urbem romam beatissima lucia. permanens in viduitate ab anno aetatis suae nono et tricesimo; per annos triginta et sex. Haec itaque a filio suo eupropio delata quod esset christianissima. iussit eam dioclitianus suis aspectibus presentari. Cui et dixit. quamvis omnino nobis incredibile videatur; auditum tamen nobis est quod crucifixum illum christianorum ut aiunt deum confitearis et colas. et deos nostros derideas et contemnas. Nunc ergo si vis honorifice vivere; oportet ut ista refellens ad deorum culturam te decenter accingas. eisque tura et libamina offeras. ut possint tibi esse propitii. Sancta lucia respondit. Dii vestri cum sint lapidei. non dico michi sed nec sibimet ipsis possunt esse propitii. Dominus autem meus ihesus christus quoniam ipse est solus et verus deus; ipse michi propitiabitur. et me suam ancillam facere dignabitur. pro cuius amore quascumque michi paenas intuleris; libenter sufferre parata sum. Dioclitianus dixit. Audi me dum ita tibi consulo. ne dum tu forte volueris michi non placeat. Nega christum et iovem incipe colere. Sancta lucia respondit. Ut vestri quoque sapientes affirmant; ille deus coli debet ab omnibus; qui omnia fecit. Nunquid ergo iuppiter caelum terram et mare homines et caetera animantia fecit? Sed si ipse haec omnia fecit; dic quaeso hoc tantum. saturnum patrem eius quis fecit? Qui ergo patrem hominem habuit; stultum omnino est credere; quod ipse hominem fecerit. Sed si veritatem nosse desideras; omnia quaecumque existunt visibilia et invisibilia solo verbo suo creavit unus et verus et omnipotens deus. Imperator dixit. Non ad hoc te precepi adduci; ut de rerum origine vel religione deorum tecum disputem. sed potius ut sacrifices eis. Sancta lucia respondit. Ego me ipsam sacrifico deo et domino meo ihesu christo. et credo quia non derelinquet me ancillam suam. Tunc iussit eam dioclitianus in carcerem trudi.

Post dies vero novem iussit sibi foras civitatem tribunal parari ante templum iovis. eamque ante suum conspectum adduci. sedensque in tribunali iussit eam extendi. et fustibus diutissime caedi. Et ecce subito factus est terremotus. et templum iovis ita subrutum est; ut nec lapis super lapidem aedificii remanserit. Tunc dioclitianus ira succensus; iussit aeream ollam adduci. eamque pice et plumbo ac resina repleri. et succendi. et praecepit. sanctam dei luciam nudam in ollam demergi. Ubi dei virtute triduo perdurans; ledi ab igne nullatenus potuit. psallens et dicens. probasti me deus.

igne me examinasti sicut igne examinatur argentum. Et transivimus per ignem et aquam; et induxisti nos in refrigerium. Post tertium vero diem misit dioclitianus ut videret si consumpta esset. et ecce sancta lucia obvia facta est eis dicens. Ite dicite imperatori vestro. noli vacare. tempus est laborandi. Euntes autem qui missi fuerant; renuntiaverunt imperatori quod viderant et audierant. Tunc dioclitianus iussit eam ferro et plumbo onerari. et per omnes civitatis plateas circumduci. Quod cum fieret; pervenit ante domum cuiusdam potentis nomine geminiani. in cuius domo daemonum simulacra innumera erant. Cumque sancta lucia domum ipsam pertransisset; subito columba alba velut nix de caelo descendit. et super caput geminiani crucem figurans resedit. Geminianus autem apertis oculis vidit sibi patere caelum. moxque spiritu sancto inflammatus; relinquens omnia sua et cursum arripiens pervenit ad locum ubi sancta dei ducta fuerat ad torquendum. et prosternens se pedibus eius; caepit narrare quid viderit. et baptismum ab ea expetere. Dicit ei sancta lucia. Si christo meo vis credere et baptismum salutis percipere; ieiuna hodie et crastina. et dominus diriget in conspectu suo viam tuam. Et reclusi sunt ambo in carcerem. Erat autem quidam sacerdos protasius nomine; qui baptizabat occulte in christum credentes. et ecce apparuit ei angelus domini; monens ut iret ad carcerem. et hominem geminianum qui fontem salutis quaereret baptizaret. Qui cum evigilasset; festinus abiit. et sicut admonitus fuerat beatum virum aqua baptismatis lavit.

Post diem vero tertium residens in medio foro dioclitianus; iussit sibi sanctam luciam praesentari. Et dixit ei. Quid per tantum temporis circa salutem tuam cogitasti? Sancta lucia tacuit. et nichil ei respondit. Iratus dioclitianus dixit. Loquere pessima feminarum. et dic utrum an non resipueris. Tunc sanctus geminianus cruce christi armans frontem dixit. Stultissime hominum. Cur de salute eorum qui deum salvatorem habent requiris; cum ipse salutem non habeas? Imperator dixit. Nunquid et tu a caritate deorum separatus es fili mi? Geminianus dixit. Ne dixeris deorum. sed si verum dicere vis; daemoniorum potius dic. Daemonia enim sunt dii vestri. qui perdere quidem possunt; liberare autem non possunt. Haec audiens imperator indignatus est. et iussit utrumque torqueri. et variis paenis affligi. Deinde traditi sunt cuidam impiissimo iudici cui nomen erat pyrropogon. qui iussit sibi sub camera sedem parari. et cervices sanctorum fustibus diutissime tundi. Et cum hoc fieret; mox terremotu facto camera domus iudiciariae cecidit. et iudicem impiissimum oppressit. sancti vero dei manserunt illesi. Post haec autem cum multa per eos dominus miracula operaretur; et multi per eos a diversis infirmitatibus salvati baptizarentur; tenti iterum sunt. et exhibiti iudici apofrasio. Qui cum sollicite ab eis requireret. qualis eorum conversatio esset; tunc universi qui salvati per eos fuerant simul clamaverunt. dicentes non licere paganorum impietatem christianorum scrutari religionem. Tunc iratus apofrasius iussit eos omnes pariter decollari. viros simul et mulieres numero septuaginta et novem. sub die idus septembris. Post quorum necem dum idem iudex quendam fluvium per pontem lapideum transiret; subito equus eius a diabolo arreptus; praecipitavit eum in fluvium. corpusque eius nusquam repertum est. Deinde beata lucia et geminianus a megasio consulari viro artati; et poenis plurimis excruciati; gladio tandem animadversi sunt. sub die sextodecimo kalendarum octobrium. Quorum corpora rapiens quaedam mulier christiana nomine maxima; et praetiosis aromatibus condiens; dignae ut martyres decebat tradidit sepulturae. Ad laudem et gloriam domini nostri ihesu christi; qui cum patre et spiritu sancto vivit et regnat deus per omnia saecula saeculorum. Amen.

Pag. 350 — PASSIO SANCTAE EUPHIMIAE. VIRGINIS.

(Edita supra pag. 114. ex Cod. CXXIII.)

Pag. 379 — PASSIO SANCTAE THECLAE VIRGINIS.

Veniente paulo iconium; fuerunt ei duo comites demas et hermogenes aerarii. qui fallacia pleni erant. et fingebant se amare paulum. Paulus autem attendebat ad solam bonitatem christi. nichil suspicans. Diligebat etiam eos. ita ut omnia verba domini doceret eos. et nativitatem eius. et signa.

et quia de maria virgine esset natus ex semine david. Et erat quidam homo iustus nomine onesiforus. Hic audiens paulum venturum iconium; exivit obviam ei cum laeta uxore sua. et cum filiis suis. in viam quae ducit listris. et rogabant transeuntes ut paulum viderent. Non enim noverant eum; nisi quod titus eis dixerat qualis esset figura pauli. Statura pusillus. attonso capite, brevibus superciliis. naso aquilino. gratia dei plenus. Aliquando autem videbatur ut homo. Aliquando sicut figuram angeli habens. Ut vidit autem paulum onesiforus; demonstrantibus sibi signis cognovit eum. et ait. Salve. Salve minister benedicti. Paulus vero respondit ei. gratia tecum et cum domo tua. Tunc demas et hermogenes simulationes suas ostendentes; dixerunt onesiforo. et nos non sumus ministri benedicti? quid nos non salutasti? Quibus onesiforus respondit. quia non video in vobis fructum iustitiae. Si autem estis et vos aliquid; introite in domum meam. et refrigerate et vos. Et ut introivit paulus domum onesifori; gaudium magnum factum est in domo illa. et genibus ad orationem positis; instabant in fractione panis. et verbo dei. de abstinentia et de resurrectione. dicente paulo. Beati mundo corde quoniam ipsi deum videbunt. Beati qui castitatem suam servaverint; quoniam templum sancti spiritus efficientur. Beati qui abstinuerint se ab omni immunditia; quia cum iis loquitur deus. Beati qui renuntiaverint huic saeculo in omnibus; quoniam ipsi placebunt deo. Beati qui timorem dei habent; quoniam angeli fient. Beati qui tremunt ad verbum domini; quoniam ipsi exaltabuntur. Beati qui sapientiam acceperint ab ihesu christo; quoniam ii filii sanctae ecclesiae vocabuntur. Beati qui baptismum integrum custodiunt; quoniam ii requiescunt apud patrem et filium eius karissimum. Beati qui sensum christi recipiunt; quoniam ii in luce permanebunt. Beati qui propter caritatem dei exierunt de habitu huius saeculi; quoniam ii angelos iudicabunt. et ad dexteram patris benedicentur. Beati misericordes; quoniam iis miserebitur deus. et non videbunt diem iudicii amarum. Beata corpora virginum; quoniam placebunt deo. et non perdent mercedem castitatis suae. Quoniam verbum patris pro eis fiet in salutem in die filii eius. et requiem habebunt in saecula saeculorum.

Et haec paulo dicente in media domo onesifori; Thecla quaedam virgo theocliae filia desponsata tammiro principi assedit super fenestram iunctam domui onesifori; ubi paulus docebat de castitate. Et audiebat verbum eius et voces orationis. tractante paulo nocte ac die. et a fenestra non recedebat thecla; sed fide docebatur. Videns autem multas mulieres et virgines introeuntes ad paulum cupiebat et ipsa a paulo verbum audire. Nec enim sciebat vultum eius; sed tantum vocem eius audiebat. Et cum non recederet thecla a fenestra diebus ac noctibus; misit mater eius ad tammirum sponsum eius. At ille venit cum gaudio. tanquam si illam deberet accipere. Qui cum introisset domum eius dixit. Ubi est mea thecla ut illam videam? Mater eius dixit. novam rem habeo tibi dicere. et novum miraculum tammire. Dies enim tres sunt sed et noctes tres; ex quo non recessit thecla a fenestra neque ad manducandum neque ad bibendum. sed adhaesit ut aranea in fenestra. attonita viro hospiti qui seductoria et exquisita verba docet. ut etiam mirer quia tali verecundia virgines saepe vexantur. Sed audi me tammire. homo iste pessimus sicut iconiensium civitatem evertit; ita etiam et tuam theclam. Omnes enim mulieres intrant ad eum. et discunt unum deum timere. et caste vivere. etiam et filia mea thecla super fenestram colligata verbis ipsius; novo desiderio tenetur. Attendit enim verbis quae ille dicit; et animo deminuitur. sed accede et loquere ad eam. tibi enim est desponsata.

Et accessit tammirus ad eam; et vidit eam intentissime aures appositas habentem verbis pauli. et ait ei. thecla. Michi enim es desponsata. Quid tibi est? vel qualis amor te suasit et recedere vis ab sponso tuo? Convertere ad me dulcissima mea; et noli adquiescere doctrinae pauli. Et mater eius ita dicebat ad eam. filia mea thecla. quid taliter sedes; et deorsum aspicis; et nemini respondes? Et haec ea dicente; flebant omnes. Primus tammirus caepit flere propter amorem sponsae. eo quod amittere eam nolebat. Et post haec theoclia mater theclae simul cum familia. et lugebant in domo vocibus maximis. Et haec cum fierent; non se convertit thecla. sed attonita erat verbis pauli. Tunc tammirus furore plenus; egressus est de domo theclae ut perveniret ad paulum. Et ecce duo illi viri

demas et hermogenes qui ficte amabant paulum; occurrerunt ei. Et videns eos tammirus dixit. peto a vobis. dicite michi quis est ille cum quo estis? qui intus docet et seducit animas iuvenum atque virginum ne nubant; sed ut sic permaneant? Si enim indicaveritis michi quis sit; do vobis magnum premium. Sum enim ego princeps civitatis huius. Demas et hermogenes dixerunt. quis sit hic nos nescimus. qui avertit iuvenes ac virgines ne nubant. Dicit enim quod alia resurrectio erit vestra si caste permanseritis; et carnem vestram non coinquinaveritis. Et tammirus dixit. venite fratres in domum meam et refrigerate. et abierunt cum eo. Atque ita tammirus amans theclam; et timens ne fraudaretur nuptiis eius. Respiciens ad demam et hermogenem inter caenandum sic ait. dicite michi fratres quae est doctrina eius; ut et ego sciam. Non enim minime anxior propter meam theclam quae amat hunc hospitem. et abnegat meas amantissimas nuptias. Tunc demas et hermogenes dixerunt ad tammirum. Domine. offer eum proconsuli. et dices illi quod per vanam istam doctrinam seducit populos christianos fieri. et mox secundum consultum perdet eum inauditum. et tu habebis theclam coniugem tuam. et nos te docebimus resurrectionem quam hic dicit futuram; iam esse factam. qua resurreximus et resurgimus per filios nostros. Haec cum audisset tammirus; repletus est zelo et furore. et exivit ante lucem et introivit in domum onesifori cum turba copiosa. et cum fustibus ac magistratibus. dicens paulo. impostor. corrupisti iconiorum civitatem; et constabilitam michi uxorem evertisti. ut iam nolit michi nubere. Et comprehendens paulum pertrahebat ad proconsulem. et omnis turba sequentium clamabat dicens. duc magum. duc maleficum. corrupit enim mulieres nostras. et magiis suis turbae persuasit. Tunc tammirus ad tribunal proconsulis perrexit voce magna dicens. Domine proconsul. quis iste sit nescimus. vel unde venerit. qui non sinit nubere virgines nostras. sed dicat qua ex causa haec facit. Tunc demas et hermogenes dixerunt tammiro. dic illum christianum esse. et celerius peribit. Et proconsul stabilivit sensum suum. et iussit paulum sibi offerri. Quo viso dixit. Quis es tu? et quid doces? non enim pauci te accusant. Et paulus clara voce respondit. Si ego hodie a te interrogor quid doceam; audi proconsul et dicam tibi. Deus vivus et deus verus cuius salus est in omnibus christianis; misit me ut a corruptela et ab omni immunditia avertam eos. atque aeterna morte. ut iam non peccent. Propter quod misit deus filium suum quem annuntio. et doceo omnem hominem in illo habere spem; qui solus doluit erranti saeculo. ne iam sub iudicio sint; sed fidem habeant. et timorem dei. et notitiam veritatis et caritatis. atque castitatis. Si haec ergo quae a deo michi praecepta sunt doceo. dic proconsul quid mali facio? Et proconsul haec audiens; iussit paulum ligatum interim in carcerem mitti. donec vocaret ut eum diligentius audiret.

Thecla vero ut audivit paulum reclusum in carcere; surrexit noctu. et tulit viriam suam; et dedit ostiario ut eam dimitteret foras exire. Et cum exisset; pervenit ad carcerarium. et dedit ei speculum suum argenteum ut eam dimitteret introire ad paulum. Et cum introisset ad eum; sedit ad pedes eius audiens ab eo magnalia dei. Oblita omnium quae gesserat. Et nequaquam movebatur paulus; sed in dei confidentia disputabat. et illa gaudebat osculando vincula eius. Ut autem lux orta est eis; quaerebatur thecla a suis quasi fugisset. aut aliquid mali sibi intulisset. ita ut tammirus persequeretur per itinera; unumquemque interrogans de ea. Et ecce unus ex servis suis notum fecit ei quid nocte egisset. Et interrogato ostiario; respondit. noctu exivit. dicens se in carcere ituram ad hospitem. Qui secundum eorum dictum pervenerunt ad carcerem. et invenerunt eam sedentem ad pedes pauli. colligatam sancto desiderio. Et exeuntes inde; convocaverunt populum. et abierunt ad proconsulem. et omnem factum indicaverunt ei. Qui iussit paulum ad tribunal perduci. Et cum duceretur paulus; thecla remansit in carcere. volvens se in loco eius. Tunc proconsul iussit ut et thecla perduceretur. Quae cum hoc audisset; statim egressa cum gaudio venit ad tribunal proconsulis. Tunc omnis turba exclamavit dicens. tolle magum. tolle blasphemum. Proconsul autem libenter audiebat verba eius. Et consilio facto; iussit theclam proxime accedere. Cui sic ait. Quare non vis nubere tammiro sponso tuo secundum legem iconiorum? Et thecla stabat paulum attendens. et nemini respondens. Tunc theoclia

mater eius clamabat dicens. combure sacrilegam. combure scelestam in medio theatri. ut omnes virgines qui ab ea didicerunt metum habeant. His clamoribus proconsul territus; iussit paulum flagellis caesum extra civitatem proici. theclam vero iussit vivam comburi. Et confestim proconsul surgens; abiit in theatrum. et omnis turba secuta est eum ad crudele spectaculum. Thecla vero sicut agnus in deserto quaerit pastorem suum; sic quaerebat paulum. Et dum respicit paulum in turba; Vidit dominum sedentem in effigie pauli. et dixit. quasi non possim sufferre; ideo venit paulus expectare me. Et dum intendit in eum; vidit quomodo in caelum ducebatur. et intellexit thecla quid vidisset. Et ecce pueri et puellae attulerunt ligna et sarmenta ut cremaretur thecla. Et cum ducta esset nuda; lacrimatus est proconsul. et miratus est qualis esset in ea patientiae virtus. Et cum essent posita ligna; urgebant eam publice ascendere super ignem. Illa vero extensis manibus; ascendit super ligna. et supposuerunt ignem. et insurrexit ignis in circuitu. in medio autem non tangebat eam. Deus enim visitaverat eam iuxta fidem eius. Et ecce subito sonus desuper factus est magnus. et nubes plena aqua obumbravit theatrum. et tantam fudit grandinem; ut magna turba spectantium moreretur. et ita ignis extinctus est; et thecla liberata est.

Paulus autem erat cum onesiphoro et uxore eius ac filiis in monumento aperto. in via ab iconio euntibus tafunen. Cum autem iam multis diebus essent ieiuni; unus ex pueris onesiphori ait paulo. esurimus et non habet pater noster unde nobis emat panem. Tunc paulus tulit superiorem tunicam suam. et dedit puero suo vendendam ad adendos panes. Et dum abiret puer ad emendos panes; vidit theclam in platea; et obstupuit. illa tamen prius eum vidit. Cui puer dixit. quid est thecla? et quo vadis? At illa dixit. de igne fugi; et paulum quaero. Dicit ei puer. sequere me et ducam te ad paulum. valde enim dolet pro te. et orat ad dominum et ieiunat iam per dies sex. Et cum venissent ad monumentum; invenerunt paulum genibus positis orantem ad dominum et dicentem. Pater domini nostri ihesu christi ne tangat ignis theclam. sed transeat ab ea. quia tua est ancilla. et thecla erat retro paulum stans. et non videbatur ab illo. Tunc thecla exclamavit dicens. Deus pater ihesu christi pueri tui qui fecisti caelum et terram; benedico te. qui salvasti me ut paulum viderem. Et respiciens paulus vidit eam. et dixit. Deus scrutator cordis pater domini mei ihesu christi benedico te quia in velocitate exaudisti me. Et erat intus in monumento gaudium. paulo laetante et onesiphoro et omnibus. Habebant enim quinque panes. et olera. et aquam. Et super haec gratia domini erat cum eis. et epulabantur in sanctis operibus et orationibus. Tunc dixit thecla ad paulum. circumtonde me; et sequar te quocumque ieris. Et paulus dixit ei. tempus persecutionis est. et tu speciosa es valde. ne ergo casus veniat et alia temptatio tibi contingat peior priore; et non sufferas. Et thecla dixit. tu tantum da michi in domino signum; et non tanget me ulla temptatio. Et paulus dixit ei. thecla. patientiam habeto; et accipies signum salutis. Post haec remisit onesiphorum iconium cum suis. Et paulus suscipiens theclam profecti sunt antiochiam. gaudentes per totam viam. Intrantes ergo paulus et thecla antiochiam; invenerunt ibi quendam nomine alexandrum antiochenum principem. multa mala facientem in civitate. Qui ut vidit theclam quod esset nimis speciosa; exarsit in amorem eius. et seducebat paulum pecuniis et muneribus multis. Cui paulus dixit. non novi istam mulierem. nec est mea. et reliquit illam. At ille multum devinctus amore eius; amplexatus est eam in publico. Thecla vero repugnans contra eum; paulum quaerebat. dicens. noli vim facere peregrinae. noli corrumpere dei ancillam. iconiensium sum prima. sed quia nolui nubere. eiecta sum de civitate. Haec dicens thecla; conscidit fibulatorium eius. et coronam detraxit capiti eius. et statuit sibi triumphum. At ille qui eam prius amaverat; confundebatur quod hoc ei contigisset. et correptus furia optulit eam praesidi. Et praeses interrogavit eam; si fecisset ea unde accusaretur. at illa non negavit. sed confessa est se fecisse. Tunc praeses quasi pro sacrilegio damnavit eam ad bestias. ipso alexandro praesens sedente. Ad quam rem tota civitas concurrens obstupuit. dolentes de iniusto iudicio. et turbae mulierum clamabant. O magna crudelitas. et iniustum iudicium. Thecla vero ut vidit se damnatam; petiit a preside ut usque in diem muneris caste custodiret

eam. Et cum quaereret praeses quis eam digne susciperet; ecce quaedam mulier nomine triphena dives valde. cuius filia nuper decesserat; stimulata a christo suscepit eam ad custodiendum. Et caepit triphena solacio habere theclam in loco filiae suae. Et cum pervenisset dies ut ad bestias traderetur in amphitheatrum; imposita thecla super caveam in qua erat leena saevissima valde; intravit in arenam expectantium. et triphena eam sequebatur nichil erubescens. Leena vero per foramen cavae proferens linguam suam; lingebat pedes sanctae theclae. Erat autem titulus superscriptus. Sacrilegam. Mulieres vero clamabant dicentes. O deus. iniqua fiunt in civitate nostra. Et postquam publicatae sunt bestiae; triphena recepit theclam et abiit in domum suam.

Et ecce filia triphenae quae defuncta erat visa est in somnis matri suae dicens. mater. theclam peregrinam in loco meo habebis donec pugnet. et pete ab ea ut oret pro me. et transferat me in locum refrigerii. Et cum recepisset triphena theclam a theatro; lugebat eam quia in crastinum erat pugnatura cum bestiis. et affectum habens in ea dixit. filia mea venit et dixit ut ores pro illa. hoc enim vidi in somnis. Et thecla his auditis; non intermisit. sed statim clamavit ad dominum dicens. Deus caelorum filius excelsi. da illi secundum voluntatem eius. ut filia eius vivat in aeternum. Ut haec audivit triphena; amplius lugebat; dicens eam iniuste damnatam. et quod indigne talis species ad bestias mitteretur. Et ut haec dixit triphena; ecce praeses misit statorem suum ut adduceret theclam. Et triphena non est anxiata neque turbata. sed insuper per se apprehendens manum eius; ducebat eam in amphitheatrum. dicens. filiam meam deduxi ad monumentum; et theclam ad bestias. Et thecla audiens haec; lacrimata est amare. dicens. Domine deus cui ego credo et ad quem confugi; qui me eruisti ab igne; redde mercedem triphenae. quia ancillae tuae condoluit. et mundam me servavit. Et erat fremitus populi et rugitus bestiarum. et clamor quorumdam dicentium. dimitte bestiariam. et turba mulierum dicebat. turbatur tota civitas propter talem iniquitatem. et in nobis omnibus proconsul iniquam dat sententiam. O malum iudicium. O malum spectaculum. Et proconsul non sufferens clamorem populi; celerius eam induci iussit. Tunc acceperunt theclam ministri de manu triphenae; et expoliaverunt eam undam. Et accepto subligatorio; dimissa est in arena praecincta. et statim leones et ursi dimissi sunt. Tunc leena saevissima in qua proconsul triumphabat cursu veloci venit ad eam. et proiecit se ad pedes eius et recubuit. Et hoc videntes omnis mulierum turba dederunt ululatum. Et ecce ursus in impetu magno veniebat ut eam comederet. contra quem surgens leena a pedibus eius invaluit super eum et occidit. Tunc leo asperrimus qui erat alexandri missus est ad eam. Qui cum magno impetu veniebat. et iterum surgens leena complexata est leonem. et mortui sunt pariter. Et magis magisque eiulare caeperunt mulieres; quoniam illa mortua erat quae eam vindicabat. Tunc plures bestias simul miserunt super eam. et thecla extensis manibus orabat ad dominum. et non tetigit eam ulla bestia. Et cum consummasset orationem; convertit se ad dexteram partem theatri. et vidit fossam aquae ubi erant focae marinae quae pugnaturae erant cum ea. Et dixit thecla. nunc tempus est lavandi me. Et vidit omnis populus quod se vellet mittere in aquam; et exclamaverunt dicentes. Noli te mittere in aquam. ne talem speciem tuam focae manducent. Et proconsul lacrimabatur; et omnis populus simul plorabat. Thecla vero neminem eorum audiens; misit se in aquam dicens. In nomine patris et filii et spiritus sancti ingredior in hanc aquam. Cumque proiecisset se in aquam; omnes focae mortuae sunt. et supernatabant in aqua. Et circumdata est thecla nube ignea; ne nuda ab hominibus videretur. neque a bestiis tangeretur. Ut autem viderunt quod nulla bestia eam tetigisset; alias bestias complures miserunt. Tunc quaedam mulieres mittebant folium. Aliae vero cassiam. Aliae amonum. quaedam vero unguentum praetiosum. Aliae balsamum. in tantum ut omnes bestiae odoris beneficio somno gravatae detinerentur; ne tangerent theclam. Tunc alexander qui munus edebat dixit proconsuli. tauros habeo valde asperrimos. vis alligemus eam super eos? Et proconsul tristis sedens nec respiciens ad eum; dixit. fac quod vis. Tunc alligaverunt eam super tauros. et candens ferrum sub inguina taurorum immiserunt; ut amplius exacerbati celerius eam interficerent. Et ut exilierunt tauri ignis combussit funes. et soluta est thecla.

et susceperunt eam super se tauri nichil ei nocentes. Triphena vero ad portam stans ut hoc vidit factum; deficiens cecidit in terram. Tunc omnis familia triphenae magna voce clamavit plorans. quasi triphena expirasset. simul et omnis civitas expavit. Et ut vidit elexander iacentem triphenam quasi exanimem. timuit vehementer. Et misit se ad pedes proconsulis dicens. Rogo domine miserere michi et civitati. et dimitte bestiariam illam. ne et ego simul et civitas pereat. Haec enim si audierit caesar; damnabit nos universos. quoniam triphena cognata eius mortua est in publico.

Tunc iussit proconsul theclam de medio tolli; et ad se adduci. Cumque venisset; dixit ad eam. Quid est quod nulla bestia tetigit te? Indica nobis quae sunt tua carmina. Et thecla respondit. ego quidem sum dei ancilla. ex quo autem voluit deus et in filium eius credidi; nulla bestia tetigit me. Hic enim habet potestatem vitae et mortis. Hic periclitantibus fit refugium. tribulantibus requies. desperantibus protectio. et ut semel et simpliciter dicam; qui non crediderit in eum non vivet. sed morietur in sempiternum. Et ut haec audivit proconsul; iussit ei vestimentum afferri et vestiri. Et ut vestita est thecla; dixit. qui vestivit me nudam inter bestias; hic in die iudicii vestiet me salutem. Tunc proconsul emisit edictum tale. Theclam dei ancillam. Theclam metuentem deum dimitto vobis. Universae autem mulieres deo laudem dederunt. dicentes. Unus est verus deus qui theclam salvavit. et a vocibus earum tota civitas contremuit. Et ut nuntiatum est triphenae quod thecla absoluta esset; et quod nulla bestia eam tetigisset; gaudens veniebat cum magna turba obviam theclae. Quam cum vidisset; rapuit eam in amplexibus dicens. nunc credo quia mortui resurgunt. nunc credo quia filia mea vivit. Et tu thecla filia mea altera veni in domum meam. et omnia mea tibi conscribam. Et introivit thecla in domum triphenae; et requievit diebus octo apud eam. Et tractabat de verbo dei. ita ut multae mulieres et ancillae triphenae simul cum domina sua crederent. Thecla vero desiderabat videre paulum. et misit ut requireret eum. Renuntiatum est ei paulum esse smirnae. et mutavit tunicam suam in habitu virili; et accepit a triphena iuvenes et puellas. et profecta est smirnam. Et introivit in domum ubi paulus docebat verbum dei; et stetit ante illum. Mox autem ut vidit eam paulus; obstupuit. et omnis turba simul expavit. Paulus autem estimabat ne aliqua falsitas subito accidisset. At ubi intellexit thecla paulum turbari; ait. Paule. accepi lavacrum. Qui enim tibi illud concessit in evangelio; et michi concessit in necessitate. Et duxit eam paulus in domum hermetis. et omnia per ordinem narravit ei quae gessit sive passa est. ita ut paulus multum fleret quod eam reliquisset. Aliquot autem diebus steterunt et oraverunt pro triphena. Et dixit thecla. transiens vado iconium. Et dixit paulus; vade. Triphena autem multum aurum et argentum dederat theclae. Ex quibus thecla paulo dimidium dedit; ut pauperibus ministraret. Ipsa autem abiit iconium. et introivit in domum onesiphori. et sedit in loco ubi paulus sederat super terram. et plorans dicebat. Benedic domine ihesu christe summi dei filius domum istam ubi michi lumen ostensum est. Tu michi adiutor fuisti in igne. defensor ad bestias. tu es deus omnipotens. Invenit autem tammirum mortuum. Matrem autem suam vivam. Et dixit thecla matri suae. theoclia mater. si potes credere quia ihesus christus qui in caelis est ipse est deus. salva eris. quia qui credunt in illum non decipiuntur. Si autem pecuniam vis; dabit tibi pro me. Si vero filiam tuam vis; ecce assum. Theoclia autem nichil respondit. sed stabat silenter. Thecla autem confidens in domino dixit. Tu cognoscis omnia domine. Et reliquit matrem suam et abiit seleuciam. Ibique exemplo conversationis et vitae atque etiam doctrinae plurimos erudiens; post multa certamina ac duplicem virginitatis et martyrii coronam requievit in pace. et dormitionem accepit a domino. Cuius obitus dies celebratur nono kalendas octobris. Regnante domino nostro ihesu christo; cui est honor et gloria in saecula saeculorum. Amen.

Pag. 407 — Passio sanctarum virginum Pistis Elpis et Agapis et Sophiae matris earum.

Regnante adriano imperatore cum idolorum cultus ubique eius auctoritate polleret contigit ut quaedam mulier nomine sophia mediolanensis urbis primaria cum esset ab ipsis cunabulis christia-

ta; soluta a dominatione viri venderet omnia quae suae dictioni pertinere dinoscebantur; et haec omnia in pauperes et in redimendos captivos fideliter erogasset. Cumque haec omnia christo iuvante consummasset; et opes mariti quas ad trium filiarum suarum usus pertinere de more sciebat adhuc superessent; convocans sancta mater venerabiles virgines filias suas repleta spiritu sancto dixit ad eas. Mi dulcissima et amabilia pignora. dolores et gemitus viscerum meorum. quaeso vos ut ab istius saeculi amara dulcedine animos declinetis. totamque intentionem animi et corporis vestri aeternae laetitiae contradatis. Nec delectent vos falsa blandimenta perituri mundi. nec divitiarum abundans census illi aeternae promissioni praeponatis. sed semper prae oculis habeatis illam apostoli vocem dicentis; Praeterit enim figura huius mundi. volo vos sine sollicitudine esse. Ille enim vere sine sollicitudine esse poterit; qui militans deo vacat a saeculi negotiis. ut illi placeat cui se probavit. Dicente deo per prophetam. Vacate et videte quia ego sum deus. Et dominus in evangelio adolescenti; dimitte inquit mortuum mortuis ut ab eis sepeliatur. tu autem sequere me. Unde et vos o karissimae filiae mundi huius sollicitudinem horrescentes; paternas opes quae arbitrio vestro relictae sunt voluntarie in sacrificium christo offerte. unde eas nulla tyrannica fortitudo aliquando possit excutere. Ad haec respondens senior filia eius helpis nomine dixit. Ego nominis mei sectans nuncupationem; illius spei quae non videtur praestolor haereditatem. nam spes quae videtur non est spes. Spem ergo perituram in saeculo contemnam; et ad spem illam aeternam quae manet in deo me extendam. nec temporalem requiram substantiam; cui christus promittit aeternam. Subsecuta pistis alia filia eius dixit. Cordis mei intentio haec est; ut vocabuli mei rectum teneam tramitem. et ut de istius saeculi visco erepta integram fidem conservem christo. ut sanctarum virginum choro coniuncta; oleo non deficiente de vasculo. fulgente lampade conscientiae meae thalamo aeterni regis includar. Deinde filiarum eius adolescentior venerabilis agapes dixit. Bona et geminata confessio sororum mearum in odorem suavitatis ad christum ascendit. nec ego etiam vocabuli mei conscia ab earum calle sequendo saeculi huius voluptatibus irretita remanebo. Tunc enim carior ero christo; si pro eius caritate mundi amorem relinquo. Haec audiens venerabilis sophia mater earum; exultans laetabatur in domino. Post haec venerabilis sophia omnem censum divitiarum suarum ac filiarum erogavit in pauperes. et in redimendis captivis. omnemque familiam suam utriusque sexus libertate donavit. Cumque videret fixum et promptum animum puellarum; et ad supernae vocationis bravium festinantem; dixit ad eas. Dilectissimae filiae. vocem domini nostri ihesu christi audiamus quae dicit; Nemo propheta acceptus est in patria sua. Item ipse dominus ad abraam patrem omnium gentium sic loquitur dicens. Exi de terra tua et de cognatione tua. et derelinque domum patris tui. et vade in terram quam tibi dixero. et faciam te in gentem magnam. Ad haec ille non piger auditor; mox omnia quae sibi praecepta sunt animo libenti perfecit. Ita et nos karissimae condecet facere. et ubi audimus martyrum florere victorias alacriter festinare. ut sic quae nobis repromissa sunt comprehendamus. immo nos a christo comprehendamur. Tunc sanctae virgines matris suae monitionem pie suscipientes dixerunt. Fiat voluntas domini in nos. ubicumque perrexeris. et nos pariter tecum pergemus. Quid multum? Protinus relictis omnibus suis; egressae de civitate mediolanensi ad urbem romam angelico comitatu quantocius properabant. Cum igitur iam propinquarent romam; decem infirmi circa viam ipsam degentes idest caeci vel leprosi sentientes transeuntium murmur; ex more elemosinam postulabant. Hos intuens venerabilis sophia cum tribus filiabus suis; pietate cordis compulsa fixis genibus orationem fudit ad dominum dicens. Deus abraam. isaac. et iacob. qui dignatus es mundo aegrotanti talem mittere medicum; qui non falsis medicamentis et herbis vulnera curaret; sed solo imperio suo daemonia pelleret. caecos illuminaret. leprosos mundaret. et omnium infirmitatum morbos excluderet. Te deprecamur nunc ut gemitum cordis nostri exaudias. et ostendas nobis si est tibi accepta conversio nostra. mittens angelum tuum sanctum qui caecos istos illuminet; et leprosos istos emundet. Statim vero gratia dei affuit. et ilico caeci illuminati sunt; et leprosi mundati. Qui mox adhaerentes comitatu sanctarum; simul properare caeperunt ad urbem.

Cumque iam moenia urbis aspicerent; fixis genibus sancta sophia cum tribus pignoribus suis oravit ad dominum dicens. Deus qui credentium es via. cuius gratia illustrat ignaros. Adesto quaesumus nobis. et ingredientibus in hanc urbem ignorantibusque quo pergamus de summitate caelorum mitte nobis angelum tuum sanctum ductorem. qui iter nostrum ubi tibi placuerit dirigat. Cumque orationem complesset; astitit eis angelus domini. dixitque eis. sequimini me. dominus diriget pedes vestros. Et praebens eis ducatum; perduxit ad beati petri apostoli basilicam. Tunc dixit ad eas. Ecce vobis vota reddentibus deo; adveniet quaedam vidua sancta nomine thessaminia. cuius opera placent in conspectu dei. quae est prima istius urbis. cui etiam iam insinuavit et commendavit vos deus. et ipsa vos in domo sua suscipiet. Per hanc innotescetis regibus et potestatibus huius saeculi. per vos etiam ipsa merebitur martyrii palmam. vos quoque ipsae per eam nichilominus ad gloriosam martyrii palmam pervenietis. Et haec dicens angelus domini; ab oculis earum migravit ad caelos. Et ecce subito secundum angelicum dictum advenit sancta thessaminia. et inveniens eas orantes post finem orationis dixit ad eas. Vos estis dominae meae quas michi dominus hac nocte cum apostolis suis commendavit. ecce intra domum meam paravi vobis hospitium. Venite et requiescite. Et complectens eas atque deosculans; duxit ad domum suam. Tunc sancta sophia dixit. Gratias tibi ago domine ihesu christe; qui es verus promissor et idoneus redditor. ecce ostendisti misericordiam tuam ancillis tuis. Venerabilis vero thessaminia tali comitatu sibi coniuncto; non diebus neque noctibus ab ymnis spiritualibus recedebat. et multae virgines earum exemplo et praedicatione ad christi fidem convertebantur. Erat interea in eadem urbe quaedam virgo de regio genere quae praetextati illustris germana dinoscebatur. haec cum ab omnibus paene illustrissimis peteretur in sponsam; nullus ei nec in facultatibus nec in natalibus similis poterat reperiri. et ob hanc causam parentes eius inter virgines deae vestae eam definito consilio copulaverunt. Audiens itaque haec thessaminiae vitam; quod cum esset tam nobilissima et romanarum matronarum prima sic despiceret et pro nichilo haberet mundi divitias et temporales honores; sicque omnia delectabilia pro christi amore contemneret; cepit iam venerabilis virgo velle esse quod non erat. et precibus suis invocare quem nesciebat. dicens. Deus christianorum; quem in hac civitate persequuntur principes sine sensu. qui omnipotens a te colentibus praedicaris. mitte michi auxilium tuum qui me separet de tenebrosa caligine saeculi huius; et associet luci tuae perpetuae. et da michi ducatum quo thessaminiae famulae tuae sociari possim. ut per eam cognoscam te verum et aeternum deum. Et quia deus semper adest quaerentibus se in veritate; ea nocte prima vigilia angelus domini apparuit virgini dicens. Desiderium tuum et deprecatio tua ascendit ad dominum. propterea misit me christus quem discere cupis; ut ducam te ubi desideras. quatinus animae tuae plenissimam consequaris salutem. Praecedensque eam angelicus splendor omnia claustra domus patefecit. Et perducens eam ad domum thessaminiae venerabilis viduae. simili modo omnia claustra aperuit. Et quia beata sophia a divinis laudibus non die non nocte discedebat; repleta spiritu sancto illuminatis oculis cordis videt angelici luminis fulgorem. vocemque audit dicentem. Suscipite hanc quam dominus misit ad vos. eamque diligenter instruite viam salutis. et baptismi gratia confirmate. Prope est enim ut inquisitio et turbatio magna sit in hac urbe pro ista. sed dominus nichil malorum sinet adversus eam praevalere. sed confirmatam sua gratia octava die post baptismum recipiet in regno caelorum. quia praevidit eam impetus tormentorum tolerare non posse. Quo dicto angelus; statim ab oculis migravit ad caelos. Tunc beata sophia una cum filiabus suis et cum venerabili thessaminia cum omni gaudio susceptam virginem; signum christi mox hortantur accipere. Tunc faciente beata thessaminia adveniens beatissimus papa anacletus baptismi eam gratia consecravit. et sicut dictum ab angelo fuerat octavo die cum magna gloria christus suscepit in regno caelorum. Post haec fit inquisitio de puella. et hoc solum respondebant daemonia interrogata; quia prae nimia pulchritudine dii eam in caelo rapuissent. Cui parentes eius statuam auream consecrantes; die noctuque inter caetera numina excolebant. Paucis deinde interiectis diebus; sancta thessaminia laeta senio migravit ad dominum.

Beata vero sophia cum filiabus suis cotidie insistebat dei laudibus. et fides credentium magis ac magis roborabatur in domino. Post haec accessit quidam princeps antiochus nomine ad adrianum imperatorem et dixit ei. Domine imperator. thessaminia christiana quam fidei suae cultricem pietas vestra existere iusserat; multas sibi christianorum cum viveret aggregaverat turbas. inter quas mulier quaedam cum tribus puellis a mediolano adveniens in hanc urbem; omnibus matronis vel filiabus nostris suadent ut colant christum. quem deum dicunt. et ita fraudant nos ab uxoribus nostris; ut nec ad escam iam aut potum velint convenire nobiscum. intendentes illis et in doctrina earum. Audiens haec imperator; statim misit ad eas protectores ut eius eas aspectibus sisterent. Cumque venissent protectores ad domum in qua degebant famulae dei; prae multitudine nescientes quae ipsae essent ponentes custodias domui reversi ad imperatorem dixerunt. Domine imperator. prae multitudine christianorum simul cum eis manentium illas ad quas fuimus destinati non potuimus cognoscere. Tunc imperator praecepit ut solam venerabilem sophiam cum tribus filiabus suis suae audientiae reservarent; caeteram vero multitudinem uno in loco congregatam igni cremarent. Ilico reversi protectores cum nimia apparitione; caeperunt inquirere beatam sophiam et filias eius. sancta itaque sophia videns protectores imperatoris; egreditur ad eos. requirens quid vellent. Qui respondentes dixerunt. sophiam quandam mulierem peregrinam inquirimus; cum tribus filiabus suis. quae doctrina sua subvertit omnem hanc urbem. Nam ipsi imperatores seditionem senatus passi sunt pro ea. Hanc invictissimus adrianus iussit cum tribus filiabus suis suo conspectui praesentari. Tunc sancta sophia confidens in domino dixit. Ecce ego sum quam quaeritis. ecce et tria pignora mea. eamus quo vultis. Quas mox iniecta manu constringentes ducebant ad palatium. caeteram vero multitudinem utriusque sexus secundum impetoris decretum igne cremaverunt. inter quos erat beatus marcellus presbiter; et decoratus diaconus. Passi sunt autem foras civitatem via appia; sub die septimo kalendarum octobrium.

Sanctae autem virgines simul cum matre gaudentes ibant. et cum ingressae fuissent palatium; intuens illas imperator et videns gloriosas valde facies earum; cum paululum tacuisset; tunc dixit ad matrem earum. Cuius dignitatis estis? et ex qua provincia huc advenistis? vel quomodo tanto tempore latere potuistis; ut magica incantatione quam christiani noverunt totam urbem evertisse dicamini? Vel cur vos abnegantes deos adhuc etiam alios abnegare hortamini; qui universum orbem creaverunt? quos nos etiam ipsi domini rerum optamus habere propitios? Nunc ergo dicito nobis. quae vocaris? Sancta sophia respondit. Christiana sum. Imperator dixit. Ego te de ea appellatione quae tibi propria est interrogo. non de fide percontor. Sancta sophia respondit. Si quaeris nomen meum quod michi parentes imposuerunt; sophia dicor. perfectiori autem nomine christiana sum. civis vero sum mediolanensis. Quae cum essem in civitate qua prae omnibus gloriabar; mox ut liberata sum a iugo mariti; implevi praeceptum domini mei ihesu christi dicentis. Vende omnia quae habes et da pauperibus. Et hoc facto ad hanc civitatem veni cum parvulis michi a deo donatis. ut per triumphum martyrii si tamen illi placuerit; hostiam et odorem suavitatis ei me simul cum ipsis offeram. Audiens autem imperator hos sermones; falsa pietate commotus; iussit eas haberi sub custodia. donec secunda interrogatio fieret. Demorantibus autem illis in domo palladii; erat sancta sophia mater sanctarum virginum confortans eas et dicens. Filiae meae. miseremini obsecro michi matri vestrae. et permanete in amore christi. et ne timeatis poenas quae vobis post blandimenta a malo artifice parabuntur. Estote vigilantes atque sollicitae. et de aeterna promissione securae. confitentes deum patrem omnipotentem. et dominum ihesum christum filium eius. et spiritum sanctum. unum et verum deum. qui reddet singulis in suo amore perseverantibus coronas. et tolerantiae victrices palmas. His itaque et huiuscemodi verbis cotidie sanctae virgines firmabantur amare. et crescebant in fide et virtute. ac sapientia replebantur. atque invicem se hortabantur pro nomine christi omnia tolerare supplicia. Orantes autem non diebus neque noctibus a dei laudibus recedebant. et erant cum magna fiducia omnes ad se venientes dei praecepta docentes. Ad quarum sanctam doctrinam credidit palladius vir illustris cum uxore et tribus

filiis suis. et familia utriusque sexus non modica. Mira fides rerum. Cum omnes baptismi gratia fuissent firmati; et omnes unanimiter orationem funderent cum beatissimo papa anacleto; protinus universa simulacra quae erant in domo palladii ceciderunt. et in pulverem redacta sunt. et vox de caelo audita est eis. pax vobis gens sancta. populus adquisitionis. Quid multa? palladius illustris cum multitudine credentium licet occulte in dei laudibus permanebat. eratque eis cor unum; et fides integra. et omnia communia erant eis.

Transactis igitur septem diebus; adrianus imperator sedem sibi parari iussit in senatu. Et cum sedisset iussit adduci sanctas dei virgines. Tunc protectores pergentes ad domum palladii ubi sanctae virgines sub custodia habebantur; perduxerunt eas ad palatium. Quibus ingressis imperator dixit. O infantulae speciosae. et praeclarae in oculis meis. video decorem vestrum et speciem supra quam dicere possum. ideoque tanquam pater super vos viscera pietatis impendo; hortans vos. miseremini vestri; et adquiescite michi. et sacrificate diis qui sunt domini orbis. Si enim michi adquieveritis; appellabo vos in regno meo filias meas. et erit magna gloria vobis; cum vos esse imperatoris filias universus mundus cognoverit. Si autem non consenseritis michi; neque adoraveritis deos; multis et variis subiciam vos tormentis. et sic decorem vestrum infantiamque generosissimam penitus dissipabo. Videte nunc quid eligatis. gloriam an tormenta. vitam an mortem. et respondete michi ante quam vos tormenta conveniant.

Tunc dei ancillae simul aspicientes in caelum: tanquam ex uno ore dixerunt. Erras imperator in his vanis suasionibus tuis. Nam si nosses quantum nobis gloriae culmen sit praeparatum a domino; non ista tu de ore tuo proferres. Promittis enim temporalia temporalis; quia ignoras aeterna. promittis terrena; quia nescis caelestia. et ideo nos haec quae a te dicta sunt ut lutum platearum calcantes; velut pestifera dicta respuimus. et ad regem regum et ad sponsum aeternum christum alacriter festinamus. Pro qua re a falsis promissionibus tuis iam retice. et si qua te putas habere genera tormentorum adhibe. ut cognoscas quantum possit deus christianorum. His auditis imperator; et multa iracundia concitatus; vocavit matrem earum et dixit ei. Dic tu infausta. quo vocabulo vocantur filiae tuae? Sancta sophia respondit. Filiae meae christianae sunt. Imperator dixit. Inveterata dierum. ego te de proprietate nominum. non de religione interrogo. et ideo nomina earum et aetatem michi edicito. Sancta sophia respondit. Prima infantum mearum dicitur pistis. tempus vero annorum eius; duodecim sunt. Sequens vero nominatur helpis. annus vitae eius decimus agitur. Tertia vero agapis vocatur. anni ex quo nata est novem existunt. Tunc imperator evocans pistin dixit ei. Audi puella. ante quam te exterminari praecipiam; accede et sacrifica magnae deae dianae. Puella respondit. diana quam dicis deam; muliercula fuit infamis. deus autem meus rex sempiternus est. Et heu quanta est insipientia et caecitas vestra. relinquere deum qui fecit omnia et colere idola et lapides insensatos. Sed ve tibi imperator infelix; qui haec fieri permittis. Audiens adrianus hos sermones; repletus est ira. et exclamavit tortoribus suis. expoliate eam veste qua est induta. ac tota membra eius dissipate. Cumque iam tortores caedendo defecissent; dei tamen ancilla nichil plagarum sensit in corpore. Tunc elevans se dei famula dicebat ad imperatorem. He insatiabilis lues. et pestiferum caput adriane. Istae sunt totae minae tuae quas nobis hactenus intentabas? Aliquid fortius cogita si vales. ut amplius erubescas. Audiens haec imperator; iubet afferri novaculam et mamillam eius dextram praecepit amputari. Omnes autem qui erant in spectaculo viri ac mulieres videntes tantam crudelitatem; flentes clamabant. Quid enim mali puella fecit ut talibus cruciatibus subiciatur? pessimum iudicium regis. et iniqua praeceptio. Praecisa itaque mamilla virginis sanctae; mox de loco unde praecisa fuerat pro sanguine lactis unda cucurrit. Tunc inclinans se sancta puella et elevans abscissum membrum reponensque in loco suo; sic oravit ad dominum. Domine ihesu christe qui de limo hanc carnem formasti. et iterum de cinere reparare potes. iube hoc membrum corporis mei redintegrari in loco suo; ut cognoscat iniquus adrianus quia tu es deus solus qui facis mirabilia. Et cum finem orationis implesset; ita mamilla eius redintegrata est loco suo; ut quia abscisa fuisset penitus non ap-

pareret. Obstupuit ad haec omnis turba; videntes crudelitatem tiranni dei virtute esse superatam. et magnificabant omnes deum in his magnalibus quae videbant.

Sancta vero pistis dicebat ad imperatorem. Iniquissime omnium hominum. quare in virtutibus dei non credis neque erubescis? Ecce enim rabies tua membrum corporis mei amputavit. sed domini mei ihesu christi virtus redintegravit. Quid palles tyranne? quid fremis? excogita adhuc si quid praevales. et adiunge tormenta tormentis. Haec audiens imperator et nimio furore succensus. iussit afferri craticulam aeream. et supponi ignem copiosum valde. ut ipsa craticula quasi flamma ardens putaretur. et iussit ministris ut iactarent eam super craticulam. Tunc dei ancilla dixit ad imperatorem. Michi quidem iniquissime ignem praeparasti temporalem; quem christi domini mei imperium mox evanescere faciet. sed tibi miserrime aeternum supplicium et incendium praeparasti. Et haec dicens requiescebat super craticulam. Igitur cum transisset spatium horae unius; et illa non cessaret orando; iussit eam imperator de craticula tolli. et sartaginem afferri praecepit. in qua oleum ceram et sulfur mitti iussit. Quo praeparato praecepit ministris ut in medium eam sartaginis mitterent. Cumque hoc factum fuisset; subito apparuerunt quattuor viri albis induti. qui apprehendentes sartaginem bullientem; populum incredulum perfuderunt. et mortua est de iis quos tetigit ignis non modica multitudo. Iterum adrianus iussit afferri plumbum. et regelari. et caput sanctae puellae in angustum locum coartari. et ibidem plumbo colligari. Cumque et hoc fieret; subito exiliens plumbum a beata martyre incendit aliquot de ministris. ipsa vero incolumis permanebat. Cumque vidisset imperator se non posse eam neque blandimentis neque tormentorum generibus superare; iussit eam gladio iugulari. Audiens vero sancta puella sententiam in se prolatam; gavisa est. et extendens manus ad dominum oravit dicens. Benedico te domine ihesu christe; qui es amator castitatis et purae conscientiae. qui me hunc mundum impolluto calle transire et ad te venire fecisti. Et haec dicens gladio consummata est. Tunc adrianus imperator iussit suis aspectibus sisti et aliam. Cumque sisteretur; dixit ad eam. Helpis filia mea. vel tu adquiescere michi tanquam patri. et adora magnam deam iunonem. Sancta helpis respondit. Iunonis quam deam dicis gesta turpissima in corde et labiis geris. Nam iuno et venus ut in libris vestris invenitur; litigabant inter se quae prior alteram praecederet ad turpissimos actus. Sed resipisce iam a vanitate sensus tui. et noli me arte verborum tuorum seducere. te enim solum fallis et decipis. me autem in nullo superare valebis. Ille enim in quo spero et ad quem confugi; in quo spem meam iactavi; potens est et in me ostendere virtutem suam; ut exuperem te et patrem tuum qui dicitur satanas. Tunc imperator iussit vas magnum ereum exhiberi. et repleri bitumine. sulfure. resina. et adipe. et ignem supponi. Sed antequam imperator praeciperet ut puella ibi iactaretur; illa intendens in caelum sic oravit ad dominum dicens. Domine deus qui in fornace ignis cum tribus pueris quartus apparuisti; appare quaeso et nunc in hac hora. et da gloriam nomini tuo. ut confundantur omnes qui adorant idola; et qui gloriantur in simulacris suis. Et haec dicens; videt astare sibi sanctam pistim sororem suam quae eam praecesserat ad dominum. auro texta ciclade indutam. aureamque zonam circa pectus et crucem et coronam in manibus gestantem. et se ne timeat confortantem. Tyrannus autem praecepit ministris. ut dei famulam in vas mitterent. Tunc sancta helpis vexillo crucis semet ipsam firmavit. et iactavit se ipsam in vas. De quo mox ebulliens ignis; immanem turbam incredulorum incendit. ipsa vero immaculata ymnum domino canebat; posita in medio vasis. Videns haec adrianus; dicebat ad principes suos. magna vis carminum. magna virtus maleficiorum quae christiani noverunt. Et haec dicens iussit eam gladio percuti. Audiens haec sancta puella; orans ad dominum dixit. Benedico te pater domini nostri ihesu christi; qui lampadem meam spiritu sancto succensam oleo laetitiae abundare fecisti. in manus tuas commendo spiritum meum. Et haec dicens gladio martyrium consummavit in pace.

Post haec adrianus imperator dixit. Sistite meis aspectibus tertiam. Cum vero adducta fuisset; dixit ad eam adrianus. O si dii omnipotentes vellent magnam suam virtutem ostendere; ut vel te puellam in aetate parvula suis cultibus subiugarent. ne

et tu audaci animo ut ignara iuvencula sororum tuarum praesumptionem secuta mortem incurreres; et florem pubescentis aetatis tuae poenis exterminari non sineres. Tunc sancta agapes signo crucis firmans pectus et frontem; et gaudens in spiritu sancto atque subridens dixit ad imperatorem. Noli te fingere nescire quod nosti. Scis enim quia earum sum soror; quae pro amore christi omnes vanas et temporales promissiones tuas teque cum ipsis pariter contempserunt. Nec videar tibi sensu sicut aetate parvula. Habeo enim intra me magnam et mirabilem christi sapientiam. qui ex ore infantium et lactentium perficit laudem. Audiens haec verba impius adrianus; afferte inquit tortoribus velociter lectum aereum. et cannabinis funibus eam per membra distendite. quoadusque compages membrorum eius ab invicem separentur. Cumque hoc fieret; subito apparuerunt ei sanctae sorores eius una cum beata thessaminia. et innumera multitudine candidatorum. quae tangentes signo crucis vincula illa; statim universa putrefacta sunt velut lutum. Tunc exurgens puella incolumis; psallebat in conspectu populi dicens. Laqueus contritus est et me liberavit dominus christus. adiutorium meum ex ipso qui fecit caelum et terram. Imperator autem iussit multitudinem serpentum comprehendi; et praecepit afferri cupam. in qua recludens omne illud genus serpentium eam deponi. ut ab eis devoraretur. Tunc sancta puella posita in medio ferarum; oravit ad dominum dicens. Deus qui populo tuo israhel qui a serpentibus devorabatur per moysen famulum tuum sic donasti salutem; ut serpente aereo facto in typo redemptoris nostri ihesu christi filii tui; quicumque a venenosa bestia percussus fuisset intendens in eum protinus salvaretur. adesto et michi nunc. et mitiga virtute tua hos feroces serpentes. quatinus me nichil nocere praevaleant. Quae cum finem orationis fecisset; mox soluta est cupa a compagibus suis. et egressi ex ea serpentes percusserunt multos ex populo. Sanctam autem dei martyram in nullo paenitus laeserunt. Deinde adrianus iussit eam virgis ferreis caedi. Illa autem dicebat. Quid miser frustra laboras? Ego penitus istas plagas non sentio. Iterum vero iussit imperator plumbum resolvi. resupinatam eam in os eius mitti. Cumque factum fuisset; exiliens plumbum de ore sanctae martyris multos incendit de circumstantibus. Ipsam vero in nullo laedere potuit. Tunc dixit ad eam imperator. Non intelligis puella quia immortales dii tibi parcunt? Sancta agapes respondit. Nunquam bene sit tibi miser. Haec enim omnia mira et magna dominus in me operatur. Impius vero adrianus cum videret se christi ancillam non posse superare; praecepit eam gladio animadverti. dicens. si in eius poenis aliquid amplius cogitavero; plus eam gloriosiorem facio. et data sententia iussit eam adduci. Sancta vero dei martyra agapes cum duceretur dicebat. Benedico te domine ihesu christe; et clarifico sanctum nomen tuum. qui me sociare dignatus es sororibus meis ancillis tuis in gloria tua. Et cum haec dixisset; gladio animadversa est. Tunc gloriosa mater eius adiunxit corpus eius corporibus sororum illius. exultans et dicens. Gratias tibi domine deus; qui has filias meas immaculato corde et corpore ad te per martyrii palmam accersire dignatus es. ne me quaeso ab eis separari patiaris. Audiens haec adrianus imperator; dixit ad eam. Nequaquam ut putas poenis te infelicissima cruciem; nec interficiam gladio. ne et te sibi christiani martyram faciant. Sed sufficiat tibi dolor interior; quo cernens interempta tua viscera inveterata infelix et miserrima cruciaris. Quae enim te infelicior; quae sub unius diei spatio suasione tua nequissima tria ut ita dicam tua viscera comedisti? Et adiecit. ecce habes licentiam corpora filiarum tuarum sepelire ut velis. Tunc venerabilis sophia tollens corpora filiarum suarum; et iungens carrucam imposuit desuper. et exiens foras ad miliarium octavum decimum civitatis; posuit eas ibi in loco dignissimo et decoro valde. pridie kalendas octobris. Triduo autem transacto; erat sancta sophia cum multitudine virginum et viduarum in eodem loco orans et psallens domino. et ecce subito mediae noctis silentio facta est vox ad eam de caelo dicens. Veni benedictarum mater. et percipe cum filiabus tuis quod nec oculus vidit. nec auris audivit; nec in cor hominis ascendit. Statim autem sancta sophia obdormivit in pace. Qui vero convenerant cum illa ad sancta sepulcra filiarum eius nimis admirantes; tollentes corpus eius sepelierunt in eodem loco. Palladius vero christianissimus qui cum tota domo sua ad earum praedicationem christo crediderat; ingens

mausoleum super earum corpora maximo pretio et decore construxit. ubi etiam sibi et uxori suae ac filiis sepulcra decenter constituit. Ad memoriam autem sanctarum magnas dominus usque in hodiernam diem virtutes ostendit; Ad laudem et gloriam nominis sui. Qui vivit et regnat in saecula saeculorum. Amen.

EX CODICE CXLVIII.

Vitae Patrum

(Vita S. Onuphrii)

Papnutius humilis servus vestrae sanctitatis omnibus dei famulis. atque universis fidelibusque (*alia manu:* quam) per universas terrarum aecclesias in fide christi constitutis salutem. Pax vobis. et gratia salvatoris nostri ihesu christi permaneat. Volo sollicitus essae vestrae magnitudini; de magno quondam patre onuphrio anachoritarum socio. eius vitae meritum auribus intimari. Quadam vero die. dum essem in monasterio meo cum ceteris fratribus in cenobio; conspiratus sum in corde meo dicens; quae est vita mea? vel quae retributio nobis sit apud deum in die illo? quando pro universis nostris vitae meritis; rationem redderemus? Numquid in hoc cenobio fratres pariter congregamur et dum ex fratribus quispiam infirmatur visitatur a ceteris. et consolatio nostra; ab omnibus efficitur. Sancti vero qui in heremo latitant; sine his omnibus permanent. Certe quia ipsi magni sunt; vere quia nobis meliores sunt. sicut dictum est; quoniam hi secuntur agnum quocumque hierit. Cumque talia cogitassem per totum noctis spatium. mane surgens festinus; exii de monasterio; viamque pergens itineris; heremum petii. Invenique quandam speluncam; qui (*alia manu:* cuius) ianua erat clausa. Existimans me ibidem fratrem quempiam habitantem. cepi clamare dicens. famule dei. famule dei. Cumque diu clamassem. et neminem audissem respondere: aperui ianuam spelunce et introivi. Tunc inveni quendam senem quasi in oratione stantem in pedibus suis. accedensque ad eum tetigi veniam pulsans. Quo tacto corpus eius; corruit. et extendit se super terram. Territus autem nimis prae timore psallere coepi. orans ad dominum. Invenique ibidem indumentum ex palmis. quo tacto; dissolutum est sicut pulvis in manu mea. Eadem vero nocte permansi psallens et orans ad dominum. Mane autem facto; tollensque qua eram vestem indutus; mediam dividi; partemque eius defunctum corpus indui. orationeque acta. exii veniam a deo postulans. et clausa ianua. heremi coepi pergere iter. Cumque triduum ambulassem. inveni ibidem aliam speluncam; ianua clausa. et ex foris scopis mundatam; per circuitum valde decoram. Cui aderat iuxta palma plena fructibus valde mirabilis. et fons aque speciosus nimis. Quo viso. deo reddidi gratias. permansique ibidem usque ad vesperum. expectans dei famulum redeuntem. Et ecce ad vesperum; vidi venientem multitudinem (*al. manu:* magnum) bubalis gregem et in medio eorum quendam virum. benigno vultu. nudus a vestibus. capillis toto corpore coopertus. Qui me viso coepit expavescere et signare se. existimans me spiritum esse; orans permanebat. Quinto die stante. multa autem in illo loco demonia eum tentaverant. sicut mihi ipse postea locutus est. Ad quem protinus voce magna locutus sum dicens; quare dubitas dei famule? noli timere. quia homo peccator sum. tenta et vide; quia caro (*alia manu*: carnem) et ossa et cutis (*alia manu*: autem) indutus sum. et dei famulos quaero. ut forsitan per eos sit michi peccatorum remissio. Tunc ille gratias agens; occurrit michi. et ego veniam postulans; adoravi eum. Post salutationis officio (*alia manu*: officium) duxit me in spelunca. et dixit michi; quomodo hic (*alia manu*: huc) advenisti frater papnutiae? cui dixi. quia dei famulos quaero. ut

eorum meritis socier. Tunc interrogavi eum dicens. quo tempore hic (*alia manu:* huc) advenisti dei famulae? et quod tibi nomen est? si inveni gratiam apud te indica mihi. Ille vero ait mihi; ego frater antea in thebaida (*al. man.* thebaide) monasterio; cum plurimis fratribus coenobii habitabam. operabam cum fratribus tharsicaria. Quodam vero tempore; menti meae accidit. ut me solum manente; protinus a deo plus mercedem (*alia manu*: mercedis) acciperem. surgens autem exii de monasterio; veniensque in quendam (*al. manu*: quodam) solitario loco. edificavi cellulam mihi in qua solus manebam; cupiens a deo amplius mercedem accipere. Operabam manibus meis sicut prius tharsicaria. et multi ad me ex populis confluebant; pro meo operis studio. Multa autem michi ferebantur pro eo. quae (*al. man.* sed) nihil ex illis amplius accipiebam. nisi quantum pauperibus et orphanis erogabam. Tunc ex invidia diaboli qui (*alia manu:* ex quo) omnium malorum seminarium oritur; accidit ut quedam mulier monachili habitu veniens ad me; compulit mecum unanimiter habitare. quibus (*alia manu:* cui) consentiens; excepi eas (*al. manu*: eam) in cellulam. quo peior; maligni consilio parturivimus dolorem; et genuimus iniquitatem. et sic permansimus in peccato anno uno; et mensibus quattuor. Post haec vero memor mei sceleris et dei iudiciis (*alia manu:* iudicii) et iuste retributionis. dixi; heu me. miser homo. quid respondebo domino; quomodo ante iusto iudici. (*alia manu:* iustum iudicem) astabo? Surge miser. evade a peccato. melius est haec omnia derelinquere et fugere a peccato; et exiens veni in loco isto. et habii (*alia manu:* habitavi) in solitudinem. Invenique speluncam hanc et palmam istam cum fonte; quae sunt causa salutis animae meae. Palma haec per unumquemque annum generat duodecim ramos. hi sunt pleni fructibus. ut sic per unumquemque mensem; ramus solumodo fructibus michi sufficit. sic per alium mensem; secundus et tertius; usque totum anni spatii ita michi efficitur. sed et vestimenta mea; tempore finierunt. et capilli capitis mei; tota mei corporis membra cooperierunt. Ipse autem misericors et patiens dominus. suave mihi temporis curricula tribuit. qui dum triginta et eo amplius anni sunt ex quo in isto veni loco ex quo figuram panis non vidisset nec gustasset.

Interrogavique eum iterum dicens. nunc conturbaris (*emend. al. man.* nunquid conturbabaris) in mente et animo? Et ille respondit. fortiter homo dei turbatus fui ab initio. et plenus mestitia. dolebam nimium interiora corporis. et cor meum conturbabatur. et pre doloribus et multis meis angustiis; prosternatus in terra. sic orationis meae complebam officium. Tunc obsecrabam dominum; ut discederet a me dolor ille. et angustia quae inerat corpori meo. Dico autem tibi frater. quia hodie (*add. alia manu*: per) triginta annos; et eo amplius maneo in loco isto. ubi multas expugnationes demonum. multisque doloribus (*emend. al. manu:* multosque dolores) et tribulationes sustinui. et ita permansi orans et deprecans dominum; pro remissione peccatorum meorum. Factum est autem quodam tempore et eram nimium dolens interiora corporis mei. ut pre doloribus nimiis. prostratus in terra. finem mortis expectabam. Subito enim astitit mihi quidam vir splendidissimus et nimium decorus tenensque manum meam. erexit me a terra dicens. quid habes frater? cui respondi. domine. ypar meum dolet (*add. alia manu:* qui) dixit michi. ostende mihi latus ubi dolor est. indicavique ei. Tunc ille vir gloriosus; posuit digito suo (*emend.* digitum suum) aperuitque latus meum; eiiciensque ypar meum a foris; et ostendit illud mihi. et erat nimium putredine plenum. dixitque mihi. noli timere. ob hoc iam sanus eris ab infirmitate hac. Ideo quasi medicus novaculam tenens in manu. extersit ypar meum. et tulit ab eo omnem putredinem et reposuit corpori meo. signansque ligavit amomum; et dixit mihi. ecce sanus factus es. iam deprecare dominum et noli peccare. Tunc ille vir ab oculis meis evanuit. et ex illo enim die usque modo. eripuit me dominus ex illis doloribus et temptationibus illis. maneo enim gratias agens omnipotenti deo. habeo autem palmam hanc et fontem (*add. al. manu:* istum) quae sunt vitae meae causa. Tunc ostendit mihi amomum quod ille gloriosus vir in lateris eius plagam alligaverat. Quod audiens ego papnutius. gratias agens deo. dixi ei. rogo te famule dei excelse. ut si inveni gratiam coram te. volo tecum permanere. et ille dixit mihi. numquid potes sustinere minas demonum et temptationes eorum. dixi autem illi. obsecro domine mi. ut dicas mihi. quod tibi nomen est? At ille dixit. timo-

theus vocor. memento mei frater et ora pro me ad dominum. ut mihi orationem perficeret; atque benedictionem. Et ille dixit. dominus noster ihesus christus benedicat te frater karissimae et cooperiat. et eruat te a temptationibus inimicorum et tribuat tibi vias rectas ut cum gaudio possis occurrere sanctorum suorum mansiones. sicut coepisti. ambula in pace. et memor esto mei in tuis orationibus. Tunc benedictione accepta; coepi itineris mei viam ambulare. gaudens et magnificans dominum. qui me dignatus est beatum timotheum suum (*add.* facere) videre famulum. Veniens autem in quodam loco solitudinis. permansi in eo duorum dierum spatium. considerabam vero meis sceleribus dicens; quae est vita mea? Quam mercedem acceperim cum nil opera gesserim (*emend. al. manu*: accipiam cum nil boni operis gesserim)? heu. heu. cum nichil certamen (*emend. al. man.* certaminis) consumavi. Quam mercedem expecto? omnis preliator qui pugnam non vicerit. nichil premium accipit. non coronatur a domino qui operibus extra escitur (*emend. al. manu* operibus bonis extraneus noscitur). Post biduum vero. promptior factus. coepi contra haeremum ambulare. nimium vero desiderabam ut forsitan dei famulos invenirem; qui in heremo habitabant; ut eorum benedictionibus comitari (*alia manu add.* valerem). Ducebam autem mecum modicos panes. et paululum aquae. quae usque dies quattuor sufficeret mihi. quo deficiente condolui animo. subitoque virtutem accipiens a deo; ambulavi per viam haeremi usque aliorum dierum quattuor spatium. postea vero fatigatus ex itinere. (*add.* et) de famis inopiae (*emend.* inopia) spiritus meus defecit in me. prostratusque in terram mortis finem expectabam. Tunc aspexi et ecce vir terribilis astitit mihi. extensamque manum posuit in labris meis. et subito virtutem accepi. ita ut nec fatigarer; ut nec famis inopie memorassem. Surgens autem velocius; ambulare coepi contra interiorem heremum. Cumque ambulassem per dies quattuor; et noctes quattuor; et nimium aesitans. extendi manus meas orans ad dominum; et iterum aspiciens; vidi illum virum priorem venientem ad me. et subito virtutem habeo (*emend. al. man.* ab eo) accepi. decem vero et alios septem dies simul ambulante me in interiorem heremum; vidi a longe quendam virum qui erat aspectu terribilis. capillis capitis eius maiores (*al. manu*: capilli capitis eius valde magni erant et) albi tamquam nix et huic corpus coopertum sicut (*al. man. add.* vestis) bestiae pessimae. erat autem nudus a veste; et folia (*al. man.* arborum) circumdatus circa veretri (*emend. al. man.* verenda) corporis et videns eum venientem valde contremuit (*emend.* contremui). Cumque appropinquasset michi timore perterritus; ascendi super saxum montis quae (*al. man.* quod) erat iuxta me; timens eum ne forte veniens devoraret me. Ille vero veniens subter saxum ubi ego desuper astabam; prostravit se in umbraculum montis. nimium autem erat fatigatus de aetate saenili; et solis incendii (*al. man.* incendio). Elevans autem vocem rursus aspiciens dixit. descende ad me homo sanctissime. noli timere; quia et ego homo sum sicut et tu. similis enim sum tibi passibilis. habitans in heremum propter deum et pro salute animae meae. Audiens autem haec. festinus descendi. et prostratus ante pedes eius; veniam postulabat (*al. man.* postulabam). At ille dixit mihi. surge fili surge. quia amicus dei es; et sanctorum eius. Cum autem surrexissem; precepit mihi sedere ante se. Tunc ego festinus rogavi eum; ut protinus michi nomen suum indicaret. Qui dixit michi. onufrius mihi nomen est. sexaginta etenim anni sunt quo in hoc (*al. man.* hanc) heremum habitabi (*al. man.* habitavi) nutritus a dei misericordia. et nullius hominis aspexi effigies nisi solum te hodie. et hic (*al. manu* huc) a deo missus es; ut corporis mei (*emend.* corpori meo) funeris officium tribuas. Temporibus autem prioribus. eram habitans in quoddam monasterium; quae (*al. man.* quod) eriti vocabatur. qui eri moliti legis (sic) thebaide provinciae. ubi numerus centum erat fratrum. inter quos erat una fides. et una ungregatio et amor caritatis nimis. et pax christi magna inter illos. silentii (*emend.* silentio) quoque et humilitate alterutrum consentientes. Ego autem in parva etate eram inter illos. meditans sanctis scripturis (*al. man.* sanctae scripture) studia. et rectam fidem sicut christianis meruit (*al. man.* convenit). Audivi eos loquentes de beato helia mirabile dictu. sicut a deo confortatus erat. propter humilitatem et castitatem quae in deserto optinuit. Insuper et de beato iohanne baptista; qualiter in deserto heremi extiterit; usque dum

ostensus est in israel. Interrogabam autem fratres dicens; quid enim ipsi qui in heremo habitant fortiores nostri sunt apud deum? qui dixerunt michi. ita fortiores et primos esse nobis illos (*addit. alia man.* certum est). etenim nos unanimiter habitantes; invicem nos videmus. et congregationis causa nos pariter congregamur. et si quis ex nobis infirmatus fuerit; a ceteris confortatur. Si autem esurimus vel sitimus; in proximo nobis adest cibus et potus. et omnis hutilitas quae necessaria est. in proximo nobis advenit. habitantibus autem in heremo; his omnibus (*al. man.* hec omnia) extra permanent. Si autem cuilibet illorum temptatio contigerit ab inimici (*al. man.* ex insidiis antiqui) hostis. seu tribulatio. vel angustia. ubi non invenitur homo. qui ei subveniat aut qui consoletur illos (*al. man.* illum). Tempore autem famis vel sitis. ubi panis non invenitur. ut ex ipso reficiant. His omnibus extra sunt illi. nichil aliud. nisi sola spes in deo. et humilitas. castitas vero et ymnodia. et magnum certamen. nichil aliud illi est cogitatio; nisi ut per ieiuniis et obsecrationibus exuperent sagittas inimici. et quae cotidie insidiantur omnibus qui haec cupiunt adimplere. Hi autem omnes qui omnia haec vincere temptant. magna apud deum retributionem accipiunt. quando autem de corpore exeunt; angeli dei veniunt amministrantes ei. Et illos vero qui haec sua desideria corporis et carnem mortificaverunt. magna praevenit gratia. magna retributio. inestimabilis gloria. in qua angeli dei attingere desiderant. Nutriuntur vero de petra; sicut dixerat aesayas propheta. omnes enim qui sustinent dominum. mutant virtutem. pennis induuntur ut aquile. cum ambulant. non esuriunt. cum fatigati fuerint. numquam sitiunt. efficiuntur enim illis silvarum herbae. super mel et favum. Cum autem illis pugna diaboli surrexerit vel temptatio. extendunt manus suas ad coelum. et dominus pius qui eos pascet cotidiae. ex alto eis auxilium praestat. et venientes angeli ministrant eis. et omnia tela nequissimi diaboli. effugiunt. Numquid audisti fili scripturam dicentem. quia non derelinquet dominus pauperem in aeternum. patientia pauperum non peribit in finem? Beatus enim erit omnis qui facit voluntatem dei super terram. quia angeli amministrant ei. et exultare eum faciunt. et confortant eum in omni tempore. Haec et his similia apud sanctos patres cum didicissem ego humillimus onufrius. multo magis mente et corde recipiens; et plusquam mellis dulcedine eorum verba recipiens. magnam illorum existimavi rectitudinem. et quasi in alio mundo beatos illos habitari sanctos dei studio. Exurgens vero nocte; attuli paucos sufficientem michi usque dies quattuor. exiens autem de monasterio; coepi viam pergere quae ducebatur in heremo. et ecce aspiciens; vidi ante cedere michi columba ignis terribile visu. quem videns nimium expavi. cogitavique prae timore retrorsum unde exii redire. et habitare in cenobio. Sed dominus omnipotens qui vult omnes salvos fieri. non permisit me hoc peragi opus. Conversus autem ille gloriosus qui antecedebat michi. et vocato nomine meo dixit. onufri. noli timere. quia ego sum angelus qui tibi datus sum custos ab infantia tua. ut custodiam te usque in diem exitus tui. dico autem tibi. quia inconomia hec in qua didignatus est dominus tecum ambulare efficitur tibi in domino. Tunc confortatus in domino serva; super eum et veni in heremo isto; per milia sexaginta sex. Inveni autem quandam speluncam parvam in qua ingressus inveni ibi quendam dei servum; nimis senem. cuius ante pedes prostratus orationem fieri postulavi. Acta vero oratione. postea dixit mihi. Accede fili. da mihi osculum. Cumque osculatus essem eum. dixit ad me. tu es frater onufrius cooperator meus in domino. veni fili. dominus protector sit tui. et custodiat te in omnibus operibus tuis. Tunc ingressus habitavi eum eo per dies septem. docente me de omnibus que in heremo sancti patres operantur. Post septem vero dies ait ad me senex. Surge fili onufrii. sequere me. et ducam te in praedestinatum locum. ubi te dominus habitare precepit. Qui exurgens secutus sum eum. et ambulantes per dies quattuor et noctes similiter invenimus speluncam parvulam. cui aderat cellula et palma et fons aque fluentis. Conversus autem senex. dixit mihi. fili. hic est locus. qui tibi paratus est a deo. hic te habitare oportet omnibus diebus vite tue. Ingressusque ille senex permansit mecum in cellula usque dies triginta docente me sanctorum patrum opera. Interrogavique eum de genere et nomine. et dixit mihi. de genere scitharum. nomine ermeas voca memento mei in domino. Et post dies triginta surgens reversus est in locum

suum. Ex illo autem die per unumquemque annum occurrebat mihi usque dum migravit ad dominum. quem accipiens sepelivi iuxta cellulam meam. Cumque hec mihi narrasset beatus onufrius. interrogavi eum dicens. pater sancte. ab initio dum hic venisti. accidit tibi tentatio an non. et ille respondit mihi. frater mi dilectissime multa tentatio multusque dolor qui desperatus a vita declinabar usque ad mortem.

Nam sicut dicit apostolus. diligentibus deum omnia cooperantur in bonum. et ideo neque mors. neque vita non fames non sitis non nuditas neque tribulatio aliqua potest separare servos dei a caritate christi. Existimantes quod non sunt condigne passiones huius temporis ad futuram gloriam que revelabitur in nobis. Et licet famem ac sitim passus sim non modicam per triginta annos. nec panem viderim sed solum herbas silvestres comederim. tamen piissimus dominus misertus mei per alios triginta annos per angelorum ministerium michi famulo suo panem mittere dignatus est. Sanctissimo quoque corpore et sanguine in die dominico. non solum me sed et omnes qui sollicitudinem suam in deum proicientes. sperantes quoniam ipsi cura est de illis angelorum ministerio fovere dignatur dominus. ut apostolus ait. Nonne omnes amministratorii sunt spiritus propter eos qui hereditatem capiunt salutis. Quod audiens ego papnutius. vehementer mirari cepi. cupiens cum tanto viro morari. Quod cum notificarem illi. dixit mihi. Non es missus ut maneas hic. sed ut tradas corpus meum sepulturae. et enarres mirabilia dei que vidisti per heremum. cunctis volentibus.

Hoc autem impetravi a domino ut quisquis mei memoriam fecerit omnia eius deleantur peccata et vitam consequatur aeternam. His dictis. subito vultus eius pallidus vehementer effectus est. et cepit orare. Cumque diu orasset; expansis manibus ad dominum sancta illa anima a carne soluta est; et ita quievit in domino. pridie idus iunii. Cernens autem hoc ego papnutius; stabam hesitans quidnam agerem. quia nec fossorium habebam cum quo terram foderem. ubi illum sepelire possem. diutius nempe ita permanens; aspexi. et ecce duo leones nil ferocitatis ostendentes. venerunt usque ad hominem dei. quasi ad obediendum parati. Cogitans namque illos a deo missos designavi locum ubi vir dei sepeliri debuisset. et imperans illis in nomine domini ut foderent velociter ungulis terram fodientes. et fecerunt foveam uti illam designaveram. Accepto itaque lebitone quo indutus eram involvi corpus viri dei. et facto obsequio sicut mos est circa defunctos sepelivimus eum. Leones autem humiliato capite recesserunt. Expletis omnibus palma aruit. fons exiccatus est; et cellula eius cecidit. Quod cum vidissem ego papnutius; descendi de heremo. annuntians omnibus mirabilia dei. qui est super omnia benedictus in secula seculorum amen.

Pag. 102 — (Ex Vitis Patrum).

Erat quidam stagnus in pontus regione situs. piscibus copiosus. ex quorum captu predivites reditus dominis prestabatur. Ista vero possessio duobus fratribus sorte hereditatis obvenerat. Sed pecuniae cupiditas quae pene omnium corda mortalium superat. fraternam necessitudinem violavit. quia tempore captionis non tam ad capiendos pisces. quam ad homines decipiendos cedes ac bella movebantur. et pro piscibus humanus sanguis fundebatur. Sed dei providentia affuit aliquando auxilium adbentus beati gregorii. vidit prelia et mortes virorum ferentesque germanos. quid cause existeret inquisivit et nulla nisi capture piscium invenit. Tum vero cum pro honore beati gregorii omnes siluissent. dixit gregorius. nolite o fili rationales animas pro mutis animantibus violare fraternam pacem. et quaestu cupiditatis dissolvere dei leges. Sed una mecum ad hora stagni exitialis accediat et venit ad stagnum cum eis dicens ad illos. Ego iam per virtutem domini nostri ihesu Christi omni certamine cruento dissolvam. Et tunc in conspectu omnium virga quam tenebat in manu ad primas litoris oras defigit. Et ipse positus genibus palmas tetendit ad coelum atque his verbis supplicavit domino deo. Tu domine deus patrum nostrorum. qui cum primus homo tibi peccasset adam. et mandatum tuum preterisset. penam culpe illius moderatus ad terre maledictionis sententiam detorsisti dicens. maledicta terra in opere tuo. Nunc ergo miseratus horum iuvenum qui periclitantur effundentes fraternum sanguinem. praecipe ut maledictae sint aquae istae in operibus istorum. pro quibus

furore succensi. obliti sunt fraterne nativitatis. Et numquam in hoc loco pisces appareant. Sed sit campus aratri patens ac frugum ferax et custos fraternae nativitatis et caritatis in unum perseveret. Et dum fudisset orationem subductus est lacus et redit in abissum cursu velocissimo. et (a)rentem campum germanis iam cordibus reliquit. Et usque in hodiernum diem frugum ferax dicitur. quod ante fuerat navium ferax.

Alio quoque tempore in quodam loco angusti rupis cum exposceret ecclesiam construi. rupis erat ex parte orientis obiecta et ex alia fluvius quantum ecclesiae sufficeret denegabat. Et cum ibi aliud non esset locus ubi ecclesia edificaretur; ibi beatus gregorius pernoctasse in oratione dicitur. Mane vero facto. advenientibus populis. inventa est rupis secessisse in parte tantum; quantum spatium querebatur ad condendam aecclesiam. sed intermissis caeteris. unum adhuc de eius gestis adiciam. Quondam per alpes iter faciens hiemis tempore. Et cum pervenisset ad summum alpium iugum. nivibus repleta erant. nullum umquam diversorium. fanum ibi tantum appollinis erat. cui succedens transacta nocte discessit. Sacerdos quidam erat fani eius. cui consulere simulacrum apollinis mos erat. et reddere responsa poscentibus. ex quo etiam alimonie questus esse videbatur. Igitur post digressum beati gregorii offerre consulta. et responsa posceret sacerdos. accessit ex more nichil inde responsi veniebat. Repetit victimas silentium permanet. Iterum atque litat surdis ingerit fabulas. Cumque stupore novi silentii. estuaret sacerdos. noctu ei assistens demonium dicet in somnis. qui me illic interrogas quo iam venire non possum. Percontanti causam. adventus se gregori dicebat expulsum. Quid nunc remedii daretur. perquireret ait. Non sibi liceret locum illum ingredi. nisi gregorius permisisset. Quibus auditis sacerdos; occupatur iam multa apud se volvens atque animo recusante pertractans; pervenit ad gregorium. adorsusque eum. rem pandit ex hordine. humanitatis admonuit querelam depulsis numinis ponit ademptam facultatis suae quaestus deplorans ac restaurare sibi omnia in pristinum statum deposcit. At ille nichil moratus scribit aepistolam in haec verba. gregorius; apollini permitto tibi redire ad locum tuum. et agere que consuisti. Hanc aepistolam sacerdos ad fanum defert. Positaque ea iuxta simulacrum affuit demon; ac dedit responsa poscenti. Tum ille in semetipsum reversus ait. si gregorius iussit et deus ista discessit nec potuit redire nisi iussus. et rursus iubente gregorio restitutus; quomodo non multo melior isto gregorius cuius hic optemperavit iussis. Clausis igitur ianuis fani. descendit ad gregorium aepistolam secum quam acceperat ferens. omnemque rei geste per ordinem pandens. simulque se ad pedes eius prosternens. Rogat ut illi se deo offerat cuius virtute diis gentium gregorius imperabat. Cumque enixius et pertinacius persisteret. cathecuminus ab eo factus est. Et cum se castissime vite derelictis omnibus non solum erroribus demonum. sed et seculi actibus mancipasset. etiam baptismum consecutus est. in tantum vite merito gregorio in episcopatu successor extiterit.

Pag. 183 — Dixit senex. quia in heremo etsi laborant sancti. sed acceperunt aliquam partem quietis. hoc autem dicebat. pro eo quod erant liberi a secularibus curis. Dixit iterum. quia si scit monachus. esse aliquem aput quem proficere possit. necessaria corporis cum labore habet. hac propterea non vadit ad eum. huiusmodi monachus non credit esse deum.

Frater quidam interrogavit infantem monachum dicens. bonum est loqui an tacere? Dicit illi puer ille. si sunt verba otiosa dimitte ea. si autem bona. fac locum bonum et loquere. Verum tamen vel si bona sunt verba. non diu protraas. sed cito incide quod loqueris. et quiescis.

Pag. 190 — Dixit senex quia oportet hominem custodire opus suum ne pereat. Nam si aliquis operetur multa et non conservet et non purificet. Alter vero si parum operetur et conservet. huius opus stabit.

Dixit senex. dormiente te. aut vel surgente. vel aliud quid faciente si fuerit deus ante oculos tuos in nullo te inimicus potest deterrere; et si talis cogitatio manserit in hominem aetiam dei virtus manet in eo.

Pag. 191 — Frater quidam in cellis infundebat palmulas suas. et cum sedisset faceret flectas; dicit ei cogitatio sua ut iret ad quendam senem visitare eum. et iterum cogitans in semetipsum dicebat post paucos dies vadam. et rursus dicebat ei

cogitatus suus. si inter haec moritur quid facies. sed vade modo ut loquaris ei propter estivum tempus. et iterum dixit intra se; sed non est modo tempus. Iterum autem cogitavit dicens. sed cum incidisset scirpum ad mattam fit tempus. et rursum dixit in semetipsum. sed hodie bonum aerem facit. et surgens reliquid palmas infusas et tollens melotem suam ibat. Erat autem senex vicinus eius vir previdens. qui cum vidisset eum impetum ambulantem clamavit dicens. captive; captive ubi curris? Veni huc ad me. qui cum venisset dicit ei senex. revertere in cellam tuam. Ille autem frater narravit ei fluctus. quos pertulerat in cogitationibus suis. et iterum reversus est ad cellam suam. Cum autem ingressus fuisset in ea prostravit se et penitentiam egit. Hoc facto voce magna subito demones clamaverunt dicentes vicisti nos monache vicisti; et facta est matta eius supra quam iacebat velut ab igne ustulata. Daemones autem velut fumus exterminati sunt. sicque frater ille didicit versutias eorum.

Pag. 194 — Monachus quidam thebeus accepit gratiam ministerii dei. ut singulis diligentius ministraret quod necessarium esset. Contigit autem aliquando in quodam vico ut faceret agapem. et ecce mulier quedam venit ad eum ut acciperet et haec erat vestita vetustissimas res. Quam cum vidisset ita vetustis rebus indutam. implevit manum ut daret ei multum. clausa est autem manus eius et levavit parum. Alia autem venit ad eum vestita bene; et videns vestes eius misit manum ut daret ei parum. et aperta est manus eius et levavit multum. et requisivit ab utrisque mulieribus illis. et cognovit quia illa qui bonis vestibus utebatur de honestis mulieribus ad paupertatem perveniret. et quia pro opinione natalium suorum bonis fuerat rebus induta. Illa vero alia accipiendi causa vestierat se res vetustas.

Pag. 204 — Beatus itaque macarius qui alexandriae presbiter fuit. dum quadam die in cellulam suam matutinus sederet. culicem sensit a quo in pede ita vulneratus ut dolorem ei inferret quem occidit. qui et moriens plurimum cruoris. effudit reprehendes igitur factum suum. in eo quod iniuriam propriam vindicasset. ita condempnare se voluit; ut in pratis eorum locorum quibus scithiae nomen est que in solitudinibus extremis iacent nudus per sex menses sederet. ubi culices scabronibus similes. aprorum quoque perforant cutem. sic ergo illic exulceratus est totus. quibusdam tuberibus per omnia ipsius membra turgentibus; Ut unus crederetur ex illis esse; qui elephantiosi vocantur. Post sex autem menses regressus ad caellulam suam. sola quod ipse est macarius ipsius voce patefactum est.

Pag. 238 — Erat quidam monachus solitarius habitans in egipto. qui rogavit deum dicens. domine ostende michi iudicia tua. Et multum cum deprecaretur deum. una die astitit angelus domini in similitudine cuiusdam senis dicens. veni ingrediamur istam heremum. et requiramus sanctos patres. ut audiamus ab eis verbum. et benedicamur ab ipsis. Et ingressi heremum. post multos labores invenerunt speluncam. et pulsantes. egressus est ad eos senex quidam vir sanctus. et videns eos cum gaudio suscepit. et post laborem lavit pedes eorum. et posita mensa refecit eos. et sternens eis quod habebat pausaverunt. Mane autem facto cum gaudio dimisit eos. et exeuntes tulit illi angelus domini absconse catinum in quo comederant. et abierunt. Videns autem ille frater quod fecerat. dixit intra se. quid visum est huic seni. ut homini sancto isti qui nos cum tali caritate suscepit. ut raperet ei catinum istum? Et dum iter facerent. misit post eos abbas ille filium suum dicens. reddite michi pinacium quod tulistis vobiscum. Respondit ei angelus dicens. ante nos est frater cui eum dedi. veni et recipe eum. Et dum ambularet cum ipsis. impulit eum angelus per precipitium. et confracto toti mortuus est. Videns autem frater ille quod fecerat. contristatus timuit dicens. ve michi quod factum est. tali homini bono. non sufficiebat quia catinum eius rapuimus adhuc et filium eius interfecimus. Et ambulantibus eis in heremo. post tres dies invenerunt cellam ubi erat quidam senex cum duobus discipulis suis dicens. Qui estis quid queritis? responderunt ei. de labore sumus et volumus benedici a te. et audire verbum. Mandavit eis ille senex dicens. dicite vos non michi vacat. dicunt ei. rogamus te suscipe nos hac nocte in cella tua; ut repausemus modice quia de grande labore sumus. Et iterum mandavit eis dicens; recedite hinc. ut quid ambulatis sicut vagi per heremum. non resedetis in cellulis vestris. At ipsi ceperunt supplica-

re dicentes. vespera est. et ne a feris interficiamur suscipe nos hac nocte tantum. Vix aliquando precepit abbas ille discipulo suo dicens. duc eos intus in stabulo. Et vespere facto rogaverunt eum dicentes; vel lumen nobis modicum prestetur ut videamus ubi iacere debeamus. et non eis concessit. Post modicum vero postulabant dicentes. propter deum vel modica aqua nobis detur(.) unus ex discipulis eius misericordia ductus absconse abbate suo dixit eis. rogo vos de annona mea modicum panis do vobis et aquam. et manserunt sic tota nocte in terra. Mane autem facto dicit ille angelus ad unum de discipulis eius. rogo domnum abbatem ut det nobis orationem habemus quod offerre ei. Audiens hoc abbas. quia aliquid accepturus esset ab eis; mox descendit. et optulit angelus ei catinum illum. quod tulerat ab illo viro sancto. et accepto clausit se. et precepit eis ut ambularent. Videns autem hoc ille frater qui cum eo comitabatur. nesciens quia angelus esset. indignatus est. et dixit ei. recedam a te. non ultra iam tecum alicubi progrediar. Ecce quanta fecisti. ut homini illi tam bono et sancto qui nos cum tanta caritate et gratia suscepit; catinum eius rapuisti. et filium interfecisti. Et isti homini pessimo qui deum non timet. nec ante conspectum suum ponit. nec alicui miseretur ipsi dedisti eum. Respondens angelus dixit ei. nonne tu rogasti deum ut tibi ostenderet iudicia sua? et missus sum monstrare tibi? Catinum illum quod a viro sustuli. non erat de bono. et non decebat ut ille vir sanctus et bonus in cella sua aliquid de malo haberet. sed quod erat de malo venit ad malum ut addatur ei in ruina. Filium autem eius ideo interfeci. quia si eum non interfecissem. hac nocte ipse interfecerat patrem suum. Audiens autem hoc ille frater. cecidit in faciem suam ante pedes eius. cognoscens quia angelus domini esset. qui statim recessit ab eo. At ille cognovit quia iusta sunt iudicia dei.

Pag. 252 — Dicebat qui supra. scriptum est in evangelio. qui abet tunicam vendat eam et emat sibi gladium. hoc intelligitur. qui habet requiem. dimittat eam et teneat pugnam. pugnam vero dicebat adversus diabolum.

Frater quidam erat minister cuiusdam patris. contigit autem ut vulnus fieret in corpore senix. et sanies multa ex eo cum fetore simul proflueret. Dicebat autem in cogitatu suo frater ille qui ei deserviebat. discede hinc quia non poteris sustinere fetorem putredinis istius. Ille vero frater ut reprimeret cogitationem suam. tulit vas aque et lavit vulnus senis illius. et recollegit ipsam aquam in vas. et quotiens sitiebat. ex illa bibebant. Coepit autem iterum cogitatio sua sollicitare eum dicens si non vis fugere. vel non bibas fetorem hunc. Frater autem ille laborabat; et toleranter ferebat. bibens lavaturam vulneris illius. Et cum ita ministraret seni. vidit deus laborem caritatis eius. et illam lavaturam vulneris in aquam mundissimam vertit. et senem invisibili medicamento sanavit.

Pag. 257 — Erat quidam monachus in vicina heremo commanens. cui habitaculum spelunca fuit. Vir summae abstinentiae. cottidianum victum. labore manuum querens. in orationibus die noctuque persistens. cunctisque virtutibus animi florens. Sed hic legis successibus elatus. confidere quasi in profectibus caepit. et non deo totum sed sibi metipsi quod profecerat deputaret. Hanc autem eius intuens animi presumptionem. continuo temptator accedit. et laqueos parat. Quadam namque die ad vesperum fingit speciem decore mulieris oberrantis per heremum. que velut fessa post nimium laborem accedens ad hostium spelunce monachi lassabundam se simulans ac fatigatam. intrinsecus semetipsam proiecit. atque provoluta genibus viri. ut sui misereatur exorat. Nox enim inquit me infelicem in heremo comprehendit. iuvene *(iube me)* requiescere in angulo cellule tuae. ne forte efficiar nocturnis bestiis preda. At ille pro miserationibus optentu recepit eam intra speluncam. requirens quae ei causa errandi per heremum fuit. Illa vero causam fingit satis aptam. et interim venena blandimentorum atque illecebris virus per omnem textum narrationis interserit. et nunc miserandam nunc aetiam defensione digna ostendens elegantiae suavitate sermonis. inclinat animum hominis. et in affectu sui inlecebroso amore deflectit. Hinc iam blandiora colloquia. iocus risusque miscentur manus etiam procax ad mentum barbamque quasi venerandam speciem protendit. Tum vero palpare cervicem mollibus manibus collumque levigare. quid multa. ad ultimum captivum ducit militem christi. Continuo enim perturbari intra semetipsum. et libidinis fluctibus estuare coepit. nequa-

quam laborum preteritorum nequaquam professionis a propositi sui memor pacisscitur. cum cordis sui concupiscentia. et intra archana cogitationum suarum fedus cum falsa voluptate componit. Inclinat stultus latera sua. et efficitur sicut equus et mulus quibus non est intellectus. Atque ubi obscenos iam conabatur inire complexus. illa ululatu teterrimum dire vocis emittens umbra ut erat tenuis manus amplectentis elabitur. impsumque dedecorosis motibus inanes curas sectantem. fedissima cum irrisione deseruit. Tunc preterea multitudo demonum in aere. ad hoc ipsum spectaculum congregata. clamore cum cacinno exprobrationis elato. O inquiunt monache. qui te extollebas. usque ad coelum. quomodo demersus es usque ad infernum. Disce ergo; quia qui se exaltat; humiliabitur. Tunc ille velut amens effectus. et deceptionis sue pudore non ferens. gravius a semetipso decipitur. quam fuerat a daemonibus deceptus. Cum debuerat reparare semetipsum. et reparare certamen. Ac satisfactionis suae lacrimis et humilitatis fructibus prioris elationis culpam delere. hoc non facit sed desperans semetipsum sicut apostolus dixit. tradidit omni impudicitiae et iniquitati. Regressus est enim ad vitam secularem. preda demonum factus. refugit namque conspectus omnium sanctorum. ne quis posset eum salutaribus monitis de precipitio revocare. Si enim reddere semetipsum priori vite et abstinentiae voluisset. recuperaret sine dubio et locum et gratiam suam.

Pag. 259 — Fuit quidam vir. vita turpissima per omne facinus ducens. ita ut opinatissimus in flagitiis haberetur. Hic aliquando dei miseratione compunctus ad poenitentiam vertitur. et intra sepulcrum se quodam concludens. priorum scelerum pollutiones. lacrimarum fontibus diluebat. diebus ac noctibus in faciem prostratus et ne allevare quidem oculos ad caelum. neque vocem emittere. et nomen dei nominare. sed in solis gemitibus et flectibus perdurabat. et tanquam vivens sepultus. de inferno iam quodam modo mugitum cordis gemitumque reddebat. Cum in his positus et septimana una transisset. noctu veniunt ad eum daemones in sepulcro clamantes et dicentes. quid est quod agis o impurissime et flagitiosissime. postea quam omni spurcitia omnique impuritate saturatus es. nunc nobis castus et religiosus procedes. Et postea quam senuisti in sceleribus. nec iam sufficiunt vires ad facinora; nunc christianus videri vis. et pudicus et penitens. quasi vero alius tibi iam nullus possit dari locus satiatus in malis. nisi illum qui tibi nobis condebetur. Unus ex nobis es. alius esse iam non potes. redi magis. redi ad nos. et quod superest tibi tempus in fruenda voluntate non perdas. Preparamus affluentes delicias. preparamus scorta nobilissima. et cuncta talia quae florem tibi possunt repa(ra)re gratissimae iuventutis. Quid temetipsum vanis et inanibus conficis cruciatibus. quid temetipsum ante tempus suppliciis tradis. Quid enim aliud es passurus in inferno. nisi hoc quod tibi nunc ipse conficis. si te pena delectat. expecta paululum. et videbis paratam. Nunc interim fruere muneribus nostris. quae dulcia semper amasti. et grata duxisti. Haec et huiusmodi plura exprobrantibus ei. ille iacebat immobilis. ne auditum quidem suum convertens ad eos. nec ullo penitus sermone respondens. Cumque illi saepius eadem repeterent. et alia diriora. et nec ille omnino moveretur. in furore prolapsi daemones. ubi viderunt verba contempni verberibus eum conficere aggressi sunt multisque suppliciis et cruciatibus. seminecem reliquerunt. Nec tamen in tot suppliciis movere saltim potuit. in quo orationis causa iacuerat. Postera die; quidam suorum requirentes eum humanitatis dumtaxat gratia. inveniunt penis incredibilibus confectum. Et causam percontantes cum didicissent rogabant ut cure gratiam reportari se ad domum propriam pateretur. Abnegat; et in eodem loco permanet. Tum vero et sequenti nocte repente daemones gravioribus eum verberibus cruciant; sed nec sic quidem moveri voluit loco. Melius esse dicens. mortem subire. quam ultra daemonibus obedire. Tertia nichilominus nocte. multitudo conveniunt daemones. et absque ulla miseratione irruentes in eum. omnibus paenis cruciatibusque conficiunt. Cumque iam corpuş defecisset in suppliciis extremus tamen spiritus obsistebat imperio daemonum. Quod ubi impii perviderunt. exclamantes voce magna. vicisti inquiunt. vicisti. et velud virtute quadam caelitus fugati. praecipites abscedunt. nec ultra ei quicquam suis artibus aut sceleribus intentabant.

Pag. 260 — Fuit quidam monachus qui in heremo prae ceteris interior habitabat. Hic cum plu-

tres annos in abstinentia perdurasset. et pro vetus tempore prope iam ad senilem aetatem venisset omni virtute flore adornati. ac totius continentiae magnitudine sublimatus. cum in orationibus et ymnis sedule deo deserviret. et tanquam merito militi suo dominus remunerationem parat. ut pote qui in corpore adhuc positus ad instar angelorum in corpore vitae officiis fungeretur dignum iudicans annonam; celestem regem pervigilibus prestolabatur excubiis. Volens ergo deus etiam in hoc saeculo remunerari eius fidelem propositum. ad providentie suae sollicitudinem cotidiani victus eius revocat curam. Ut enim cibi usu poposcisset nature infirmitas. ingrediens speluncam suam; inveniebat mensam et panem superpositum mire suavitatis mireque candoris. Ex quo refectus et gratias divinae prestantiae referens. rursus ad imnos et orationes convertebatur. atque multe aetiam revelationes. multeque de futuris rebus a deo premonitiones fiebant. In his ergo talibus ac tantis profectibus positus. quia gloriari quasi de meritis suis cepit. et caelestis beneficiis munus. vite suae debitum duxit. Continuo subintrat in eum parva quedam desidia animi tam parva quam nec possit adverti. Post haec crevit maior neglegentia. ita. ut tardior iam fieret ad imnos. sed ad orationem pigrius surgeret. psalmi quoque ipsi. non ea qua prius vigilantia canerent. sed ubi parum quid exibitum fuisset. et soliti ministerii anima eius quasi nimio labore fatigata. requiescere festinabat. quia sensus eius reprobus effectus. de sublimioribus ad inferiora corruerat. et cogitationis sue per diversa eum precipitia rapiebant. Erat enim iam in corde eius clandestina quaedam turpis ac nefanda cogitatio. consuetudo tamen prior velud si decursus aque etiam si cessante remigio. adhuc priorem impetum navigium fuerat (ferat); ita vetus institutio; ad consueta hominem officia trahebat. ob quam causam et stare adhuc in suo statu videbatur. Hic ergo post orationes cibum solitum requisisset ad vesperam. ingressum locum eum in quo refici consueverat; invenit panem mense superpositum. ex quo refectus nichil de eorum que in corde suo versabatur emendatione curavit. neque immutationis sue dampna persensit. sed spernentem se in ima casurum paulatim. non intellexit. Interea cum gravi libidinis stimularetur incendio et inflamm(at)us turpi concupiscentia raperetur. rursus ad saeculum illam interim die coibuit se. et solita ymnorum et orationum ministerii ex more persolvit. atque ingressus ut cibum sumeret. panem quidem invenit in mensa superpositum; sed aliquantulum sordidiorem. admiratus est et tristis effectus. intellexit enim. quod ipsum respiceret hoc genus monstri. tamen cibo sumpto refectus est. Et post diem tertium triplicatis urgueri stimulis coepit. occupaverat enim cogitationes eius quasi iam presentis et secum positae. secumque accumbentis imago mulieris. quam et complecti sibi videbatur. et ad turpes usus habere substratam. processit tamen et sequenti die. ad solita oratione et psallendi officia. sed stabat vagus. oculis et mente captivus. Cumque solito ingressus ad vesperam requireret cibum. panem quidem invenit super mensam. sed sordidissimum atque durissimum. et quasi a muribus vel canibus undique corrosum. Tunc ille ut vidit ingemuit. et lacrimas fudit. non tamen ex corde. nec ita uberes que possint flammam tanti ignis extinguere. verum tamen sumit cibum. sed neque qualem solebat. Cum interim cogitationes eum tanquam cohors barbarica undique circumvallantem. et omni ex parte in eum tela iacularent. ac vinctum. captivum ad saeculum retraunt. Exurgens ergo cepit iter agere nocte per heremum et tendere ad civitatem. Sed ubi dies facta est. Civitas quidem longe adhuc aberat. ipse vero cum rapidissimo estu coqueretur et fatigaretur in heremo. undique versum considerare oculis cepit. et requirere sic ubi esset in vicino monasterium. Et cum conspexisset fratrum quorundam cellulam; tendebat illuc ut apud eos requiesceret. quem ubi adesse senserunt servi dei. continuo concurrunt in obbia. et velut angelum dei excipientes adorant. pedes labant. ad orationem invitant. mensam ponunt. atque omnia saecundum divinum mandatum complent caritatis officia. Verum ubi refectus est et paulum requievit. ex more quasi ab erudientissimo et opinantissimo patre. ceperunt verbum edificationis expetere ac monita salutis inquirere. Interrogare quoque eum quomodo quis diaboli laqueos possit effugere. aut si quando turpes iniecerit cogitationes. quomodo depelli possit et abici. Tunc ille ut compulsus est monita fratribus dare. et salutis eos viam docere; ac de insidiis daemonum

quas servis dei intendunt facere sermonem. illos quidem plene et sufficienter docuit. eosque stimulo compunctionis incendit. Et in semedipsum reversus ait; quomodo ego alios moneo et ipse decipior. aut quomodo alios corrigo qui meipsum non emendo. Age ergo o miser facito ipse prior quae facere alios doces. Cumque huiusmodi increpationibus uteretur adversus semetipsum. et intellessisset se miserabiliter supplantatum. valedicens. fratribus. continuo se cursu rapidissimo in heremum dedit. et ad speluncam de qua discesserat rediit. Prosternens se domino in oratione dicens. nisi adiuvisset me. paulominus habitaverat in inferno animam meam. Et iterum; paulominus fui in omni malo; et paulominus consumaverunt me in terra. In hoc vero completum est quod ait scriptura. frater fratrem adiuvans. civitas munitas et fortis. Post haec mansit in omni vita sua in luctu et lacrimis. Videns se divinitus sibi concessum caelestis mensae beneficium perdidisse. Coepit enim in labore et sudore vultus sui manducare panem suum. conclusit se autem intra spelunca atque in cilicio et cinere iacens. tamdiu lugens flensque permansit in orationibus. donec assistens angelus domini diceretque ad eum. suscepit deus poenitentiam tuam et repropitiatus est tibi. sed cave ne ultra elatus decipiaris. Venient autem ad te fratres quos tu ipse docuisti. deferentes tibi benedictionem quas suscipere ne recuses. et sumens cum eis cibum agens gratias deo tuo. quod ita factum est.

Pag. 262 — Sanctus macharius itaque audiens quia magnam conversationem et regulam disciplinae tabenensiotae monachi haberent. mutato habitu accipiensque indumenta rustici. per dies quindecim ascendit in thebaida per solitudinem. et ingressus monasterium tabenensitarum querebat abbatem; ut eius se presentaret aspectibus virum sanctum pachomium nomine. probatissimum famulum christi. gratiam prophetiae habentem. cui occultus est nutu dei adventus macarii. Representatus ergo dixit ei. deprecor te domine pater suscipe me in monasterio tuo ut efficiar monachus. Dicit ei pachomius; iam senectute provectus. abstinentia non valens adimplere. fratres enim continentes nimis sunt et non feres eorum laborem. et scandalum passus egredieris detractando eis. et non suscepit eum nec prima nec saecunda die usque ad dies septem. Cum ergo perseveraret aetiam ieiunus permanens. post haec dicit ei; suscipe me abba. et si non ieiunavero sicut et alii fratres. et operatus fuero sicut illi. iuve me iactare foras. Haec audiens abbas iussit fratribus ut susciperent eum. Erat autem congregatio per singula monasteria quadringenti viri multorum enim monasteriorum beatus pachomius pater erat. et multa milia monachorum congregatio erat. etiam et usque nunc sunt gratia dei protegente. Ingressus est ergo monasterium; transacto autem pauco tempore. supervenit quadragesima. et cum vidisset singulos quosque addentes ieiunios abstinentiam. quidam enim eorum post dies duos reficiebant. Alii autem post quinque dies capiebant cibum. Alii per noctem vigiliis et orationibus insistebant. per diem autem opera manuum exercebant. Sanctus vero macharius stabat in angulo uno. tam diebus quam noctibus non discessit ab angulo. usquequo quadraginta dies complerentur. advenit et pascha. neque panem gustavit. neque aliud quodcumque pulmentum. nisi folia pauca de caule. et hec semel in septimana die dominico sumebat. nec discedebant de angulo ubi elegerat stare. nisi tantum corporalis necessitatis causa. Et statim festinanter revertebatur et claudebat super se hostium. et nichil penitus loquebatur. sed in silentio tantum labia eius movebantur. et non cessabat continua et sine cessatione in corde suo eloquia domini divineque scripturae meditatione nimirum laborare. et opera manuum incessanter exercens multo amplius quam alii fratres. Haec autem videntes pene omnes scandalizati sunt murmurantes; qui dixerunt proposito manasterii. unde nobis adduxisti tanquam sine carne degentem ad condempnationem nostram; proice eum. cognosce enim quia valde scandalizantur fratres in eo. Haec autem audiens propositus monasterii admiransque tam districtam conversationem eius; oravit ad dominum dicens. manifesta michi peccatori servo tuo quid agere debeam. Et revelatum est ei quod ipse esset macarius. Eduxit autem eum foris in oratorium ubi altare positus erat. et amplectens eum et osculatus eum dicit ei. vere vir beatus tu es macarius et latuisti nos. Olim enim ex multo tempore desiderabamus sanctitatem tuam videre. et gratias agimus domino ihesu christo quia in spiritualibus

bonis et maxime in virtute abstinentiae erudisti nos. et infantes. nostros non alta sapere in conversatione sua. revertere ergo ad locum tuum. et ora pro nobis indesinenter.

Pag. 264 — Quodam namque tempore oblatus est ei quidam presbiter. toto corpore ulceribus plenus. capilli autem capitis eius ceciderant. cui etiam ipsa ossa putruisse videbantur qui ideo adduxerunt eum ut sanitatem reciperet. Sed sanctus macarius non suscipiebat eum. prostraverunt se in terra ad pedes eius. et deprecabantur ut susciperet eum. Respondensque beatus vir dixit ei. indignus est ut sanitatem recipiat. sed sponte promittat ut non audeat accedere ad sacrosanctum altare domini et offerre sacrificium domino. quia fornicando offerret. propter hoc castigatur. sed resipiscat et condignam agat penitentiam ut a domino misericordiam mereatur accipere. Audiens itaque haec ille infirmus. conturbatus contremuit et iuravit; quia usque in exitu vitae suae non usurparet ad altare domini accedere. Post haec precepit ut ingrederetur. et suscepit eum; dixitque ei. credis quia est deus quem nichil latet. Respondit. aetiam domine. et dixit ei. nunquid potuisti illudere aut latere domino. Respondit. non. Si ergo inquit cognoscis tanti mali criminis peccatum. et dei castigationem intelligis. pro qua causa tanta milia plaga in corpore tui ideo percussus es. cessa malis tuis. et corrige te de cetero. et confitere semper cum lacrimis penitentiae cum intimo cordis dolore. in conspectu domini peccatum tuum. ut in diem iudicii possis aliquam misericordiam ac pietatem domini invenire. Dedit ergo ei sacramentum se numquam peccare. neque consecrare sed cum laicis invenire sortem. Itaque post haec imposuit ei manum. et oravit pro eo ad dominum. et in paucis diebus sanus factus est. et capilli capitis eius creverunt. et habiit sanus. Eodem tempore oblatus est ei iuvenis qui vexebatur ab immundo spiritu. et imposuit manum super caput eius. et aliam super pectus eius. et tandiu super eum oravit. quousque in aera suspendit eum ille immundus spiritus. Inflatus est autem et totus intumuit sicut uter et subito exclamans. et ex omnibus membris eius aquam fundens. attenuatus puer et redditus mensurae suae. tradidit ergo eum patri eius sanum. et ungens eum oleo sancto. precepitque ut per quadraginta dies neque carnem ederet. neque vinum sumeret et ita sanus redditus est.

Pag. 265 — Referebat idem sanctus macarius admonens ut caveat unusquisque multiformes insidias daemonum. quia quidam tempore nimis ei moleste fuerunt cogitatione vanegloriae; scilicet ut qualitercumque eicerent eum de cellula eius et de secreta heremi conversatione. suggerentes ei ut edficationis gratia. etiam ad remedium et sanitates infirmorum ad romam pergeret pro salute animarum multarum. Erat enim in eo gratia domini contra immundos spiritus. Et cum diutius insisterent ei huiusmodi cogitationes. ut nec oranti ei cessarent. iactavit se pronus in terra extendit pedes suos foras limen ostii cellulae suae clamans et dicens. trahite daemones trahite. ego enim pedibus meis non vadam. potestis me ita adducere adducite. Ego enim testor deum. quod hic iaceam usque ad vesperam. postmodum surrexit ad consuetum opus.

Referebat autem nobis de quodam fratre marco nimis abstinentissimo sanctus enim macarius presbiter erat. dicebat ergo. quia notavi michi tempore quando traditur sacrosancta communio. ego nunquam dedi communionem marco monacho. sed angelus domini dabat de altare. solum autem articulum manus videbam dantem. Marcus autem iste iuvenis erat. novus et vetus testamentum sanctae scripturae memoriter retinebat. mansuetus supra modum. castus super omnes. Cum autem iam in ultima esset senectute sanctus macarius perrexit ad eum et invenit ostium celle eius clausum. stans ad ostium auscultabat quid diceret. vel cum quo loqueretur. Audierat enim eum loquentem. putavit enim quod aliquis cum ipso esset cum quo loqueretur. Ipse vero cum centesimum ageret annum. siquidem iam et dentes amiserat. igitur cum esset solus sibi ipsi litigabat. et quasi corpori suo dicebat. quid vis o tu qui male senuisti? ecce iam. et oleum accepisti et vinum. de cetero quid iam vis decrepite senum? et ita semetipsum increpans etiam ut et diabolus confunderetur.

Dicebat nobis vir summae sanctitatis pafnutius discipulus eius. quoniam quadam die hyenem accipiens catulum suum secum. optulit sancto macario et capite pulsans atrii eius. ostium aperuit et ingressa. sedenti sancto macario proiecit catulum ad

pedes eius. ipse autem accipiens eum expuit in oculos eius et vidit. et iactavit eum leene levavitque et abiit. Altera vero die pellem ovinam grandem attulit hienam sanctus autem macarius videns pellem dicebat hienne. non detulisti(?) hoc nisi quia commedisti cuiusdam ovem. forsitan et pauperibus. quid ergo iustitia est. ego non accipiam a te. Illa autem inclinans caput suum in pavimento deprecabatur eum et ad pedes sancti ponebat. Ipse vero dicebat ei. dixi tibi quia non accipiam illam. nisi michi amodo promiseris. ut numquam contristes pauperes eorum quadrupedia devorando. Illa vero tamquam consentiens nutu capiti sui quasi promittebat. Tunc suscepit pellem ab hiena. et quid mirabile fratres. si dominus creator omnium qui leones daniheli prophete mausuetos fecit. ipse aetiam et hienam fecit sensatam. Dicebat de eo. quia ex quo baptizatus est. non est locutus ociosu(m) sermone(m). Sexagesimum habebat annum ex quo baptizatus erat. statura brevior super labium tantummodo habebat pilos. et in summitate mentus. Ex nimia enim abstinentia neque pili barbae eius nati sunt. Huic aliquando quidam confessus est dicens. quid faciam abba. quia cogitationes me perturbant et tribulant dicentes michi. quia nichil agis; egredere de hac solitudine. Ipse autem dixit ei. dic eis; quia propter christum sedeo. et parietes istos custodio. Haec pauca ex multa gesta eius et mirifica dicta sunt de eo.

Pag. 266 — Quidam moyses nomine aethiops genere fuit servus cuiusdam qui propter multam perversitatem et furta et latrocinia proiecit eum dominus suus. Dicebant enim quia dux latronum erat. sicut ex ipsis operibus eius ostenditur. Denique cuidam pastori malitia retinens. voluit subito nocte irruere. et interficere eum. Perquisivit autem locum ubi caulas haberet ovium. Indicatum est autem ei quia trans flumen esset tenente in lato miliario ille mordicus tenens gladium in ore. et tunicam imposuit super caput suum transnatavit fluvium. Dum ille nataret. ita potuit pastor ille se occultare et latere. Nam ille utpote latro quattuor arietes occidit. et ligans eos reste trahens per flumen. iterum renatavit et egressus de fluvio excoriavit eos. et comedens optima quoque carnium. reliqua in vinum distraxit. et decem et octo ytalicos bibit. statimque quinquaginta milia in itinere sub die fecit et venit ad locum ubi erant socii eius. Iste ergo talis sanctus in tantis malis conversatus; quodam tempore a quodam viro sancto religioso audiens verbum dei. futura examinatione inter iustos et peccatores. inter criminosos et sanctos. et amara gehennae. tartaraque ignea. et eternas penas. et cruciatus et tenebras exteriores quae preparatae sunt iniquis et peccatoribus. Item audiens eternam gloriam. et aeternos honores et requiem in regno caelorum inter sanctos angelos que preparavit deus iustis et sanctis. Compunctus corde caepit amarissime flere. et eiulatu ingressus monasterium. dedit se in penitentiam petens et peccatorum suorum veniam. deinde pietatem et misericordiam a domino postulando. ita permansit in monasterio. Quodam tempore in cellula sua ingressi sunt latrones enim quattuor. quos ligatum sicut zavernam de paleis et imposuit in dorsum. et detulit eos ad ecclesiam fratrum dicens. quia michi non expedit nocere aliquem. quod disponitis de istis hoc fiat. Tunc illi latrones cognoverunt quod ipse esset moyses qui fuerat sceleratissimus inter latrones et conpuncti sunt corde glorificantes deum. qui non repellit peccatores. et suscipit penitentes ut subleventur ad aeternam salutem. Et haec dicentes. dederunt se ad penitentiam. abrenuntiantes omnibus malis actibus et concupiscentiis et carnalibus desideriis. Huic moysi immiserunt daemones et saecundum consuetudinem eius antiquam luxuriam fornicationis. ingerentes ei. qui tam valde temptatus est. sicut ipse referebat ut paulominus de proposito excederet. Itaque ex hoc validius abstinebat et in vigiliis amplius addebat sibi. et opera manuum propensius exercebat. tabefaciens corpus suum. Denique proposuit sibi non se dormire iacere in mattulam. sed per totam noctem stando in cella orantem et psalmodiam explebat. nam parietibus se inclinans parum quid somni capiebat. Iterum posuit sibi aliam observantiam. egrediebatur. et ibat per cellam seniorum. et tollebat ydrias eorum in quibus sibi illi auriebant aquam. equidem duo milia; alii autem quinque milia. Quadam nocte non sufferens demon tantam fervente fidei eius conversationem. inclinato eo a puteo dum auriret aquam. percussit eum in renes cum vecte. et reliquid eum. Denique pro nimio dolore obmutuit. et remansit velud mortuus. Alio autem die veniens

haurire aquam. invenit eum iacente. et nuntiavit beato ysidoro presbytero de scithi. et misit et levaverunt eum et attulerunt ad ecclesiam. et prope annum ita infirmatus est. ut vix reciperet vires suas. Dixit autem ei ysidorus presbyter. quiesce moyses. et noli indiscrete presumere. sed magis cum discretione. tam abstinentiam quam vigilias. et opera manuum exerce. Respondens autem moyses ait. non quiescam beatissime pater. usquequo quiescant adiuvante gratia domini immundissimae cogitationes et somnia que inmittunt inmundissimi demones sicut scriptum est. persequar inimicos meos et comprehendam illos. et non quiescam donec deficiant. Videns autem beatissimus ysidorus fixa in domino fidei constantiam eius. surrexit. et expandens manus suas ad orationem dixit ei. in nomine domini nostri ihesu christi donante gratia eius ex hodierno die iam quieverunt somnia que inquietare te et molestare solebant. Igitur glorificans et gratias agens salvatori domino. reversus est ad cellam suam. Post aliquod autem tempus interrogavit eum ysidorus presbyter de molestia cogitationum carnalium. et ille respondens dixit. protegente domino et orationibus tuis nichil tale patior. Huic ergo donavit deus gratiam ad effugandos ex hobsexis corporibus daemones. Haec conversatio moysi ethiopis qui aetiam ipse erat inter magnos annumeratus patres. Defunctus est autem annorum septuaginta quinque in scithi. reliquid vero discipulos monachos septuaginta.

Pag. 268 — Chronius presbyter aecclesie nitrie retulit michi dicens. quia dum venisset in monasterium; nimia acedia patiebar unde fugiens cepi vagus ambulare per heremum. et perveni usque ad montem. ubi sanctus antonius degebat. idest inter medium babiloniae et heracliae in bastissimam solitudinem quae ducit ad rubrum mare. Veniens ergo in monasterium secus flumen quod dicitur pisper. ubi eius sedebant discipuli. Amathas et macarius. qui et sepelierunt eum. expectavi igitur dies quinque ut viderem sanctum antonium. Dicebant enim venturum ad monasterium illum aliquando quidem post decem; aliquando autem post viginti dies. quemadmodum ei dominus revelasset pro utilitate advenientium in monasterio. Quam plurimi ergo eramus fratres diversas habentes necessitates in quibus et eulogius quidam alexandrinus et alius leprosus qui simul aderat pro tali causa. Hic eulogius scolasticus erat eruditus vir. qui amore divino compunctus abrenuntiavit turbis urbium. omnemque substantiam suam distraxit. et erogavit pauperibus sicut scriptum est. dispersit dedit pauperibus. iustitia eius manet in saeculum saeculi. Et in evangelio dicente domino beati misericordes quoniam ipsi misericordiam consequentur. Itaque paucos denarios huius proprios reservavit. cogitans. apud semetipsum. quia operari propriis manibus non valeo. nec in monasterio congregationis ingredi non possum. Invenit igitur quendam in platea iacentem leprosum. qui nec manus habebat neque pedes. cuius tantummodo lingua vigebat. Stans autem eulogius prope eum oravit ad dominum. et posuit quasi pactum cum deo dicens. domine in nomine tuo levabo hunc leprosum in domo mea et ministrabo ei. et repausabo eum usque ad mortem. ut propter hunc et ego inveniam aput te misericordiam. dona ergo michi christe domine patientiam ad huius obsequium. Et accedens ad leprosum dixit ei. si vis pater suscipio te in domo mea. et repausabo te. At ille respondit si dignaris facere. gratias ago. Adduxit ergo asinum et levavit eum. et perduxit ad domum suam et adiciebat ei curam diligenter. Itaque per annos quindecim insidiatus est ei diabolus; et cepit clamare contra eulogium multis iniuriis et pluribus affectionibus afficere eum. dicebat enim ei ultima mala. Fugitive forsitan domini tui alienas pecunias furatus es. et per me vis a peccatis tuis liberari. Et clamabat. iacta me ubi me invenisti. forsitan si manus habuisset. suffocare se volebat. in tantum eum daemon exagitabat. Itaque valde sollicitus eulogius; perrexit ad monasterium virorum dei; et dixit eis. quid faciam domini mei patres. quia in desperatione me adducit leprosum istum? proicere eum timeo. quia deo dexteram dedi. et promisi continere et repausare eum usque ad mortem. Sed etsi per violentiam eum tenere voluero; pessimos dies et amarissimas noctes faciet michi. Ad haec illi dixerunt ei. dum adhuc in corpore est magnus et beatissimus famulus dei pater antonius. ascende in navem pariter cum illo leproso et vade in monasterium eius ubi monachi eius sunt. et expecta ibi usquequo egrediatur de spelunca et veniet ad mo-

nasterium. et quicquid tibi dixerit hoc observa et acquiescere eius sententiae. deus enim tibi per ipsum dicet. Misit ergo leprosum illum in navem et navigantes pervenerunt ad monasterium beati antonii. Et venit (Evenit) autem altera die ut veniret pater antonius. iam vespera peracta. sicut referebat chronius. Quando autem veniebat in monasterium. hanc habebat consuetudinem. vocabat macarium et interrogabat eum dicens. frater macari venerunt aliqui fratres hic? Respondebat. aetiam venerunt. Iterum interrogabat. egyptii sunt aut hierusolimite. Dederat enim signum dicens. quando videritis iniquitiores. dicite quia hierusolimite sunt. Interrogavit ergo secundum consuetudinem fratres. egiptii sunt aut hierusolimite? Respondit macarius et ait. quia mixti sunt. quando autem dicebat quia aegiptii sunt. iubebat beatus antonius. ut pulmentum lenticule apponeret eis cibum. et postquam refecissent faciebat eis orationem et dimittebat eos. Quando autem dicebat. quia hierusolimite sunt. sedebat per totam noctem disputans eis de verbo dei. que ad salutem anime pertinet. Illa ergo vespera sedebat et vocabat omnes fratres. qui advenissent. subito vocavit. eulogi. eulogi. cum nullus indicasset nomen eius. sed eulogius non respondebat ei. arbitrabatur enim quod alium eulogium de monasterio vocaret. Tunc dicit ei. tibi dico eulogi qui ab alexandria venisti. Respondit eulogius et dixit. quid iubes domine. interrogavit eum antonius quid venisti hic? Ait eulogius. qui revelavit tibi nomen meum et causa tibi manifestavit. Dixit ei antonius. scio propter quod venisti. sed coram omnibus fratribus dicito ut et ipsi audiant. Eulogius dixit. hunc leprosum inveni in platea iacente et levavi eum. et promisi deo ut eum repausaret. quatenus et ego salvus efficiar. et ipse per meum obsequium repausationem habeat. et post tantos annos recedere vult a me. et nimis exacerbat me. dum festinat recedere. Et ideo ad sanctitatem tuam veni. ut michi des consilium quid agere debeam et ores pro me. nimis enim sollicitus sum. et tribulor pro ista causa. Tunc austero vultu respiciens eum antonius dixit. tu proicis eum. sed qui fecit eum non proiciet eum. iactas eum tu. sed suscitat dominus meliorem te. et consolatur eum. Et silens eulogius pavefactus est. Idem beatus antonius cepit verbis asperioribus increpare leprosum illum. et clamans dicebat. leprose inveterate dierum malorum. indigne coelo et terre. et non quiescis blasphemare deum. Ignoras quia christus ministrabit tibi. quomodo audes adversus christum; proloqui talia. numquid non propter christum semedipsum se exhibuit eulogius ad tuum ministerium. Increpans ergo et hunc. post haec coram omnibus dixit eis. que expediebant saluti animabus eorum. admonens eulogium et leprosum ut non separarentur. sed in cella inquid vestra revertimini cotidie enim visitat nos dominus. Temptatio haec evenit. quia utrique circa finem estis. et corone vobis preparantur. ne veniens angelus domini non inveniat vos in eodem bono proposito. perdoctis tanto tempore mercedem boni operis. His auditis; cum festinatione reversi sunt ad propriam cellam. et post quadraginta dies defunctus est eulogius. et post tres dies. similiter requievit leprosus. Post aliquos dies chronius de thebaida descendit in monasterium alexandriae invenit quosdam fratres. tertium leprosi celebrare diem. quosdam autem quadragesimum eulogii. Cognovit ergo chronius et ostupuit. et accipiens evangelium posuit in conventum fratrum. et iuravit referens eis; quomodo omnia que venerunt eulogio et leproso; predixisset beatus antonius. etiam hoc referebat nobis chronius. quia in nocte illa dum verbo dei prolixius doceret nos sanctus pater antonius. aetiam per gratiam suam. locum iustorum et peccatorum. Et vidi excelsum quendam gigantem usque ad nubem pertingentem manus extentas habentem et subter eum erat stagnum magnum velud mare. et ignem flammabat. fervebatque velud caldaria. et videbam animas quasi in specie avium volantes. Et quante quidem volabant super manus et capud eius. salvabantur. et usque ad caelum perveniebant. quante autem usque ad manus eius pervenissent. non valentes superius volare. percutiebat eas manibus suis. et allidebat et cadebant in stagnum ferventem. Audivi autem et vocem dicentem michi. has esse animas peccatorum. Nam ille que super gigantem volabant. ipsa esse animas iustorum. quas pondus peccati non gravat. et ideo possunt ad altiora conscendere. que et in paradiso dei salvantur. Alie autem sunt peccatorum. quae ideo in inferno merguntur. quia non egerunt penitentiam dum in corpore erant. ut in-

dulgentiam peccatorum et criminum suorum a christi domini pietate accipere mererentur. Nunc autem trauntur ad inferorum tenebras ubi est fletus et stridor dentium. prae nimietate aeternarum penarum.

Pag. 277 — Fuerunt etiam duo fratres. qui esaias et paisius vocabantur. quorum pater emendis vel mutandis mercibus studens. usque ad hispaniam semper negotiando pergebat. Quo mortuo; diviserunt se substantiam eius. que in mobilibus tantum erat. In auro quidem quinque milia solidos. in mancipiis vero vel vestibus. quicquid invenire potuerunt. Igitur uno animo communique consilio inter se tractare ceperunt dicentes invicem sibi. quam frater eligimus viam vitae. mercationem in qua pater noster vixit arripimus. ut et ipsi labores aliis relinquamus. ut et nos euntes in pericula precipites. vel marini ut assolet fluctus. vel latronum tela consumunt. Sequamur igitur magis solitudinis viam vitamque monachorum. ut et paternas hereditates lucremur. et animas nostras nulla rerum contagione perdamus. Quod propositum dum utrisque placuisset in ipsis. electione solitarie vite diversum singuli tenuerunt iter. Divisis igitur quas pater reliquerat rebus; unum quidem habuerunt uterque propositum ut placerent deo. sed non in una institutione vivendi ambo placuerunt. Alter enim ex omnibus suis rebus per omnia monasteria; ecclesias; carceresque divisis; artem sibi repperit quandam. ex qua cotidiani cibum panis acquirens ei quam elegerat vitae. et orationi vacabat. Alter autem nulli ex substantia propria quicquam dedit. sed monasterium sibi fecit. ubi paucis secum fratribus collocatis. omnes suscipiebat infirmos. et per dominici ac sabbati dies ternas ac quaternas mensas omnibus exhibebat. Hisque universam suam substantiam modis quoad vixit expendit. Quo utroque defuncto beati ambo diversis opinionibus et probabilis vitae consummatione celebrantur. et iste quidem aliis semper. ille vero aliis semper placebat. Ex quorum laudibus orta est inter fratres contentio. ad sanctum pambo ut ab eo verbum cognoscerent venerunt. Quem cum iudicem elegisse dicerent. peterentque ut quis e duobus fuisset melior edoceret. utrumque illum perfectos esse respondit. Nam alter quidem ex ipsis abrahe. Alter elie moribus vixit. Cumque non sedato inter se certamine dicerent; deprecantes quemadmodum pares possunt videri. et non magis ille precedat qui evangelica precepta compleret. qui cuncta vendiderit pauperibusque donaverit. quique per omnes horas omnes dies omnesque noctes dominicam crucem portans perpetua salvatoris oratione comitetur. Cumque alii diversa ex parte contenderent dicerentque. quia iste quem nos amplius predicamus. tantum circa egentes suum ostendit affectum. ut aggeribus publicis assideret tribulantes omnes undecumque colligeret; ut non solum suae tantummodo consuleret animae. sed multas atque multorum curando infirmitates ac necessaria prevendo servaret; Ita beatus pambo ad utrosque respondit. ides iterum vobis loquor. pares ambo sunt. ut utrisque me satisfacturus puto. hic enim si tam perfectus monachus non fuisset. dignus profecto non esset. ut eum bonitati illius comparares ille vero reficiens egenos atque peregrinos aliquid ex ipsa communione solacium sentiebat. Nam etsi labores ipsius esse magni oneris videbantur. attamen habebat requiem aliquam cum labore. Expectate autem ait. ut super hoc aliquid et deo revelante cognoscam. Quod cum veneritis ad me. deinceps audietis. Post paucos autem dies. cum eum rursus rogarent ita respondit. ante deum vobis inquit loquor. utrumque in paradiso simul stare conspexi.

Pag. 303 — Florebat igitur egyptus eo tempore non solum eruditis in christiana philosophia viris. verum etiam his qui per vastam heremum commanentes. signa et prodigia apostolica. simplicitate vitae et cordis sinceritate faciebant. Ex interim quos vidimus et quorum benedici manibus meruimus. hi sunt. Macharius de superiori heremo. Aliusque macharius de interiori. Hisidorum in scithiis. pambos in cellulis. Moyses et beniamin. in nitria. Scirion et helias. et paulus; in apoliate. Alius paulus in focis. poemen. et ioseph in spiri qui appellabatur mons antonii. Sed et alios quamplures huiusmodi viros in egipti partibus habitare. fideli comperimus auditu; ut vere compleretur apostoli dictum. quia ubi habundavit peccatum. superhabundavit gratia. Habuit autem per idem tempus etiam mesopotamia. viros nobiles eisdem studiis pollentes. quorum aliquantos ipsi per nos apud (ed)essam et in charrarum partibus vidimus. plures autem auditione didicimus.

Pag. 354 — Unde fratres. nullum debemus in hac miserabile vita laudare vel vituperare. quia nescimus dei dispensationem. Sed retinenda est lingua... (*Vid. supra pag.* **225** *huius* Floril.)

Pag. 373 — Cum predictus frater... clausit horam. *Edit. in Tomo CV.* Pat. Lat. *Migne col. 771.*

Pag. 383 — Novi autem ipse fratrem quem utinam non nossem. cuius etiam nomen si aliquid prodesset. dicere possem. positum in monasterio nobili. sed ipsum ignoviliter viventem. Corripiebatur quidem sedulo a fratribus ac maioribus loci. atque ad castigatiorem vitam converti ammonebatur. et quamvis eos audire noluisset; tolerabatur tamen ab eis equanimiter; ob necessitatem operum ipsius exteriorem. Erat enim fabrili arte singularis. Serviebat multum ebrietati. et ceteris vitae remissioris illecebris. magisque in officina sua die noctuque residere. quam ad psallendum atque orandum in ecclesia. audiendumque cum fratribus verbum vitae concurrere consueverat. Unde accidit illi quod solent dicere quidam. quia qui non vult ecclesie ianuam sponte humiliatus ingredi. necesse habet in ianuam inferni non sponte dampnatus introduci. Percussus enim languore atque ad extrema perductus; Vocavit fratres. et multum merens ac dampnato similis. caepit narrare quia videret inferos apertos. et satanan demersum in profundis tartari. caiphanque cum ceteris qui occiderunt deum. iuxta eum flammis ultricibus traditum. in quorum vicinia inquid heu misero michi. locum conspicio aeternae perditionis esse praeparatum. Audientes haec fratres caeperunt diligenter exortari. ut vel tunc positus adhuc in corpore penitentiam faceret. Respondebat ille desperans. non est michi modo tempus vitam mutandi. cum ipse viderim iudicium meum iam esse completum. Talia dicens. sine viatico salutis obiit. et corpus eius in ultimis est monasterii locis humatum. neque aliquis pro eo missas facere. vel psalmos cantare vel saltem orare presumebat. O quam grandis distantia divisit deus inter lucem et tenebras. Beatus inquid protomartir stephanus passurus mortem pro veritate. vidit caelos apertos. vidit gloriam dei et ihesum stantem a dextris dei. Et ubi erat ipse futurus post mortem. ibi oculos mentis ante mortem quo lector occumberet misit. At contra faber iste tenebrosae mentis et actionis. imminente morte. vidit aperta tartara. vidit damnationem diaboli. et sequacium eius. vidit etiam infelix infernalem carcerem suum. quo miserabilius ipse desperata salute periret. sed viventibus qui haec cognovissent. causam salutis sua perditione relinqueret. Factum est hoc in provincia berniciorum. ac longe lateque diffamatum. multos ad agendam et non differendam scelerum suorum paenitudinem provocavit. quod utimam ex hinc etiam nostrarum lectione litterarum fiat.

Pag. 384 — Factum est (1) in tempore illo priusquam incursio fieret in romana republica execrandarum persarum in civitate adana ciliorum secunda ragione fuisse quendam vicedominum sanctae dei genitricis mariae aecclesiae nomine theophilum. moribus et conversatione praecipuum. qui omnino optime christi rationabile ovile quiete et nimia cum moderatione ita regebat. ut aetiam episcopus eius repausaret in eo et in omnem dispensationem aecclesiae seu plebis universae. Unde a maioribus usque ad minores gratias illi agebant. Nam orfanis. viduis et egenis providentius commoda ministrabat. Contigit autem ut vocante deo eiusdem civitatis episcopus vitam finiret. statimque clerus et omnis populus affectualiter diligentes eundem. vicedominum. et industriam illius cognoscentes. communi consilio decreverunt eum aepiscopum ordinare. Et celebrato decreto; mox ad metropolitanum aepiscopum direxerunt. Quem susceptum. virique compertis virtutibus. annuit petentibus se et dirigens ad promovendum aepiscopum praenominatum vicedominum ire praecepit. Et prius quidem susceptas metropolitani aepiscopi litteras ambulare distulit. rogans omnes ut parcerent illum aepiscopum fieri. sed sufficeret sibi tantum esse vicedominum. non se esse dignum hac dignitate inquiens. Sed imminente populo. vi sublatus ductus est ad metropolitanum aepiscopum. et susceptus cum gaudio. sacratio inminebat. At ille pavimento prostratus. comprehensos pedes aepiscopi precabatur nichil in se tale exerceri immeritum se omni-

(1) *Versio huius* Poenitentiae et revocationis ad Dominum *cuiusdam Theophili vicedomini (i. archidiaconi vel aeconomi ut alibi legitur) ecclesiae Adanensis in Cilicis, auctore Eutichiano, relatae a Metaphraste, differt ab edita a Surio* (Febr. pag. 823), *quapropter eam hic damus.*

ho aepiscopatus gradu proclamans. et sua bene nosse peccata. Dumque diu hereret pavimento. et pedibus provolveretur aepiscopi. pertractandi trium dierum accepit spatium. Et post diem tertium cepit commonere eum. et eius sollertiam collaudare. Sed ille non se dignum esse tante sedis gradum ascendere proclamabat. Et videns aepiscopus tantam eius constantiam. et quod omnino conscendere nollet. hunc finitum. alterum promovit dignum eiusdem ecclesiae officium peragendum. Proinde in civitate iungentes se quidam. instigaverunt. ut hunc secessum; alium aecclesie provocarent vicedominum. Quo facto; suae tantum domui curam gerebat. Igitur callidus hostis humani generis inimicus. eundem virum modeste (de)gere et bonis actibus conversari conspicientes. pravis cogitationibus cor illius pulsans. immittit illi vicedominatus zelum. et ambitionis aemulum. convertitque illum ad omnia obscena hinc inde iniqua consilia quibus placeret hominibus et vanae gloriae desideret cupidinem. in tantum ut maleficorum postularet officium. Erat enim in eadem civitate. hebreus quidam nominatissimus. omnino diaboli sperator. qui multos in fide fundatos argumenti mendacio in foveam perditionis emerserat. Varatro quippe vane gloriae accensus vicedominum; declinavit miserrimus in ruinam indigestione gloriae saeculi huius et urebatur ambitionis desiderio. Unde festinus pergit noctu apud hebreum. pulsansque ianuam precabatur sibi aperiri. Videns igitur eum deo odibilis ille aebreus ita contritum. vocavit intra domum et dixit ei. cuius rei causa ad me venisti. At ille corruens provolutusque pedibus eius dicebat. queso te adiuva me. quoniam aepiscopus meus obprobrium in me exercuit. et hoc est operatus in me. Respondit ille execrabilis hebreus. crastina hora noctis ista veni ad me. et ducam te ad patronem meum. et subveniet tibi in quo volueris. Ille autem haec audiens. gratulatus recessit fecitque ita. Et media noctis hora. ambulavit ad eum. Nefandus autem hebreus. duxit illum in circum civitatis. et dixit ei. quodcumque videris aut audieris sonitum ne terrearis. nec signum crucis tibi facias. Et illo respondente omnia facturum. subito ostendit ei alios clamidatos. et alios cum multitudine candelabrorum clamantes. et in medio principem sedentem. Erat enim diabolus et ministri eius. Tenens autem infelix ille iudaeus vicedominum. duxit eum ad flagitiosum illud concilium. Et ait diabolus. quare nobis hunc hominem adduxisti? Respondit. ab aepiscopo suo praeiudicatus. vestrum adiutorium postulantem domine nuper duxi eum. Dixit ille. quale adiutorium dabo homini servienti deo suo. sed si meus famulus esse cupit et inter nostros milites deputari; ego illi subvenio. ut plus quam prius facere possit et imperare. non solum omnibus sed etiam aepiscopo. Conversus hebreus dicit illi misero vicedomino. audisti quid tibi dixit? Respondit. Audivi. et quaecumque dixerit michi faciam. tantum subveniat michi. et cepit osculare pedes principis et rogare. Dixitque diabolus hebreo; abneget filium mariae et ipsam. quia odio sunt michi. Faciatque in scriptis. quia abnegat per omnia et quodcumque voluerit impetrabit. tantum abneget. Tunc introivit in vicedominum satanas et respondens ait. abnegavi christum et sanctam eius genitricem. faciens. cyrographum inposita cera signavit anulo proprio. et abscesserunt cum nimio gaudio perditionis suae. In crastinum divina reus providentia motus episcopus. cum omni honore revocato vicedomino successore turpiter quem ipse promoverat. constituit priorem vicedominum. prebuitque ei coram omni clero et populo auctoritatem dispensationis sanctae suae ecclesiae. et ei pertinentium possessiones cuncteque plebis duplo tantum honore propositus. quam antea fuerat sublimatus. peccasse clamante episcopo. quod tam idoneam et perfectam personam. aliorum religionis successisset promovisset inutilem illum et minus idoneum. Caepitque ordinatus iam disponi et elevari super omnes hisdem vicedominus. omnes cum metu et tremore obedientes ei et ministrantes per parvum tempus. Execrabilis vero ille hebreus frequenter pergebat occulte ad vicedominum. et dicebat ei. vidisti quale beneficium. et quod celere remedium consecutus es ex me et patrono meo quos deprecatus es. At ille ait. confiteor et omnino gratias ago concursioni vestrae. Et cum parvo tempore in tali iactantia et abnegationis fovea commoraret creator. omnium deus ac redemptor qui mortem peccatoris non vult. sed confessionem ut vivat. recordatus priorem eius conversationem; et quibus modis sanctae dei ministrabat aecclesiae. et quod orfanis et viduis. egenisque commoda opti-

me ministraverit. non despexit creaturam suam. sed dedit ei conversionem penitentiae. et in se reversus de tanta elatione atque abnegatione sobrietate recepta. caepit humiliare proprio sensu. et affligi in his quibus gesserat. ieiuniis et orationibus vigiliisque vacans; multaque in mente conferens. Et fraudatum se salute conspiciens. aeterni incendii cruciatus. et animae migrationem. atque inextinguivilem flammam considerans. stridorem dentium. et vermes non morientes. Horum omnium preponens sibi timorem. contra ritus cum gemitu et amaris lacrimis dixit. O miserrimus ego quid feci. quo iam pergam cumulatus luxuriis; ut salvam faciam animam meam. Ubi vadam infelix ego peccator. christum meum et sanctam eius genitricem negavi. et feci me miserum servum diaboli. per nefande cautionis cirographum. quis putas hominum poterit illam abstraere de manu vastatoris diaboli; et adiuvare me. Quae michi fuit necessitas cognoscere nefandum illum et comburendum haebreum? Erat enim ante hebreus ille a lege et iudice condempnatus. Ut quid sic honorantur qui dominum et deum derelinquentes. occurrunt diabolo? Quid michi profuit temporalis lucri commodum; et superstitiositas vani saeculi? Ve michi peccatori et luxurioso. quomodo supplantatus sum; Ve michi quomodo lucem perdidi. et ibi in tenebras. Bene eram quando a dispensationem successus sum. ut quid desideravi per ter vanam gloriam et vacuam opinionem tradere miseram animam meam in gehennam. Quale petam auxilium. quia auxilio fraudatus sum. et si hominibus latui deo latere non potui. Ego huius rei noxius. ego perditionis animae meae auctor. ego perditor salutis meae. Vae michi qualiter subraptus sum ignoro. Vae michi quid faciam. apud quem ibo. quid respondeam in die iudicii. quando omnia nuda parebunt. Quid dicam in illa hora quando iusti coronantur. ego autem condempnabor. Aut quali fiducia astabo regali illi tribunali et terribili examini. Quem postulem. quem rogem in illa tribulatione. aut deprecer in necessitate illa. quando omnes sua et non aliena tractaverint. Quis miserebitur michi. quis michi subveniet. quis me proteget. quis patrocinabitur mei. vere nullus. ubi nullus adiuvat. sed omnes pro se reddent rationem. Vae misera anima mea quomodo captiva es. quomodo demolita es. in quali ruina corruisti. quali demersa es naufragio. quomodo aliena es. quomodo tabefacta es. qualiter convoluta es. Ad quale iam fugias portum. Ad quale concurras remedium. Vae michi misero qui supplantatus. et in baratro demersus sum. et surgere nequeo. Cumque praetiosum hoc consilium intra se contionaretur cum anima. et haec semina salutis in corde suo versaret. deus qui propriam creaturam suam non despicit sed suscipit. tali eum sensu circumdans. Ait vicedominus. Licet sciam dei filium de sancta et immaculata virgine maria dominum nostrum ihesum christum natum. quem per illum quem male cognovi hebreum negavi. tamen ibo ad eandem matrem domini sanctam gloriosam et lucidam atque ipsam solam interpellabo ex toto corde et anima mea. faciamque orationes et ieiunia in venerabili eius templo sine cessatione. donec inveniam in die iudicii misericordiam. Et iterum agebat intra se. qualibus labiis presumam deprecare benignitatem eius ignoro. Scio enim quia transgressus sum eam. Aut quali corde confessionem ei faciam. qua conscientia confitens. impiam linguam et polluta labia movere temptabo. vel de quibus primam peccatis remissionem expectam miser ignoro. Et si temere agere presumpsero; ignis de caelo descendens comburet me. quia iam non fert mundus mala quae gessi miserrimus. Vae misera anima mea surge de tenebris quae te comprehenderunt. procidens interpella genitricem domini nostri ihesu christi. quia vere potens huic reatui imponere prevalet sanamenta. Et haec secum cogitans. animatus fortiter relictis laboriosis huius saeculi offendiculis cum omni studio prompta voluntate procidens coram sancto et venerabili templo immaculatae et gloriosae semper virginis mariae. petitiones atque postulationes die noctuque incessabiliter offerens. ieiuniis et vigiliis pervacuit. ut a tali noxia deceptus redimeretur. et ut pernicioso supplantatore et maligno dracone. et ab illa quam gesserat abnegatione eriperetur. faciens quadraginta diebus cum noctibus ieiuniis et orationibus deprecando protectricem nostram matrem domini salvatoris. Post expletionem vero dierum. medio noctis tempore. apparuit manifeste universale auxilium. et parata protectio vigilantium ad eam christianorum verum confugium ad se concurrentium via. et redemptio captivorum. tenebrosorum

lumen verissimum. afflictorum confugium. et tribulantium consolamen domina nostra. et vera mater christi dicens ei. quid sic o homo permanens tenere fastidioseque postulas ut te adiuvem hominem qui abnegasti filium meum salvatorem mundi et me. Quomodo possum postulare eum remitti tibi mala que gessisti. quibus oculis aspiciam in vultum illum misericordissimum filii mei quem tu negasti. et presumam eum rogare pro te. vel quali fiducia postulare eum. cum tu apostataris ab eo. Quomodo astabo ante tribunal illud terribile; et presumam rogare pro te clementissimam illius bonitatem. non enim patior videre filium meum derogari iniuriis. Scito o homo quia ea quae in me egisti peccata. possunt aliquid habere indultum. eo quod diligam christianorum genus. et maxime eos qui recta fide et pura conscientia currunt ad me. His modis omnibus annuo et concurro. et ulnis meis foveo. et visceribus circumplector. Filii autem mei exacervationem nec audire patior nec videre. quia multo certamine cordisque contritione expiatur benignitas eius. Valde enim misericors. extitit iudex. At ille respondens dixit ei. etiam domina protectio generis humani. etiam domina portum et susceptio ad te confugientium. Scio domina quia valde peccavi in te. et in eum qui ex te natus est dominum nostrum. et non sum dignus misericordiam impetrare. Sed habens exemplum ab his qui ante peccaverunt filio tuo domino nostro. et meruerunt per penitudinem indulgentiam peccatorum de hoc quod commiserunt. ideo accedere presumo. Nisi enim fuisset penitentia. quomodo ninivite salvi fuissent. Si penitentia non fuisset. raab meretrix non salvaretur. Nisi esset penitentia. quomodo david rex post prophetiae donum. post regnum et dominicum testimonium in baratro fornicationis et homicidii cadens. penitentiam veram ostendit. et non solum indulgentiam tantorum meruit peccatorum. sed etiam denuo prophetiae donum accepit. Si non fuisset penitentia, quomodo beatus petrus apostolus princeps primus discipulus columna aecclesiae. qui claves regni caelorum a deo suscipiens; christum dominum non semel aut bis; sed ter; negans. postea dure lugendo indulgentiam tanti delicti meruit. et maiorem honorem adeptus. pastor constitutus est dominici ac rationabilis ovilis. Si non esset penitentia. quomodo beatus paulus de persecutore vas electionis effectus est. Si non esset penitentia. quomodo ille qui tanta perpetraverat mala ciprianus. qui etiam in utero habentes incidebat. et totum quod auferre poterat induebatur. hic vehementius a sancta iustina confortatus ad penitentiam convolans. non solum tantorum facinorum remissionem accepit. sed etiam martirii coronam sortitus est. Unde et ego peccator tantorum exempla habens accedo postulans benignitatem misericordiae tuae ut dextram michi protectionis impendas. et indulgentiam peccatorum largiaris per filium tuum dominum nostrum ihesum christum; in quem miser ego peccavi. Haec denique illo profitente. sancta et venerabilis virgo maria. sola casta. sola sancta. anima et corpore benedicta. quae sola habet facundiam apud eum quem genuit ihesum christum. tribulantium consolatio. afflictorum compassio. nudorum vestimentum. senectutis baculum. currentium ad eam protectio valida. quae semper sanctis suis visceribus cunctos circumfovet christianos. dicit ei. confitere michi o homo. quia quem ego peperi filium et tu abnegasti. est christus filius dei. qui venturus est iudicare vivos et mortuos. et ego pro te rogabo. et suscipiet te. Et respondit ille vicedominus. et quomodo presumam domina mi semper benedicta ego indignus et infelix loqui. sordidum et pollutum habens os. qui abnegavi filium tuum et dominum nostrum. et supplantatus sum variis desideriis saeculi huius. Non solum autem haec. sed et hoc quod habebat remedium animae meae. venerandam dico crucem. et sanctum baptismum. quem accepi. pollui per inscriptum et amarissimum negationis cirographum. Dixitque ei sancta et immaculata dei genitrix virgo maria. tantum accede et confitere illum. misericors est. et suscipiet lacrimas poenitentiae tuae. et eorum qui puriter et sinceriter accedunt ad eum. propterea enim deus existens. carnem ex me accipere dignatus est. non inflammata deitas eius. sed ut salvum faceret genus humanum. Tunc beatus ille vir cum reverentia et competenti utilitate summisso vultu confessus est et dixit. credo et adoro et glorifico unum de sancta trinitate dominum nostrum ihesum christum filium dei vivi ante saecula ineffabiliter natum. novissimis autem diebus descendentem de caelo. et incarnatum deum de spiritu sancto. et

ex te sancta et immaculata virgine maria processisse. ad salutem generis humani. Ipsum confiteor verum deum et perfectum hominem qui propter nos peccatores pati dignatus est. et sputis alapisque cedi. et super vivificabile lignum manus extendi sicut pastor bonus ponens animam suam pro nobis peccatoribus. sepultusque et resurrexit. et ascendit in celum cum carne qua ex te sancta suscepit. venturusque est cum sancta gloria sua. iudicare vivos et mortuos. et reddere unicuique saecundum opera sua. Haec confiteor labiis. corde et corpore. colo adoro. et amplector. et cum hac peccatoria mea cautione toto mentis annisu habita. offer me sancta et immaculata virgo dei genitrix filio tuo domino nostro. et ne abomineris. neque despicias precationem meam peccatoris. qui raptus. supplantatus et deceptus sum. sed libera me ab iniquitatibus meis. quae comprehenderunt. et a procella turbinis quae me possidet. qui denudatus sum gratia spiritus sancti. Et cum haec dixisset. tamquam ab eo satisfactionem suscipiens sancta dei genitrix spes et obstaculum christianorum. redemptio errantium. et vere viae confugientium ad eam. fons fluctuantium quae intercedit pro peccatoribus refrigerium pauperum. consolatio pusillanimorum. mediatrix dei et hominum. Dicit ei. ecce ego propter baptismum quod accepisti per filium meum ihesum christum dominum nostrum. et propter nimiam compassionem quam circa vos christianos habeo accedo et rogo illum pro te provoluta pedibus eius. quatenus te suscipiat. Et cum haec manifesta visio protenderetur. dies facta est. Abscessitque ab eo inmaculata dei genitrix virgo maria. et post triduum amplius vicedominus obnoxius postulante. et faciem terre percutiente in eodem venerabili templo. sine cibo permanens atque pernoctans. pavimento aderens. lacrimisque locum infundens. non recedebat conspiciens ad clarum lumen et ineffabilem vultum gloriae dominae nostrae dei genitricis mariae. ab ea spem salutis precabatur. Unde rursus noctu sola vera protectio. sola clarifera nebula quae nutrita est in sancta sanctorum apparuit ei ylari vultu. et letis oculis. et mansuescens dixit. homo dei sufficiens est penitentia tua quam ostendisti salvatori omnium et creatori deo. suscepit enim dominus lacrimas tuas. et petitionibus tuis omnibus annuit propter me. si quidem et tu haec observa in corde tuo recta fide christum filium dei confitens usque ad diem mortis tuae. At ille respondit. etiam domina mi observabo; et non pretercam sermones tuos. quia a te habeo post dominum protectionem et patrocinium. et de tuo adiutorio confidens non omittam quae promisi. Scio enim et vere scio quia alia protectio non est. nisi tu semper benedicta. Quis enim domina mi immaculata virgo speravit in te et confusus est? aut quis hominum precatus est omnipotentiam adiutorii tui. et derelictus est. Unde et ego peccator et luxuriosus rogo perhennem fontem benignitatis tuae. ut viscera misericordiae michi inpendere digneris. Qui in profundo ceni demersus sum et adiuva ut recipere possim exhitiabilem illam abnegationis cartulam. atque nefanda cautione signatam. ab illo qui decepit me diabolo. quia hoc est quod omnino titillat animam meam miseram. Iterum valde lugens nimiumque deflens predictus vir atque postulans omnium unicam spem. et salutem animarum nostrarum sanctam et semper virginem dei genitricem mariam statim in presenti et per eandem annuit cartulam. Post tres vero alteros dies. tamquam in visione exhibuit ei chartulam cautionis. habens sigillum cerae sicut dederat illam. hoc est apostaticam cautionem. Et de somno surgens; invenit chartulam supra pectus suum prenominatus vicedominus. et letus effectus terrore que attonitus ita totus contremuit. ut etiam iuncturae omnium membrorum suorum solvi viderentur. In crastinum autem cum esset dominicus dies; pergens in sanctam ecclesiam catholicam. iactavit se ad pedes sanctissimi episcopi et subtiliter ei omnia quae gesta fuerant per execrabilem et perniciosum haebreum et suam scilicet abnegationem. atque inimici elationem. et cirographi conscriptionem. propter inanem gloriam saeculi huius. Deinde confessionem suam ad deum dominumque nostrum ihesum. et penitentiam per immaculatum et indeficientem fontem intemerate dei genitricis. per quam et cirographum pessimae confessionis recepit. Et porrigens eum sanctissimo aepiscopo signatum tradidit in manum eius. Omnesque admirati sunt clerici simul et laici. mulieres et infantes. postulavit autem ut coram omnibus legeretur iniquissimum illud et orribile cirographum. Cognovitque omnis populus quae ei contingerant. et qualiter ei

reddita fuerat cartula negationis. Unde et clamabat aepiscopus ac dicebat. Venite omnes fideles et videte stupenda miracula. Venite christo dilecti et videte illum qui non vult mortem peccatoris. sed conversionem et vitam aeternam. Venite et videte patres mei effigiem penitentiae. Venite videte lacrimas abluentes peccata. Venite karissimi videte lacrimas delentes vulnera iniquitatum. et candidiorem nivis animam demonstrantem. Venite videte lacrimas remissionem peccatorum impetrantes. Venite christiani omnes considerate lacrimas iram dei removentes. Venite conspicite quantum valet animae gemitus et cordis contritio. quis non miretur fratres mei ineffabilem patientiam dei. quis non obstupescat inenarrabilem compassionem et caritatem dei erga nos peccatores. Nam quadraginta diebus legis lator moyses ieiunans. a domino coscriptas tabulas accepit. et hic frater meus quadraginta diebus ieiunans in venerabili templo permanens. immaculatae et gloriosae semper virginis mariae. priorem gratiam quam negando perdiderat. ieiunando recepit. Demus igitur et nos simul cum eo gloriam deo. qui sic misericorditer exaudivit penitentiam confugientis ad se. per immaculatam semperque virginem mariam quae est inter homines et deum fons verissimus. quae est spes desperatorum. quae est refugium afflictorum. quae maledictionem humanae naturae conpescuit. quae est vera ianua in qua omnes peccatores pulsamus et aperit; et apud deum quem genuit dominum nostrum petitiones offert et accipit peccatorum nostrorum indulgentiam. Recordare ergo et sancta dei genitrix quia ad te confugimus. et vigilamus cum pura fide. et ne derelinquas pauperum ovile. sed deprecare pro eo apud misericordem deum. et intercede ut conservetur incolumis et sine macula. in te enim speramus omnes christiani. ad te confugimus. in te fiduciam habemus. Ad te oculos nostros die noctuque pandimus. Te enim et eum qui ex te carnem suscepit dominum nostrum salutamus et glorificamus. Et quid iam loquar aut dicam. aut qualem laudem gloriamque illi qui ex te natus est offeramus. certe magnifica sunt opera tua domine. Et non sufficit lingua enarrare gloriam mirabilium tuorum. vere magnificata sunt opera tua domine. Certe congruum est hic evangelii dictum. afferte stolam primam. et induite illum. et date anulum in manus eius. et calciamenta in pedes. et afferte vitulum saginatum et occidite. et edentes letemur. quia hic frater noster mortuus fuerat et revixit. perierat et inventus est. Et postquam surrexit memoratus vicedominus de terra. rogavit pontificem ut combureret nefandissimam illam chartulam. quod et factum est. Et videntes populi execrabilem cirographum. et negatoriam cautionem conbustam igni. ceperunt cum multitudine lacrimarum diutissime clamare kirie eleison. Et annuens manu eis ut tacerent. dixit. pax vobis. et cepit ingressa missarum facere. Et post expletionem sacrorum misteriorum percepta eadem sacra misteria. statim effulsit facies venerabilis vicedomini sicut sol. Et videntes omnes subitaneam viri transfigurationem. amplius glorificabant deum qui fecit mirabilia solus. qui occurrit ei in venerabili templo dei genitricis mariae. quae liberavit eum ab execrabile illo errore. Igitur modicum gustans prephatus vicedominus dissolutus corpore infirmavit in eodem loco. in quo et sepultus est. Ubi etiam et beatam illam visionem vidit. declinans se tamquam confixus in eo loco. Et post triduum osculans omnes fratres; tradidit beatam animam in manu filii dei. et immaculatae virginis mariae. omnia sua egenis distribuens. et optime disponens. Talique confessione glorificans deum. migravit ad dominum. cui est gloria et honor. et potestas et imperium. nunc et semper et per infinita saecula saeculorum. Amen.

Pag. 394 — Elladius quidam... benedicentes deum. *Edidimus supra in hoc* Florilegio *pag. 211.*

Pag. 400 — Helias quidam nomine monachus. magnam habuit devotarum deo virginum curam. Sunt tales autem quorumdam animae. quarum propositum ultimae finis testimonio comprobatur. qui amore virtutis accensi. et feminei sexus miseratione. in ea que atrivis dicitur civitate. ex pecuniis quae ipsis suppeditabant; monasterium immane costruxit. ad quem locum plurimas que vagari et errare consueverant feminas congregavit. omniumque prout necessitas postulasset curam gerebat. Quibus cuncta prestiterat. quae ad vitae solacium pertinebant. Hortulos quoque et instrumenta diversa suppellectilis necessariae et reliqua quae humanius ratio deposcit. Istae igitur ex dissimilis vitae genere. intra unius habitaculi claustra frequentibus se iurgiis inquietabant. Et quia interdum ne-

cessitas exigebat. ut inter eas simultantium talium causas ipse cognosceret. pacemque repararet collegerat enim illuc. usque ad trecentarum feminarum nec sine mediatore ipso conversatio earum poterat ordinari. Quod cum iam per biennium faceret. et adhuc pene ipse iuvenis videretur. triginta enim vel quadraginta annos agebat. Temptatus est corporali desiderio voluptatis. Relicto itaque monasterio. dum per solitudines totas biduo iugi ieiunus erraret. huiusmodi precem funderet ad dominum. Domine inquit. Aut occide me ne videam illas tristitia laborantes. aut a me temptationem huius cupiditatis exclude. ut earum curam ita ut oportet aut convenit geram. Vespertinis itaque horis subito eum in deserto somnus oppressit. et tres numero angelos ad se venisse conspexit ut ipse referebat. Tenuerunt igitur eum ista dicentes. cur egressus es de monasterio feminarum? Quibus cum ille transmigrationis suae causam referret. et timuisse se diceret. hoc illi ad ista respondent. Si igitur inquiunt huiusmodi metu per nos fueris liberatus. vadis et rursus ipsarum suscipis curam? Ad quod cum libenter ille acquievisset. iusiurandum ab eo huiusmodi sicut ipse referebat exigere caeperunt. Iura inquiunt his verbis. per eum qui habet curam mei. illarum curam habiturum me esse iuro. Cum ergo in haec illis verba iurasset. tunc unus ex ipsis manus illius tenuit. et alter pedes. tertius autem correpta lamina; testiculos eius abscidit. non quod vere hoc faceret. sed quod facere videretur. Nam in quodam stupore animi eo tempore se esse credebat. atque haec sentiebat se ratione curatum. Tunc igitur angeli interrogant eum. An aliquit sibi factum suum profuisse sensisset. Ille respondit. vehementer intellego unum quoddam michi esse sublatum. et satis credo omni quam formidabam me molestia liberatum. Dicunt ei. ergo nunc vade. Qui post quinque regressus dies; ingressusque lugentium monasterium feminarum. in eodem exinde loco mansit in cella ex obliquo habitaculi illius posita. in qua cum magis ipsis proximus videretur; frequentibus eas quam in ipso erat emendationibus corrigebat. Vix autem quadraginta alios annos sanctis patribus asserebat. quod numquam ultra in cor ipsius cogitatio talis ascenderet. Hanc ergo beatus ille dei gratiam meruit. ut sic propria cura muliebre monasterium gubernaret.

Pag. 401 — Alius quidam serapion nomine fuit. qui sindonius cognomen acceperat. quia nulla alia veste. nisi sola sindone velabatur. qui nichil unquam habuisse vel possedisse satis omnibus notum fuit. Peritissimus autem erat scientia litterarum scripturasque omnes tenaciter memoriterque tenebat. Ex nimia autem abstinentia omnium rerum ex iugi divinorum meditatione librorum. cellulae unius non poterat esse contentus. sed per diversa mens ipsius trahebatur. toto igitur mundi fine discurrens; ad talis gloriae virtutem ascendit; talis enim et naturae ipsius mens erat naturarum enim differentias non substantiarum vocamus. Hoc autem de eo patres sancti aliquando referebant. quod per monachum aliquem collusorem suum in oppido quodam viginti solidorum pretio. paganis semetipsum distraheret nimis. et quod signatos pro se acceperat solidos apud se ipse servaverat. Tamdiu ergo cum predictis qui eum emerant ministravit in tali servitute permansit; quamdiu et christianos eos faceret. et a ludis theatralibus separaret. Nullo autem alio ad victum suum excepto pane et aqua uti solebat. Neque umquam scripturas sanctas legere cessabat. Interea longi temporis spatio prior minime maritus animo stimulando correptus est. tunc ipsa ipsius coniux. ad postremum etiam domus tota. Dicebant autem quod antequam aliquis eius cognosceret vitam. pedes quoque labaret ut dominis. Postea ergo quam spirituale lavacrum uterque suscepit. uterque a theatrali actu recessisset. conversique pariter ad castam ac piam vitam. vehementer memoratum venerantur virum haec dicentes ei. Veni inquiunt frater. ut te libertati donemus. eo quod nos ipse prius de turpi servitio liberasti. Ad quod ille respondit. nunc vobis ego quia iam opus in vobis suum deus implevit. et usque vestrum animae salvatae sunt; secretum meum atque quod actenus celaveram prodo. Ego inquit ad miserationem vestrarum adductus animarum cum essem liber monachus ex egipto genus ducens; propterea meipsum vendere volui; ut prodessem vestrae saluti. Quia igitur ad plenum per humilitatem meam hoc fecit deus. aurum quod pro me dedistis accipite. ut alios quoque quibus subveniatur inveniam. Qui cum illum frequenter atque instanter rogarent vera assertione dicentes. quod tamquam dominum ac patrem habituri essent eum. si

una cum ipsis manere dignaretur ac vivere. neque tamen ullo modo persuadere hoc ei possent. tunc dicunt ad ipsum. Dabis ipse aurum illud ergo pauperibus. quod nos veluti arras quasdam pro nostra salute nos dedisse cognovimus. Hoc tamen te magnopere deprecamur. ut vel post anni circulum nos requiras athenis. quo iste etiam frequenter peregrinando pervenit. ac per triduum illic moratus. a nullo panem quo vesceretur accepit. nam neque pecuniam habebat. non pellem ille. non peram. quod secum ferebat. Cum iam igitur usque ad quartum diem nichil penitus edendo venisset. esurire cepit. Nichil enim ieiuno peius. eo quod extorqueretur invito. ex cuius necessitate procedit sepe perfidia. Stetit ergo supra quendam colliculum civitatis. ubi primates eiusdem oppidi concilium habere consueverant. et illic etiam manus suas percutiendo clamabat vim se maximam pati in sermonibus dicens. Athenienses inquit viri. succurrite. subvenite omnes simul quoscumque palliis. quoscumque birris esse vestitos. Cuius illi voce commoti interrogant eum quid haberet. unde venisset. vel quid se dicere pati. Tum ille respondit. ab egiptiorum quidem genere descendo. ex quo tamen de patria mea que erat michi vera discessi. in trium feneratorum manus incidi. ex quibus duos quidem quocumque modo debitum solvens potui declinare. et ea quae michi ab ipsis obiciebantur effugere. tertius autem adhuc ille me retinet. Cumque illi requirerent ab ipso feneratores quibus debitorem esse se diceret. sciscitatur ab eo qui illi essent. vel ubi degerent. vel quis esset qui ei molestus esset. quem si ostenderet. adiuvatores se in omnibus eum pollicerentur. At ille tunc dicens. a principio inquit iuventutis mee. hi tres michi molesti semper fuerunt. Cupiditas pecuniae ac voluptatum. cupiditatem evasisse iam videor. neque michi ulterius sunt molestiae. tertia vero quam dixi voracitatem ferre non possum. Nam cum quarta iam die ex necessitate ieiunem. urget me illa exigens debitum semper ac flagitat. Tunc quidam philosophorum putantes eum composita quaedam et ficta narrare. unum solidum offerunt ei. Quem ille sumpto. et cuidam qui panes vendebat dato. unoque tantum ab eo pane suscepto. mox ab eadem profectus est civitate. neque tamen umquam postea ad ipsam reversus est. Cognito autem philosophi illi. omnique rei veritate respecta. magnum nescio quem virum esse firmantes. reddito unius pretio panis solidum ab eo quem ille susceperat receperunt. Cum ergo venisset quedam lacedemonis loca unus illic de prioribus civitatis. bonum alias virum. omnesque de domo ipsius manicheos esse cognovit. Hanc rursus domum iuxta exemplum se prius vendidit. et intra duos annos tam ipsum domus dominum ab execrabili secta. quam coniugem eius abstractos. aecclesiae tradidit. Quem illi iam non quasi famulum diligebant. sed quasi fratrem attendebant. potius aut patrem verum benedicentes deum. Quodam tempore cum multis aliis et ipse ingressus est navem quasi roma navigaturus. Naute vero non dubitantes quod sumptus haberet et quod quasdam auri species attulisset. susceperunt autem eum. nichil ab eo penitus requirentes. nec ambigentes. quod unus aliquis ex ipsis res eiusdem quoque ut ceterorum in parte navis constituisset. Dum igitur navigarent. et iam esse quam quingentis ab alexandria stadiis viderentur. caeperunt omnes qui cum ipso ingressi fuerant circa solis occasum sumere cibum. quod et nautae ipsi ante iam fecerant. Cumque eum primo die non viderent edentem. causam esse aliquam de navigationis molestia crediderunt. At cum nec tertio quoque nec quarto die cibum caperet. aepulantes ipsi iam quinto die in summam illum quiete perseverantem sic allocuntur. Cur inquiunt homo solus ipse non commedisti. Respondit non abere se dicens. Quo audito; vicissim se nautae interrogare ceperunt. quisnam res eius ac sumptus suscepisset in navi. Et cum nulli ab eo datum aliquid repperissent. obiurgarent eum ista dicentes. unde mercedem daturus es nobis? unde ipse victurus es? At ille. ad me inquid nichil pertinet. reducite me inquit ad illum ubi me invenistis locum. Naute vero. etiam si centum solidos acciperent. ante quam propositum cepte navigationis implerent. Ita igitur mansit in navi. ut ei usque romam omnes alimenta preberent. Ubi ergo attigit romam. caepit requirere quisnam illic magni aliquis esse monachus diceretur. vel que virgo dei predicaretur a cunctis. Cum interea dominioni cuidam origenis discipulo factus est notus. cuius lectulus post mortem ipsius solebat curare languentes. Viso hoc igitur ab eodem et edificatus et doctus est ad perfectum. Ille enim

eruditus atque instructus. scientia et bonis moribus erat. a quo forte cum quereret quis alter monachus. vel quaenam virgo devota in urbe memorata degere videretur. Cognovit esse illic virginem quandam. quae ab omnibus separata. clausisset se intra cellulam suam. atque illic quiescens. nullum hominum unquam videret. Quaerit mox ipsius domum. quam cum invenisset. accedit ad senem quendam qui in ministerio memorate virginis erat; hoc ei dicens. vade inquit et nuntia virgini. quia necessario eam videre desidero. deus enim me ad colloquium illius misit. Cumque illic duos vel tres etiam observasset dies. et tum demum ab ea susceptus fuisset; ait eidem. Quid inquit sedes? Illa vero respondit. non sedeo inquit sed ambulo. Dixit ille. quo ambulas? Illa inquit; ad deum. At ille. Vivis. an mortua es? Illa respondit. credo in deo esse me mortua huic saeculo. nam carne qui vivunt. ad deum ire non possunt. At ille. si hoc ipsum igitur persuadere vis michi; fac ipsa quod facio. Illa respondit. si possibilia tantum iusseris; faciam. Tunc ille respondit. possibilia cuncta sunt mortuo. preter solam impietatem. Et illa respondit. Vicesimum et quintum annum ago; ex quo numquam ex hoc loco egredior. quam ob causam vis ergo procedam. At ille tu saeculo mortua es. et saeculum tibi. unum ergo est. sive non procedas. sive procedas. ergo progredere. Statimque tunc illa processit e cella sua. posteaquam processit. et ille ad eam loquitur. si ergo vis persuadere quod mortua sis. nec iam hominibus placens vivas. fac et ipsa quod facio. et vere te mortuam sciam. exue te inquit vestibus tuis. et omnes res quibus uteris ita ut ego super humerum tuum pone. et sic transi per mediam civitatem et eodem more me nudum sequere precedentem. Ad hoc et illa respondit. sed multorum inquit animas qui me tam deformiter ambulantem viderint ledo. et aut insanam cuncti me esse credent. aut demonem pati dicent. At ille. et quid hoc tibi. si aut demoniosa credaris. aut voceris insana. Tu enim apud illos qui hec locuntur es mortua. Tunc illa ait. usque ad hanc autem regulam vite non oro descendere. Ille tunc dixit. vide ergo ne magnum iam aliquid esse te credas. neque. te supra homines sanctam putes. et mortuam rebus saecularibus. arbitreris. nam longe plus te mortuus ego sum. qui per memetipsum omnibus monstro verum esse quod dico. faciens enim hoc quod ipsa non potes facere nec pati me aliquid. nec aliquo deformari puto. Tunc igitur eam humilitate propriae mentis edoctam. et de quodam superbiae vel tumoris arce depositam abscedens reliquit. Multa preterea sunt admiranda que fecit. ex quibus non sentire se quod in hoc mundo esset probavit. sexagesimo autem anno finivit hanc vitam. et in desertis ipsis sepultus est locis.

Pag. 420 — Igitur beatissima melania romane urbis senatui fuit. Hanc autem parentes eius vi maxima nubere coegere annorum circiter quattuordecim. copulantes eam beatissimo piniano decem et septem agentis annos aetatis suae. Rogabat quidem felicissima haec virum suum ut virginitatis continentiam servarent. Aiebat nanque ille. vel duos filios excipiam ex te. propter nimiam substantiarum possessionem. postea cum dei voluntate abrenuntiamus saeculo. nascitur itaque eis filia una. quam ad virginitatem statim consecrarunt. Mittitur sancta ad valneum. ingressa autem faciem suam tantummodo lavit propter ostensionem. dans ancillis suis pecuniam; ne eam proderent suis parentibus. Clam vero subtus ad carnem induta cilicio. desuper pretiosis et auratis linteaminibus. Interim nascitur et filius sed inmaturus. ipsa die baptizatus. alio die migravit ad dominum. Contigit autem ut et filia eorum virgo dormiret in domino. Tunc alloquitur beatissima virum suum dicens. si inquit diligis castitatem et monachus vis esse mecum. meum ac vitae meae dominum te confitear. si autem grave tibi videtur ut iuveni. accipe facultates meas et liberam me relinque. ut de cetero saecundum voluntatem dei vivens possim implere quod cupio. Qui mox ut audivit deo miserente. cum gaudio pollicetur sermone. et ut saecularia cuncta contempneret. et corporis castitatem servaret. Et gratias egit deo beatissima pro continentia sancti fratris. Septem vero annis cum eo vixit vicesimo renuntiavit. et quicquid vestium sericarum in mafortibus habuit. sanctis altaribus dedit. reliquas vero vestes per varia aecclesiarum ornamenta distribuit. Argentum vero atque aurum suum per paulum quendam monachum atque presbyterum navigio maris orientem usque transmisit. Ita divisit cuncta. ut egypto ac thebaidem decem milia solidorum transmitteret. Item decem milia antiho-

cenae civitati provincie quoque palestinae. quindecim milia solidorum aecclesiae per singula loca positis. cum his qui erant exilii dampnatione religati decem milia. aecclesiis autem quae sub occidentali plaga sunt. omnia que scirent hisdem necessaria ministrabat. His ita peractis. ceperunt esse peregrinorum susceptores. et pauperum curis vacare. Sanctis etiam aepiscopis presbyteris non parvam humanitatem exhibentes administrabant. Igitur in principio abstinentiae. dederunt semedipsos in exigua vestimenta. Post haec vespertinis horis capiebant cibum. et modicum utentes oleum. necnon et in potum parum conditum accipiebant. Dehinc post biduum sumere cibum et sine oleo. necnon et postea post quinque dies. et post totam septimanam semel sabbato et dominica edebant. Post vero incipiunt venundare possessiones saecundum illud evangelii. vade vende que habes et da pauperibus. et reliqua. Construxerunt etiam beatissimi in africa duo monasteria. unum virginum dei usque centum triginta numero. Et aliorum virorum octoginta. ex propriis servis et puellis. donantes eis sufficientes reditus. Scribebat autem per totam septimanam in membranis. et erat ei vigilantia magna. Quadragesimae autem diebus usque ad sanctum pascha. sine oleo sumentes cibum sabbato et dominica. et porrum intinctum in aqua tepida cilicio autem induebantur die et nocte. Estatis vero temporis vespertinis oris sumebant decem ficus tantum. Nam et mater eius sectabatur bonam conversationem et persuadebat filiae suae una cum fratre eius. ut diebus paschae etiam triduo acciperet oleum. obediens autem beata iubentibus sanctis quasi praecepto dei. a tribus diebus paschae accipiebat. postea iterum in sua abstinentia revertebatur. Saepe etiam sanctorum pedes lavit. et de manibus suis praebens calciamenta sanctis. Plures samaritanos et gentiles et hereticos optulit deo. donis et doctrinis persuadendo. Nichil suum possidere ante obitum dicebat. Interea ascendit eis et desiderium sancta loca videndi. in quibus dominus noster virtutis suae gloriam demonstravit. Factum est igitur cum egredi vellent de roma. praefectus quidam erat tunc gentilis. qui consilium dederat senatui urbis. ut facultates eorum deberent sociare senatui iuribus reipublice. Et sedens pro tribunali. affuit providentia dei. ut subito orta seditio populi propter penuriam panis. in media civitate lapidibus interfectus est. Cum nuntiatum fuisset sanctis. tribulati sunt in morte illius mala. sed et nonnulli ex servis eorum similia cogitantes. malo morbo perierunt. Non praeteream quanta milia servorum suorum libertati donaverunt. Navigantibus quoque eis ad siciliam orta est tempestas gravis. ita ut vita periclitarentur. ut neque aquam ab bibendum haberent. et statim correxerunt vela. deveniunt in insulam quandam quam hostis circumdederat. et omnes maiores cum uxoribus et filiis depredatos; abstulerunt. Audiens igitur eiusdem civitatis aepiscopus. quod beata melania ibidem applicuisset. venit cum prioribus civitatis rogans et petens ut miseris subveniret. Audiens beatissima condoluit et statim proferens ad duo milia quingentos solidos omnes maiores usque ad minorem quos hostis tenebat captivos redemit. Insuper adhuc et alios quingentos solidos in usu eis largientes et de cellario si quid optimum habere potuit impertita est. Sed et matronam quandam redimentes in quingentis solidos reliquerunt ad suam. Et inde profecti sunt et iterum revertuntur ad africam et commorati sunt ibi per septem annos ibique captivis multa prestantes. Beatissima una cum matre sua et beato fratre suo ab africa navigaverunt in orientem. et pervenerunt alexandriam et hospitantur aput sanctum cirillum aepiscopum. et sicut decebat sanctitatem eius suscipiens eos. Contigit autem et sanctum nestorium virum prophetiae gratiam habentem. ingressus civitatem propter sanitatem infirmantium habebat autem et hanc gratiam. Sancta vero una cum matre sua et fratre abierunt ad videndum dei hominem. ad quem et multa turba introibat. Ingressi vero ad eum. cepit beatissimus dicere eis quantas tribulationes pertulissent. et multum confortans eos in fide christi nimia consolatione recreati; inde proficiscentes. navigaverunt hierusolimam. Et ingressi adorant dominum per loca sancta. Deinde hospitantur ad sanctam anastasim. habentes parvam pecuniam quam expenderunt pauperibus. Postquam autem locus sanctae resurrectionis a custodibus claudebatur. hec beatissima egrediebatur de cellula sua; ad fores aecclesie vigilans in oratione pernoctabat. Et iterum exurgens. consueto operi insistebat. Habebat secum beatissima fidelissimum ex servis suis iam liberum. hunc hispaniam diri-

gens. distrahere aliquas que remanserant possessiones. ex quibus collecto pretio deferens ad eam. Illa vero in opus dei continuo distribuit. Deinde una cum beato fratre suo profecti sunt in egyptum. et peragrantes monasteria sanctorum et virginum. dispergunt omnia singulis prout cuique opus erat. Revertentes vero hierusolimam invenit matrem suam fecisse cellulam ligneam in monte oliveti ubi ipsa petierat. In qua clausa post sanctam epiphaniam usque ad diem sanctum pasche in cilicio et cinere et ingenti abstinentia perdurabat. neminem videns nisi tantum sanctam matrem et sanctum fratrem suum. Interdum et paulam neptem suam videndam suscipiebat. quam ad multam abstinentiam et humilitatem perduxit. Dicebat autem puella quae eis ministrabat. quia cum in pascha exurgeret sancta; cilicio induebatur; vermes imminens inveniret. In hac tolerantia fecit annos quattuordecim hierusolimis. Contigit autem sanctam matrem eius migrare ad dominum. cuius sanctum corpusculum sepelivit in monte oliveti. et ipsa ibidem permanens de cetero in civitate nolens habitare. Fecit sibi in ipso sancto monte monasterium. conveniunt autem ad eam circiter nonaginta virgines. quas beata suo instruebat exemplo. Intrinsecus autem locum fieri iubet. et omnia eis necessaria ministrabat. fecit eis et balneum in ipso loco. tantum ut caverent aspectus virorum. Propter nimiam. vero humilitatem non acquievit prior esse monasterii sui. sed statuit aliam quae eam regeret. et ipsa solummodo orationem vacabat. et obsequiis sanctorum. Et cum paulo durior esset quae eis praeposita fuerat mater. haec beatissima quae eis necessaria erant. singuli ministrabat. erudiens eas de humilitate et abstinentia orationis. vel nocturnis vigiliis. et ut caritatem invicem haberent. In ieiunio autem sic eas moderabatur. ut unaquaeque saecundum propriae naturae fragilitatem ieiunaret. ne in aliis virtutibus frangeretur. Edificavit autem eis oratorium in monasterio. et statuit ibi altare ut divinis mi(ni)steriis fruerentur. Factum est igitur ut frater eius requiesceret in domino. Beatissima autem post obitum illius semetipsam acrioribus ieiuniis et orationibus coartans per annos quattuor permanens in apostolico in quo beata mater et frater positi erant. Venit itaque ei in desiderium ut faceret. mansiones sanctorum virorum in aecclesia sanctae dei ascensionis et in spelunca in qua cum discipulis suis dominus de consummatione saeculi disputavit. prohibebatur autem a quibusdam dicentibus non posse eam perficere propter nimiam paupertatem. Et ecce quidam religiosus vir optulit ducentos solidos. acceptis autem gratias egit deo et statim vocavit me qui eidem perseverabat. quia et ipsa me de saeculo suscipiens. et indignum me christus ad presbiterii gradum perduxit. Prebuit enim michi ducentos solidos dicens. incipiat fieri monasterium. Mox caeptum est aedificari. et annuente deo et fide famulae eius. in ipso anno perfectum est. Et habitantes ibidem servos dei sanctos ubi sancta mater et eius beatissimus frater requiescebant. His peractis veniunt litterae ab avunculo suo volusiano ex prefectis eoque venisset constantipolim transmissus a piissimo valentiniano imperatore ad reginam eudoxiam. quam desponsare volebat, Acceptis itaque litteris compungitur corde. et desiderans videre avunculum suum. maxime quia voluit animam eius salvam fieri. ergo adhuc erat gentilis. statim egreditur ab hierusalem venit in tripolim cum suis ubi erat martirium sancti leontii. in quo etiam multa efficiuntur. Et proficiscentibus inde. pervenimus constantinopolim. ostendens se quasi peregrina. Mox pervenit ad martirium beatae eufimiae. in quo ingressa. fit ei odor suavissimus. et recreata est magna consolatione. Deinde hospitata est aput beatae memoriae lausum. Post haec repperit avunculum suum infirmantem. et videns eam in tali habitu et umilitate. miratus est. Tunc sancta videns eum in ifirmitate positum. docens eum de fide christi et de vitae resurrectione. Multe etiam nobiles et matrone ad eam venientes confirmatae sunt ab eius sancto eloquio. Tunc antiquus hostis invidia ductus. apparet ei in figura adolescentis ethiopi et dixit ad eam. usquequo venisti huc docere ego immittam tibi dolores membrorum. ut de ipsa vita hic pericliteris. et cum hoc dixisset daemon. statim ut fumus evanuit. Et statim vocavit me et iussit orationem fieri. et haec quae daemon dixerat narravit. Adhuc ea loquente subito tantus dolor renes eius arripuit. ut per tres horas velut mortua iaceret. Sed reversa ad se; caepit orare et dicere. domine fiat voluntas tua. in me famula tua. Et cum per dies quinque

vel sex in magno doloris periculo perduraret. septima die venit ad eam nuntius dicens. vocat te avunculus tuus desiderans te videre et si non festinaveris moritur absque baptismo. Audiens hoc sancta dicit nobis. Et dum poneretur in lectica velut mortua ut iret. revertens qui venerat nuntiavit volusiano infirmari eam valde. et non posse venire. Tunc ille audiens mittens celerius vocavit nutricem reginae eleutheriam nomine. et mandat reginae ut mitteretur ad aepiscopum ut veniret et daret ei sanctum baptisma. Mox autem cum festinatione venit sanctus aepiscopus in domum. et batizavit eum in nomine patris et filii et spiritus sancti. Et statim venit qui nuntiavit beatissimae. quia baptizatus esset avunculus eius. Ut audivit beata hunc sermonem; glorificavit deum. et mox omnis dolor recessit ab ea. et diabolus confusus est. Pervenit itaque beata ad domum ubi regina eudoxia cum avunculo suo ob visitationem venerat. et veniens reddito reginae honore sedit iuxta eum. et gratias agens deo pro eius illuminatione et pro sua recuperatione laetificatur. Et adhortans eum in omnibus quae sunt domini. Superveniente sancta epiphania letus migravit ad dominum. Peractis igitur his omnibus beatissima. celebrato die quadragesimo exitus eius et data pro eo oblatione domino. festinat egredi a constantinopoli. et redire ad cellulae suae secreta desiderans loca sancta videre. Erat enim intolerabilis hyems. Illa vero nichil dubitans. cotidie iter agebat. quia diem sanctum paschae hierusolimis celebrare cupiebat. et quia ieiunium quadragesimae imminebat. quassabamur laboris itinere. hortabamur eam aliquantulum relaxare ieiunium. Illa vero dicebat nichil se penitus fatigari neque ieiunium debeo minuare. sed et blandidis suis sermonibus nos confortans animos fortiores reddebat. Venimus itaque ad quendam montem. et cum prae nimia hieme non possent animalia trasire. ipsa vero descendens viriliter ambulabat. Pervenimus itaque hierusolima per dies quadraginta et quattuor ante passionem domini. et gaudio recreata cum suis virginibus celebrat dies sanctos resurrectionis domini in monte oliveti. permanens in consuetis orationibus et ieiuniis. Edificavit et parvum martirium in ipso loco. congregat ibi non paucos monachos. Interea audiens venire augustam eudochiam. et anthiociae iam applicuisse occurrit ei obviam in sidone. ubi erat cellula cananeae mulieris cuius filiam curavit dominus a demonio. Suscipiens autem eam regina valde honorifice sicut decebat. Pervenerunt deinde ad civitatem reddens regina vota domino. et omne tempus quod ibi egit. a sanctae consortio non recessit. sed eius colloquio fruebatur. et ingressa in monasterium ubi dedicatio celebrabatur in martirio. Dum ingrederetur in monasterium. regina lapsum fecit pedibus pro quo tediare cepit. contristatur autem beatissima una cum virginibus perseverans in martirio cum lacrimis orans. Et prius quam ab oratione cessaret. reginae restituta est sanitas. et reversa in sancta anastasia. et in martirio ubi dedicatio facta est. adoravit deum gratias agens ei. Omnibus rite peractis augusta. constantinopolim rediit. Et cum valediceret regina prae desiderio eius lacrimas fudit. Instat beatissima orationi. ut autem pervenisset; gratias egit deo. Per idem tempus quamdam puellam virginem nobilissimi viri filiam mutam. hec beatissima orationem pro ea fundens. oleo benedictionis cum labia eius tetigisset curavit. Similiter et aliam mulierem eodem modo passam per eam dominus curare dignatus est. Sed et virum quendam obsessum a demone sanavit. Quaedam mulier habens in utero cum advenisset partus eius. triduo periclitans exanimis iacens. et dum nec obstetrices nec medici ad liberandum proficerent. nuntiatum est haec huic beatissime; et exurgens perrexit cum virginibus ad eam. et stans orans super eam. zonamque accipiens suam pelliceam cinxit eam. et statim egressus est infans. et mulier a periculo liberata est. Sed beatissima concessa sibi gratia humiliter volens celare et deo reddens honorem aliorum meritis cuncta reputabat dicens. quia haec zona cuiusdam sancti servi dei fuit. pro cuius meritis ista sanata est. Sed quia me iam ad finem et felicem eius transitum perducit oratio. pauca constringam. Venit igitur natalis domini nostri ihesu christi. et dixit. volo ad sanctam bethlehem occurrere et ibi celebrare natalem domini mei. Vadit enim et cum nepte sua paula virgine. celebrat sanctas vigilias et communicat. Altera vero die vadens in martirium beati stephani protomartyris. precepit de monasterio suo ferri. non enim habebat consuetudinem communicare. nisi ipsa oblationem obtulisset. Iterum

revertens de martirio. vigilabat cum suis virginibus; Erat enim et mea humilitas ibi. et dicit ut ego primum legerem. legerunt autem. et alie tres sorores. postea vero ipsa legit. quia consuetudo erat ei per vigilias sanctorum quinque facere lectiones· Et cum complesset matutinos; dixerunt ei omnes sorores. benedic nos. et ipsa dixit. salvete. et benedicat vos deus. Nam me non audietis amplius legentem. iam enim me dominus vocat. iam cupio dissolvi et esse in requiem. Vos autem moneo dulcissima viscera mea. in christo vivite. et cum timore dei regulam perficite spiritalem. et orate pro me fugite itaque conspectum virorum. quoniam etsi tu aspectu tuo non capiaris. alius te inspiciens decipietur. et saepe fit. ut alterius culpa tibi imputetur in crimine. Et iterum dicebat eis; scitote filiolae quia qui transeunt de mundo hoc cognoscunt quae hic aguntur. Unde si aliqua ex vobis litem aut discidium cum sororibus habuerit ego veniam corripiam eam. quod et factum est post obitum eius. si qua sororum eius adversus aliam insurgebat. aut in vigiliis pigritiam exhibebat. nocte vero assistebat cum minaci vultu et corripiebat eas. admonens et emendans eas ad bonum. Sed ut de obitu eius loquamur. primo cepit frigore teneri. et dum quinto die infirmitas extenderetur. volentibus medicis aliquid mederi. prohibebat eos dicens. iam enim me dominus vocat. quid ergo sine causa conamini. ne videamini deo resistere. Supervenit autem sextus dies dominicus. Tunc iubet me ingredi in martirio ut ibi oblatio celebraretur. et ita perfecto sacrificio laudis communicavit. Venit etiam aepiscopus ad videndum eam. cui commendavit se beata. et communicavit de manu eius. Venerunt et sancti monachi. post hos ingrediuntur et virgines et omnibus valedicens et orationibus eorum se commendans. et dicens eis. commendo vobis sanctum presbyterum. nam ipse non cogente necessitate onus meum portavit. sed propter deum. Et perfecte ancillas dei proprias instituisset sanctae obedire regulae et paulam neptem suam benedixit. Et dixit ad me. commendata habeto monasteria. et ora pro me. et omnibus virginibus plenissime valefaciens. debita pacis oscula exhibuit. Deinde laeta facie dixit. facite orationem. et consummata oratione. omnes dixerunt amen. et dicit beata. benedicite me. et valete salvi in pace. et me iam de cetero sinite quiescere. Et circa horam nonam cum iam velut in sopore somnii intraret. nos putantes eam egredi de corpore. pedes extendere cum merore et fletu conabamur. tunc ipsa dixit. adhuc non est hora. Et ego dixi ei. dic nobis quando erit hora. Ipsa vero dixit. etiam dicam. Consuetudo autem est romanis. ut cum anima egreditur. communio domini in ore sit. Et accepit eadem hora communionem domini de manu aepiscopi. et completa oratione respondit amen. Exosculans dexteram sancti aepiscopi. et recubans laeta aspexit angelos et quasi nobis eos manu ostendit. coniuncta eorum consortio. secura migravit ad caelos. Et sicut semper mansueta fuit eius vita. ita et quiaeta eius translatio. Tunc sanctus aepiscopus et omnes qui aderant. cum silentio ymno dicto et lecto evangelio sicut antea ipsa rogaverat. commendaverunt spiritum eius. Ipsa enim hora tradidit creatori animam. qua hora. cum cleopa dominus in itinere confabulavit. ad quem dixit cleopas. mane nobiscum quia advesperascit. et iam declinat dies. Ita et haec beatissima die dominico caritatem quam ad dominum semper habuit meruit audire a domino. melania fidelissima ancilla veni in requiem et mane nobiscum. ut ubi ego sum. ibi et eos quos michi pater dedit esse volo. Vestimenta vero eius sepulturae non pigebit dicere. quia proficiet ad salutem legentibus. Cuiusdam sanctae mulieris tunicam vilissimam quidem. accepit pro magna benedictione utebatur autem et pallium et levitonem et omnia quecumque ab aliis sanctis et probatis deo servientibus acceperat. sibi reservavit. Linteamen vero penitus nullum. nisi tantum unam sindonem. cum qua deposita est in monumento. Ad capud vero pro pulvillo. cuiusdam servi dei cilicinam cucullam quam in eo in heremo acceperat; sibi poni pret cepit. Ascendit autem sancta in celis gaudens exultans vota sua recepit. bonum certamen certata est. non enim conturbaverunt eam contrariae potestates nichil enim suum in eam invenerunt. Quando autem haec beatissima alicui satisfacere. dicebat. sic audiam vocem illam evangelii. ancilla bona et fidelis ingredere in gaudium domini tui. quod et factum est. Intravit autem gaudens et leta in gaudium domini quod preparavit deus diligentibus se. Cui est gloria et imperium in saecula saeculorum. Amen.

Pag. 428 — De evagrio diacono qui ubique memoratur viro qui apostolorum moribus vixit. incipiam diligenter exponere. quemadmodum ad propositum tale pervenerit. quam congrue stupendae ac predicabilis vite finem dederit in ipsis solitudinibus constituit. quinquagesimum etatis et quartum annum agens. de quo scriptura sancta quod dixit probavit. in parvo tempore multos implevit annos. Hic ergo genere ponticus fuit. ex oppido quod dibora nominatur. filius presbyteri; multarum ecclesiarum curam agentis. quos periodeutas vocant. Primum factus est lector. a sancto basilio cesariensi aepiscopo. circa fines montis argeici. Post mortem autem sancti basilii videns eum spiritualibus aptissimum rebus. benedictus atque venerandus gregorius nanzianzene civitatis aepiscopus. Ille qui insignis providentia doctrinaque preclarus. nulla se humani generis passione lesum probabit diaconum supradictum evagrium fecit. Unde cum sanctus gregorius ad maximum conventum aepiscoporum vocatus. constantinopolim usque venisset. sancto eum nectario aepiscopo tradidit ac reliquid. grandi scripturarum peritia haereticorum omnium nenias destruentem. Cum igitur vehementer in pugnas perversarum vanitatum errorumque sectarum in urbe memorata floreret. ac maximo omnium honore frueretur. prior quidem ipse ut referebat postmodum nobis; laqueis mulieris implicitus. ex his tamen ipse continuo liberatus. amari ab eadem muliere quam amaverat coepit. quae quidem illustris viri coniux erat. Evagrius igitur deum ante omnia metuens. cum autem conscientiam erubescens suam. atque ante oculos decoris execrandi magnitudinem ponens. omnium hereticorum ex alienis malis gaudium atque letitiam. deprecabatur impensissime dominum; ut conatus tantos ipse qui solus poterat impediret. Cumque predicta mulier ei insisteret. neque posset ille prior a voluntate rabiei ipsius separari. eo quod multis irretitus iam esset ac variis eius officiis. post paululum tempus suscepta facta deo oratione quam fecerat antequam eius quo flagrare ceperat mali experiretur incendio. visio ei quaedam ostenditur angelorum. habentium militum speciem. qui ad prefecture officium pertinerent. a quibus ad exitum suum missi teneri subito se videbat. ferro quoque per totum corpus ligatum in carcerem tradi. nec ab aliquo tamen causam ob quam talibus penis succumberet audiebat. Ipse autem conscientiam cogitans suam cum intellegeret ac videret quod propter illam quae noverat ista pateretur putaretque quod ad prefectum maritus mulieris omnia detulisset. Dumque sub tali metu ante forum iudicis intremescit. qui interim aliam in manibus habens causam aliisque criminibus incumbens. variis quosdam tormentis conficere videbatur. Dum ergo fortiter timeret. subito angelus ille qui tali eum visione fecerat. in cuiusdam amici ipsius convertitur formam ac sic eum quem cum quadraginta reis aliis vinctum ducebat alloquitur. Quid inquid domine diacone sic teneris. Ille respondit. Quantum ad rem quidem veram expectat ignoro. suspicor tamen. quod quidam ex prefectopretorio viri ad me adierit iudicium prefecture. matrimonio me suo credens insidiari. et vereor ne forte corruptus paecuniis ipsius iudex. supplicio me mortis addicat. Ille tunc dixit. si consilium inquit amici tui accipis. non expedit tibi diutius in hac civitate versari. Ad hec dixit evagrius. si inquit me deus ex his liberaverit malis. et ulterius me in constantinopolitana urbe tu videris scias tales modo poenas merito sustinere. Tunc ille ait. evangelium inquid tibi exhibeo. in quo si tu iuraveris michi quod ex hac urbe discedas. et animae tue de cetero curam geras. faciam te de necessitatis huiusce periculo liberari. Exhibito itaque evangelio. atque in eodem sacramento ipsi dato quod preter unum diem quo rescellas suas deferret ad navem non esset constantinopolim moraturus. Coepit videre quod iusiurandum eidem prebuerat profuisse. et quod quasi a questione illa iudiciorum quod in presenti nocte metuebat. fuisset penitus absolutus. Consurgens vero a somno. secum cogitans hoc dicens. quamvis in somnis iuraveris. tamen iurasse me memini. Mox igitur ingressus cum rescellulis suis navem. hierusolimam navigavit. quo cum esset advectus atque illic a sancta melania romana fuisset susceptus. iterum cor illius ut pharaonis aliquando obdurabat. Et quia in ipsis adhuc iuvenilis aevi doloribus erat. quedam rursus et illic alia temptatio sensus eius invasit. nullique quicquam tale significans. Cepit illic iterum vestes sibi sepe mutare. et disserendo cum multis glorie vanae illicita merita sectari. Sed ille qui semper perditiones nostras impedit deus. me-

moratum gravissimo febrium igne corripuit. in quo longa eum valetudine domuit. et per sex mensium spatium. corpus eius attrivit. carnesque consumpsit. unde habere propria fomenta consueverat. cum igitur plurimorum ars exquisita medicorum omnia quidem facere temptaret. neque ullum tamen curationum genus quod ad salutem eius proficeret inveniret. haec melania ad ipsum locuta est. Multum inquit michi displicet huius tuae egritudinis longitudo. dic ergo michi quae sunt tui cordis arcana. infirmitas enim ista. sine iudicio dei non est. Tunc ille omnem feminae sanctae confessus est causam. Cui hoc illa respondit. Promitte inquit michi ante conspectu dei; quod ad propositum monachorum atque habitantium solitudinem revertaris. et ego quamvis peccatis videar involuta. tamen precabor deum. ut viventi tibi tribuat commeatum. Cumque hoc facturum se fuisset ille pollicitus. intra paucos dies recepit sanitatem. et de lectulo suo surgens. mox cepit de professione quam spoponderat cogitare. Tunc benedictae ipsius melanie studio veste mutata inde discessit. et ad aegiptum nitriae proficiscitur montem. in quo degens cum bienni tempus implesset. tertio anno in his quam se cellam nominam vixit. unam cotidie panis libram edens. unumque sextarium assumens olei in mensibus tribus. Ille qui inter copias magnas atque delicias cum maxima semper voluptate vivebat. Faciebat autem cotidie centum orationes. hoc tantum per singulos annos scribens. quod ex mercede operis sui ad emendatia vitae alimenta sufficere possit. Suptiliter etiam illam scribebat manum quam ochirincam vocant greci. Ita quindecim annos ad perfectum mente purgatus divinam gratiam meruit. ita ut haberet et notitiam et sapientiam spiritualem et ut bonorum malorumque spirituum differentias nosset. Scripsit iste tres libros quos his vocabulis nominavit. unum ierea. alterum monachon. tertium antihereticon. Artesque monstravit. quibus possent demones subiugari fortiter. Huic semper spiritus fornicationis incubuit. nam sicut nobis ipse referebat. per totam noctem frequenter hiemis tempore nudus stabat in puteo. ita ut ielo quoque carnes eius constringeretur. Aliquando iterum blasphemie spiritus cepit urguere. et ad sacrilega eundem contra dominum verba compellere. ob quam quadraginta iugiter dies sine tecto fuit. ut ipse dicebat. in tantum. ut per corpus eius totum quaedam papulae illi quas sepe in pecoribus videmus exirent. Huic quadam die tres simul demones astiterunt in specie clericorum. de fide tractare cum eo ceperunt. Ex quibus unus arrianum. alterum eunomianum. tertium apollinarianum se esse dicebat. quos omnes sapienter ac breviter disserendo superavit. Idem iterum quadam die cum aecclesie claves petiisset. invocato christi nomine signavit illam ostii partem unde deerant claves. et aperuit manu pulsans fores. Hic ipse tam vehementer expertus est demones atque ab his totiens verberatus est. ut numerus esse non posset. Uni cuidam discipulorum omnia que ipsi post decem et octo annos essent futura. singillatim res ipsas ei prophetando predixit. Dicebant autem ex quo inquid ad has solitudines veni. non lactucae. non silvestris oleris cibum sumsi nichil viride attigi. non ubas. non poma. non carnes non balneas vidi. ad postremum sexto decimo vitae suae anno. in qua nichil quod coctum est edebat. Cum necesse esset corpori propter stomachi infirmitatem ut coctum sumeret cibum. panem quidem attigit numquam holera tamen et tipsanam et lenticulam. per solum biennium gustans. ita exivit a saeculo. ut tantum in ecclesia per sanctam epiphaniam communicabat. Circa ipsum igitur vitae suae finem referre consueverat. quod tertium agit annum ex quo se carnali desiderio intellegeret esse liberatum. Et hoc post talem ipsius vitam. post sudores tantos. post tantos labores. post illas tam iuge orationes. nuntiata est huic patris sui mortem. atque ei qui nuntiaverat dixit. quid inquid blasphemas o homo. immortalem ego patrem meum novi.

Pag. 431 — Fuit quaedam... a saeculo. *Discrimen inter utramque versionem variantium lectionum rationem non excedit. ideo nostram non damus.*

Pag. 434 — Virgo quaedam alexandriae fuit. quae quantum ad speciem pertinebat. humilis videbatur. quantum autem ad propositum ipsius. animae inflatioris erat. Nusquam procedere solens. variis opibus satis dives. non peregrino. non virgini. non aecclesiae. non pauperi. non exiguam stipem prebens. queque sanctorum patrum frequentibus monitis; numquam se tam inutile animae pondus abiecerat. Habebat autem et nonnullos pa-

rentes. inter quos et filiam sororis suae adoptavit sibi. qua sola diebus ac noctibus fruebatur. amisso atque contempto. amore caelesti nonnunquam et hoc pars eius quadam diabolus inmittit errores. ut sub specie affectus qui deberi videtur affinibus. ex avaritia et cupiditate nutriatur. quod autem nullam demon propinquitatis et generis gerat. dudum profecto monstratum est. Ipse est qui homines in matres. in fratres. in patres. cogit fieri parricidas. qui aetiam si pretendere quibusdam aliquando videatur necessitate parentele. non adeo ut illut prosit isde facit. sed ut animis eorum iniustitiae crimen accumulet. divinae non ignarus sententiae. quae iniustos ab hereditate regni caelestis excludit. Potest sane quis ita ut deus precepit sapere. ut et proprie animae contempnatus salutem. et parentibus suis si forsitan agere videatur. vitae alimonia largiatur. quia penitus omnem animam suam conculcat. sola propinquitatis sollicitudine. in peccatum divine legis incurrit. animam ut dixi suam vanitati cui parem figens. venerabilis autem ille conscriptor psalmorum canit. de his qui animae suae curam cum metu maximo gerunt. Quis inquid ascendit in montem domini. hoc est dicere. satis raro. aut quis instabit in loco sancto eius. Innocens manibus et mundo corde qui non habuit. pro vanitate quadam habent. putantes eam unam cum corpore dissipare atque dissolvi. Istam ipsam virginem volens sanctus ille macarius presbyter solutione vene et imminutio sanguinis. ut dici in proverbiis solet a cupiditates onere quomodocumque leviorem; tali erga eam usus est ingenio. Preerat ut prius dixi in cellulis fratrum pauperum atque debilium. idemque in primis iuventutis suae annis in lapidibus et margaritis probandis videbatur peritus fuisset. Accessit igitur ad eam dicens. lapides ad me necessarii. atque pretiosi smaragdi et iacinthi subito venerunt. et sive quis invenerit eos. sive furatus sit. scire non possum. statuere autem eorum pretium nequeo quia cuiuslibet summa quantitatis excedunt. omnes autem simul quingentis solidis distrauntur. Si ergo eos tibi placuerit comparare; poteris unum ex ipsis quingentis solidis vendere. et reliquos neptis tuae monilibus deputare. Suspensa igitur ad talem virgo sermonem. fallitur dolo. et complexa igitur pedes ipsius orat et petit; ne quis memoratos lapides alter accipiat. Cui ille dum avida hortatur; haec dixit. veni inquid in domum meam. ut haec quae diximus videas. Ad quod illa non acquiescens. sed magis quingentos solidos in sinum ipsius fundens ait. quemadmodum vis lapides eos tolle. ego nolo videre eum qui vendidit. Acceptos ille igitur quingentos solidos pauperibus mox dividit. Post aliquantum vero temporis spatium quia magna oppinio ipsius apud omnes alexandrie erat. quippe qui et misericordia in eo esset. et cultor dei. et qui iam usque ad centesimum quoque anni circula venisset. quod ego quoque qui cum illo diu fueram satis noram. eruvescebat eum virgo memorata super ipsis solidis admonere. Ad postremum cum forte ipsum in ecclesia repperisset. alloquitur. Quid inquid iuves precor de lapidibus illis pro quibus ducentos solidos dedimus. Cui ille respondit. ex quo michi inquid illum aurum dedisti; ex eo pro eo pretio ipsorum lapidum dedi. Et si venire ac videre desideras eosdem in ospitio meo illic enim iacent. veni et vide si tibi possunt placere. minusve; aurum referas quod dedisti. Quod illa libenter audito ad presbiteri domum pergit. in cuius superioribus. femine debiles habebantur. in inferioribus autem viri. Ubi primum auditur cum ea intra primi hospitii limen stetit. dicit eidem quid vis primum videre? iacinthos an smaragdos? at illa quod iusseris. Ducit igitur eam ad superiores domus partes. ostendit conscissis feminas membris. et vultibus totis varia morbitate laceratis. dicens ad eam. isti inquid sunt iacinthi. Deinde descendens ostendit ei similes in inferioribus viri. Isti inquid sunt smaragdi. si tibi placet ipsa considera. minusve. aurum accipe quod dedisti. Itaque egressa. est domum presbiteri nimio rubore confusa. et plurimum tristis. eo quod videret se illa voluisse facere; quae deo placere non possunt. Moxque egritudine incurrit. ut rediit. paulo post autem. maximas presbyteri gratias iactavit. Puellam vero ipsam cuius nimiam curam gerebat; nupta quidem. sed sine filiorum eductione defuncta sunt.

Pag. 437 — Vita sancte M. egiptiacae
(Edita supra pag. 226, ex Cod. CXL)

Pag. 464 — Si in memoriam habuissemus. O karissimi fratres verba seniorum. si remeditaremus

eam sempér; difficile haberemus peccare. sicut illi dixerunt. si non neglegeremus modicis et quae estimantur minima esse non haberemus incidere in magna et gravia. Ideo dico vobis quia ex his subtilibus et dicere aliquis. quid enim est hoc. efficitur mala conscientia in anima. et incipit magna neglegere. Ecce quale peccatum est grave iudicare proximum. Quid enim huius gravior. quid enim sic odit deus et despicit. sicut et patres dixerunt. quia nichil peius iudicare. sed tamen ab his ut aiunt minimis. pervenit quis in tale magnum malum. Debet enim assumere modicam suspicationem adversus proximum et dicere. Quid enim est si audiam quod dicit frater? quid enim est si dicam ego hoc verbum? Quid enim si video ubi pergit frater. vel ipse ospes quid facit? Incipit animus dimittere propria peccata et exercere in proximum. et reliquum ex hoc fit iudicare maledicere et in nihilum deducere. ex hoc et in ipso que reprehendit quis incidit. Ex eo enim quod non est sollicitus de propria mala nec lugere ut dixerunt patres proprium mortuum. Non potest omnino in aliquid semetipsum corrigere. sed semper de proximo comprehendit. Et nichil est sic irritans deum. nichil sic nudatum facit hominem ut patres dixerunt. ut sit a deo derelictum. sicut maledicere vel condempnare vel ad nichilum deducere proximum. Aliud est enim maledicere. et aliud ad nichilum deducere. Maledicere est. dicere adversus quendam. quia mentivit. tales quia iratus est. quia fornicavit vel aliud quid tale. Iam enim maledixit eum. Ut puta loquutus est adversus eum. locutus est vitiosum peccatum eius. Condempnare autem est dicere. quia talis mendax est. ecce condempavit ipsam dispositionem animae eius. et diffinivit adversus totam vitam eius. Dicit quia talis est et condempnavit eum ut talem. et est gravis res. Aliud enim est dicere iratus est. et aliud est dicere quia irascibilis est. et diffinire ut dixi adversus totam vitam eius. et tantum est grave condempnare super singulum peccatum. ut ipse christus diceret. ypocrita. eice primum travem de oculo tuo. et tunc perspexeris eicere festucam de oculo fratris tui. Assimilavit peccatum proximi ad festucam. comdempnare autem ad travem. Tantum est molestum iudicare vere. super omne peccatum. Et ipse autem phariseus orans et gratias agens deo propter suas correptiones. non mentiebat. sed veritatem dicebat. et non propter condempnatus est. debiti enim summas gratias ageret deo quando digni sumus quid aliquando bonum facere ut eis adiuvante et cooperante nobis. Ideo dixit non est condempnatus quoniam dixit non sum ut reliqui homines. sed quando reversus est ad publicanum dixit. nec sicut iste publicanus. Tunc aggravatus est. condempnavit enim personam eius. ipsam dispositionem anime eius. et ut simpliciter dicam. totam vitam eius. Ideo descendit publicanus iustificatus super ipsum. Nichil enim gravior nichil molestior. ut sepe dixi iudicare vel ad nichilum deducere proximum. Cur non magis nosmetipsos condempnamus. et mala nostra diligenter sapiamus et de quibus daturi sumus rationem deo? quid diripimus iudicium dei? quid volumus de plasmate eius non debemus tremere. quid accidit magno illi seniori qui audivit de quodam fratre. decidenti in fornicatione et dicenti. O male fecit! Nescitis qualem terribilem dicit de eius in vitas patrum. quia perduxit sanctum angelum animam peccantis et dicit ei. Ecce quem iudicasti dormivit. Ubi ergo praecipis ut ponam animam eius. in regnum. an in penam? Est huius gravitudinis aliquid terribilior. qui aliud est verbum angeli ad seniorem nisi hoc. quoniam tu es iudex iustorum et peccatorum. dic quod praecipis de ista misera anima. misericordiam consequi facis eam? An flagellas eam? ut ipsum sanctum seniorem ammirante super hac re. et muneret totam reliquum tempus suum cum gemitibus et lacrimis. cum innumerabilibus laboribus. deprecans deum parcere eisdem ipsum peccatum. et haec dicente in pedes angeli. accipiente indulgentiam. Nam dixit angelus. ecce ostendit tibi deus quam gravis est condempnare proximum in quacumque re. Dico tibi ut ultra non facias hanc rem. indulsit tibi deus. Sed tamen non sustinuit omnino consolari animam suam de plactum istum usquequo mortuus est. Quid ergo volumus et nos proximo? quid volumus ab aliena gravitudine. habemus quid cogitare fratres. Unusquisque sibimet intendat et propriis malis. dei solum est iustificare et condemnare qui scit constitutionem nostram et virtutem et conversationes et carismata et compositionem et oportunitatem. et iudicantes ad singula horum sicut ipse solus scit. Aliter

enim iudicat deus quam episcopus. et aliter quam principibus.

Pag. 466 — Dixit sanctus dorotheus; sic sumus nos omnes sicut quidam habentes scopon. idest destinationem iterare in sanctam civitatem qui exierunt de una civitate. Et alii quidem ambulaverunt quinque milia. et remanserunt. Alii autem ambulaverunt decem. Alii itineris medium. Alii nullo modo ambulaverunt. sed exierunt quidem de propria civitate. et remanserunt foris portarum in eius feturam. Qui autem in via existentes sunt aliquando ambulant duo milia. et per errorem revertunt illa duo. vel duo ambulant et redeuntes ambulant quinque. Alii ambulaverunt usque ad civitatem ipsam et remanserunt foris et non sunt ingressi in civitate. ecce sic sumus et nos. Sunt enim quidam ex nobis qui reliquerunt mundum et exierunt in monasterium. scopon habentes possidere virtutes. et alii quidem inchoaverunt modicum et remanserunt. Alii adhuc aliud modicum. Alii nullo modo inchoaverunt. sed extimaverunt quidem exire de mundo remanserunt vero in ea quae mundi sunt et in vitiis et in fetura eorum. Alii corrigunt modicum bonum et rursum resolvunt illud. Porro sunt quidam qui plusquam correxerunt resolvunt. Alii correxerunt quidem virtutes in ultimum vero. ad nichilum per superbiam habuerunt proximum et remanserunt extra civitatem. et intus non ingressi sunt. et tamen nec hi scopon eorum perfecerunt. etenim venerant usque ad portam civitalis. sed foris remanserunt. itaque et ipsi ceciderunt de propria destinatione. Unusquisque itaque discat ubi est. sed exivit de propria civitate. remansit autem extra portam eius in fetore civitatis. si ambulavit pauxillum. Aut multum. si pervenit ad medium itineris. si duo ambulavit milia et revertitur duo. Si duo ambulat; et revertitur quinque. si ambulat usque ad civitatem et ingreditur in hierusalem. si in civitate pervenit ingredi vero nullo modo poterit. Unusquisque suum ordinem discat ubi est. Homines enim; tres ordines sunt. est qui operatur vitium. et est qui ei facit finem. et est qui de radicibus expellit illud. Qui operatur vitium est; qui perficit illum. qui defendit illum. Qui autem finem vitii facit est. qui neque de radicibus expellit neque perficit illud. Sed ut sapiens quidem certat praeteriens. habet tamen in se vitium. qui autem de radicibus expellit illud. qui certat et facit que contraria vitii sunt. Habent autem hi tres ordines. multam latitudinem. Utpote loquimini quale vultis vitium et exponam illud. Vultis ut dicamus de superbia. Vultis de fornicatione. aut magis vultis dicamus de vana gloria. quoniam vohementer subicimur ei. de vana gloria namque non vult quis audire verbum de fratre suo. est ergo quis. qui audit unum verbum. et turbatur. et dicet quinque verba vel decem propter unum verbum. et facit litem. et conturbatur. et postquam cessat de ipsa lite. manet cogitans mala adversus eum qui dixit ei ullum verbum. et memorat male de eo. et tribulatur. eo quod non ei dixit plus his quibus dixit ipse. et preparat sibi verba adhunc peiora ad dicentem ei. et semper loquitur in semetipso quare non dixit ei hoc. et dicere habeo illud. et frequenter insanit. Ecce unus ordo et gradus malitie que per consuetudinem operatur immobilis. deus eruat nos de tali ordine. subiacet enim tormentis. Omne namque delictum que per actionem fit. ad infernum trait. et si voluerit talis penitentiam agere non valet solus. Vincitur enim a fortitudine vitii. Ideo necesse est ei sanctorum auxilium sicut patres dixerunt. Ideo dico vobis festinate abscidere vitia. antequam fueritis in eorum consuetudine (*al. manu addit.* inveterati). Est autem alius qui audit verbum et conturbatur. et loquitur et ipse quinque verba vel decem propter unum verbum. et tribulatur eo quod non dixit alia tria peiora prioribus. et cum ipsa tribulatione est malorum memor. preterientibus autem paucis diebus revertitur ad quietem. Alius quidem iniuriat. facit litem. conturbatur. et statim quiescit. Ecce quante differentie dispositionum. sed tamen hi omnes. sub inferno sunt. eo quod nullum operantur. Dicimus et de ipso qui finem vitii facit. est qui audit verbum et in se quidem tribulatur. non eo quod iniuriam passus est. sed quare non sustinuit hic de ordine agonizantium est de his qui finem faciunt vitii. Alius certat et laborat quidem. postea vero vincitur ex gravitudine vitii. Alius minime respondere. sed diripitur ex consuetudine vitii. Alius certat quidem nullo modo loqui aliquid malum. tribulatur enim quod iniuriam passus est. Verumtamen accusat se quia tribulatur. et penitentiam agit de hoc. Alius autem eo

quod iniuriam passus minime quidem tribulatur. sed nec gaudet. Ecce hi omnes qui finem vitii faciunt sunt. habent autem in se differentiam duo ad reliquos. ipse quoque qui in certamine vincitur. et qui diripitur ad consuetudine. hi enim in timore sunt periculi. operantium vitium. Dixit autem eos de diffinientibus vitium esse eo quod per eorum dispositionem determinaverunt illud nam volunt malum agere sed et tribulantur certantes. Dixerunt autem patres. quia omnem rem quam anima non vult. per modicum tempus disperdere. debent vero scrutare semetipsos. forsitan; et si non vitium ipsum. sed aliquid occasionum eius defendunt. et ideo subiciuntur aut diripiuntur. Sunt autem quidam qui certamen non ponunt definire vitium. sed secundum vitium. alius enim silentium agit. propter vanam gloriam. Alius ad hominibus placere. seu propter aliud aliquid vitium. hi per malum curant. Dixit vero abbas pastor. quia malitia malítiam nullo modo exterminat. hi cum his qui per actum ostendunt vitium sunt et sic seducuntur. Volumus reliquum dicere. et de his qui de radicibus vitium expellere certantes sunt. Est aliquis. gaudet cum iniuriam patitur. sed ad habendum mercedem hic de eradicantibus vitium est. sed non cum scientia. Alius autem gaudet eo quod iniuriam passus est et certus est in suum animum quia debet iniuriam pati. quasi ut ipse dans occasionem. hic cum scientia eradicat vitium. nam iniuriam pati quendam et super ponere sibimet causam. et recipere. ut propria quae solent occidere communiter diligentissime scientie proprium est. Unusquisque namque per orationem rogans deum ac dicens. domine da michi humilitatem. debet scire quia hoc est quod petit ut mandat ei quendam ad iniuriandum illum. Cum ergo; a cuidam iniuriam patitur; debet et ipse sibimet iniuriam facere. et ex propriis cogitationibus. ut et ipse a foris humiliat eum et se ipse ab intus. Est alius qui non tantum gaudet iniuriam patiens et se ipsum accusat. sed et tribulatur propter turbationem iniuriantis eum. deus nos iudicat in talem constitutionem. Videte quanta latitudo est in istas tres constitutiones. Unusquisque ergo ut iam dixi. discat de quale constitutione est. si adhuc volens agit vitium ac defendit. Aut volens quidem non agit. vincitur vero vel per consuetudinem diripitur et agit illud. et post eius actionem interrogat subprehendens se quia agit vitium quomodo penitentiam egerit. aut certat vitium finire cum scientia sive saecundum alium vitium certat ut diximus. Quia est qui silentium agit aut saecundum vanam gloriam vel volens placere hominibus. aut breviter dicamus. saecundum humanum aliquid cogitatum. et si cepit eradicare vitium. et si cum scientia eradicat illud. et facit que contraria vitii sunt. Unusquisque discat ubi est in quale milium. Non enim debemus per singulos dies nosmetipsos scrutare. sed etiam per omne tempus. et per mensem et per hebdomadam. ita sibimet singuli dicentes. in hoc vitio taliter acgrababar. nunc utique quomodo sum modo. Similiter et per tempus dicentes in praeteritum annum talem motionem habebam per tale vitium. Nunc uti quomodo habeo et sic per singulos dies exercitare nosmetipsos. si perfectionem modicam habemus aut in eisdem vel peiores simus effecti. Deus donet nobis valetudinem. et si utique vitia non eradicamus. vel actuum eorum effugere et diffinire ea. vere enim gravissima res est agere. et non diffinire vitium. et loquor vobis exemplum cui similis est. qui vitium agit. et defendit illud. Similis est hominis qui saggittatur ab inimicis eius et accipit sagittas manibus suis. et affigit illa in corde suo. Qui autem finem vitii sui facit similis est homini qui sagittatur quidem ab inimicis suis. circumdatus autem existens loricam non leditur a sagiptis. Qui vero eradicat vitium similis est homini qui sagittatur ut sepe iam diximus ab inimicis suis et accipiens conteret ipsas vel revertit et infigit in cor eorum ut psalmus dicit framea eorum intret in cor ipsorum. et arcus eorum conteratur. festinemus ergo et nos fratres. vel si non possumus gladium eorum revertere in cor eorum saltim non accipiamus ac infigamus ea in corda nostra. vel circumdemus nosmetipsos lorica ut non efficiamur ab eis trucidati. Deus ac misericors dominus noster circumdat nos ab omnibus malis ut donet nobis sobrietatem et deducat nos in viam salutis. qui vivit et regnat.

Pag. 469 — OMILIA S. DOROTHEI QUAM SCRIPSIT DE VITA S. DOSITHEI DISCIPULI EIUS.

Beatissimus vere abbas dorotheus monachicam

vitam cum dei auxilio cum dilexisset; in abbatis seridi cenobium abiit. ubi magnos quosdam et multos ascitas. idest in abstinentia exercitatos invenit vacantes in cellis suis. In quibus erant proficientes duo magni seniores. sanctissimus quoque barsanuphius et discipulus eius qui simul cum eo exercitabatur in abstinentia abbatis iohannes qui vocabatur propheta. propter dioraticum charisma quod habebat apud deum. quibus certissime cum semetipsum tradidisset magno seniori. idest barsanuphio per sanctissimum abbatem seridum loquebatur abbati vero iohanni et ministrari dignatus est. Visum ergo fuit his iam dictis sanctis senioribus facere ei illic infirmarium. et curam eius habere. Vehementer enim laborabant fratres quando infirmabantur. non habentes aliquem curantes eos. Construxit ergo per dei auxilium ipsum infirmarium in quem abbatis sancti seridi carnalis frater largiebat quecumque necessaria erant. valde enim diligens christum hic venerabilis vir et monachus. Et fuit ipse ut dixi abbas dorotheus cum aliis quibusdam fratribus venerabilibus ad curandum infirmos. Hic namque habebat sollicitudinem dispensationis huius. In una vero die vocavit illum abbas seridus. et cum venisset invenit apud eum quendam iuvenem militum similia vestimenta indutum. valde tenerum et speciosum. Hic autem erat tunc veniens in monasterium cum quibusdam amabilibus abbatis hominibus ducis. Ut ergo venit. abbas seridus dixit ei. hi homines adduxerunt iuvenem dicentes; quia vult manere hic in monasterio. et timeo ne forte alicui magnorum hominum vel furtum aud aliud malum quid fecit. et vult fugere et inventi fuerimus per eum in temptatione. nam neque habitus. neque species eius est. cuiusdam volentis monachus fieri. Erat autem hic de licin filius cuiusdam stratelatae. et conversabatur in multa epulatione. semper namque in copiosa refectione sunt talium hominum delicie. et numquam erat audiens verbum dei. Porro quidam homines stratilate ipsius enarraverunt in conspectu iuvenis de sancta civitate hierusalem aliquas mirabiles. et desideravit videre ipsum locum. Petivit ergo ipsum stratelaten dirigere illum ad videnda sancta loca. ipse vero tribulare eum non volens. Invenit verissimum amicum suum. ibi pergentem. et dixit ei. observa te. tolle hunc iuvenem tecum ut sancta loca videat. qui ut a stratelate accipiens puerum habebat illum in omni requie et honore. Ut ergo venerunt in sanctam civitatem et adorabant in ipsis locis sanctis. Venerunt in gethsemani. erat autem ibi picta historia futurarum penarum. Ut ergo stabat adtendens iuvenis ipse cum excessum mentis. vidit mulierem speciosam que vestiebatur purpurea vestimenta stantem prope se quae ostendebat ei singulos qui iudicabantur. porro et alia quaedam ut a semetipsa monitabat eum. Ipse vero puer ab ea audiens cum excessu mentis valde mirabatur. Nam sicut iam dixi. nunquam erat audiens verbum dei. Dicit ergo ad eam. domina quid quis faciet. ut eruat de his penis; quae cum respondisset dixit ei. ieiuna et noli manducare carnem. et ora frequenter. ut eruaris de talibus penis. Postquam autem ei dedisset hec tria mandata. ultra non apparuit ei. sed invisibili ab eo facta est. Et tunc ergo manebat puer compunctus. et custodiens tria illa mandata que ei dedit. Amicus autem stratelate videns eum ieiunantem. et carnem non commedentem. tribulabatur propter stratelaten sciebat enim quia habebat illum ut aliquid magnum. Milites itaque qui cum eo erant cum vidissent eum in tali conversatione dixerunt ei. fili. haec que facis non sunt homini in saeculo volentis esse. si ergo sic vis vivere vade in monasterio et salvabis animam tuam. Ipse vero neque quid esset monasterium sciebat. tantummodo servabat que audivit ab ipsa muliere. Ergo dicit ad eos ille. ubi scitis portate me. ego enim nescio ubi vadam. Quidam autem horum militum ut iam dixi. erant amabiles abbatis sancti seridi veneruntque in monasterium adducentes puerum secum. Cum ergo mandasset abbas beatum dorotheum loqui ei. scrutando temptabat eum et nichil aliud sciebat dicere. nisi tantummodo salvare volo animam meam. Venit itaque ad abbatem et dicit ei; si omnino videtur suscipere illum. noli aliquid dubitare nichil enim mali habet; Dicit ei abbas. ergo fac caritatem. et accipe eum apud te ut salvus sit. nolo enim illum in medio existere fratrum. At ipse pro reverentia manebat excusatum illum habere dicens. quia super meum ordinem est recipere alicuius gravitudinem. et de mea non est mensura hoc. Dicit ei abbas; ego gravitudinem tuam et ipsius porto; tu quare tribularis? Tunc dicit ei.

ergo a quo hoc certe fieri iudicasti. si tibi videtur consulere seniori barsanuphio de hoc et dicit ei. bene. ego illi dicam. Abiens ergo et dixit ipsi magno seniori. At ille mandavit dicens. suscipe illum per te enim habet deus illum salvare. Tunc cum magno gaudio suscepit illum. et secum habebat (in) infirmario. nominabatur autem dositheus. Quando vero factus est tempus refectionis. dicit ei; manduca usque ad saturitatem. tantummodo indica michi quantum manducas Venit itaque dicens ei. manducavi domine unum panem et medium. habebat autem panis quattuor libras. Dicit illi et bene abes dositheae. qui respondit etiam domine bene habeo. dicit ei. nunquid adhuc esuriens es. dicit. non domine; non sum esuriens. Tunc dicit ei. ergo manduca unum panem et alterius quartam partem dimitte. et alia commede et fecit sic. dicit ei; esuris dositheae? Etiam domine esurio modicum. Post paucos autem dies iterum dicit ei. quomodo habes dositheae? remansisti esuriens? dicit ei non domine. per tuas orationes bene habeo. dicit ei. ergo tolle medium alium quartae partis, et fecit ita. Post paucos dies rursum dicit ei. quomodo es modo numquid esuris? Respondit. bene sum domine. dicit ei. divide panis quartam partem. et medium commede. et medium dimitte. et fecit sic. et cum dei auxilio sic per paucum et paucum a sex libras constitutus est in octo uncias. etenim ad manducandum multum vel parvum. consuetudo est. Erat autem ipse iuvenis. studiosus in omne opus quod faciebat. Ministrabat egrotantibus in infirmario. et singuli requiem in eius servitium inveniebant. omnia namque cum puritate cordis operabatur. Porro si accidebat pusillanimitate eum pati aliqua ad quendam egrotantium et dicere cum ira aliquid verbum. sinebat omnia. et ingrediens in cellarium plangebat amare. Ut ingrediebatur alii ministeriales infirmario consolationem facere ei et minime consolabatur. et veniebant et dicebant abbati dorotheo. fac caritatem domine et scrutare ad cognoscendum quid abet iste frater quia plangit. Ingrediens itaque inveniebat eum in terram sedentem ac plangentem. qui dicebat ei. quid est dositheae quid habes? quare plangis? et dicebat. parce michi domine quia cum iratus fuissem. locutus sum male fratri meo. Qui dicebat ei. sic dositheae. irasci ausus es fratri tuo. et non revearis cum ira loqui. nescis quia ipse est christus. et tribulare vis christum. et mittebat deorsum faciem suam. et flebat nichil dicens. Ut ergo videbat quia satis flevisset. dicebat ei. eia. deus parcat tibi. surge amodo incipiamus bonum agere. similiter et festinemus et deus adiuvet. Qui protinus ut audiebat surgebat currens gavisus in suum. ministerium suum. sic quasi a deo accepisset indulgentia. Ergo cum didicissent infirmario ministerialem eius; quando illum flentem videbant dicebant. Abet aliquid culpavit. et dicebant beato dorotheo. domine abes opus aliquid in cellarium. Ut ergo ingrediebatur et inveniebat eum in terram sedentem ac flentem. intellegebant quia male locutus est verbum. et dicebat ei. quid est dosithee? iterum christum tribulasti? iterum iratus es? non erubescis? adhuc non vis. in correctionem venire. et diu remanebat plangendo. Rursum ut videbat eum quod satiatus esset plangendo dicebat ei. surge parcat tibi deus. iterum incipe bene agere. et iam corrige temetipsum. At ipse statim cum fide eiciebat tristitiam. ibat in opus suum. stratum vero lecti egrotantium ordinabat valde bene. Tali enim erat liber circa mentis cogitatum. qui sepe cum stratum lecti studebat pretereuntem beatum dorotheum dicebat ei. Kyri ; Kyri ; dicit cogitatum meum. stratum lecti optime facis. Cui respondebat ille. Va. Kyri. ecce es bonus servus. et factus es bonus brencaris; numquid bonus monachus. Igitur numquam sinivit illum in aliquam materialem rem passibilitatem habere. omnia etenim suscipiebat cum fide et gaudio et in omnibus suscipiebant libenter. Quando autem necesse erat illi vestimentum porrigebat ei. Qui cum abisset et consuisset illud cum copiosa diligentia. post suum laborem. Dicebat ei. dosithee consuisti vestimentum. et dicebat. etiam domine. studiose cusui illud. qui dicebat ei. vade et da ipsum ad talem fratrem. aut ad talem infirmum. pergebat itaque et dabat cum le(ti)tia vestimentum. Iterum porrigebat ei aliud. et similiter cum consuisset. studiose illud. dicebat illi. da illud ad talem fratrem. quod statim faciebat. et propter hoc numquam tribulatus est. nec murmuravit dicens. quod post meum laborem. et sollicite illud cusuisset in meum opus tollit a me et dat alii. Sed omne bonum quod audiebat. cum gaudio. faciebat. Porro in quodam tempore. ad-

duxit quis ministrantibus cultellum valde bonum ac speciosum qui cum illud accepisset. adduxit abbati dorotheo dicens. talis frater adduxit macheram hanc. et accepi illam ut per tuam iussionem. habeamus eam in infirmario quia valde est optima ad incidere clistas. Numquam autem possessus est ille beatissimus speciosam materiam in infirmarium praeter eam quae valde erat necessaria. dicit ergo adduc ut eam videam si bona est. At ille dedit illi dicens; utique kiri. bona est ista (ad) clistas. videbat quod in hanc rem bona erat. Sed quia non volebat habere eum in quacumque materia. passibilitatem. voluit ipsam macheram. ut ille haberet. Igitur dicit ei dosithee sic tibi placet. vis esse servus machere huius. et non christi servus. ne dosithee. placet tibi alligatus es per passibilitatem machere huius. et non erubescis quia vis ut machera hec tibi dominetur; et non deus. Qui audiens nec respiciebat ad eum. sed tacens deorsum inclinabat capud. post autem vehementer argueret illum. dicit ei. vade repone illam. et noli amodo eam. nec tangere. Porro in tantum servavit illam non tangere. quia nec dare aliquando voluit cuidam. sed aliis qui secum infirmis ministrabant cum fuisset ad usitatem ille solus non illam tangebat. et umquam non dixit quia quid est hoc. ego sum ab omnibus indignus. sed omnia quecumque audiebat. cum gaudio ut iam dixi faciebat. Sic ergo profecit. modicum tempus. quod fecit in monasterio. Nam quinque annos cum extitisset in monasterio. finivit in obedientiam vitam suam. non faciens nec unam voluntatem in quadam re. neque saecundum passibilitatem aliquid elegit. Porro quando egrotavit et sanguinem sputabat. nam thisicus fuit; unde et mortuus est. Audivit a quodam quod assa ova sorbilia. utilia sunt emoptoicis. sciebat autem hoc et beatus dorotheus. et libenter bolebat curationem eius. sed propter quod satagebat circa frequens egrotantium ministerium. Oblitus est. dicit ergo ei dositheus. Kyri. Volo tibi dicere quia audivi de re que ad hanc infirmitatem utilis est. sed nolo michi dare illam. quoniam molestiam passus sum per cogitatum. Qui dicit ei. dic michi quid est dosithee. dic michi quid est ipsa res. qui dicit. da michi verbum quod non michi porrigas illam. quoniam molestiam passus sum per cogitatum. Dicit ei bene sicut vis; ita faciam. Tunc dicit. audivi a quodam. quoniam assa ova sorbilia. utilia emoptoicis sunt. Sed per dominum si iuves a quo non praevenisti per temetipsum ea dare michi noli. propter cogitatum meum ut praedixi. Qui dicit ei. bene a quo non vellis. non do tibi. noli tribulare. festinabat autem dare ei alias res que utilitatem illi faciebant pro ipsis ovis. quoniam erat dicens; molestiam cogitatum de ovis facit michi. Ecce in talem et tantam egrotationem existens. agonizabat adversus propriam voluntatem. Habebat autem semper memoriam dei. nam tradidit ei frequenter dicere. domine ihesu christe miserere mei. et iterum fili dei adiuva me. habebat ergo semper hanc orationem. Quando vero egrotavit. dicit ei dosithee. sit tibi cura orationis. vide noli illam perdere. Qui respondebat. kalos kiri. idest bene domine ora pro me. Iterum cum acgravatus fuit modicum. dicit ei. quid est dosithee. quomodo habet oratio adhuc stat et dicit ne kiri. idest etiam domine per orationes tuas. Quando autem plus aggravatus fuit in talem enim venit infirmitatem ut portaretur per linteum. Dicit ei. quomodo habet oratio. dosithee. Tunc dicit parce michi domine non possum ultra tenere eam. Dicit ei. Ergo dimitte orationem deum autem in mentem habens. intellege illum. et in conspectu tuo existentem. Laborabat itaque et mandavit ad magnum seniorem dicens. dirige me. quia ultra non possum. Qui mandavit illi. sustine fili mi. nam prope est dei misericordia. Beatus dorotheus. videbat eum laborantem et sollicitus erat ne aliquomodo necaretur. Iterum post paucos dies; mandavit eodem seniori; despota; idest domine ultra non possum. Tunc mandavit illi senior dicens. vade in pace et cum assisteris ante sanctam trinitatem intercede pro nobis. Cum audissent autem fratres responsum senioris istud. ceperunt indignare ac dicere. quid utique fecit. vel quid erat opus eius; quia haec audivit? Etenim secundum veritatem. non videbant illum aut duas dies ieiunantem. sicut faciebant quidam illic existentibus. aut ante matutinum vigilantem. sed nec in matutinales vigilias surgebat. nisi post duo responsoria. Nec videbant illum exercitantem in abstinentia aliqua. sed induebant illum modicum si contingebat superare de pulmento. egrotantibus manducantem. et si remanebat ex piscibus unum caput. aut aliquid tale. Erant autem ibi ut praedixi tantum tempus

duo ieiunantes. et duplas vigilias facientes. et cum abstinentia praetereuntes. Ut autem audierunt tale responsum a seniore directum ad iuniorem quinque annos habentem in monasterium tantum. Turbabantur ignorantes operationem. et per omnia obedientiam eius. qui aliquando non fecit vel unam suam voluntatem. et quia sine esitatione obediebat. Porro si accidebat aliquando beatum dorotheum verbum dicere. ut irridens eum. ibat currens et sine esitatione faciebat illud. Ut quid talem dicam hic ab initio solitus erat loqui cum voce incomposita. beatus ergo ut destraens illum. dorotheu. una die dicit ei. bucacratum est ei necesse dosithee. Bene vade accipe bucacratum. ille cum audisset ibit et adduxit fialam habentem vinum et panem et dedit illi quasi ut acciperet benedictionem. Quia ignorans attendebat in eum ammirans. et dicit quid vis. Respondit ei praecepisti me accipere bucacratum da michi benedictionem. Tunc dicit ei. quoniam clamas sicut et gothi clamant. etenim illi cum irascuntur. et mittunt cum furore clamorem ideo dixi tibi accipe bucacratum. quia et tu sicut gothi loqueris. Cum ergo haec audisset. posuit meganiam cum genu flexu adoravit. et abiit et reposuit fialam. Porro in alium tempore rursus veniens. interrogabat eum verbum de divina scriptura quadam intellegere. qui nolebat illum in haec mentem immittere. sed magis per humilitatem custodiri. Cum ergo illum interrogavit. dicit ei nescio. ille cum nil intellexisset; iterum venit interrogans eum alium capitulum. nunc dicit ignoro. sed vade abbas interroga. Qui abiit sine esitatione. erat autem beatus dorotheus sine ipso locutus abbati. quia si dositheus venerit ad te aliquid de scriptura interrogans. modicum adstringe corripiens illum. Ut ergo abiit interrogavit eum. cepit increpare illum dicens. non agis silentium nihil sciens. tu es ausus haec interrogare. non es sollicitus de tuis spurcitiis. et aliis verbis cum dixisset dimisit eum et dedit ei duas alapas. At ipse reversus est ad abba dorotheum ostendens illi maxillas suas rubeas de alapis dicens. habeo et firmissimas. et non dixit ei. quare me noluisti tu corrigere sed abbatran misisti. nichil tale dixit. sed omnia cum fide ab eo suscipiebat. sine esitatione. Quando vero de cogitatu interrogabat illum. sic certus existens suscipiebat ut ultra de eodem cogitatu bis non interrogaret eum. Hanc ergo ignorantes. ut dixi mirabilem eius operationem. murmurabant quidam quomodo sic mandans senex dimisit illum. Porro quando deus voluit ostendere praeparatam eius claritatem ex ipsa sua obedientia et gratiam quam sanctus dorotheus habebat. Equidem discipulus existens adhuc ad salvandum animas. nam sine errore eum et breviter in deum deduxit. Tunc non post multa tempora beatissimam finem eius. desideravit aliquis sanctorum magnus senex cum ingressus fuisset ad monasterium gratia visitationis. videre eos qui in monasterio iam fuerunt sancti dormientes qui cum petisset ad deum de hac re illi revelare. vidit illos omnes ut in choro stantes. et in medio eorum quendam iuniorem stantem. Qui dixit. utique quis est iuvenior quem cum patribus vidi. et cum descripsisset signa characteris eius. cognoverunt omnes quia dositheus est et glorificaverunt deum ammirantes. a quali vita et quali prima conversatione. in qualem mensuram hic dignatus est iungere in modicum tempus eo quod tenuit obedientiam et dimisit propriam voluntatem. In onorem ihesu christi salvatoris nostri. cui est una et singularis potestas cum patre et spiritu sancto in saecula saeculorum. Amen. Et in nonadecima eius omelia iste magister sancti dosithei. abbas dorotheus. ait. Vere persuasus esto. quod qui odit inmobilitatem. et odit humilitatem. et qui fugit contentiones agentes. fugit mansuetudinem.

Pag. 476 — Ammonitio sancti Dorothei ad monachos.

Et dicam vobis; quomodo omnia mandata christi omnibus christianis tributa sunt. et subiacet omnibus christianis ad custodiendum ea. Tributa sunt ut puta ut dicet quis ad regem; non do tributum regi et fugerit penas. Sunt autem in saeculo magni homines et splendidi qui non tantum munera offerunt regi. set et munera accipiunt et ditantur ab eo magno honore. et magnorum munerum et dignitatem. Sic ergo et patres non tantum mandata custodierunt. et (set *al.manus)* et munera offerunt *(al.manu*: offerebant) deo. Munera enim sunt. virginitas et sine possessiones esse. hec non sunt mandata. non enim scriptum est non

accipias uxores. non facias filios. nec iterum dedit christus mandatum dicens. vende possessiones tuas. Igitur quando venit ad eum legislator dicens; magister quid faciens vitam aeternam possidebo. Respondit non mechaberis. non furaveris. non falsum testimonium dices. et cetera. Qui cum dixisset hec omnia custodivi a iuventute mea dixit ei. si vis perfectus esse vade vende possessiones tuas et cetera. Ecce non dixit. vende possessiones tuas ut precipiens. sed ut dans consilium. Nam dicere si vis num est precipientis. sed ut consilium dantis. Sicut ergo dicimus offer. (*al.manu:* offerre munera) patres deo. cum alii munera virginitatis. et sine possessione esse. et sicut prediximus crucifixerunt. sibimet mundum. et certabant ut semetipsos crucifigerent. sicut dicit apostolus. michi mundus crucifixus est et ego mundo. Quid ergo est differentia. mundus cricifigitur homini quando abrenuntiat mundum. et monachus fit. et reliquit parentes et pecunias et possessiones res dolipsias (dolitias?) idest dare et accipere. Tunc crucifigitur ei mundus dimisit enim eum. et hoc est quod dicit apostolus. michi mundus crucifixus est. deinde adiunxit. et ego mundo. quomodo reliquum crucifigitur. homo manus. quando post electionem rerum. certat adversus ipsas libidines et desideria rerum. et ad voluntatem eius. et mortificat vitia sua. Tunc et ipse crucifigitur mundo et dignus efficitur saecundum apostolum dicere. michi mundus crucifixus est et ego mondo. patres ergo sicut diximus crucifigentes sibimet mundum. festinaverunt per certamina crucifigentes semetipsos sibimet mundum. Nos quidem estimati sumus quod crucifiximus sibimet mundum. quia dimisimus illum. et venimus in monasterium. nosmetipsos vero nolumus crucifigere mundo. Adhuc enim habemus libidinem eius. Adhuc habemus passibilitatem eius. Diligimus gloriam eius. diligimus cibaria. vestimenta pretiosa; erga alium bonum. idest. aliquas res compatimus ei. et dimittimus parvam rem illam facere in nobis. Ut dixit beatus zosimas. locum centenarii. et estimati sumus exire. de mundo et dimittere quae sua sunt. et venimus in monasterium. per minimas res. perficimus passibilitatem eius. Hoc autem patimur de multa stultitia quia dimittentes magnas et pretiosas res. in quadam minima perficimus vitia nostra. Unusquisque enim nobis quod habebat ipsa magna qui abebat utcumque et ipse quod habebat dimisit. singuli ad suam virtutem. et venimus in monasterium. et sicut dixi per inutiles et modicas et minimas perficimus passibilitatem nostram. Non debemus autem illa facere. sed sicut abrenuntiavimus mundum. ita et passibilitatem quae circa meteriam sit abrenuntiare. et scire quidem ipsa abrenuntio. et cur venimus in monasterium et quid est scima quod accepimus et ad illud componere nosmetipsos et certare secundum patres nostros. Scima quod vestimus collobium est. non habens brachia. et zona pellicea et cuculla. haec vero simbola sunt. et debemus dicere quid significant nobis simbola scimate nostro. Cur vestimus collovia non habens brachia. alii sunt quibus abentibus brachia. cur nos non habemus brachia. simbola sunt manibus. Manus vero sumuntur in activalem virtutem. Quando enim venit nobis cogitatio quid agere veteres homines. ut puta furare, vel percutere. aut simpliciter qualemcumque peccatum facere per manus. debemus intendere in scimate nostro et didicere quia non habemus brachia. idest non habemus manus quod agere veteres homines. Habet autem et colovium nostrum signum coccineum. quid vult esse signum coccineum. idest rubeum colorem? Unusquisque militans regi purpuram habens in clamidem eius. quoniam et rex purpura vestitus est. omnes qui militant ei imponunt purpura in clamides suas. idest regalem indumentum. ut per istas ostendere quia regales sunt et qui ei militantur. Sic et nos accipimus signum purpureum in colobium nostrum ostendentes quia christi milites sumus. Et debemus sustinere omnes passiones eius quascumque sustinuit propter nos. Etenim quando passus est dominus noster. vestitus est purpureum vestimentum. primum quidem ut rex. ipse enim est rex regum et dominus dominantium. Deinde autem illusus est ab impiis. et nos ergo habentes signum purpureum promittimus sustinere ut dixi omnes passiones eius. et sicut miles non dimittens militiam suam habiit et fit agricolator vel negotiator. quoniam si hoc fecerit cadit de militiam suam. sicut dicit apostolus nemo militans deo implicans se negotiis seculi. ut ei placeat cui se probavit. Sic et nos volumus certare ut simus sine sollicitudine et soli deo vacare. Ut sit virgo permanens deo sine

sollicitudine. Habemus autem et zonam. zonam cur vestimus? Zonam quam vestimus simbolum est. primum quidem quia sumus in opus praeparati. Unusquisque enim volens operare. primum cingitur. et sic incipit operari. Sicut dicit. sint lumbi vestri praecincti. et iterum. sicut est mortua pelle zona sic et nos mortificamus philidonia. idest libidinem nostram. Est enim zona posita super ipsos lumbos nostros ibi enim sunt renes de quibus dicitur. est concupiscibile animae; et hoc est quod dicit apostolus. mortificate membra vestra. quae sunt super terram. fornicationem. immunditia et deinceps. Habemus et analabum ponitur in crucis forma super dorsa nostra sicut dicit. tolle crucem tuam et sequere me. Quid aliud crux est. nisi perfecta mortificatio quae corrigitur in nobis per fidem quam in christo habemus. Nam fides dicit in vitas patrum circumcidit se per omnem opus dei. Et ipsa est quae ducit nos in talem perfectam mortificationem. idest ut mortificet quis semetipsum de omnibus quae sunt huius mundi. Et sicut dimisit parentes. ut certat compassionem eorum. Similiter et pecunias et possessiones et de singula rem quam abrenuntiatus est quis. Vult ei et ipsa compassibilitate abrenuntiare sicut iam diximus. Accipimus autem et cucullam hoc autem simbolum est humilitatis nam minores pueri et innocentes vestiunt cucullam. homo vero perfectus cucullam non vestit. Nos ergo ideo vestimur ut parvuli simus malitiae. sicut dicit apostolus. nolite pueri sensus. sed malitia parvuli estote. Quid est autem parvuli esse malitiae. parvulus non habens malitiam. si ignobilitatem passus est. non irascitur. si honoratus est. vanam gloriam non habet. si quis acceperit quae sua sunt non tribulatur. Parvulus enim malitiae est. dum non defendit vitium. non defendit gloriam. Est igitur cuculla simbolum gratiae dei. quia sicut cuculla protegit mentem nostram. sicut dixit in vitas seniorum quia cuculla simbolum est gratiae dei et salvatoris nostri quae protegit principalem nostrum. et calificat in christo pueritiam nostram. propter eos qui diripere semper et vulnerare vult nos. Ecce habemus zonam in lumbos nostros. hoc est mortificatio et rationabilis concupiscentiae. et analabum super dorsa nostra; hoc est crux. ecce et cuculla. hoc est signum innocentiae et in christo pueritiam. Conversemur ergo scima nostrum sicut dixerunt patres. ut non alienum scima vestiamus. sed sicut dimisimus maiora. ita dimittamus minora. Dimisimus mundum. dimittamus compassibilitatem eius. Nam compassibilitati eius sicut dixi. et per modicam quadam et minima et nullius rationes dignorum iterum coniunctionem facimus nobis cum mundo et non intellegimus. Si ergo volumus perfecte mundi res eicere. et liberi esse. discamus succidere voluntates nostras. et sic per paucum et paucum proficientes cum deo perveniemus in aprospathia; hoc est sine compassibilitate. Nichil enim sic utilitatem facit homines quomodo ut incidat propriam voluntatem. Vere proficit quis ex hac re. ut ita dicam super omnem virtutem. Et sicut homo ambulans viam longam. et inveniens in ea compendarium idest brevem viam et ambulans per hoc illud compendarium et praeterit multam partem de via illa. Sic est qui ambulans hanc viam incisionis propriae voluntatis. idest non esse compassibilis. Potest autem quis per modicam causam incidere decem voluntates. et dicam quomodo. Ambulat autem quis per viam et videt aliquid. et dicit ei cogitatio intende illuc. et dicit ille cogitationi. Certe non intendo. et incidit voluntatem suam et non intendit. Iterum invenit quosdam loquentes et dicit ei cogitatio; dic et tu tale verbum. et incidit voluntatem suam et non dicit. Iterum dicit ei cogitatio. vade interroga quid concinat. et non vadit et incidit voluntatem suam. Videt aliquid et dicit ei cogitatio. interroga quis adduxit illud. et incidit voluntatem suam et non interrogat. et sic incidens pervenit in consuetudine incidendi. Et ex minoribus incipit maiora cum requie incidere. et sic reliquum venit nec omnino habere voluntatem. sed quicquid efficitur requiem facit ei ut quia eius est. et ita non volens facere voluntatem suam. invenitur semper faciens eam. Nam qui proprium non habens. cingulum quod fit suum est et sic invenitur ut diximus non habens compassibilitatem ut dixi pervenit ut sine vitio. Videns ut per modicum in qualem fert perfectione incidere propriam voluntatem qualis erat ille beatus dositheus. de quale voluptate. de quale delicia. homo numquam audiens verbum dei. et tamen. auditis in qualem mensuram adduxit per modicum tempus tenens obedientiam et incidit pro-

priam voluntatem. Quomodo autem et glorificavit eum deus et non dimisit in oblivione venire talem eius virtutem. sed revelavit sancto seniori et vidit eum in medium omnium illorum sanctorum gaudentem in beatitudinem eorum. Et dico vobis aliam rem similiter apud me facta. ut discatis quia et morte eruit hominem obedientiam. et non haheret propriam voluntatem. Aliquando cum fuissem in his quae abbatis seridi erant. venit ibi discipulus magno seniori de parte ascalone pro quodam ministerio abbatis eius. habebat autem mandatum a seniore. revertere vespere in propriam cellam. Cum autem pervenisset. factum est validissima imbres et tonitrua et erat proximus torrens in totam plenitudinem eius. deinde voluit pergere propter verbum senioris. Nos vero obsecrabamus eum ut maneret nobiscum. quia inpossibile est salvum eum praeterire fluvium. Ille autem non credebat nobiscum manere. Dicimus nos eamus cum eo usque ad fluvium si enim viderit eum per semetipsum habet revertere. Ibimus ergo cum eo. et cum pervenissemus ad flumen expoliavit se sua vestimenta et ligans illa in capud suum et cinxit se manti idest pallium et posuit seipsum in flumen totum terribilem. Nos autem stabimus mirantes et trementes ne aliquomodo moreretur. Ipse autem perseverabat natans et statim inventus est in aliam ripam. et induit se vestimenta sua et posuit nobis inde metaniam et accipiens commendationem abiit currens. Nos vero remansimus mirantes et expaviscentes potentiam virtutis. quia nos quidem cum timore ibi intendebamus. ille vero sine periculo praeteribit propter obedientiam suam. Similiter autem et frater ille quem misit abbas propter necessitudines eorum administrantem eis in villam. quomodo quando vidit semedipsum tractum a filia eius in turpem commixtionem. ut tantum dicat. deus patris mei eripe me et statim inventus est in viam sciti abiens ad patrem eius. Videtis potentiam virtutis. Videtis operationem verbi sermonis quantum auxilium habet invocare quemdam orationem patris sui ut dicat deus per orationem patris mei eripe me. statim inventus est in via.

In parabolis dicit quibus non existit guvernatio decident sicut folia. salus autem existit in multa consilia. Videtis virtutem sermonis fratres. considerate quod dicit nos sancta scriptura. constringet nos ut consentiamus nos ipsos. ut non habeamus nos intellectuosos. ut non credamus quia velemus nos ipsos guvernare. Nichil est miserior. nullus est sic facile captivus. sicut ille qui non habet portantem et dirigentem eum in via dei. Quid enim dicit scriptura. quibus non est guvernatio. cadent sicut folia. Folium initium extat viride bene florens pulcrum. exin per modicum arescit. et cadet. et postea neglegitur et conculcatur. Ita et homo qui non gubernatur ab alio initium quidem habet calitudinem. in ieiunium. in vigiliis in silentium in obedientia in aliquid bonum. Deinde per modicum ipsa calitudinem extinguitur. non habens gubernantem vel rigantem vel resuscitantem eum ipsamque caletudinem arescet. sic non intellegendo. cadent. et fiet iste sub potestate inimicorum suorum et faciunt in eum quicquid volunt. De his autem qui annuntiant que circa eos sunt et cum consilio omnia agunt dicit. salus existit in multa consilia. non multa consilia ut cum unumquemque consilietur. sed in quem habet fiduciam et non alia quidem silere alia autem dicere. sed omnia annuntiare. et de omnia consilium habere. nam talis salus certe existit in multa consilia. si enim non omnia dixerint quae circa eum sunt; et maxime si inventus est ex mala consuetudine et conversatione. inveniet diabolus unam voluntatem. vel unam iustificationem et per eam proiciet eum. Quando autem videt quis diabolum nolentem peccare non est stultus ut imponat ei aliquid sine observatione peccatorum. que sunt manifesta. non dicit ei vade et fornica. nec vade fac furtum. scit enim quia nolumus haec. et non placet ei dicere que nolumus. sed invenit nos habentem unam voluntatem vel unam iustificationem. et per ipsam quasi rationabiliter nocet nos. Unde igitur dicit; malignis malefacit. cum coniungitur se iustitiae. Malignus est diabolus. tu (tunc?) autem male facit quando iungit se iustificationem. iustitia nobis est estimata. Tunc magis valet adversus nos. Tunc magis nocet nos. Tunc operatur in nobis. quando tenemus proprium et consentimus quod iustum videtur. Tunc iam quasi bona causam facientes nobis ipsis insidias facimus. et nescimus quomodo perimus. Quomodo enim possumus scire voluntatem dei. vel omnino querere eam. credentes nobis ipsis. et tenentes propriam voluntatem. Ideo abbas pi-

men dicebat quia voluntas murus est ereum infra homines et deum. Vides virtutem verbi. iterumque addidit. petram est aliam percutiens petram. ut puta. adversaria existens voluntatem dei. Si autem reliquerit eam homo dicit. in deo meo transgrediar murum. et deus meus immaculata via eius. Valde mirabiliter dixit. Tunc enim videt viam dei non habentem maculam. quando derelinquerit propriam voluntatem. deinde dicit senex de iustificatio. cooperatur voluntati. perversatur homo. O qualem conscientiam habent verba sanctorum. Mors universaliter est inventa iustificatio cum voluntate. magnus timorum. magnus periculum. Tunc cecidit omnino ipse miser. quis enim suadet talem credere. quia scit homo plus eius quod utilem ei est. Tunc perfecte tradit seipsum sequere propriam cogitationem. et reliquum sicut vult. inimicus deicit eum. Ideo dicit; malignus nocet quando iunxerit se iustificationi. Odit autem sonus observationis odit. idest locutione de aliqua observatione; ut puta dicam. antequam operetur quis interrogat de animae utilitate. Antequam cognoverit inimicus si custodit quod audit. vel non custodit. odit ipsam interrogatione. et ut audierit aliquid utilium ipsam vocem ipsum sonum talium verborum odit et despicit. Et dicam cur scit. quia intellegitur facile malitiam suam. eo quod interrogat quis et scrutat verbum de utilitate. et nullum ita odit et timet ut si cognoscatur. quoniam ultra non inveniet quomodo insidias faciat sicut vult. si enim observat anima eo quod. annuntiat omnia et audierit a cuidam sciende. hoc fac. hoc noli facere. hoc bonum est. hoc non est bonum. hoc voluntas est. hoc iustificatio est. Iterum audit non est tempus huius rei in alium tempus audit. nunc tempus est. non invenit diabolus per qualecumque occasionem noceat. ea. quoniam semper ut dixi guvernatur et undique constringitur. et sic in ea salus existit in multa consilia. Malignus autem non vult hoc. sed odit. velit enim malefacere et magis in ipsis gaudet quibus non existit guvernatio. Cur? quoniam decident sicut folia. Ecce ipsum diligebat frater malignus de quo dicebat abbas machario. Habeo unum fratrem et cum viderit me revolvitur sicut guindile. Tales diligit in talem semper gaudet. in his qui non habent guvernatio. que non annuntiant ea quae circa eos sunt. his qui possunt post deum adiuvare eos et tribuere eis manus. Numquid non ad omnes fratres pergebat. tunc daemon ille quem sanctus vidit portantem totam gustamentam illa cum vasis earum. Numquid non proponebat totis. sed singuli eorum intellegentem insidias. currebant et annuntiabant. proprias cogitationem. et inveniebant auxilium in tempore temptationis et in reliquum non valebat adversus eos malignus. miserum autem illum solum inveniebat sibimet consentire. et non habentem a cuidam susceptionem. et habebat eum ludibilem. revertebatur gratias ei agens et maledicens alios. Quando vero ad sanctum rem dixit. et nomen fratris. et cucurrit sanctus ad eum. invenit quia haec erat causa perditionis eius. invenit eum nolentem confiteri. invenit non habentem consuetudinem manifestari ideo volutabat eum ubi volebat inimicus. Interrogatus enim a sancto. quomodo circa te frater dicebat. per tuas orationes bene. iterum ei dicens. non te pugnant cogitationem. dicebat et ipse tamen bene sunt. et nolebat confiteri. quousque cum arte sua sit eum sanctus et narravit quae circa eum erant. Et cum locutus fuisset ei verbum dei confirmavit eum et revertit. Venit ergo consuetudinem inimicus volens deicere eum. et coufusus est. invenit eum confirmatum invenit eum ultra non posse deici. Abiit reliquum nichil praevalens in eo. sed confusus abscessit. Et ideo interrogatus iterum a sancto. quomodo habet ipsum frater amicus tuum. ultra non dixit ad eum amicum. sed inimicus et maledixit eum dicens. quia ipse perversus est et nec ipse michi consentit. sed omnium factus est michi agrestior. Ecce cur odit inimicus sonum confirmationis. quoniam vult semper perditionem nostram. ecce cur diligit eos qui semetipsis se consentiunt. quoniam diabolo cooperantur ipsis sibimet insidias faciunt. Ego alium casum non cognovi monachi. nisi eo quod credunt proprio corde. Audisti aliquis decidentem esto sciens quia sibimet consensit. nichil gravior sibimet consentire. nichil huius rei fortior ad perditionem. cooperuit me deus et semper timui periculum hoc quando enim in cenobio eram. omnia manifestabam seni abbati iohanni. nunquam sicut dixi consensi facere sine consilio et erat quando dicebat michi cogitatio. nonne hoc tibi habet dicere senex. quid velis molestus ei fieri. ego vero

dicebam cogitationi. anathema sit tibi et discretione tua. et intellegentiae tuae. quia quod scis a demone scis. et pergebam et interrogabam senem. et quando respondebat michi verbum illud quod michi cogitatio dixeram. postea sic dicebat michi cogitatio. quid est. ecce hoc est quod dixi. nonne extra tempus molestius fuisti seni. et dicebam ad cogitationem. sed modo est bonum. modo ab spiritu sancto est. Tu autem a maligno es. et a demonum es a vitiosa constitutione es. et sic unquam non cosensi memetipsum cogitationi credere sine interrogatione. Et credite michi fratres quia eram in magna securitatem in tantum ut me contristarem in hoc. Audiebam michi quia per multas tribulationes ingredere in regnum caelorum; et videbam me non habentem nec ullam tribulationem. et timebam. et in dubium eram. nesciens causam talem requiei. quousque declaravit michi senex dicens. noli timere. nam unusquisque ponens seipsum in obedientiam patrum hanc requiem et securitatem habet. Festinate et vos interrogare fratres et consentire vobismetipsis. discite qualem securitatem habet res ista. qualem gaudium. qualem requiem. sed quoniam ut dixi quia numquam fui tribulatus. Audite de hoc quod accidit adhuc existens in cenobio. Semel facta est michi magna et importabilis tribulatio. et eram in talem laborem et gemitum. ut abiens simpliciter dicam tradere animam meam. et erat ipsa tribulatio de invidia demonum et erat talis temptatio de insidia eorum super inducta. Gravissimus quidem. modicum vero tempus tenens. grandis. obscurum. sine consolatione non habens nec unam requiem. Sed undique angustia. undique suffocatio. Cito autem venit gratia dei in anima. sic autem iam non valebam supportare. Eram ergo ut dixi in talem angustiam. et in talem temptationem. In una ergo die stabam in (a)trium monasterii pusillanimis. et obsecrans de hoc deum. statim intendo intro in ecclesiam. et vidi in quodam scimate aepiscopi vestitum. nunquam appropinquabam ospiti sine augustam vel licentia. sed ut aliquid adtrahebat me. et ingressus sum post eum. et erat ipse stans diu. Habebat manus suas extensas ad caelum et ego stabam post eum cum timore magno orans. facta enim erat michi formido viso eum. post autem finivit orationem conversus est et venit ad me; extendit manum suam et tetigit pectus meum et percutiebat digitis ejus pectus meum dicens. expectans expectavi dominum et respexit me et exaudivit deprecationem meam et eduxit me de lacu miseriae et de luto fecis. Et statuit supra petram pedes meos et immisit in os meum canticum novum ymnum deo nostro. Et dicit totos duos istos versiculos. et percutiens ut dixi pectus meum. et sic egressus est. Et factum est in cor meum. lumen. gaudium. consolatio. dulcedine. et inventus sum alium ex alio. Ut ergo exivi cucurri retro post eum. volens invenire et non inveni sed evanuit. De ipsa per miserationes dei iam non scio me molestus esse. neque de tribulatione nec de formidine. sed protexit me dominus usque nunc per orationes ipsorum sanctorum seniorum. Haec autem ad vos fratres volens ostendere vobis. quantam habet securitatem et requiem. cum omni studio non consentire homo seipso. sed iactare quae circa seipsum sunt in domino et in eos qui possunt post eum deducere. Discite ergo et vos interrogare fratres discite non consentire vobis metipsis. bonum est. humilitas est. requies est. gaudium est. Quid opus est esse incassum quendam. impossibile est aliter salvum fieri. nisi sic. forsitan autem cogitare quisquam si non habet quemquam interrogare quid habet facere. Vere si in veritate voluerit quis voluntatem dei. numquam dimittet eum deus. sed certe deducit eum saecundum suam voluntatem. vere dirigit cor suum ad voluntatem dei. parvum puerum illuminavit deus dicere ei voluntatem suam. si autem voluerit quis cum veritate voluntatem dei. et ad prophetam si perrexerit. ad cor suum perversum tribuet deus in cor prophetae respondere ei. sicut dicit scriptura. si seductus fuerit propheta ego dominus seduxi prophetam ipsum. Ideo debemus cum tota virtute dirigere nosmetipsos ad voluntatem dei. et non credere proprio corde sed et si bona res est. et audierimus a cuidam sanctos quia bonum est. debemus credere nosmetipsos quia bene facimus illa et sicut oportet. sed debemus facere quidem secundum virtutem nostram. Iterum vero interrogare debemus si bene fecimus illa. et post haec si securi esse sed expectare dei iudicium. sicut ipse sanctus abbas agatho. quando interrogatus est quod et tu times deum. Respondit. ego secundum virtutem meam

custodivi mandata dei. nescio autem si placuit deo. Alia enim sunt iudicia dei. et alia hominum. Deus protegat nos a periculo eorum qui consentiunt sibimetipsis et donet nobis ut teneamus viam patrum. Amen.

Pag. 485 — Radix et mater maligna. malignam et filiam in praescriptis iam esse audivimus. Idest superbiam blasphemiam inenarrabilem. Ideo necesse est illam in medium trahere. nam non qualiscumque est iste sed magis omnibus malignus inimicus bellum magnum et terribile faciens. et quod peius est. nec cito enarrare vel confiteri aut palam fieri possibilis existens spiritali pater. Ob quam causam. et multis sepe desperationem fecit extra divinum auxilium faciens. Sicut vermis lignum inutile faciens sic itaque hic inimicus qui per totum inmundus. solet sepe in tempore quando missa canitur et iuxta horam terribiliorum et divinorum vivificantium misteriorum blasphemare deum. et ipsa quoque sancta quae perficiuntur. Unde magis manifeste didicimus non esse nostra anima quae illa impiissima et inenarrabilia verba in semetipsa loquitur. sed demonum. qui aetiam deum odit. qui et a celis effugiit eo quod et illuc deum estimabat blasphemare. Si enim impiissima illa verba mea sunt quae non oportet dicere. quomodo adoro accipere communionem. quomodo maledicere possum et benedicere? Multos iste seductor animarum in extasi non mentis posuit. nullum enim alium cogitatum ita inenarrabilem. sicut istum extitit. Propter quod sepe multis usque ad senectutem appropinquavit. Nichil enim sic demonis et cogitationibus dat fortitudinem adversus nos. ut si non manifestamus ea. in nosmetipsos abscondamus. Nemo sit qui in verbis blasphemiae excusabilem esse cogitet. enim hominum dominus scit et agnoscit. quia non nostra. sed inimicorum nostrorum sunt ipsa verba. Ebrietas causa est ad offendendum. et superbia. ad pessimas cogitationes. et deo offendere quidem. inexcusabilis est qui offendit. de ebrietate autem. flagellabitur non iniuste. In oratione cum steterimus. inmunda illa et inenarrabilia cogitata insurgunt adversum nos. ut cum perficiamus orationem. statim se subtraunt. Porro eius qui cum ea non litigat. non solent litem facere. non autem tantum divinitatem et divina omnia blasphemat. impium blasphemiae cogitatum. sed et polluta et quae non decet verba in nobis loquitur. ut aut orationem dimittamus aut nobismetipsis desperemus. Multos de oratione prohibuit. multosque de divino misterium segregavit. Aliis quidem corpora tabescere facit. Alios autem per ieiunium domavit iste malignus inimicus hominum tirannus. et nulla eis dedit requiem. Nam non tantum hominibus secularibus sed aetiam his qui monachicam vitam elegerunt. Nulla eis ceterum habere salvatione supponens. sed et infidelibus et idolatris omnibus. miserabiliores esse diffiniens. Qui de spiritu blasphemiae molestiam patitur. et erui ab eo vult. sciat diligenter non suam animam causam esse harum cogitationum sed inmundum daemonem qui aliquando ad deum dixit haec omnia tibi tabo. si cadens adoraberis me. Ideo et nos ad nichilum ducentes eum et nullo modo quae ab eo dicuntur in mensuram habentes dicamus; Vade retro satanas. dominum meum adorabo et illi soli servio. tibi autem revertetur dolor tuus et verbum tuum. blasphemia tua descendat in praesens et in futurum saeculum. Qui sine istum modum blasphemiae daemonem vincere vult. similis est ei qui coruscationem in manibus suis probat apprehendere. nam quomodo apprehenderit. aut contradixerit. vel purgaverit ei qui subito in corde tanquam ventus praeteriit. et momento citius verbum loquitur. et statim evanescit. Omnes namque pugne. et stare solent. et sic pugnare et tempore tardare. et dare tempus eius qui non vult. adversus eas pugnare. Haec autem; nullo modo. sed simul cum apparuerit. discedit. et statim cum loqueretur. occultatur. sepe simplicioribus mente talis demon solitus agitare. qui et maxime valde conturbantur. et multum plus quam aliis patiuntur. in quibus etiam dicimus potentia non de superbia. sed de invidia demonum totum fit. Iudicare et comdempnare proximum contineamus nosmetipsos. et cogitatum blasphemiae. minime timeamus. Occasio enim et radix posterioris primum est. Et sicut aliquis in domum conclusus existens his qui a foris praetereunt aut verba nichil loquentis. Ita et animum cum in semetipsa fuerit demonis blasphemiam per eam praeterientis. audiens conturbatus. Qui ad nichilum deducitur. vitium blasphemiae liberabitur. qualiter autem cum eo luctare certat. usque ad mortem subditus erit ei. Etenim qui spirituum

verba apprehendere vult similis est ventum concludentis. Quidam monachus de anima sua vere curam habens. et de ipso demone molestiam patiens usque ad XX annos suas carnes per ieiunia et vigilationes tabescere fecit. et cum nullam utilitatem intellexisset. abiit et in chartam passionem suam scripsit. et cuiusdam sancto viro dedit in faciem iacens et ad eum non valens respicere. Cum vero legisset ipse senex et quasi risum fecisset et elevasset a terra fratrem ait illi. pone fili mi manum tuam in collum meum. et cum fecisset frater. magnus ipse qui erat ait. super collum meum peccatum hoc sit frater. quantoscumque annos fecit temptans te. aut in te ultra faciens tantum esto tu ad nihilum habens illud. Et certissime dicebat ipse frater quod non exiit de cella ipsius senioris. prius quam vitium statim evanuit. Qui autem expertus fuit. michi enarrabit deo gratias agens.

Pag. 487 — DEGRADATIONIS LIBRI QUEM CONSTITUIT SANCTUS IOHANNIS SOLITARIUS DEPRECATUS AB ALIO ABBAS SANCTUS IOHANNES CAPITULARIA DE OSPITALITATE ET PEREGRINATIONE (1).

Hospitalitas est. dimissione reversione omnium quae in propria sunt ad pietatis destinationem contraria nobis. Hospitalitas est; mores sine praesumentia. sapientia incognita et intelligentia. occulta vita. invisibilis scopos. idest destinatio. et cogitatum. desiderium ut omnium minor sit. angustiarum occupatio. causa divini desiderii. inanis gloriae abnegatio. silentii profunditas. Cognoscitur cogitatum hospitalitatis istud in eo quia amator est domini. per divinum ignem primitus manifestari. sine reversione suggerens nos ad fugiendum parentes nostros; ut ab omnibus viles simus et tribulati propter amorem caelestem. Sed tamen quantum est ista virtus magna et laudabilis. tantum habere oportet eam et multam discretionem. non enim omnis hospitalitas bona. Nam si omnis propheta sine honore est in sua patria. sicut dominus ait. Adtendamus non hospitalitas fiat nobis causa ad vanam gloriam possidendam. hospes namque ipse est. qui segregat ab omnibus. ut non separetur a deo animus eius. Hospitalitas est amor et labor lugendi sine oblivione. Hospes est qui omnium propriorum et amicorum diligentia fugit. Noli expectare in monachica vita existens. vel in hospitalitate animarum quae diligunt mundum praesentiam quia furtes minime expectat. Multi se cum salvare probaverunt pigros. et neglegentiam animarum suarum habentes et perdiderunt semetipsos cum eis. fugit enim ignis ille per multitudinem temporis a cordibus eorum. Cum acceperis flammam. currens festina. non enim scis quando extinguitur. et in tenebris remaneas. Alios quidem salvare debitores sumus. Ait namque divinus apostolus. Itaque unusquisque nostrum pro se rationem reddet deo et iterum dixit. qui doces alium te ipsum non doces? Qui mundo hospes factus est. ne revertatur ad mundum. vitia eam cito reverti solent. Nec iste modus dolosus demonum. lateat nos. fratres. soliti namque sunt. supponere nobis a saecularibus hominibus minime segregari. dicentes multam mercedem tollere habetis a deo propter eorum salvationem. ut teneant mulieres nos; quas frequenter soliti sumus videre. quibus minime oportet consentire. Magis autem quae contraria sunt faciamus. Cum a domibus nostris ad tempus vel tempora separamur. et modicam reverentiam. sive compunctionem. aut abstinentiam possidemus. tunc ceterum maligna cogitationes vanitatis incipiunt dicere; revertimini iterum in propriam patriam ad edificationem multorum ac figuram et utilitatem eorum. qui iam malas actiones nostras sciebant. Si vero et rationis et scientie possessores quantulumcumque erimus. Tunc tamquam salvatores animarum et doctores. nos reverti consiliantur. ut ea que in portu collegimus bene. dispergamus in pelago male. Lot imitari festinemus et non uxorem eius. nam anima si revertatur unde exivit. sicut sal evanuerit. et erit manens ad bonum immobilis. Effugite ab egipto non revertendo in ea. Animae namque quaecumque ibi reversae sunt; terra repromissionis hierusalem nullo modo viderunt. Melius est tribulari parentes; quam dominum. etenim dominus et plasmavit nos; et salvavit. Parentes vero quos dilexerunt perdiderunt. et in tormenta posuerunt. Non odientes nos parentes nostros. vel locum secedimus ab eis. absit. sed impedimentum fugimus. quod ex dili-

(1) Versio differt ab ea quae occurrit in *Maxima Bibliotheca Veterum Patrum*, Lugduni 1677, Tomo X, *Scala Paradisi*, pag. 397.

gentia eorum fit nobis. Sicut in omnibus bonis; et in hoc magister imitantibus eum factus est christus. Nam invenimus et ipsum parentes secundum carnem. set tui foris stant querentes te. statim et dominus noster impassibilem odium ostendens. dicit. mater mea et fratres mei hi sunt qui faciunt voluntatem patris mei qui in caelis est. Sit tuus pater; qui ad honus peccatorum tuorum potest. et vult. tecum laborare. Mater autem; compunctio. quia possibile est liberare te ab immunditiis tuis frater vero qui ad supernum cursum concurrere tecum virilis est. Porro mortis memoriam. sicut coniugem habe inseparatam. Sint tibi filii; suspiria amabilia cordis. servum quoque decet te habere; tuum corpus. Amicos autem sanctas virtutes que in tempore mortis auxilium magnum possunt facere tibi si fuerint tui amici. Desiderium extinguere potest quod aliquis habet ad suos parentes; per divinum desiderium. Qui autem dixerit possum utraque habere. seductus est a sua quoque stultitia. et daemonum temptatione. Audiens dominum qui dixit. nemo potest duobus dominis servire. et reliqua. Non veni dominus ait. mittere pacem vel diligentiam ad parentes. filiis et fratribus servire michi sponte desiderantibus. sed in litem et gladium. Separare diligentes. dominum ex concupiscentibus mundum. ex inmaterialibus materiales. Humilitatem sequentes et vanam gloriam diligentes. Nemo est qui tantum se ad hospitalitatem tradat; quantum ipse magnus qui audivit. exi de terra tua. et de cognatis tuis. et de domo patris tui. Et quidem in alienigenas et terram erat vocatus. quae nationem barbaram habebat. Quando nos demones tamquam ad magnam operam hospitalitatis laudaverint. vel homines imperiti. Tunc nos intellegamus ipsum qui de caelis in terra propter nos hospes factus est et inveniemus nosmetipsos in saeculum saeculi perficere minime potentes. Sicut inpossibile est cum uno oculo quidem desursum respicere. sic est inpossibile cum qui omnino a suis omnibus. vel suis seipsum non segregat. per hospitalitatem cogitatu aut corpore iuxta animam non periclitari. cum magna violentia et labore. et sudore potest stabiles et laudabiles mores. sed quae cum magno labore possesse sunt. possibile est in unius hore momento perdere totos. Scriptum namque est. corrumpunt mores bonos colloquia mala; et saecularia non saecularia. Qui saecularibus hominibus delectatur conversationem habere. vel prope eis assistere; certissime sciat. quia aut in eorum laqueis offenderit. aut cor eius cogitans de eorum delictis polluitur. vel ab eis immaculatus existens. eos qui polluuntur. ut mundos iudicans et ipse eis similis efficitur. HOC EST FINITUM CAPITULUM. Tertius trinitatis equalis numerus cursus qui ascendit ne respiciat ad dexteram vel ad sinistram. Hoc autem determinatio est eius.

Pag. 491 — DE OMELIA SANCTI IOHANNIS CRISOSTOMI QUAM SCRIPSIT SUPER MATHEUM EVANGELIUM DE SALVATORIS SERMONE QUOT ITA INCIPIT.

Cum oraveritis non eritis sicut ypocritae qui amant in sinagogis et in angulis platearum stantes orare (ut) videantur ab hominibus. Amen dico vobis; quia receperunt mercedem suam. Tu autem cum oraveris intra in cubiculum tuum et clauso hostio tuo. ora patrem tuum in absconso. et pater tuus qui videt in absconso. reddet tibi in manifesto. Iterum et hos ypocritas vocat et valde consequenter. quia deo simulantes se orare; ad videndos homines circiter respiciunt; Non habentes formam hominum deo accedentium ad postulandum propriis delictis. sed homines nulla ratione dignos. Nam qui postulare volens; omnia debet dimittere. et ad ipsum tantummodo respicere. qui potestatem habet dare. quod petitur. Si autem seipsum derelinquens. alibi respicis; vacuas manus habens. abieris. Hoc enim tu ipse voluisti. Ideo non dicit. quia non recipiunt mercedem tales; sed quia receperunt. Ideo recipiunt quidem. sed a quibus concupiscunt ipsi. Quod deus non vult. etenim suam vult ei mercedem largiri. ipsi autem ea quae ab omnibus dantur inquirunt. ideo et vociferantes sunt. et non est iustum eos ab eo recipere propter quem nichil fecerunt. Qui accusat illos et de loco; et de earum dispositione. et ostendens eos valde reprobos. Introducunt autem optimum modum orationis. et rursum mercedem donat dicens. intra in cubiculum tuum. Sed dicit aliquis. ergo? in ecclesia non oportet orare? Ad quem dico. et valde equidem. sed cum tali affectu ut deo magis placeat. quam hominibus. quorum similis fieri non vis. Deus enim scopon. idest destinationem inquirit

ab eis quaecumque aguntur qualem intentionem habent. Quoniam et si in cubiculo oraveris. et claudens illud. et hostentationis gratiae hominibus facis. nichil tibi prodest. Videte ergo et hic qualem definitionem posui dicens. ut videatur ab hominibus. Itaque claudens hostium. et mentis hostium claudere oportet. Etenim vanam quidem gloriam in omnem spiritalem actionem fugere necesse est. maxime autem in psalmodia vel oratione. Nam si hunc morbum habentes. in aecclesia ingredimur. quomodo poterimus audire. quae a nobis domini loquuntur. Et si nos qui postulamus nobismetipsis minime audimus. quomodo domini auribus percipere obsecramus. Sed sunt quidam qui post tales tantasque salvatoris iussiones ita in orationibus stantes; semetipsos turpiter disponuntur. ut et corporis absconso. omnibus semper. altas voces manifestare non erubescunt. Nolite itaque fratres per figuram corporis. nec per vocis clamorem. sed per promptam mentem psalmodiam et orationem efficere. non cum clamore et sono. sed cum omni modestia. et contrita mente et occulto gemitu et fletu. Sed forsitan in animo tuo dolor existit. et non potes in alta voce cantare. vel horare. et quidem ipsum qui alte est dolens. hoc est proprium cum modestia et intellegentia psallere ac orare. Quoniam et moyses dolens erat. et corde in occulto clamabat audiebatur a deo. Ideo et deus dicebat ad eum. Quid clamas ad me? et anna samuelis mater. nullam vocem mittens. omnia consummavit. quaecumque voluit. quia corde clamabat; Abel vero. non tacens. sed mortuus existens orabat. et sanguis eius clamore tubae mittebat vocem. Ingemesce itaque et tu sicut ipse sanctus non prohibeo. exinde ut propheta iussit cor tuum et non vestimenta tua. De profundo ad dominum clama. nam de profundis clamavi ad te domine. Non vides quia in regale palatium omnis turbatio et clamor eicitur. et de omni parte silentium agitur. Et tu igitur. ut in regalia palatia ingrediens. non que in terra. sed ad ea que his multo magis terribiliora sunt. idest celestia plurimam debes ostendere reverentiam. Etenim cum angelis et archangelis societatem habes. et cum seraphim psallens. Hec autem tota multitudo magnum ostendunt ordinem. et cum multo timore ac tremore ipsam melodiam et sacros ymnos cantant regi omnium deo. His ergo teipsum coniungens. et ad placendum deo. et non hominibus per vanam gloriam cantare; voluntas tua sit semper. Etenim vana gloria quoscumque habet. subiectos non cessat usque ad mortem persequi. ego itaque libenter eligerim sepe crudelissimis barbaris fieri servus. quam vane gloriae semel; Nam ipsi non precipiunt tanta vel talia captis qualia haec subditis sibi precipit. Omnibus esto servulus inquiens; sive pretiores sunt. sive deteriores. Nulla sit tibi cura de anima tua. neglectus esto virtutibus. Ad nichilum apud te sit tua libertas. Immola daemonis salutem tuam. et si aliquid bonum feceris. non deo placens sed ad ostentationem multorum hominum fac. ut omnium bonorum tuorum et perdas coronam. et si agis elemosinam. sive ieiunas. vel psallis laborem quidem sustine. festina vero totum lucrum perdere. Quid igitur crudelius. aurum iussionum. sicut ergo eiectio lapidis ad altum non iungit in caelum. ita hominibus placentium psalmodia et oratio. numquam ad deum ascendunt. Nam tedium prosolvit fortitudinem anime. vanam gloriam vero. mentem repulsam a deo. robustam facit. Si praesentis tantummodo multi testes actuum eorum sint. Tunc levissima sunt ieiunia et vigiliae. et altissimae cantantium voces; atque orationes. nam laudationes multorum. excitat mentem vitiosam. Noli vendere miser labores tuos per gloriam stultorum hominum. Neque futuram et permanentem gloriam tradideris laudibus corruptibilibus ac presentibus et vanissimis. Gloria enim humana pulvis similis est. et species eius. in terra extinguitur. Virtutum autem gloria manet in eternum. Estote itaque fratres scientes. quia cum in abundantia sit in anima naturalium eius fluctuum. cum magna voce vult psalmodiam canere; et cum alto sono delectatur orare. quando vero spiritus sanctus operatur in ea. cum omni quiete et dulcedine cantat et orat in solum cor. et prima quidem dispositio fit cum spiritualibus lacrimis. post haec apparet delectatio quietem diligens. Calidum enim manens dei memoriam propter mediocrem vocem intellegentias cum fletu quasdam et modestas praeparat ferre. Unde certe est videre fructificatione orationes cum lacrimis inter cordis propter spem ad metendum seminatas gaudii. Verumtamen quando ex multa tristitia adgravamus. oportet modicum cum

alta voce facere nos psalmodiam. spei gaudio corda. ac organa animae tangentes. donec nebula ipsa gravissima obsolvatur. Et rursus statim in secundum ordinem quod iam diximus revertere. ut elationes non patiamur. et perdamus dulcissimam dei memoriam. in ingressione stultorum hominum laudationes. cuius nos omnipotens deus eruens. mansuetudinis gratiam ; et humilitatis in animo nostro inponat. Ut imitatores salvatoris effecti. in gloriam et honorem eius appareat vita nostra. cui semper decet gloria cum deo patre in saecula saeculorum. Amen.

Pag. 492 — De palladio qui vitas patrum scripsit. et pachon monacho heremitanum.

Pachon erat quis nomine circa annos septuaginta duo. existens qui sedebat in scithi. Accidit autem me de vitio mulieris concupiscentiae molestiam patientem. valde tribulari et in tantum eram temptatus. ut prope fieri exire de heremo. incessanter enim movebat me. Et vicinis quidem meis rem non dixi. nec meo magistro eulogio. Latenter vero cum secessissem in eremum conloquebam per quindecim dies patribus qui in scithi erant senectuti. cum quibus erat et pachon. Cum ergo invenissem hunc sanctum existentem simplicem plus aliis magnamque abstinentiam habentem. fiducialiter narravi ei quaecumque in mea mente habebam. Et dixit michi ipse sanctus non mireris de hac re. nam hoc non es patiens de pusillanimitate testimonium enim tibi perhibet et locus. et quorum necessa sunt corporis defectio. maxime et quod non est hic mulierum conloquium. sed magis de festinatione quam ad virtutem castitatis habes accidit hoc tibi ab inimici invidiam. Nam bellum fornicationis triplex est. aliquando quidem caro nostra pugnat nos bene patiens. Aliquando autem vitia elevantur adversum nos per cogitatum. aliquando vero et ipse demon nobis vim facit. per invidiam. Ego enim sepe observavi et inveni hoc. ecce vides quia senex sum et XL annos habeo in istam cellam sollicitudinem habens de mea salvatione et in hanc existentem aetatem usque modo temptat me. Et iurabat dicens. quia duodecim annos habeo quinquaginta praeterientibus. non pepercit michi nec noctem nec diem pugnando. Existimans itaque quod ideo iste demon tantam potestatem adversus me habuit. propter quod me deus dereliquid. elegi magis mori irrationabiliter. quam corporale vitio. inonestetur pitudinem pati. Et cum exissem de cella mea. ambulabam per desertum. et inveni speluncam. gene in qua speluncam meipsum posui tota die nudum. et cum exierint bestie. comederint me. Cum ergo vespera facta fuisset sicut scriptum est sol cognovit occasum suum. posuisti tenebras et facta est nox. in ipsa pertransibunt omnes vestie silvarum. Catuli leonum rugientes ut rapiant et querant a deo ex escam sibi. Exierunt bestiae in illa ora masculus et femina. et cum odorassent a pedibus usque ad capud. lingentes me. extimabam quidem quia commedere me habent. sed discesserunt nichil michi male facientes. Iacui enim totam noctem. et cum nichil ad me fecissent arbitrans. quia deus mea miseria pepercit. Surgens reversus sum in cellam meam. Cum autem recessisset demon paucos dies. rursum plus aggravavit me post quam prius. et modicum fuit michi non blasphemare. Transfiguravit se enim demon in ethiopissam puellam quam aliquando vidi quando iuvenis fui in estatis tempore colligentem spicas. Hanc estimavi sedisse michi in genibus. et tantam motionem in meis membris ad libidinem fecit. ut arbitrarem quia iunctus cum illa sum. Iratus ergo valde. dedi ei alapam et sic evanuit ab oculis meis. et crede michi dicenti quia feturam manus mee usque ad duos annos non potui sustinere. Propter hoc ergo cum cecidissem magis a pusillanimitate. desperans valde meipsum. Et sic iterando inveni aspidem pusillam. et cum apprehendissem eam posui in veretrum meum ut vel sic mordet me et mortuus sim. et fricans bestie capud in membris meis. ut temptationis cause existentibus michi nec si morduit me per gratiae providentiam dei. Post haec audivi vocem dicentem in mentem meam. Vade pachon et semper sollicitus esto de anima tua. Ideo namque dimisi te. tantum dominari. ut non alta sapias tamquam tu ipse sufficiens sivimet vincere istum vitium. sed cognoscens tuam infirmitatem. ne umquam fiduciam habeas in propriam vitam. sed semper occurreris in dei auxilium. Porro cum sic certus fuissem reversus rursum in meam cellam. cum fiducia sedens. nullam curam habui de hunc bellum. Pacem accipiens re-

liquos dies. Daemon autem sciens neglegentiam quam in ipsum habui confusus iam non appropinquavit michi. His verbis sanctus pachon confortans me; quomodo ad satan bellum fecit. et ad pugnandum liniens; et fortiorem praeparans fieri ad fornicationis demonem. Mandavit in omnibus robustum esse adversus omnem diaboli pugnam.

Pag. 494 — SERMO SANCTI IOHANNIS OS AUREI DE REPARATIONE LAPSI.

(*Hanc versionem, ab illis, quae in editione Basileensi, necnon et Mauriniana, occurrunt, differentem, ex Codice 452, pag. 27, in quo integrior legitur, desumemus*).

Pag. 507 — Infelices nos linguam nostram... et illa nos servat in christo ihesu. Cui est honor et gloria in saecula seculorum. Amen. *Ex commentario S. Hieronymi in Psalmum CXIX. Tomo II, pag. 519. Edit. Benedictinae.*

EX CODICE CXLIV.

Incipit prologus in passionem sancti blassii episcopi

Pag. 550 — Plerique philosophorum dogmatibus non apprime eruditi. gloriosas sanctorum ac venerabilium martyrum passiones tractare nitentes; non animadvertentes scripturarum sententias; nec suum ingenium ad scripturarum flectentes sensum; sed illas ad suum cohercentes ingenium; de verissimis falsa. de liquidissimis obscura. ac de praeclaris reddidere turpia. Qua propter de illis dicendum est; ut de christi proditore doctissimus interpres dicit beatus ieronimus. melius est non subsistere, quam male subsistere.

Namque haec sancti martyris et praesulis eximii blasii et sociorum eius adeo absurdissima extitit passio ut non solum non intelligeretur; verum etiam ridiculum legentibus et audientibus eius incompta denotaret obscuritas. Propterea opere pretium duximus nos. ne admirabile huius sancti martyrium praeclaraque virtutis eius laterent miracula; et quia iuxta sententiam beatissimi raphaelis dicentis opera dei revelari et confiteri honorificium est; ipsis opitulantibus ob amorem hoc peragere cupimus venerabilem eorum passionem scribere.

Verum tamen ne nos quisquam arbitretur nostro intellectu eam depromere et nostro sensui inflectere; procul dubio agnoscat quod sicut prefatus sanctus narrat ieronimus non scripturam ad nostrum sensum. sed potius nostrum sensum flectemus ad illam. Et hoc non a nobis sed per anfractus eiusdem praefatae passionis gradientes; inordinata componimus superflua resecamus quod deest adhibemus. Quodque obscurum est. ad liquidum ducere curamus. Unde supplex istud opusculum legentes implora; ut quod hic ineptum insulsumve fuerit repertum; vicariae fraternitatis indagine prestantissime studeant emendare.

Enim vero ager non una vomere perfectus. efficitur. verum etiam. quater ac quinquies ab agricola fulcatus et retractatus. ad perfectionis cultus advehitur. Et ut evidentius fateamur; politum efficitur cathigethae peritia; quod impolitum decernitur discipuli ignorantia. Et samaritana plus erogaverit plus revertente; qui solus erit accepturus mercedis.

EX CODICE CXLV.

Acta Sanctorum.

Pag. 360 — Incipit prologus in passionem sanctae iulianes virginis.

Egregio patri domno petro sanctae parthenopensis ecclesiae optimo pastori. petrus coelestis patriae vota. Sacrae scripturae studiis eruditus. utpote sanctae matris ecclesiae dilectus filius. exhortari dignatus es. ut quia beatae et gloriosae martyris iulianes sacratissimum corpus in vicinia vestrae urbis hoc est in cumanae sedis ecclesia requiescit. sacrisque miraculis optime fulget. sed eius passio propter incompositas dictiones in coetu fidelium legi minime praevalet. nostro eam elogio clarificare studeremus. Reniti equidem in tali opere conati sumus. ne forte optenta obedientiae inertis ingenii titulo denotaremur. Interim considerantes religiosi pectoris vestri desiderium; et dispensationem dei omnipotentis; qui prefatam martyram de orientis partibus ad nostrae patriae tutelam destinare dignatus est; magis cum periculo imperitiae nos tradere volumus; quam vestris sacris exhortationibus non obedire. Ergo quia in hoc opere et dominicis optemperamus praeceptis et beati apostoli dicentis omnia vestra in caritate fiant; ipse vobis orantibus nobisque famulantibus opem suae gloriae conferre dignetur. quatinus ad honorem et gloriam sui nominis martyris suae triumphalis gloria nobiliter declaretur. et spirituale pabulum suae plebi efficaciter exinde ministretur.

Explicit prologus.

Inter caeteros igitur sanctae ecclesiae persecutores. post gloriosam domini ad patrem ascensionem. diocletianus caesar adeo crudelis extitit; ut legionem thebeam hoc est sex milia in armis viros in qua praeerat beatus mauricius. sicut in eius passione legitur. cum christi fidem repperisset colentem; pro nefas uno die; uno in loco; sine aliqua miseratione gladio necari praeciperet. Idem vero ut christianam religionem penitus destruere posset; secundo anno decimae persecutionis. maximianum galerium cognomento herculeum sibi socium in regno assumens; suamque filiam valeriam illi in coniugium tradens; in orientis partibus ordinavit. Ille igitur accepto regno.

Anno ab incarnatione domini nostri ihesu christi fere ducentesimo nonagesimo; residente in sede beati petri eusebio sanctissimo papa; cum diocletianus caesar per universum orientem praefectos ac praesides ordinaret. in civitate nicomedia praefectum constituit illustrem quendam virum nomine eleusium. dans illi in mandatis ut omni studio christicolas exquireret. et inventos diis sacrificare compelleret. Quod si contemnerent; suppliciis maceratos atrociter iugularet. Praefectoria itaque dignitate potitus; ex nobili prosapia coniugem assequi cupiens; iulianen quandam puellam speciosam. cuiusdam africani nomine filiam repperit. qui secundum saeculi dignitatem praedives valde pollebat; sed paganorum erroribus una cum coniuge. admodum irretitus erat. Hanc utique cum nobiliter disponsasset; caepit ante nuptias praecordia illius sciscitari. quo eius animus si aptus esset agnosceret.

Virgo autem domini iuliane quia non hominis sed christi domini sponsa esse cupiebat; a puellari aetate sanctae trinitatis documenta percipiens; sanctique baptismatis sacramento se muniens; suam pudicitiam ieiuniis et orationibus do-

mino commendans; talia praesidi responsa direxit. Si relictis erroribus simulacrorum culturisque daemonum illum deum adoraverit. qui fecit caelum et terram; quem me adorare et colere profiteor; recte nostra conubia inquirere valet. Aliter autem; qua ratione fieri potest ut christi ancilla demonum famulum habeat virum? Amica lucis amicum habeat tenebrarum? procul hoc a praecordiis christi famulae; procul a christiana religione. Audiens hoc praefectus contristatus est valde. et advocans genitorem illius; omnia illi quae nata eius direxerat. intimare curavit. Ille autem convocans beatam iulianen; ita eam alloqui caepit. Quis tua cara nimis praecordia farsit iniquus? Quaeve mentem tuam dementia tetra replevit? Quo spernas celsi praefecti gaudio laeta; et tristis pergas ad tartara mortis amara? Ad haec sancta virgo respondit. Non me o genitor circumventio suasit humanae fragilitatis; sed amor ihesu christi filii dei omnipotentis: quem mihi complacet habere sponsum magis quam hominem mortalem. omnique putredine tabescentem. ac daemonum cultibus servientem. Obsecro suppliciter pater amande; ne unquam talia suadeas agere natam. Genitor autem audiens haec a filia sua. magnis iracundiae facibus instigatus: per omnipotentiam inquit apollinis et dianae quos tu impudenter denotare praesumis. nisi nostris monitis optemperaveris; excruciatam te tuo sponso tradere festino. quatinus aut eius praeceptis pareas; aut flammarum incendiis intereas. Hactenus enim de conubii copulatione. nunc autem de sacrorum numinum veneratione suggerimus. Alias autem. nec paternae dilectioni; nec praefectoriae coniunctioni sacrilega placere valebis. Nam si te ex hoc purificaveris; si diis libaveris; et nostris praecordiis; et tuo sponso admodum placere potes.

Cui sancta virgo. ut cupio inquit nequeo paternis obaedire mandatis. si quidem non una religione nec gratia connexi sumus. Ex te enim carnaliter procreata. sed in christi fide spiritualiter sum renata. Quae ergo communicatio luci ad tenebras? Quae connexio christi ad apollinem et dianam? His genitor auditis; iussit eam acriter caedi dicens. talibus officiis mulcentur corda ferina: numina quae temnunt proterviter ore superbo. sicque dilaniatam et caedibus quassatam tradidit praefecto iniquo; Ille autem gavisus reputans eam blandimentis. posse ab intentione sancta mutari; nectareis eam verbis ac suasoriis caepit alloqui dicens. Quicquid hactenus protulisti; puellari aetati ascribimus. sed iam depone omnem timorem; et laetior esto. quoniam quidem plus te caram habebo; quia constanti animo restitisti. nec ad primam cessisti petitionem. Et re vera dissolutus ac fragilis animus; proclivior est ad omnem ruinam. Constans vero et fortis. quod inchoat complere laborat. Fac fugias ergo quae sunt mala gaudia vitae; et capias hylaris nostra consortia laeta. Argumentose autem virgo domini praefecti dicta explorans; ita eum irretire coepit. secundum praefectoriam dignitatem legisque regiae censuram. O praefecte inclite. modesta proferre curasti. etenim non solum in viris inconstantia vituperatur; sed etiam in fragili sexu femineo. Nam illud quod caepimus implere satagimus. scilicet quo fugere valeamus quae sunt mala gaudia; et consequi illa quae sunt sine labe malorum. Praefectus haec audiens et reputans eam suis velle parere praeceptis; hylaris effectus respondit. Quoniam quidem hoc protulisti quod te proferre minime dubitabamus; unum solummodo restat. quo prius laeta numinibus sacrificia persolvas. et tunc demum nostra consortia consequaris. Cui beata iuliane. quibus inquit numinibus me sacrificare iubes? Et iudex. apollini utique et dianae. Et sancta. quis deus inquit talia patrari mandavit. An iste est solus cui sacra offerri praecipis? Praefectus ad haec. Est prorsus alius cui cuncta numina parent. et omnia obtemperant elementa. Respondit sancta et dixit. Quod est nomen eius? Et iudex. iovem hunc dicimus. qui et iuppiter vocatur. eo quod iuvans pater omnes adiuvet. Sed ideo minoribus diis reverentiam exhibemus; quo eorum precibus hunc magnum iovem placare possimus. Et sancta dixit. Confirmant illum litterae vestrae sicut deum colendum? et ipse litterae. autenticae esse dicuntur? Praefectus dixit. nonne omnis scriptura nostra deum illum esse fatetur? Et nonne ipsam autenticam per omnia esse constat? Nam quicquid astruit; quicquid reprobat; aequum atque honestum adiudicatur. Per eam quippe reges reguntur. et ipsi reges per illam regunt omnes sibi subiectos.

Declarans autem beata iuliane intentionem ani-

mi sui ait. Ad hoc usque tuam prudentiam perducere curavi; quo tuo ex ore audirem veridicas esse vestras litteras. et ab omnibus venerari. Ergo praefecte sagax si ita est ut asseris; crede tuis dictis. crede autenticis scriptis. et disce istum quem deum colitis filium esse saturni circensis. qui filios suos ne de regno expelleretur devorasse dicitur. et iste iuppiter ut evadere posset; a nutrice absconditus est. Postea vero genitorem nequiter de regno expellens; plurima iniqua exercens; fatuitate quadam a fatuis deus est appellatus. Ecce praefecte habes de magno iove deo tuo quod recolas. Apollo autem quia pithonem serpentem interemit; ideo deus appellari debet? Nam postea iudicio condemnatus; dignitate expoliatus; regis athmeti armenta pavisse legitur. Dianam vero quis nesciat esse mulierculam; et muliebria impudice exercuisse? postmodum vero in omnes utpote fragiles et caduci morte tenti; ad tartara sunt demersi. Nunquid non est ita ut astruo iudex? Nunquid non vestrae talia litterae promunt? Tales nos deos adorare suades? Pro quantum scelus. quantum est in rebus inane. quis sapiens et intellegens talibus largitur honores? hoc scelus a nobis depellat gratia christi. et sua nos. doceat coelestia dona tenere. Iratus ad ista iudex; caepit beatam iulianen conviciis et opprobriis dehonestare dicens. improba. seductrix. saeva. nefanda. ad hoc te tua traxit iniquitas; ut de beneficio ad maleficia prorumperes? de caritate nectareae nostrae copulationis ad infamiam deorum; ad ipsum etiam praecelsum iovem ut fatua devenires? Talia te agere condecet. talis est prorsus natura impiarum feminarum. quae semper quietis impatientes varia excogitant. impia perpetrant. inaudita exercent. Unde non immerito a viris saepius comprimi debent; ne unquam suam malam expleant voluntatem. Recte utique de talibus scriptum est; femina nulla bona. quod si bona contigit ulla; nescio quo pacto res mala facta bona. Quam vilis facta es quae tantum cara fuisti. Iam minime dulcia tibi; sed amara dicta promantur. Attamen quia non condecet nostram mansuetudinem iram habere; nec calliditatem femineam imitari; nec est servanda saeveritas. ubi affuerit venialis humilitas. Adhuc te monemus. adhuc de ignorantiae caecitate ad viam lucis perducere curamus. Si autem resipiscere volueris; et nostrae religioni subdere colla; deosque venerata fueris. quos nequiter denotasti; continuo ad pristinam revertimur caritatem. Christi famula respondit. qui rationabiliter apta profatur; talibus debet ire facibus concremari? Nescis quia scriptum est iustitia viri per patientiam noscitur; et ira eius. iustitiam dei non operatur? Si femineum arguisti genus; tu qui constantiam virilem habes et lege constringeris. ne irascaris; quare superatus es iniquo furore? Resipisce ergo. et noli femineum denotare genus. quoniam neque omnes viri boni; neque omnes feminae malae. Nanque ut caetera feminarum sileam bona; hoc solummodo sufficere potest; quod sine illis nulla in mundo humana progenies generetur. Quod autem gloriosius est atque ineffabile; una sola extitit virgo et mater. quae talem edidit filium; qui antequam nasceretur caelum et terram ex nichilo condidit. et post nativitatem ruinam caeli que facta est de angelis malis ut christiana religio edocet; ex viris atque feminis restauravit; Hoc quia ita est; cum accusas alium tuam prius inspice vitam. nam turpe est regi. dum culpa redarguit ipsum. Quaeso autem. qua ratione illos ut deos adorari iubes; qui neque sibi neque aliis prodesse valent? Sed quia iam aliud veraciter proferre non potes; ego tibi ostendo verum dominum omnipotentem. non habentem initium neque finem. factorem caeli et terrae. angelorum et hominum. visibilium et invisibilium. Si in istum credere te promittis. tuis alloquiis colletabor. et vitam tibi aeternam confidenter promittam. Confusus ad ista iudex; cum nequiret sanctae veris assertionibus obviare. distulit sententiam. iussitque eam retrudi in carcerem. Postera autem die theatro ordinato; tribunalia scandens. beatam iulianen suis fecit aspectibus praesentari. eamque alloqui ita caepit. Intentionem animi nostri. et inviolabile vinculum caritatis quod in te hactenus habuimus; in dilatione paenarum cognoscere potuisti. Nempe si ita non esset; saltem ad secundam non veneras responsionem. sed diversis cruciatibus et inauditis paenis atque incendiis interieras. Nunc autem quia nos secundum legis censuram. modeste et placide tecum incedimus; tandem aliquando nobili orta prosapia noli suadeo te tuamque progeniem in baratrum mergere perditionis. ut et hic pereatis; et illic acherontis iudicia experiamini.

Depone ergo duritiam. frange animi obstinationem. et nostra monita percipe. Nam si nefario errore christianae fidei infecta non esses; nequaquam te per varia duxeram. sed nostrae te sociaveram prefectoriae dignitati. Respondit sancta virgo et dixit. iam superius tibi ad cuncta proposita respondi. quid est quod iterum audire cupis? Ecce mollivisti sermones tuos super oleum. et pestifera iacula ministrasti. dum me infectam christianae fidei errore dixisti. Si enim tu times caesaris potestatem hominis utique mortalis; et pastum vermium mox futurum; et ego quare non timere debeo illum regem aeternum cui coelum et terra maria et tartara parent? qui postquam occiderit corpus potest animam perdere in gehennam? Sed oro ut audias consilium meum. et relictis erroribus ineptisque fabulis quibus nostrum animum illicis ad negandum; unanimiter illum adoremus. quatinus in coelestibus cum illo perenniter gaudeamus. Commotus ad ista iudex; video te inquit per varia me trahere velle. et in malignitatem tui erroris perducere. Sed non ita erit ut opinaris. Numina sacra tua conquassent pectora dira. quibus contemnis pestifera flectere colla. Tunc iussit eam a quattuor militibus virgis caedi. insultando et dicendo. ferrea paectora quae gaudia nolunt; verbera pessima et impia frangant. Talia te condecet habere praemia saeva; quae monitis dignis. renuisti flectere corda. Testes sunt dii; quod toto conamine mentis gloria te decorare; non dehonestare voluimus. Sed quia renuisti; nostramque gloriam despexisti; insuper ad deorum infamiam prorupisti; tu tibi has paenas proterviter irrogasti. plus tibi peperci quam tui viscera genitoris. Ille nimirum ad unius negationis vocem caecam te nobis tradidit. nos quoque versa vice; blanditiis et suasionibus ut natam hactenus distulimus. Et sancta virgo. gaudens inquit, gaudebo de talibus. et anima mea exultat in domino. quando quidem nec paternis blanditiis ac caedibus; nec tuis regalibus sevitiis. a christi domini caritate reducta sum. Ergo quia ita est; nolo amplius ex hoc crucieris. ferto sententiam. breviter conclude conamen. Nam quantacumque crudeliter irrogaveris; constantiam potius te inferre estimabo quam poenam. Praefectus dixit. Si talia tibi placent; non desunt digna tormenta. Tunc iussit eam per sex horas, capitis suspendi capillis. illa vero suppliciter orabat dominum dicens. Adiuva me domine et miserere mei. da constantiam. condona mentis vigorem. ut mediter in tuis iustificationibus; spernamque omnes iniquos. quia iniusta cogitatio eorum est. Haec cum dixisset; iussit eam praefectus de eculeo deponi. dicens. ne estimes nos fatigari; et te inpunitam relinqui. nil tibi adhuc poenarum irrogavimus. ignem depictum vidisti; non illius incendia cognovisti. Cum ad hoc perveneris; mutabis profecto loquelam. Christi martyra respondit. nimis infelix atque insipiens est; qui rectum quod inchoat aliquo terrore relinquit. Ignem vero quem michi inicere minaris; dominus meus ihesus christus extinguere praevalet. Proinde non tuis praeceptis illiciar ad illum negandum; ne aeternis consumar incendiis. Experiamur ait iudex quae sint ista pessima dicta. ferream animam ignea fomenta emolliant. Tunc liquefactum aes super caput sanctae effudit. Illa vero tanquam nectareo perfusa rore ; nullam combustionem. nullumque sensit ardorem; Qua ex re valde gavisa; stabat intrepida. repleta gratia christi. et saevienti praefecto talia depromebat. Eia praefecte potens. saltem in talibus cognosce potentiam domini ihesu christi. Iam desine inimicari. et crede in illum ut possis ab illo salvari. Nunquid non cernis quod exustio incendii tui corpus ancillae suae cremare non prevalet? Quando enim dii tui iuppiter et apollo talia operati sunt? Praefectus dixit. de christo tuo nichil michi curae. Quid enim magni de illo referre vales; quem profecto scimus de femina natum; passum mortuum ac sepultum? Qui sibi in talibus subvenire non valuit; qua ratione alicui prodesse potest? Sed quia in tenebris ambulas; et deorum lumine non es irradiata; ideo talia loqueris. Respondit sancta et dixit. si scires o iudex mysterium eius nativitatis. passionis. mortis. ac sepulturae; mirari hoc debueras et venerari. non subsannare. Nam ideo dominus hominem ad suam imaginem condidit; ut aeternum illum ac sempiternum haberet. et locum unde angeli per superbiam ceciderunt; ex progenie hominum restauraret. Stomachans ad ista prefectus ait. quicquid ore maligno protuleris; poenae poterunt expiare. Haec dicens iussit eam ferreis nexibus alligari. et squalore carceris coartari. Ingressa igitur in carcerem; expandit

manus suas ad dominum dicens. domine deus totius conditor orbis; auxiliare michi. solamen mitte salutis. quo superare queam supplicia saeva tyranni. et tua quae semper optavi regna videre. Finita vero oratione; permittente deo; non ad terrorem sed ad victoriam salutis; ecce angelus satanae transfigurans se in angelum lucis astitit ei dicens. Salve o virgo. Salve o famula christi. ne timeas. ne paveas. neque fatigeris cum a christo argueris. Quem enim diligit corripit. flagellat autem omnem filium quem recipit. Ecce accessisti ad servitutem dei. ad testificandum gloriam christi. sta constans et fortis et prepara animam tuam ad supplicia quae tibi minatur inferre tyrannus. Attamen si meis optemperaveris dictis; prudenti ratione illum praevales superare. Fac ergo quod moneo et dum vocata fueris. specie tenus sacrifica diis et da locum irae. ut non tam crudeliter crucieris. Nam et ego angelus domini sum qui me misit te confortare. et talia monita dare. Dum itaque beata virgo negandi verba audisset; attonita nimis et salutari vexillo se muniens; conversa ad dominum oravit et dixit. Domine deus creator caeli et terrae. qui conceptus es de spiritu sancto et sacra virgine natus qui me vocare ad tuae fidei credulitatem ideo dignatus es; ut relictis erroribus idolorum te verum deum cognoscerem. te obsecro. ut ostendas michi quis est iste qui me te dominum abnegare commonet propter timorem tyranni. Haec illa orante. vox ad eam facta est dicens. Constanti animo esto iuliane. nec dictis credas nefandis. nam fallax est nuntius; et dicta mortifera monet. detine ergo illum. et mox tibi cuncta profatur. Refecta autem sancta coelestibus dictis comprehendit daemonem et dixit ei. Tune cruente. procax. perverse. nefande. maligne. angelus es lucis? et nuntia vera profaris? dicta maligna tua demonstrant famina falsa. Dum christum dominum vitam lucemque salutem. Callide fallendo suades me tetre negare. Sed quia rex christus fallentes conteret omnes. Noveris esse meis manibus te valde ligatum. Unde per illius te adiuro nomen amandum. Omnia quo pandas nec celes dicere vera. Tunc daemon ligatum se dei virtute conspiciens. quasi impudens mancipium coepit satisfacere dicens. non meo libitu ad te sancta virgo perveni rex meus me misit; et talia dicere iussit. Cui christi famula. quod est inquit nomen eius. et quod opus eius si nosti? Respondit daemon. nomina eius mille. mille nocendi artes. Sed ut breviter multa concludam. ex quo angelus lucis esse desivit. et de caelesti sede per superbiam eiectus est. quicquid flagitii; quicquid malitiae in mundo patratum est. ab illo exortum est. Sed hoc in illis; qui suis iniquitatibus inhaerentes a domino ihesu christo recedunt. Nam qui ei adherent eiusque dicta sequuntur. ledere illos minime possumus. insuper etiam iudicamur ab illis. sicut ego miser retineri et iudicari a te sancta videor. Sed miserere mei per regem dominum christum. qui te talem possidet famulam quoniam deinceps te temptare nunquam praesumam. Haec et alia cum dixisset. signum sanctae crucis in eum virgo expresso. statim velut fumus evanuit. Nemo itaque miretur et dicat. quomodo virgo domini retinere daemonem potuit. cum ille sit spiritus. illa esset carne gravata. Meminerit enim olim iacob cum angelo luctasse. et nervum femoris eius ab eodem debilitatum. Item recordetur abbacuc prophetam de iudea in chaldeam ab angelo cum prandio esse perductum. Accipiunt enim angeli sicut sancti edocent patres ex aere corpus. et quasi carnaliter carnalia patrant. His ita peractis. satellites missi a iudice beatam iulianen illi obtulerunt. Cui iudex. longanimitas clementiae nostrae tuae obstinationi profuit aliquid? Et sancta respondit. ita plane. nam dominus ihesus christus qui me hactenus conservavit. ipse me docuit in carcere tuam saevitiam sustinere. tuasque repellere paenas. dicens. ego enim dabo tibi os et sapientiam cui non poterunt resistere et contradicere omnes adversarii tui. sed in patientia tua possidebis animam tuam. Praefectus dixit. cum omnis homo vivere cupiat cum saeculo si fieri posset. quare christicolae quadam infecti vesania gaudent in paenis vitam finire; et gaudia perdere vitae? Nonne maxima est ista dementia? Sancta Iuliane dixit. Recte agunt. nec ulla est in eis dementia. sed sancta et salubris sapientia. quoniam ista vita caduca et fragilis est. et suis blanditiis se amantes circumvenit. quasi semper vivere possint. Sicque illecti ducunt in bonis dies suos; et in puncto ad tartara demerguntur. ubi nulla requies. nulla indulgentia paenae. Qui autem credunt in domino et pro eius nomine hic mortui fuerint. in coelesti regno cum illo sine

fine exultant. Ipse enim hoc promittere dignatus est dicens. qui perdiderit animam suam propter me inveniet eam in vitam aeternam. Praefectus ait. non michi sit fautor ille deus qui talia mandat. qui suos in praesenti non liberat. sed post mortem gaudia spondet. Te protegat ille. non michi commoda prestet. Attamen si plus cruciatus quam gaudia cupis. ecce tuis votis praebemus commoda digna. Haec dicens iussit afferri rotam constructam ferreis instrumentis. et illam desuper alligari. ut dum a trahentibus revoluta fuisset. dei martyra discinderetur in frusta. Hoc cum factum fuisset. sanctaque virgo dominum exoraret. divina potentia instrumenta saeva quassata sunt. et illaesa permanens glorificabat dominum christum. Cernentes autem qui astabant tale miraculum. compuncti sunt corde. clamantes ad invicem et dicentes. quid ultra possumus ad ista opponere. quo tam tremendi dei non adoretur maiestas? quis similis illi qui suis tanta ministrat? Haec dicentes. conversi ad presidem talia dicta promebant. Hactenus errore illecti in tenebris ambulavimus. et plurimos erronei colentes deos. ad illum qui verus est pervenire nequivimus. amodo itaque nulla illectio. nulla nos ab eius cultura separabit suasio.

Tremefactus ad ista iudex. distulit auditionem illorum. et praefato caesari talibus scriptis haec intimare curavit. Totius orbis rectori et gubernatori clementissimo maximiano caesari; Eleusius civitatis nicomediae praefectus triumphalia vota. Iussa vestrae magnificentiae exequentes. prudenti studio de iniquis christicolis inquisitione facta. totam nostrae potestatis provinciam ex nefaria illorum religione purgare curavimus. Una solummodo reperta est impudens puella nomine iuliane. quae obstinata mente superbire contendit. Quam cum arguere studeremus instrumentis paenarum. illa maleficiis infecta penitus omnia quassavit. et ignea supplicia pro nichilo duxit. Quod videntes quidam ex nostris inclita nobilitate pollentes. commoti sunt. et toto conamine profitentur se prius velle mori; quam sacris diis amplius libamina ministrare. Unde quid commodius vestrae complacet gloriae. sacris iussionibus intimare dignamini. His lectis caesar apicibus. talia illi scripta remisit. Immensa providentia sacrorum numinum caesar maximianus. eleusio praefecto nicomedie urbis. Lectis vestrae prudentiae litteris. qualiter erga nostrum famulatum curiosius vigilas clarius animadvertimus. sed quia de protervia insolentium nos inquirere studuisti. praecipimus ut illam maleficam iulianen per cuius iniquitatem aliqui ex nostris commoti sunt. flammarum incendiis concremare festines. ne illius doctrinae caeteri sequaces existant. Illos autem qui maleficae ipsius seductione apostatare ausi sunt. nisi cito conversi fuerint. gladio necare curato.

Hac iussione fretus praefectus iniquus. praefatos viros quia christianam fidem relinquere noluerunt gladio necari praecepit. fuitque numerus eorum centum viginti. Sicque in suo sanguine sine dubio baptizati siderea regna percipientes. cum christo in perpetuum regnant. pro cuius amore suas animas tradiderunt. Beatam vero iulianen igneis incendiis concremari praecepit. Quam nefariam iussionem satellites perficere cupientes. copiosum ignem succendentes. illam in medio posuere flammarum. Cumque incendiis undique circumdata fuisset. expansis manibus oculisque ad coelum erectis. his verbis coepit exorare tonantem. Domine rex omnipotens coeli terraeque creator. respice in agonem famulae tuae. esto michi adiutor. et libera me de isto incendio. sicut olim liberare dignatus es sanctos tuos pueros de camino ignis ardentis. Haec illa orante angelus domini de coelo missus. ignem continuo extinxit. et christi virginem illesam per omnia conservavit. Quod miraculum praefectus videns. unde resipiscere debuit. inde inflammatus aliud paravit incendium. Nam iussit liquefieri plumbum. et super eam effundi praecepit. Sed illa ut prius dominum exorando illesa inventa est. De quo tyrannus valde succensus eo quod in omnibus se superatum conspiceret. iussit eam gladio percuti. Audiens autem christi martyra quod per gladium vitam finire deberet. gratias domino retulit dicens. Benedictum sit nomen tuum deus; qui non dedisti nos in captionem et opprobrium inimicorum nostrorum. et ecce nunc te adiuvante pro amore nominis tui sancti effundo sanguinem meum. Tu autem domine salvator meus in pace obsecro suscipe spiritum meum. Finita vero oratione percussa est gladio. et sic in pace cum triumpho martyrii migravit ad dominum chri-

stum. cum quo perenniter gaudet in saecula saeculorum. amen.

Post haec autem quaedam senatrix nomine sophronia, cum pax sanctae ecclesiae esset reddita et romam properaret ac per civitatem nicomediam transiens beatae iulianes gloriosa miracula cognosceret. abstulit corpus eius. et condiens aromatibus secum deferebat cum gaudio. Navigante autem illa; tempestas magna exorta est. quae ipsam navem perduxit in fines campaniae. iuxta civitatem puteolanam. quae distat ab urbe parthenope fere milibus novem. Cumque prudenti animo cognovisset dei martyram illic velle habere sacrarium. spontanee illius patrociniis favens. continuo basilica in eius nomine constructa. corpus illius ibidem cum ymnis ac laudibus nobiliter collocavit. Postea vero imminente ethnica feritate. ne talis tantusque thesaurus dehonestaretur. translatum est corpus eius in civitatem cumanam in ipsum episcopium. et in beati martyris maximi basilica cum gloria collocatum. Ubi plurima petentibus beneficia ad laudem sui dominus prestare non desinit usque in hodiernum diem. Passa est autem beata martyra iuliane quartodecimo kalendas martii. Regnante domino nostro ihesu christo. qui cum patre et spiritu sancto vivit et regnat deus per infinita saecula saeçulorum. amen.

Pag. 403 — Incipit prologus in passionem sancti georgii martyris.

Plerique illustrium coelestis patriae amatores. ad gloriam domini et honorem sanctae matris ecclesiae plurimas sanctorum martyrum passiones variis erroribus involutas emendare conati sunt et clarificare. scilicet ut quia pro inculto famine despiciebantur. et neglegebantur. congruis dictionibus exornatae amplecterentur. variosque agones ac victorias martyrum sub umbra ignorantiae positas panderent et exaltarent. mentesque fidelium christo cupientium deservire. sollicitas redderent et roborarent. quo constanter gauderent et exultarent. ac mori pro domino non formidarent. Horum igitur patrum vestigia secutus ego petrus. beati georgii martyris passionem variis translatoribus vitiatam emendare studens. plurimis incongruis amputatis sollicite componere curavi. Quatinus sicuti glorioso triumpho sui certaminis sanctorum cetibus sociatus gaudium praebuit regno coelesti. ita per ostensionem victoriae ad martyrii gloriam gaudium et fiduciam christo ministrantibus concedat in regno terrestri. Ergo pie cuncti et devote martyris acta christicole legite. confidentes per omnia quoniam sicut pretiosa est in conspectu domini mors sanctorum eius. ita pretiosa et amabilis est devotio omnium christicolarum sanctorum sollemnia recolentium. aeternumque consequentur a deo praemium. et coelestia gaudia cum eis sine fine percipient.

Explicit prologus.

Postquam dominus et salvator noster sua praesentia et gloriosa incarnatione mundum visitare atque illuminare dignatus est. ac deinde victor ab inferis resurgens cum nostrae carnis substantia in coelum exaltatus est. plurimi reges terrae et principes insurrexerunt. qui eum verum deum esse negantes. eiusque incarnationem deridentes. fidem sanctae trinitatis ad nihilum deducere gestiebant. Ex quorum impio collegio tamquam de faretra satanae prodientes diocletianus et maximianus. diversis minis et suasionibus mille modis christicolas excruciare coeperunt. conficientes interim varia et intolerabilia genera tormentorum. videlicet ut quos praemiis flectere non possent. paenarum terroribus superarent. Interea consilio habito ne quisquam deesset qui huius sceleris inveniretur ignarus. per universas regni sui provincias decretales apices destinaré curarunt haec continentes. Diocletianus et maximianus divina providentia caesares. omnibus magnatibus. consulibus. prefectis atque tribunis. omnibusque populis nostrae dicioni faventibus vota salutis. Notum esse omnibus volumus. deum iovem in toto orbe terrarum romanum imperium peculiariter habere cultorem. Hac de re ex parva gente ad culmen tantae dignitatis ita illud exaltare dignatus est. ut totius orbis monarchiam retineret. omnibusque regnis subiugatis. pacifice romani cum suis et gloriose viverent. Proinde quia nemo ei sine praemio servit. praecipimus. suademus. monemus. ut quanto magis eum propitiatum habere cupitis. tanto magis una nobiscum omni nisu omnique conamine mentis pro

eius honorificentia vigiletis. maxime nefandorum christicolarum culturam sagaciter extirpando. qui palam eum infamare non metuunt. et alium quendam crucifixum ut deum venerari nituntur. Iccirco per hoc imperiale edictum sancimus; ut ubicumque reperti fuerint; remota omni occasione. sine aliqua miseratione sacrificare compellantur. alioquin atrocissimis tradantur poenis. et flammarum combustionibus exurantur. His ita praeordinatis ut zelum iniquae meditationis sanctorum cruciatibus satiarent. coeperunt crudeliter exercere quod inchoatum habuerant.

Anno ab incarnatione domini fere ducentesimo nonagesimo primo. residente in urbe roma marcellino summo pontifice et universali papa. dum cesar dioclitianus in provincia cappadociae christianae fidei cultores examinare caepisset. tantus pavor et ebitudo mentis cecidit super omnes. ut nemo auderet se palam christicolam confiteri. adeo ut plurimi eligerent in montibus vitam cum bestiis ducere. quam christianam fidem supplicia verendo negare. Eo itaque tempore quo talia gerebantur. erat quidam vir nobilis genere. in eadem provincia nomine georgius. ex civitate mellena. tribunatus officium gerens. ex numero scilicet illustrium propugnatorum qui graeco vocabulo anicii. latine autem invicti sive insuperabiles dicebantur. Hic nanque quasi de supernis sedibus destinatus. secundum nominis sui praesagium. Nam georgius eolice. latine autem terrae cultor dicitur. per sanctam praedicationem divini eloquii de multorum cordibus infidelitatis sentes evellens. atque caelestia in eis seminans. coepit deo devotus existere. et totam fiduciam in agone sanctae religionis habere. Quatinus manifesto triumpho agonitheta existens victor per omnia probaretur.

Igitur dum tantam rabiem tyrannorum in christi famulos desevire cerneret. nec quisquam existeret qui ardore fidei propugnator adesset. ex intimo pectore longa trahens suspiria. erexit se contra se. et ingemiscens aiebat. ve nobis inaniter christi nomen gerentibus. ut quid nati sumus videre conculcari christianam religionem. et penitus silentes quasi consentire videmur. dicente apostolo. Non solum qui faciunt sed et qui consentiunt facientibus digni efficiuntur morte perpetua. Ubi est illud evangelicum pastor bonus animam suam ponit pro ovibus suis? et qui me confessus fuerit coram hominibus confitebor et ego illum coram patre meo qui est in coelis? Et ingeminans dicebat. quid ergo in talibus periculis agendum est? Ad cuius confugiendum consilium et tamquam sibimet ipsi aiebat. Nonne ad illius qui dixit. Si vis perfectus esse vende omnia tua quae habes. et veni sequere me. et habebis thesauros in coelo? Verum quia hoc consiliatore nemo melior; et illius consilio nichil utilius; rumpamus ergo nexus cupiditatis quibus irretiti sumus. et nosmetipsos dignam domino deo hostiam immolemus. Ne timeamus tyrannos. quoniam deus arma est timentium nomen suum.

Haec ubi dicta dedit; continuo se quasi ad pugnandum praeparans; omnia sua pauperibus erogavit. ac deinde in publicum egressus; caepit contra ethnicos repugnare ac dicere. cessate o miseri; cessate talia nefanda patrare. quibus deus omnipotens contemnitur; et perpetua incendia praeparantur. Me autem sciatis christicolam verum. christique fidem sectantem. et eius venerabile nomen per omnia praedicantem. Ad hanc igitur salutiferam praedicationem; omnium christicolarum corda sub ebitudine mortis posita corroborata sunt. cernentium se invictissimum habere doctorem. et theologica ratione iniquorum perfidiam comprimente. Igitur quia lux in tenebris latere non poterat. et corona victoriae illi a domino iam parabatur. dum eius praedicatio longe lateque flagraret tandem diabolico instinctu dioclitiano caesari nuntiatum est. quo audito non mediocriter contristatus est. vel quia ille tribunatus officio admodum famosus erat. vel quia ipse christianum nomen audire nimis odio habebat. Et re vera hic dioclitianus una cum maximiano supra modum christi ecclesiam persequi studuerunt.

Nam praefatum pontificem romanae sedis marcellinum nomine callide primum perimentes. postmodum omnes illius sequaces sine aliqua contradictione impia severitate trucidarunt. Sed mira dei virtus. mira et incomprehensibilis. quanto magis christi nomen delere cupiebant. tanto magis per sanctorum martyrum triumphales victorias ad siderea culmina exaltabant. Et merito. Sic etenim per omnia sic decebat. ut humana superbia quassaretur. et divina mysteria exaltarentur. Interea convocato ad se beato georgio caesar. modeste il-

lum primitus commonere coepit dicens. Relatum est nostrae excellentiae te felle pestiferae christianae fidei non mediocriter esse refertum. adeo ut non solummodo tibi ista sufficiant. sed eis etiam plerosque irretire non verearis. Quibus auditis fidem penitus non dedimus. pro eo scilicet quod te et nobili prosapia exortum. et nostrae militiae devotum scimus; Ergo ex tuo ore rei veritatem cognoscere volumus. Nec enim condecet imperialibus infulis redimitum nequiter et indiscusse dehonestari. Hoc quia ita est aut improba condemnatores et esto gloriosior. aut si nequiveris nullis apologiis aut excusationibus evadere poteris. nisi sacris numinibus dignam exhibueris reverentiam.

Ad haec beatus georgius ait. Scriptum est o caesar ut utilibus monitis sensum accommodare studeamus. non inutilibus. Si ergo vestra monita utilia sunt. amplectenda et facienda sunt. sin autem contemnenda et per omnia respuenda. De eo autem quod asseritis me refertum esse felle pestiferae christianitatis. non abnego equidem. sed profiteor et praedico me verum esse christi cultorem. et eius sanctam fidem toto mentis amore amplecti et venerari. quoniam non est fellea sed per omnia mellea. nec mortem sed vitam praebet et mortuos resuscitans beatam vitam vivere facit. Qua ratione autem hanc pestiferam dicatis ignoro. Cui caesar. usque ad calcem inquit assertionis aequanimiter et patienter toleramus quicquid proferre ad inquisita volueris. Dic ergo. si ita est ut asseris. quod christiana religio vitam mortuis donet. quare christus deus vester mortem evadere non valuit; sed tentus atque damnatus. crucifixus mortuus ac sepultus est? Ad haec christi famulus ait. quamquam gloriosae potestatis decore sublimatus existas o caesar. dedecus tamen tibi est inepta profari. et illa improbare ac pro nihilo ducere. quae divina atque praecelsa sunt. quae cum magna reverentia sunt dicenda. colenda. et veneranda.

Cum etenim exhorruisti christum dominum nostrum tentum et damnatum. mortuum ac sepultum? Quare prius non admiraris ineffabiliter illum ex virgine natum? Eoque nato virginem inviolatam ut antea permansisse? cuius nativitatem angeli nuntiaverunt. gaudentes et canentes. Gloria in excelsis deo et in terra pax hominibus bonae voluntatis. Quare non veneraris illius virtute quinque milia et quattuor milia hominum ex modico pane et paucis pisciculis satiata? Quis unquam ut hic coeco nato lumen reddidit? quatriduano fetenti vitam donavit? Et ut ad ultimum ostenderet quia non coacte sed voluntarie passus est pro salute mundi. sicut deus omnipotens quando voluit obiit. quando voluit resurrexit. Ad cuius mortem tenebrae facte sunt. monumenta aperta sunt. mortui resuscitati sunt. Et ad inferos descendens. omnes iustos cum protoplasto eiusque coniuge inde extrahens. ad coeli gaudia secum perduxit. Qui etiam denuo in fine saeculi gloriosus adveniens. iudicaturus est vivos ac mortuos et omnem saeculum per ignem. reddendo unicuique secundum opera sua.

Si haec omnia perpendisses o rex. hunc verum deum esse credere et adorare studueras. et non sicut hominem caeteris similem deridere et subsannare. ac per varias culturas daemonum claudicando incedere. Et caesar ait. si assertio tua veritatis munimine firma esset. totius mundi religio evacuata fuerat. et potestas iovis ad nichilum redacta.

Qui coelum terramque iusto moderamine regit.
Tu solus es veridicus. et totus erroneus mundus.
Desine falsa loqui. iam stultam corrige linguam.
Ad rectum callem moderando dirige gressum.

Et famulus domini. favente inquit domino meo ihesu christo qui veritas est et veritatem dicere iussit. a veritate inchoavi et in ea perseverabo usque in finem. Ipse enim dicere dignatus est. Ego sum veritas et vita. qui credit in me. etiam si mortuus fuerit vivet. et omnis qui credit in me non morietur in aeternum. Si igitur hoc ita est. immo quia ita est. quid iam valet dignitas vel gloria regum? quae divinitas vel virtus deorum vestrorum nobis suadere potest. quo talem tantumque dominatorem contemnamus. qui solus et omnipotens est. et multis nos tradamus erroribus? Cum uni deo servire magnae sit libertatis. plurimis autem impie captivitatis? Et cesar. optabam inquiens utili consilio tua pectora emollire. quo et tu nostris gaudiis perfrui merereris. et nos tuo famulatu oblectaremur. Sed in tanta obstinatione perseverando. non es datus delectationi. sed perditioni. non gaudio sed merori. iam tibi non expedit persuasio dulcium verborum sed duritia flagrorum. et severitas tenebrosi carceris.

Et haec dicens iussit eum extendi et a quattuor carnificibus crudeliter cedi. Cum autem cederetur christi famulus. suspiciens in coelum orabat dominum dicens. Tu es gloria mea. Tu protectio et refugium meum domine. Tu praecipis praeliari. Tu praebe et superare. Obsecro domine obsecro. dirige cuncta nostra in beneplacito tuo. da constantiam mentis et corporis. tolerantiam patiendi. ut in tuo sancto nomine merear patientissime consummare. quod tuo sancto munere merui inchoare. quoniam tu es deus magnus et gloriosus. Orante autem christi martyre tantam illi constantiam divina gratia tribuit. ut poenarum cruciatus pro nichilo duceret. Quod cum rex cerneret. unde patienter resipiscere debuit. inde inflammatus amplius exarsit. Iussitque eum ligari super rotam gladios habentem desuper aptatos. qui martyris membra paulatim dilaniarent. Imposito itaque christi martyre super eam orante ac dicente. christe deus clemens dirumpe vincula mortis. Ut tibi decantem devota cantica laudis. continuo dirupta est. et sanctus stabat incolumis. subsannando ethnicos et dicendo. Cernite o viri magnalia tanta tonantis. Quantum valeat potentia christi. Quantumque confidentia famulantium illi. Ecce etenim creatori suo insensibilia cuncta optemperant. ad votum precantis famuli sui machinatio terroris calliditas diabolicae fraudis penitus dissoluta est. Quid contra dei potentiam praevalet lutulenta superbia? Quid superbis terra et cinis? Desine iam desine impie superbire. quo possis tandem ad veram lucem venire. Interea maligni et impia praecordia gerentes opturaverunt aures suas more aspidis surdae. et non exaudierunt vocem exhortantium se. et dogmata quae praedicabantur a sapiente. sed magis magisque succensi. iusserunt martyrem domini ergastulo mancipari. Ad quem veniebant multitudo populorum cupientium audire praedicationem ex ore illius. et curari variis languoribus. Quos beatus georgius pacifice exhortans. et christianae religionis mysteriis imbuens. ad dominum ihesum christum convertebat. et a pestiferis languoribus mirabiliter curabat. Inter quos erat quidam nobilissimus genere magister militum nomine magnentius cum caeteris plurimis militibus. et vidua quaedam quae habebat filium debilem. claudum videlicet. surdum ac mutum. Haec dum cognovisset virtutem curationis per christi martyrem fieri. simulque plurimos debiles sospitate laetari. procidit ad pedes eius dicens.

Obsecro sancte dei. deposco. deprecor. oro.
Quo filium nostrum diro languore gravatum
Restituas sanum solita. virtute potenter.

Quam christi famulus interrogans. cuius ait religionis es? vel in quem deum credere te fateris? At illa. Religio inquit mea in sacris numinibus constat. proprie autem in deum apollinem. Attamen si michi filium sanum restitueris. nullum alium deum cum filio meo nisi ihesum christum quem tu sancte praedicas adoro. laudo et benedico. Cum audisset autem beatus georgius credulitatis eius devotionem. conversus ad dominum ait.

Lux immensa deus. iustorum vita. salusque.
Qui fractum mundum solidasti sanguine sacro.
Qui puerum vidue de mortis fauce tulisti.
Deprecor obnixe. puerum sic redde petenti
Nunc viduae sanum. ut te lucem cernere possit.

Haec ubi precatus est devote martyr opimus. protinus aeger recreatus omnibus membris optime restitutus est sospitati. ac simul cum matre crediderunt in christum. Hoc videntes ethnici et nimium invidentes. studiose caesari nuntiare curarunt. inflammantes animum eius ac dicentes. o rex invictissime. et inter gloriam deorum locande. supplici prece deposcimus. quo solito clementiae moderamine recordationem fidelium famulorum tuorum patienter audire digneris. ut et nostra fidelitas ab infidelitatis baratro erepta nitidius refulgeat. et celsitudo vestri sacri imperii non per incuriam neglegentiae incommoditatem a maleficis quod audire nefarium est patiatur. Ecce enim sub optentu sacrae moderationis pacifici vestri pectoris. de rebellione et nefario georgio dedecus iniuriae sacrorum deorum cotidie impie pullulat. et nimium veremur ne indignati aut cladem aut pestiferam calamitatem vestro regno iniciant. Ergo aut igne aut praecipitio pestifer ille pereat. ut caeteri videntes fautoribus diis flectere colla festinent. Tunc caesar inflammatus ad huiuscemodi suggestionem. apologetico famine ita respondere curavit.

Coelicolae dii. coelorum sacra potestas
Numine pro quorum studuistis sic vigilare.
Dignanter vobis coelestia gaudia praestent.
Et nos dum sumus dum spiritus hos regit artus.

Clementer vobis largimur praemia magna.

Scimus equidem quod ex quo sacra deorum religio oblitterata est. ex tunc variis calamitatibus variisque cladibus periclitari coepimus. Haec ergo scientes. modis omnibus eos veneremur. et christianam culturam penitus de terra eradicare curemus. Verum ut factis magis quam verbis hoc confirmemus. contumacem georgium qui talia patrare post nostram prohibitionem totiens non veretur. more imperialis clementiae iterum iterumque moneamus. ne videatur invitus sacrificare. Si vero aliter egerit. ne caeteri sequaces existant

igne. ferro. fame. ferarum rictibus atris.

mille modis miserum inferi mandemus ad ignem.

Haec ubi dicta dedit. ilico iussit beatum georgium suo iterum conspectui praesentari. Quo coram posito rex proloquens ait. imperialis tranquillitas et longanimitas animi nostri tanto temporis spatio tibi indulgentiam ideo tribuit. ut inepta cogitata relinquens. iustas ac salutiferas nostras exhortationes susciperes. Nonne si humani ingenii acumine polles. ferina amaritudine seposita iam cognoscere valuisti. quod melius sit cum imperiali gloria gaudiis et commodis saeculi perfrui. quam cum prophanis derelictisque christicolis infamari et tormentis affici. Et ut manifeste loquamur. si adeo amentia et fatuitate obcecata esset totius orbis sapientia et dignitas romani imperii ut in tenebris erroris incederet. Nonne melius tibi fuerat cum plurimis gloriose mori et perire. quam cum paucis vivere et gloriari? Aperi oculos cordis tui o miser. et meditata reserare festina. ne te indignata deorum maiestas aut coelesti fulmine consumat. aut vivum ad tartara mergat. Ad haec christi athleta respondit. Si aequanimiter sustines o caesar. prout pollicitus es. et censurae imperiali condecet. non vereor nec titubo obiectioni tuae rationabiliter respondere. Dixisti enim melius est michi cum plurimis gloriose mori. quam cum delectis vivere et gloriari. Nonne si hoc aequo ordine compensare velis. multo magis melius est michi cum mitibus humiliari. et post mortem cum deo in coelo vivere quam cum regibus in praesenti gaudere. et postmodum in inferno perpetue cruciari? Ista enim quae nunc videntur laeta post mortem penitus nil proderunt. immo ad inferos sibi famulantes demergunt. si hoc ita est. quare nos suades de bono ad malum demergi? De perpetuitate gaudii ad inferni claustra properare? Sed hoc non est incognitum. de radice enim delicti illius protoplasti et primi parentis talis cbitudo processit. Inde est quod esurimus et sitimus. Inde quod semper laboramus adquirendo et non satiamur. Inde quod decepti homines sicuti vos. relicto et oblito vero deo factore coeli et terrae. in varias ac nefandas transierunt culturas. ita ut homines sceleratos et exanimes tamquam deos adorarent. Sed heu pro dolor. gemendum est hoc non imitandum. sicuti vos agitis et alios agere compellitis. Per omnia vero ille est imitandus et adorandus qui coelitus a patre missus operante spiritu sancto ex virgine matre deus et homo mundo enituit. quatinus genus humanum diaboli calliditate deceptum mirabiliter ad dei culturam perduceret. Haec est discordia illa de qua totus mundus exagitatus super christi cultores desaevít. tamquam si impie aliquid agant. Propterea beatus apostolus clamat. nos autem praedicamus christum crucifixum. iudaeis quidem scandalum. gentibus autem stultitiam. De terrore autem quem michi incutis o rex ut cito deos adorem. ne nos aut coelesti fulmine consumant. aut vivos inferi demergant ad ignes. properemus si complacet ad templa illorum. ut experimento cernentes quantum divinitas eorum valeat. dicta vestra veridica comprobentur. Hoc audiens caesar gavisus est gaudio magno. et coepit exhortari et commonere magnates. ut proficiscerentur ad templum apollinis. videre christi militem sacrificia immolare. Commota est ad hoc universa gentilitas. clamantes et insultantes. quis est maior apolline qui corda ferrea edomat. et discordantes ad concordiam revocat? Cumque introissent in templum. facto silentio beatus georgius ait. Omnis querela omnisque intentio cuiuslibet rei tandiu exagitatur et scrupulum mentis incutit. quamdiu ad luminis veritatem non pervenit. Cum autem non auditu sed visu iam res ipsa cognoscitur. sopienda et comprimenda est omnis intentio. Iccirco igitur hoc praedicimus. quoniam impraesentiarum ostenditur quantum sit gloriosior christianorum cultura. quanta potentia domini nostri ihesu christi. vel qui error daemonicus ille quem colitis. et facultas numinis illius

Haec ubi perdocuit divino famine sanctus

erigens in coelum oculos tendensque ad sidera

palmas omnibus audientibus hanc orationem fudit ad dominum.

Omnipotens domine coeli terraeque creator.
Ihesu christe deus. rex regum. summa potestas.
Omnia qui iuste moderas moderamine sancto.
De coelis veniens natus de virgine sacra.
Postquam mille modis miracula sancta dedisti.
In cruce confixus salvasti sanguine mundum.
Unde tuis famulis donasti forte tropheum.
Daemonicas fraudes per quod confringere possint.
Te rogo christe deus humani generis amator.
Daemonis ut huius tu pandas cuncta nefanda.
Ac propriis dictis sua promat facta maligna.
Per quem caecatis propinat tetra venena.
Quo videant populi. et te laudent semper in aevum.
Teque deum promant coeli terraeque satorem.
Teque colant semper devoto mentis amore.
Qui cum patre deus regnas et flamine sancto.
Et cuius regnum per mundi climata fulget.

Haec ubi dicta dedit martyr precando beatus conversus ad statuam in qua demon pessimus erat. increpuit eum dicens.

Tu scelerate nimis. condignus ignibus atris.
Pessime tu daemon. animorum magne seductor.
Tu deus existis nequiter. et praemia spondes.
Hic tibi finis erit. dominus nec ultra vocaris.
Sed deiectus eris. et deridendus ubique.

Quapropter adiuro te per dominum ihesum christum filium dei omnipotentis. qui natus est de spiritu sancto et maria virgine. qui venturus est iudicare vivos ac mortuos. quique etiam te tuosque socios demerget in ignem aeternum. ut quantus existas. vel quam virtutem geras

tu sociique tui coactus concite dicas.

Ad hanc igitur vocem beati martyris georgii. favente gratia christi exclamavit daemon qui erat in statua dicens. Nec ego nec socii qui mecum sunt dii sumus. sed sumus de angelis daemones effecti. et deiecti in aerem istum. propter quod in coelo voluit princeps noster similis esse tonanti. Respondit beatus georgius dicens. etsi hoc ita est; quare leditis humanum genus. et decipitis eos ut vobis serviant. Respondit daemon. nos eos minime valemus ledere. sed ipsi se ledunt relinquentes dogmata christi. Ad hanc igitur exprobrationem protinus factus est ululatus magnus in templo quasi lugentium daemonum. ac deinde simulacra omnia corruerunt. et ultra respondere nil valuerunt. Tunc christi athleta repletus gaudio magno laudem referens omnipotenti domino ait. Benedictum sit nomen tuum domine ihesu christe. qui non deseris sperantes in te. et invocantibus nomen tuum mirabiliter vincere prestas. Ecce ad vocem nominis tui sancti daemones siluerunt. simulacra corruerunt. sperantes in eis penitus confusi sunt.

Gloria christe tibi famulis qui tanta ministras.
Qui bona cuncta facis per deitatis opem.

Tunc omnes proceres omnesque templi cultores qui cum rege aderant obstupefacti. quid ad haec responderent vel quid agerent non inveniebant. Unde cum merore atque confusione favorabiliter suggerebant caesari dicentes. Sapientia tua o rex magna est in orbe terrarum. acumen gloriosi pectoris tui etiam ipsa coelorum archana perlustrat. non est aliquis similis tibi. in omnibus. Hoc quia ita est. et faventibus sacratissimis diis totus mundus exultat sub dicione imperii vestri. oramus clementiam tuam ut contumax iste aut talibus tormentis atteratur ut diis sacris libamina conferat. Aut impia morte citius consumatur. Sin aliter. ut iam praefati sumus non parvam incommoditatem inicis regno tuo. His auditis rex ait. utile consilium contemni minime oportet. Sed semel adhuc examinatus commoneatur. forsitan resipiscet. atque ab errore sacrilego impium animum revocabit. Fateor equidem inhianter hoc cupio. utpote de strenuo et bellicoso viro. Sin autem aliter quod non optamus agere voluerit. vivens igni tradatur. Haec dicens suo eum conspectui fecit iterum sisti. et sicut scriptum est; Mollierunt sermones suos super oleum et ipsi sunt iacula. ore vipereo mellifluoque sermone beatissimum martyrem ita exhortari coepit. O inquiens strenuissime et bellicose miles. testor omnipotentiam superum. non modico merore afficimur super dedecore tuo. sed quia non nequiter sed iuste id actum est ob infamiam sacrorum deorum mentisque tuae obstinationem. et nos ut condecet imperialem modestiam obliviscamur opprobrii nostri. et tu obliviscere illatae vindictae. Si opibus inhias. si potioris dignitatis gloria. eris procul dubio praecipuus inter omnes. alias autem flammarum cruciatibus interibis. Et christi mar-

tyr ad eum. O inquit mores hominum. O sapientiam romanorum et tenentium aequitatis censuram. Quid est hoc quod iterum iterumque replicare conamini. quasi nullam superius rationem dedissem? Iam semel et bis terque quaterque professi sumus. non creaturae sed potius creatori deo suppliciter nos flectere colla. Quod semel iuravi illi in sacramentis divinis. non est violandum neque praemiis neque minis. Quae enim est credulitas tyronis qui fidem sui regis abnegat et conculcat? proiciendus est utique de militia. et anathemate plectendus. Si non est ita o caesar. si censura sacratae legis talia non insinuat. mendax iudicor inter omnes. fallax per omnia apparebo. Non est laborandum. non desudandum in talibus rebus. dominus michi adiutor est. quid homo faciat non est verendum. Maledicti equidem dii vestri et omnes qui confidunt in eis. Hoc audito tyrannus. infremuit et ait. infamiam nostram nostraeque gloriae opprobrium hactenus patienter sustinuimus. deorum dedecus ultra audire nefarium est. Plane ultione sunt digni qui talia non verentur. Sentiant dura sentiant qui corda ferrea gestant. per ignem transeat qui novit dura mollire. Tunc praecepit afferri sartaginem sulphure ac pice refertam. quae cum acerrime accensa fuisset. beatum georgium desuper imponi praecepit. Ille autem dum exureretur oculos in coelum elevans. orabat ad dominum et dicebat. Creator omnium rerum domine ihesu christe. cui omnia elementa utpote factori suo deserviunt. exaudi me obsecro ad te clamantem. et de tua misericordia confidentem. mitte nunc angelum tuum sanctum qui rore divino extinguat incendia saeva. sicut olim tribus pueris in camino ignis ardentis. quo victor existam incendiis superatis. ut cognoscant omnes quia tu es filius dei qui in hunc mundum venisti. O mira omnipotentia salvatoris. mira et ineffabilis. ut a periculis incendii martyrem suum mirabiliter liberaret. protinus misit angelum suum. qui flammivoma instrumenta coelesti rore extinguens. divino eum alloquio consolatus est dicens. Pax tecum miles optime. agonitheta fidelis. noli tormenta pavere. nam christus adest qui te victorem faciet. et ad gaudia aeterna perducet cum gloria. Qua consolatione admodum roboratus ac laetus effectus. laudem domino devota mente canebat. Videntes autem populi qui ad spectaculum venerant. compuncti sunt corde. et voce magna clamabant dicentes. magnus est deus christianorum et omnipotens. plane non est ei similis in coelo sursum et in terra deorsum. omnia enim quaecumque vult potentissime facit. ipse ergo est adorandus. Haec igitur cum admiratione vociferantes. conversi ad beatum georgium flagitabant eum postulantes.

O magnus amice dei. o vitae coelestis ostensor
qui per flammas transiens vicisti iussa tyranni.
dicta veri dei retinendo mentis amore.

Iam insigne praeconium almae tuae victoriae angelicus coetus decantat voce sonora. Et quia vere factus es angelorum consors. apostolorum socius. prophetarum concivis ac martyrum cohaeres. et ecce coronatus properas ad gaudia coeli. Quaesumus obnixe pro nobis posce christum ut eruat nos de tenebris ignorantiae. et ad veram lucem suae fidei perducere dignetur. Ad hanc igitur deprecationem beato georgio fundente ad deum orationem. plurimi ex eis crediderunt in dominum. et baptizati sunt. laudantes et benedicentes nomen domini ihesu christi. De quorum conversione martyr dei plurimum congaudens. gratias referebat domino dicens. Benedictum sit nomen tuum domini ihesu christe. et laudabile et gloriosum in omnibus saeculis. quoniam te adiuvante hos tuos famulos de tenebris infidelitatis eruens. ad gremium sanctae matris ecclesiae perducere potui. Custodi ergo et protege eos ab impiis qui in circuitu ambulant. ut viam mandatorum tuorum absque omni errore currentes. ad celeste regnum conscendere valeant. meque tuum famulum de manibus iniquorum eruens. ad tuam sanctam gloriam perducere dignare. Igitur dum caesar tantam catervam ad christum conversam cerneret et christi agonithetam nullo modo ad suum votum flectere posset. zelo iracundiae succensus talia clamitabat. Quid iam argumenti quid ingenii ad hanc pestem suffocandam conicere valeam? Ecce etenim salutis monita audire renuit. honoris gloriam derisit. tormentorum incendia pro nihilo duxit. Unde intellegendum est quod divinitas omnipotentium deorum semel offensa. propter nefariam blasphemiam ab eo illatam hanc obstinationem et ebitudinem illi tribuerit. scilicet ut quia illorum gratia indignus est. abominabilis coelicolis et ho-

minibus factus morti addicatur. tartareaque illum incendia devorent.

Haec ubi dicta dedit. protulit sententiam dicens. Georgium tribunum militum cappadocensem regalia edicta contemnentem atque omnipotentibus diis blasphemias inferentem. iubemus gladio vitam finire. quatinus semel in baratri voraginem praecipitatus. ipse ipsiusque abominabilis doctrina eternae tradatur oblivioni. Ad hanc iussionem iniqui satellites iniqua regis edicta perficere cupientes. accipientes beatum georgium ducebant eum extra civitatem ad decollandum. Interea sequebatur eum innumerabilis contio virorum ac mulierum. lamentantes et dolentes super dulcedinem doctrinae illius. et postulantes ab illo benedictionem. Cumque pervenissent ad locum destinatum. petiit indutias orandi. Quibus consecutis. oculis ac manibus in coelum erectis orabat dicens. Gratias tibi refero domine ihesu christe qui me custodisti a iuventute mea usque ad presens. qui michi cognitionem sancti nominis tui dedisti. Scilicet quod unigenitus patris ad redemptionem generis humani de coelo veniens. nostram carnem nostramque animam sumere dignatus es. ut perfectus deus perfectus homo factus superando demonicas potestates unde illi ceciderunt nos illuc conscendere faceres. Tu etenim michi tribuisti ante reges et presides fiducialiter astare. ac minas eorum tormenta et ignes pro nichilo ducere. Et quia te adiuvante perficere valui quod te praecipiente inchoare presumpsi. Te adoro. Te laudo. Te glorifico. Et ecce venio ad te. in pace obsecro suscipe spiritum meum. quoniam tu es deus omnipotens. rex regum et dominus dominantium. Expleta itaque oratione. percussus gladio migravit ad dominum vicesima tertia die mensis aprilis. qui inscribitur nono kalendas maias. Regnante domino nostro ihesu christo qui cum patre et spiritu sancto vivit et regnat deus in saecula saeculorum. Amen.

Pag. 434 — Passio sancti vitalis martyris.

Sanctus vitalis militans consulari paulino dum fuisset cum eodem ravennam ingressus. vidit in conspectu eius christianum quendam nomine ursicinum arte medicum. natione ligurem. post nimia tormenta capitalem accepisse sententiam. Locus autem ubi decollabantur christiani hoc habebat vocabulum. ut diceretur ad palmam. eo quod arbores antiquae palmae illic essent. Igitur cum post nimia tormenta decollandus venisset ad palmam. expavit. et dum vellet male evadere exclamavit vitalis dicens. noli noli ursicine medice qui alios curare consuevisti te ipsum aeternae mortis iaculo vulnerare. et qui per passiones nimias venisti ad palmam. coronam perdere a domino preparatam. Audiens haec ursicinus genua posuit. et spiculatorem hortatus est ut feriret. agens poenitentiam eo quod expavisset. Quem spiculator feriens christi martyrem fecit.

Statimque ipse vitalis corpus martyris rapiens. intra ravennatium urbem sepelivit cum omni honore martyri debita explens. et ad iudicem ipse vitalis ultra venire contempsit. Quem paulinus consularis teneri mandavit. non tantum quia contempsit ad eum redire. quantum ob hoc quod ita christianus esset detectus. Ut etiam volente ursicino sacrificare ne periret ita instituit. ut rediret ad coronam martyrii. et deo traderet gemmam pretiosam. quam rapere diabolus studebat. Paulinus igitur iussit eum levari in eculeo. ut per tormenta posset eius consensum ad sacrificium vertere idolorum. Cui vitalis ait. Infinita tibi dominatur stultitia. ut putes te me posse decipere. qui alios a periculo deceptionis studui liberare.

Tunc paulinus consularis dixit ad officium suum. ducite eum ad palmam. et nolite eum decollare si sacrificare contempserit. sed facite foveam in terra quo usque perveniatis ad aquam. et ibi eum supinum deponite. et terra atque lapidibus obruentes dimittite. Quod cum fuisset impletum. deus sibi vitalem martyrem consecravit. et sacerdos apollinis qui hoc consilium paulino dederat a diabolo arreptus. per septem dies non cessabat clamare ubi obrutus erat sanctus vitalis. dicens. Sancte vitalis incendis me. martyr christi crucias me. Post septem vero dies precipitatus a diabolo in flumine expiravit. Sanctus autem vitalis gloriosus martyr christi iuxta civitatem ravennam in loco quo obrutus est. prestat orationibus suis beneficia omnibus in christum credentibus usque in praesentem diem. Valeria autem coniunx eius dum vellet corpus sancti vitalis auferre. a christianis prohibita est. et revelationibus saepe admonita ne sanctum

corpus a malo homine bene positum violaret. Ipsa autem cum reverteretur ad urbem mediolanensium in idola silvani sacrificantes incurrit. Qui cum eam deponentes de saginario hortarentur secum epulari. et illa diceret christiana sum. non michi licet de silvani vestri sacrificio manducare. Tanta eam coede mactaverunt ut vix seminecem eam sui homines ad mediolanensem urbem perducerent. Ita ut intra triduum migraret ad dominum.

Pag. 439 — Vita vel obitus sancti Athanasii Episcopi.

Cum nihil fere discriminis sit inter vitam Sancti Athanasii quae extat in nostro Codice, et caput XIV et seqq. libri primi Ecclesiasticae Historiae *auctore Rufino; idcirco eam omittendam duximus.*

Pag. 453 — Inventio Sanctae Crucis.
Edita a Bolland. Tom. I. Mai. pag. 445.

Pag. 463 — Passio sancti Pancratii martyris.

Temporibus dioclitiani et maximiani sceleratissimorum imperatorum. facta est immanis persecutio adversus christianos. ita ut quicumque ex eis simulacris tura non poneret. diversis suppliciis interiret. Erat illis diebus in civitate frigia cleon nobilissimus vir. cui erat unicus filius nomine pancratius. Factum est autem ut cleon incidens in infirmitatem ad diem pervenisset extremum. Qui vocans ad se germanum suum nomine dionisium. commendavit ei pancratium filium suum adiurans et optestans eum. ut nulla detestabili victus cupiditate patrimonium nepotis invaderet. Sed ut benignissimus patruus in omnibus se ei piissimum exhiberet. Suscipiens autem dionisius puerum pancratium. paterno eum diligebat affectu. Factum est autem triennium ut simul ad urbem romam proficiscerentur. ubi multas cleon pancratio reliquerat facultates. Cumque illic demorarentur. habitabant in insula cameniana in monte celio. cum omni familia sua. Et quia nimia persecutio erat adversus christianos. Romanae urbis papa qui eo tempore christianis populis praeerat in vicinia dionisii et pancratii latitabat. Cumque dionisius universas virtutes quas faciebat audisset. et quomodo universum populum a cultura idolorum amoveret. et ad viam rectam et vitam aeternam perduceret. Factum est ut una cum suo nepote pancratio ad eius notitiam perveniret. Venientes itaque ad sanctum pontificem. per eusebium quendam christianissimum eius sunt aspectibus praesentati. Qui se ad ipsius vestigia provolventes profusis lacrimis eum obsecrare coeperunt. ut deum quem ipse coleret eis insinuare dignaretur. Et ut ad eius mererentur culturam pertingere. et ab eo illuminari qui tanta per suum cotidie famulum signa et prodigia exhiberet. Et erigens eos sanctus vir. coepit eos cum magna exultatione amplecti. et declarans eis et instruens eos omnem divinitatis culturam. post dies eos viginti baptismatis unda perfudit. Qui statim ut abluti sunt ita coeperunt in amore christi fervere. ut ultroneos se ipsos persecutoribus offerrent.

Post dies vero paucos dionisius cum praemiis coelestibus migravit ad christum. carus et dignus deo. Et cum nimia insania esset paganorum adversus christianos. coeperunt cum ingenti furore clamare. dignissimi et pii imperatores. Tollite de hac urbe magos et crudeles christianos. per quos omnis mundus decipitur. et omne regnum vestrum. Tunc indignatus dioclitianus. talem legem dedit. ut si qui huius sectae invenirentur inauditi punirentur. Hac igitur lege sancita. tentus est beatus pancratius. Et cum didicissent persecutores qui eum conprehenderant quia magnis natalibus ortus esset. nuntiant haec dioclitiano. Quem iussit dioclitianus sub omni celeritate ad suum adduci palatium. Et cum vidisset faciem pancratii. coepit stupescere dioclitianus talem infantiam libenter velle mori pro christo. Et dicit ad eum. infantule. ego tibi suadeo ut morte mala non moriaris. quia aetas tua ut satis non est plus quam ter quinque annorum. et quia nobili genere ortus ex patre cleonio mihi satis amicissimo et caro. hoc tibi volo extorquere ut recedas ab ista insania christianorum. reddasque te natalibus tuis. et te magnificentiorem et ditiorem faciam. ut a latere meo non sis alienus sed velut filius. Quod si tibi displicent pietatis meae verba. iubeo te interfici. et corpus tuum incendi. ne forte veniant christiani. et ipsi te sibi martyrem faciant. Cui beatus pancratius di-

xit. noli frustra errare imperator. ut quasi videns me puerum scientia et sensu estimes minimum. Dominus enim noster ihesus christus talem intellectum nobis donare dignatus est. ut omnes terrores principum vel iudicum tantum sint apud nos. quantum si picturas eorum videamus. Dii autem tui et deae quos me tu exhortaris ut colam daemones et deceptores sunt. qui parentibus suis non pepercerunt. et germanas suas stuprantes polluerunt. Unde miror imperator quomodo te non pudeat tales adorare. qualis si aliquis servorum tuorum extiterit secundum ius tuum et leges statim iubeas eum puniri. Tunc superatum se a puero dioclitianus videns. indignatus iussit eum capitalem subire sententiam. Ductus itaque est beatissimus athleta christi pancratius in via aurelia. atque ibi ut iussum fuerat decollatus martyrium constanter excepit. Tunc corpus eius ab octavilla sublatum est occulte nocte. et conditum aromatibus et dignissimis linteaminibus involutum. sepultum est in sepulcro novo. quarto iduum maiarum. Eodem tempore passa est virgo sacratissima soteris. nobili genere orta. dioclitiano et maximiano imperantibus. Quae quidem graviter et diutissime alapis caesa. cum caetera quoque poenarum genera vicisset. gladio martyrium consummavit. Passa est autem quarto idus februarias. et sepulta est in via appia. miliario secundo. iuxta cymiterium beati calixti et beati cornelii. Regnante domino nostro ihesu christo. cui est honor et gloria in saecula saeculorum. Amen.

Pag. 481 — SCRIPTA PASTORIS PRESBITERI AD TIMOTHEUM DE VITA ET OBITU SANCTAE POTENTIANAE VIRGINIS.

Sancto et venerabili fratri timotheo presbitero pastor presbiter. Novit fraternitas tua quoniam pudens frater noster et amicus apostolorum cultor et susceptor peregrinorum et contemptor mundi. in omnibus praeceptis domini eruditus fuit. Hic post transitum parentum suorum idest patris punici et matris priscillae qui eum iunxerunt uxori. defuncta uxore nomine savina. eique duabus ex ea filiabus relictis idest praxede et potentiana. enutrivit eas in omni castitate. et omnem legem divinam edocuit. Hic etiam intra domum suam studio sancto ecclesiam statuit. et per nos peccatores dedicavit. Ubi et titulum nostro nomini constituit in urbe roma. in vico qui appellatur patricii. Hic pudens doctus a beato paulo qui et te docuit et nutrivit. quantae felicitatis et studii fuerit. fidei documenta testantur. Hunc ego notum tibi facio migrasse ad dominum. et reliquisse utrasque filias superius memoratas. castitate fultas omnemque legem divinam eruditas. quae sine dolo christo deserviunt. et in virginitatis flore omni modo gloriantur. in vigiliis ieiuniis et orationibus perdurantes. Hae omnem facultatem dividentes inter se. coeperunt vendere omne patrimonium. et erogare pauperibus.

In eodem vero loco ubi titulum meo nomini pater earum bonae recordationis pudens dedicavit. hoc consilium inter me et easdem famulas christi convenit. ut propter familiam earum quae gentilitatis adhuc tenebatur errore in eodem titulo fontem baptismi construeremus. de qua re consuluimus sanctum sedis apostolicae pium episcopum. cui adeo placuit consilium. ut ipse plus exhortaretur fieri in eodem titulo baptisterium. et summo studio ac fervoris amore ipse beatissimus pius episcopus manu sua fontem designavit. atque ita sicut designavit. deo adiuvante perfectus est. Quo perfecto famulae christi convocaverunt familiam suam tam de urbe quam et de possessionibus. et fecerunt discusssionem. et quoscumque invenerunt christianos donaverunt munere libertatis. quos autem invenerunt gentiles. applicuerunt ad credulitatem sanctae legis christianae. Et facto consilio cum beato pio episcopo in eodem titulo secundum normam antiquitatis manumissio celebrata est. Adveniente autem sancto die paschae baptizati sunt promiscui sexus numero nonaginta tres in eodem titulo.

Et cum omnia consummata fuissent; caepit esse conventus in eodem titulo. ita ut ibi diebus ac noctibus gloria hymnorum non cessaret. et multitudo ad credulitatem ex paganis convenirent. qui et baptizabantur cum omni gaudio. Unde sciat fraternitas tua quia suggestio facta est antonino imperatori de christianis. qui antoninus piissimus augustus hoc praecepit sua auctoritate. ut quicumque christum colere scirentur. sufficeret eis in habitaculis suis vivere. nulla coniunctione cum aliis coniungerentur. neque emerent. neque venundarent.

neque in thermis publicis lavarent. sed tantum in domibus suis habitarent. Et dum hoc custodiretur ab universis christianis. praedictae filiae nostrae dicatae deo et virginitatis pio testimonio confirmatae. in domo sua in titulo supradicto orationibus vigiliis et ieiuniis cum populo dei incessanter die noctuque in laudibus et ymnis exultabant. et nobiscum semper beatissimus pius episcopus manens deo sacrificia offerebat. Consummato autem octavo decimo anno. virgo domini potentiana migravit ad dominum. Cuius corpus nos una cum germana eius involventes cum omni diligentia. et aromatibus condientes. habuimus occultum in titulo supradicto. Post diem vero vicesimum octavum. noctu detulimus corpus eius. et posuimus iuxta patrem suum pudentem in cymiterio priscillae via salaria. quartodecimo kalendas iuniis. Ubi exhuberant beneficia divina orationibus sanctitatis eius usque in hodiernum diem. Per eum qui vivit et regnat deus in saecula saeculorum. Amen.

Pag. 483 — Passio sancti Eustasii et uxoris et filiorum eius.

In diebus traiani imperatoris. idolorum cultura ipso auctore pollebat. Erat autem ea tempestate magister militum quidam nomine placidas. nobilissimus et ditissimus valde. tam in animalibus quam in auro et argento et mancipiis. ac universis rebus substantiae suae. Qui quamvis paganus existens studebat subvenire miseris. et necessitatem patientibus vivendi substantiam ministrare. ita ut acceptabilis fieret coram domino deo in operibus suis. Erat autem idem placidas magister militum strenuus bellator. et in praeliis triumphator. ita ut audito nomine eius contremiscerent et effugarentur saepius adversarii eius. Erat vero ei consuetudo venandi. et dum exisset secundum consuetudinem suam ad venandum. apparuit ei grex cervorum. inter quos erat unus pulcherrimus. et omni decore mirabilis. Quem videns praedictus magister militum. relictis omnibus qui apparuerant ei ipsum tantum persequebatur. Et deficientibus ad persequendum secum euntibus ipse solus persecutus est eum in silvam condensam. et pertransivit cervus in verticem montis. et stetit super saxum in loco altissimo. et non praevaluit placidas appropinquare ad cervum. stetitque cogitans qualiter posset capere eum. Et dum consideraret magnitudinem eius ostendit deus magnum miraculum super cornua eiusdem cervi. et apparuit signum sanctae crucis super claritatem solis illustrans eum. et vidit inter media cornua eius imaginem salvatoris. cuius vocem audivit dicentem sibi. O placidas. ut quid me persequeris? ego sum ihesus. quem tu ignoras. in elemosinis et actibus bonis. visus es venerari. Propter quod apparui tibi. ut per cervum venarer te. et mitterem in retia venationis meae.

Quo audito magister militum expavit. et pre timore cecidit in terram. Et iterum elevans caput. intueri coepit mysterium visionis suae. Et dixit ei dominus. noli timere. sed conserva quae dico tibi. credens fiducialiter. ut non pereas sed habeas vitam aeternam. Et dixit placidas. credo domine quia tu es qui revocas errantes. et erigis cadentes. et resuscitas mortuos. Et dixit ei dominus. si ergo credis. vade et exquire sacerdotem christianorum qui te abluat a sordibus paganorum per lavacri fontem et baptismum regenerationis. At ipse dixit. si vis domine indicabo haec filiis meis et matri eorum. Et dixit dominus. vade et indica eis. ut et ipsi credant. et habeant vitam aeternam. Et veniens magister militum indicavit haec uxori suae et filiis. Et dixit ei uxor sua. O domine. tu vere deum vidisti quem christiani venerantur. Nam et ego praeterita nocte in visu agnovi magnitudinem mysterii huius. Vidi enim gloriosissimam speciem viri dicentis michi. ecce vir tuus et filii tui una tecum adhaerebunt michi per baptismum. ut non pereatis sed aeternam vitam possideatis. Credo ergo quod ipse ad me locutus est. qui et tibi apparuit. festinemus itaque adimplere quaecumque nobis praecepit. Et mox inquirentes invenerunt quendam sacerdotem christianorum. cui dum occulte indicassent mysterium visionis suae baptizati sunt ab eo in nomine patris et filii et spiritus sancti. Qui videlicet sacerdos placidam nominavit eustasium. et primogenitum filium eius nominavit agapitum. et fratrem eius theopistum. matrem vero eorum nominavit theopisten. et facti sunt participes communionis corporis et sanguinis christi.

Deinde post baptismum abiit beatus eustasius in locum montis ubi apparuerat ei dominus. in quo loco oranti iterum locutus est salvator dicens. bea-

tus es vere quia suscepisti baptismum salutis. et regeneratus es in nomine patris et filii et spiritus sancti ad vitam aeternam. Sed dico tibi quia in hoc praesenti saeculo supervenient tibi tribulationes. temptationes. et pericula multa. donec pereant omnia quae habere in hoc mundo inventus es. Oportet enim te in his temptationibus existere similem iob. Et iterum cum humiliatus fueris in temptationibus tuis. visitabo te in bonis. et restaurabo te in consolationibus multis. donec pervenias ad martyrii triumphalem coronam. Deinde cum redisset eustasius in domum suam. coepit decidere familia eius in aegritudinem. et in languores multos. donec consumpti sunt omnes in mortem. similiter et omnia animalia eius. Latrones etiam venerunt diripientes omnia de domo eius. aurum scilicet et argentum ac vestes multas. et nichil aliud remansit ei nisi duo filii sui et mater eorum. Unde non sufferentes inter quos noti fuerant confusionem verecundiae suae. recesserunt occulte noctu ut transirent in aegiptum. et pervenerunt ad mare. et ingressi sunt navem ubi erant barbari et irrationabiles homines.

Et cum pervenissent ad portum. coepit dicere nauclerius quia concupierat mulierem eius. da mihi naulum meum. Et quia non habebat quod daret. tenuit nauclerius uxorem eius. Sed dum non quiesceret eustasius postulare eum pro uxore sua. praecepit nautis suis ut iactarent eum in mare. Et quoniam sensit eustasius nauclerium insidiantem sibi. subito accipiens occulte duos filios suos dereliquit matrem eorum apud nauclerium. et fugiebat. plorans et gemens. dicensque. ve vobis filii mei. quia mater vestra derelicta est viro alienigenae et irrationabili homini. Et euntes cum lacrymis et tristitia multa. pervenerunt ad quoddam flumen. Et dubitavit eustasius introire in flumen cum filiis propter abundantiam aquae. et reliquit unum eorum ad ripam. et alterum super humeros suos deportavit ad alteram ripam. et coepit reverti ad filium quem reliquerat. Sed antequam perveniret ad ripam. prospiciens vidit leonem rapere filium suum. ad quem pergebat. et coepit redire post se cum gemitu et fletu et gravi dolore ad filium quem deportaverat ad alteram ripam. et prius quam exiret de flumine ut perveniret ad eum. venit lupus et rapuit eumdem filium eius. Egressus vero eustasius de flumine. erat trahens capillos suos. et plorabat amarissime filios suos. et cogitabat semetipsum in aquam praecipitare. sed non permisit eum dominus deus. providens illi bona quae erant ei futura. Tunc leo qui rapuerat filium eius cum deportaret eum. fugatus est a pastoribus et a canibus et reliquit puerum illesum. et ipse ignorans quid actum esset de patre eius habitabat cum pastoribus temporibus multis. Et frater eius qui raptus erat a lupo liberatus est ab aratoribus. ignorans quid actum esset de patre vel fratre. et habitavit cum illis a quibus liberatus est multis temporibus. Eustasius vero dum esset in amaritudine et doloribus multis. dicebat. ve michi qui aliquando florebam sicut arbor florida et fructificans. et ecce nunc expoliatus sum et denudatus omnibus bonis. Sed tu domine omnipotens et misericors non derelinquas me. neque despicias in tribulationibus meis. Recordatus sum enim quod dixisti. quia oporteret me velut iob sustinere tribulationes et temptationes multas. sed consideravi quia iob quanquam a facultatibus suis exinanitus fuisset. habuit tamen amicos qui consolarentur eum. Ego vero agrestes feras inveni quae pro consolatione devoraverunt filios meos. Iob et si privatus fuit filiis et omni substantia. tamen uxorem suam secum habuit pro aliqua consolatione temptationis suae. Ego vero et ab uxore viduatus sum. Sed quid dicam? Nisi tu domine tolerantiam et sufferentiam concedas michi. et ponas custodiam ori meo ut non peccem tibi. Deinde beatus eustasius veniens in quendam locum. coepit ibi operari manibus suis. donec fecerunt eum homines eiusdem loci custodem agrorum suorum. et vivebat ex iis mercedibus per singulos annos. quod faciens adimplevit in eodem loco quindecim annos. Nauclerius vero perduxit mulierem eius in patriam suam. sed talem fecit dominus deus virtutem cum ea. ut non prevaleret violare eam. Deinde contigit ut in brevi tempore nauclerius moreretur. et mulier absoluta est ad faciendum quod illi placeret. Post aliquot vero tempus dum a barbaris eiusdem loci vastarentur fines romanorum. coepit imperator inquirere quid actum esset de placida qui fuit magister militum. cuius fortitudine et industria saepius effugati fuissent alienigenae. et misit idem imperator duos milites qui vocabantur antiochus et agarius ad inquiren-

dum eum per omnes provincias sub imperio eius. At ipsi euntes dei nutu pervenerunt ad vicum in quo eustasius erat custos agrorum. et viderunt eum sed non cognoverunt. Ipse vero cognovit eos. et salutatus ab iis resalutavit eos dicens. pax vobis amici et fratres. At ipsi dixerunt ei. Rogamus te ut dicas nobis si forte vidisti vel audisti aliquid de magistro militum qui placidas vocabatur. Et ipse dixit. et quae causa est vobis ad inquirendum eum? Et dixerunt ei. quia magnus amicus noster fuit. Unde qui indicaverit ipsum nobis. remunerabimus eum magno dono. At ipse dixit. ego hic peregrinus sum. et quomodo novi quem quaeritis? Sed rogo vos venite et reficite apud me. Quos consentientes sibi perduxit in hospitium suum et praeparavit quod comederent ipsi apud eum. Qui dum reficerentur. paulatim in corde suo cogitare coeperunt quod hic esset consimilis illi qui ab eis quaerebatur. Et dixerunt ad invicem. Si hic homo signum cicatricis habet in collo suo quod nos scimus. vere ipse est. Quo dicto. erigentes se viderunt in collo eius signum. et exclamaverunt cum gaudio magno dicentes. Vere tu es magister militum placidas quem nos quaerebamus. Quae omnia nota facta sunt in illis locis. Tunc vero quamvis nolentem et recusantem honorem saeculi huius. perduxerunt eum ad imperatorem. de quo imperator valde laetus effectus. constituit eum esse caput exercitus. et congregati sunt ad ipsum ex omni provincia milites. inter quos venerunt et duo filii eius qui a feris fuerant liberati. nescientes inter se quod fratres essent. et erant consimiles. rufi capillis et facie supra ceteros pulcriores. Et placuerunt eustasio in decore aspectus et in eloquentia oris sui. et fecit eos centuriones. ignorans quod fratres essent vel filii sui. Et audita est inter barbaros opinio quod placidas preliator exisset in bellum contra eos. et nocte recesserunt barbari in solum proprium. At ipse profectus cum exercitu transivit danuvium. et occupavit provincias multas. donec pervenit in quoddam oppidum. quod se tradidit ei ne cum pereuntibus damnaretur, Et erat in ipso loco mulier ei assistens ad fenestram tabernaculi. ut videret exercitum applicantem. Et ecce illi duo iuvenes qui erant centuriones. ingressi sunt in quendam hortum qui erat iuxta tabernaculum in quo assistebat mulier supradicta. quae per fenestram intuebatur eos. et ignorabant quod esset mater eorum. Sed et ipsi inter se nesciebant cognationem suam. vel quod essent fratres et filii eiusdem mulieris. Et dum ibidem colloquerentur de infantia sua ad invicem. referebat unus ad alterum. ego recolo quod pater meus magister militum fuit. et mater mea pulcra facie et magno decore. et frater meus rufus capillis et facie pulchra. Egressi autem occulte nocturnis horis. nescio quo nos pater noster cum matre ducebat. donec introivimus navem. Deinde exeuntes de navi matrem nostram non vidimus. nescientes quid actum esset de ea. et ibat pater meus cum fletu et gemitu. donec pervenimus ad quoddam flumen. Et reliquit me pater meus in ripa. et portans fratrem meum minorem ad aliam partem transivit. Qui dum ad me rediret ut similiter me transportaret. rapuit me leo. sed liberatus sum a pastoribus et habitavi cum eis temporibus multis. Quo audito frater eius. erigens se et exultans cum lacrimis dixit. per virtutem christi ego sum frater tuus. quia quae recitasti omnium memoror. et quia me pater meus trans flumen deportavit. et dum ad te ipse rediret. ego a lupo raptus sum. sed liberaverunt me aratores. et habitavi cum eis multis temporibus. Quibus dictis erant in gaudio magno. amplectentes se et osculantes in magna caritate fraternitatis., quia post longum tempus invicem se recognoscere meruerunt. Tunc praedicta mulier mater eorum assistens ad fenestram tabernaculi. valde mirabatur si ipsi essent. vel si viverent filii eius. Et exiens cito mulier de tabernaculo ad interpellandum pro se principem exercitus romanorum. eo quod ibidem captiva detineretur. Ut vidit eustasium recognovit eum. et proiecit se ad pedes eius dicens. ego sum quae derelicta sum in navi apud nauclerium. et alienigena ipse non tardavit. sed cum omni celeritate defunctus est. Et testis est mihi dominus qui operatus est mecum hanc virtutem. quia neque ipse neque alius me contaminavit. Quo audito eustasius. recognovit eam. et conversus in gaudium benedixit dominum propter praesentiam eius. et dixit ad eam. filii nostri a feris comesti sunt. At ipsa dixit. sicut et nobiscum ita et cum filiis nostris fecit dominus virtutem suam. Nam et audivi et vidi duos iuvenes loquentes et agnovi quia et tu pater eorum es et ego sum

mater ipsorum. Quo dicto fecerunt eos venire in praesentia et referentes sibi ad invicem quae illis contigerant. Agnoverunt se et exultaverunt in magno gaudio pater et mater cum filijs suis. Et admiratus est omnis exercitus romanorum de iis quae illis contigerant. Deinde circumeuntes provincias. regressi sunt romam cum magno triumpho et gaudio. reducentes secum plures captivos. et spolia multa. Sed dum regrederentur mortuus est traianus imperator. et successit illi in imperium adrianus paganissimus. qui venit obviam eustasio redeunti de praelio. Eo quod fecisset victoriam. et congratulabatur ei cum exercitu suo pro triumpho victoriae eius. et pro inventione uxoris et filiorum eius.

Post haec ingressus est imperator. in templum idolorum. et immolavit victimas diis suis. Eustasius vero non est ingressus in templum. sed neque uxor eius neque filii ipsius. Quo audito imperator. indignatus ad eustasium dixit. quare non introisti in templum ad offerenda libamina diis nostris? Et dixit eustasius. quia ego christianus sum. et christum regem coelestem adoro. qui me triumphare fecit. et uxorem et filios meos de multis periculis liberavit. Tunc iratus imperator. fecit eum cum uxore et filiis suis in arena recludi. et leonem ad eos devorandos dimitti. Quos videns leo. territus capite inclinato recedebat ab eis. Et videns imperator tale miraculum. amplius est indignatus. et fecit bovem aereum igne succendi ut in eo recluderentur ad comburendum. Sed prius quam in vase aereo igne succenso recluderentur. oravit eustasius dicens. Domine deus omnipotens ad te clamamus. tuamque clementiam deprecamur. ut fiant corpora nostra per hunc ignem velut incensum in conspectu tuo. et omnes qui nostri memoriam fecerint percipiant hubertatem in terris. et consequantur de coelis tuae gratiae largitatem. Et hoc nobis domine praestare digneris. ut in uno loco recondantur corpora nostra. Ut qui viximus separati temporibus multis. amodo in uno sepulcro adunati praevaleamus subvenire languentibus vel aegrotis. et omnibus qui in quacumque tribulatione fuerint constituti et nostri memoriam fecerint. ut ex hoc cognoscant omnes quia recepisti nos in gloria regni tui. Quo dicto. facta est vox de caelo dicens. exaudita est eustasi oratio tua. et ita facio omnia sicut postulasti. ut sciant omnes quia dedi vobis coronam victoriae. et palmam triumphalem in coelis. Deinde missi sunt a paganis in vas aereum igne succensum. Et sic ymnum deo dicentes. suscepti sunt ab angelis in coelum et de corpore recesserunt. Sed nec capillus de capite eorum. nec ulla pars vestimentorum aut corporum ab igne combusta est. sed illesi de vase aereo educti sunt. Quos videns imperator cum ministris suis; valde sunt admirati. quod neque vestimenta corporis; neque capillos capitis; nec ullam partem membrorum incendia contingere praesumpsissent. Et dicebat imperator. Vere hoc magicis artibus actum est ut ab igne non cremarentur. Sed multitudo magna ex populo dixerunt; vere magnus est deus christianorum. Deinde superveniente nocte; occulte de loco illo a christianis sublati sunt. et in uno loco sepulti. Ubi pacis tempore quiescente persecutione basilica fabricata est. quorum natalicia sacra devotione mensis maii die vicesima celebramus. ut ipsorum intercessionibus adiuti; ad perpetua gaudia pervenire mereamur. Per ihesum christum dominum nostrum. cui est gloria et imperium in saecula saeculorum. Amen.

Pag. 488 — Incipit prologus in passionem Sancti Urbani Papae.

Sanctorum martyrum gesta vel passiones...

Edita est haec passio in hoc Florilegio *pag. 110. ex Cod. CXXIII.*

Pag. 501 — passio Sancti Barnabae Apostoli.

Ioannes qui et marcus famulus domini ihesu christi discipulus vero sanctorum apostolorum pauli et barnabae. mistica dei opera quae divinitus vidi et diligenter cognovi. gradiendo scilicet cum praedictis sanctis apostolis. et famulando in ministerio illorum. omnibus fidelibus in christi ecclesia commorantibus fideliter pando. Denique cum essem ethnicus et famulator idolorum. commorando scilicet in ministerio cyrilli quondam pontificis nefandissimi templi iovis. Annuente gratia domini ihesu christi baptizatus sum per beatum paulum et barnabam. qui digni fuerunt vocatione

dei in locò qui dicitur yconium. Postquam vero sacrum batismum suscepi; vidi in visione virum splendidum atque mirabilem amictum stola candida. qui dixit michi. constans esto ioannes. et crede fiducialiter quoniam quidem amodo non ioannes sed marcus. idest excelsus vocaberis. et gloria excellentiae tuae ubique praedicari et manifestari oportet. pro eo scilicet quia tenebrae quae hactenus fuerunt in te penitus effugatae sunt et data est tibi gratia et intellectus ut cognoscas mysteria dei omnipotentis. Cernens itaque hanc revelationem; obstupui fateor. et evigilans procidi ad pedes beati barnabae ac seriatim illi omnia quae a predicto viro cognovi professus sum. Interea beatus paulus non ibi erat; quando haec scereta dei sancto barnabae confessus sum.

Postquam vero idem beatus barnabas diligenter animadvertit nostram revelationem. commonuit me dicens. praecave diligenter et pone custodiam ori tuo. nec alicui virtutem mysterii quae vidisti asseras. Nam et michi similiter hac nocte apparuit dominus christus dicens. constans esto barnaba. credendo verissime. quoniam pro sancta devotione qua reliquisti generationem tuam. et tradidisti animam tuam pro nomine meo. in ea perseverando praemia aeterna percipies. Attamen convoca iohannem ministrum tuum. quoniam quidem et ipse similiter vidit quaedam mysteria. Tu vero interim conserva omnia quae vidisti et audisti. quia veniet tempus quando manifestus appareas.

Hanc commonitionem ab illo percipiens. commorati sumus in praedicto yconio per dies aliquot. ubi erat quidam homo iustus et timoratus qui nos recepit. et hospitalitatem benigne exhibuit. Cuius domum beatus paulus placide benedixit. Deinde venimus seleuciam. in qua mansimus dies tres. Inde navigantes venimus cyprum. eramque in ministerio eorum donec ex cypro egrederemur. Exeuntes autem de cypro. venimus pergen pamphiliae. Illis autem abeuntibus ad praedicandum. commoratus sum ibi mensibus duobus. Cumque disponerem ire in partibus occidentis. prohibuit me spiritus sanctus. Igitur cum audissem quod idem sancti apostoli paulus et barnabas antiochiae essent. continuo perrexi ad illos. invenique beatum paulum fatigatum ex itinere. atque in grabatto requiescentem. Qui cum me cerneret gavisus est. sed arguere coepit pro eo quod moram fecissem venire de pamphilia. et detinuissem libros praedicationis. Recreati autem ex itinere. coeperunt praedicare verbum domini. Ad quorum praedicationem plurimi iudaeorum atque gentilium illuminati. crediderunt in dominum ihesum christum. Expleta itaque praedicatione statuere ire ad praedicandum in orientem. et tunc demum reverterentur ad cyprum. ut visitarent ecclesias in quibus verbum domini praedicaverant. Sed beatus barnabas exorabat ut prius iret in cyprum ad visitandos parentes suos. et postea communiter ierusalem pergerent. Inter haec autem angelica visio per noctem facta est beato paulo apostolo dicens. celerius propera ierusalem. nec moram facias. quoniam quidem fratres valde prestolantur adventum tuum. Quod cum beato barnabae panderet. ait. quia voluntati dei contradicere nos non expedit. fiat voluntas domini. Tantum obsecro intercede pro me ad dominum. ut decertatio mea fiat acceptabilis in conspectu eius. secundum devotionem qua famulati sumus in ministerio quod datum est nobis. Ecce enim propero cyprum. ibique finem compleo vitae. faciem tuam heu pro dolor amplius corporaliter non visurus. Haec proloquens procidit ad pedes eius. et flevit diu amare. Cuius dolori beatus paulus compatiens. noli inquit merere frater. non enim hoc sine mysterio divino agitur. Nanque apparuit mihi hac nocte dominus dicens. ne prohibeas barnabam ire cyprum. quia illic praeparata est ei gratia dei ad illuminationem multorum. et sacrum martyrium perficiendum. Tu autem perge ierusalem ad loca sacra visenda.

Tunc positis genibus orantes et osculantes nos ad invicem valefecimus. et navigantes descendimus laodociam. decertantes ut pergeremus cyprum. Deinde venimus in civitatem quae vocatur anemoria. in qua invenimus quosdam viros quanquam aethnicos. multa tamen sagacitate pollentes. Qui nos cernentes. interrogare coeperunt dicentes. O viri. qui estis? et unde? vel quae res vos attulit nostris oris? Animadvertens autem beatus barnabas illorum sagacitatem. humiliter eis respondere studuit. Si nosse inquiens cupitis qui sumus et unde. vel quam ob rem venimus. Scitote quia famuli sumus domini ihesu christi creatoris coeli ac terrae. Venientes ab ierusolimis. pergimus ubique ad

praedicandum nomen eius. quia ipse est filius dei omnipotentis. et qui crediderit in illum non morietur. sed vitam percipiet sempiternam.

Verumtamen si hoc vere cognoscere cupitis. exuite vos vestimentis quae veterascunt et pereunt. et induimini vestibus quae non pereunt. sed gloriose et splendide permanent in aeternum. Haec audientes attoniti valde compuncti sunt corde admirantes et dicentes. mira res quam dicitis. quis enim deus praepotens talia praebere valeat? Ad haec beatus barnabas. si consequi inquit vultis quae dicimus. confitemini peccata vestra. et credentes in dominum christum percipite sacrum baptismum. et procul dubio accipietis quae vobis promittimus. Cumque illi sponderent se cuncta perficere. breviter sanctae trinitatis mysterium illis exponens descendit cum eis in fontem. et baptizavit eos in nomine patris et filii et spiritus sancti. induitque vestibus sanctae religionis. Cum autem se cognovissent esse christicolas. et virtutem accepisse spiritus sancti. coeperunt gaudere et glorificare dominum christum.

Conferentes autem quaedam subsidia. convocatis pauperibus apostolus distribuit illis prout cuique opus erat. instruens et commonens ut permanerent in gratia dei quam perceperant. Navigantes autem pervenimus cyprum. ibique invenimus timonem et aristonem famulos domini. Timon autem urebatur magnis febribus. Cui cum manus imponisset beatus barnabas. et sacrum evangelium per invocationem domini salvatoris. statim febris fugata est. et adeo corroboratus est. ut continuo nos cum gaudio sequeretur. Ex doctrina nanque sanctorum apostolorum beatus barnabas evangelium sancti mathei apostoli secum ferebat. et ubicumque inveniebat infirmos ponebat illud super eos. et continuo sanabantur. Exeuntes autem inde. invenimus virum nomine eraclium. quem beatus paulus apostolus cum sancto barnaba baptizaverat. et repletum spiritu sancto episcopum ordinaverant ad commonitionem fidelium. Hic nos cum gaudio excipiens. hospitalitatem praecipuam nobis exhibuit.

Post haec autem invenimus quendam virum nomine rodonem. et quamvis ethnicum. tamen iustum atque benignum. Huic cum beatus apostolus fidem exposuisset. continuo credidit in dominum. et baptizatus secutus est nos. His ita gestis. obviam habuimus impium et maleficum iudaeum nomine barieum. quem olim beatus paulus lumine privaverat. Hic nanque cum agnovisset beatum apostolum. malitia commotus prohibuit nos introire in paphum. Proinde revertentes venimus in quendam locum. in quo ethnici viri et feminae ludendo nudi currebant. Hoc cum vidisset beatus barnabas. indignatus super tale facinus maledixit continuo templum. statimque a parte orientis funditus corruit. magnaque contritio ex ethnicis facta est. qui sub ruina ipsa mortui sunt. caeteri autem qui evaserunt fugerunt in templum apollinis. Nemo itaque miretur quod praedictus barieu post quam a beato paulo apostolo lumine privatus fuerat visum receperit. cum non illum perpetualiter sed ut converteretur ad tempus percusserit. dicens. eris coecus usque ad tempus. Ergo liquidius constat ut ad precem sergii proconsulis per beatum apostolum conversus lumen receperit. postmodum vero sicut ille symon magus apostatando transgressor effectus sit. Introeuntibus itaque nobis in salaminam. invenimus synagogam iudaeorum quam beatus apostolus exhortari coepit. et per evangelium sancti mathei christi gratiam introducere. Hoc dum praefatus comperisset barieu. et quia plurimi iudaeorum recepissent praedicationem sancti apostoli. omnem malitiam iniquitatis suae ostendens. seditione facta contra sanctum apostolum comprehenderunt eum. et quaerebant tradere consuli eiusdem salaminae civitatis. affligentes eum multis suppliciis et variis cruciatibus.

Dehinc cum iam maceratum et quassatum multis poenis ducerent ad iudicandum. accidit ut deveniret in eamdem insulam cyprum. quidam vir magnus et praepotens nomine eusebius. de genere scilicet neronis imperatoris. Comperientes autem iudaei adventum eius. et verentes nimium ne illum eriperet de manibus illorum. ligantes funem in collo eius nocturno tempore. dilaceratum a synagoga in ippodromum pertraxerunt. et deinde foras portam. Post haec autem circumdantes illum igne crudeliter cremaverunt. Sicque beatus apostolus post multos agones et diuturna certamina pro christi amore adustus. migravit ad gaudia sempiterna. Impii autem iudaei non satiati de nece illius. zelo odii concitati tulerunt sacratissimum corpus eius. et in locello plumbeo recludentes. in mare praeci-

pitare disponebant. Interim ego praefatus iohannes qui et marcus una cum praedictis timone et rodone occulte nocturnis horis tulimus illud. et collocavimus in cripta quae olim fuerat habitatio iebuseorum. tertio idus iunias. hoc est undecima die ipsius mensis. Propter hanc itaque occultam collocationem plurimis annorum curriculis venerabile corpus illius latuit. nec inveniri a christicolis valuit. Sed deus omnipotens qui non patitur gloriam occultare sanctorum suorum. tempore zenonis imperatoris et sancti gelasii papae. eodem sancto apostolo revelante inventum est. atque cum ymnis et laudibus mirifice collocatum est. ad honorem et gloriam domini nostri ihesu christi. Qui cum patre et spiritu sancto vivit et regnat deus per infinita saecula saeculorum. Amen.

EX CODICE CXLVI.

Acta Sanctorum.

Pag. 264 — Incipit vita vel obitum sancti Leuci episcopi et confessoris.

Regnante venerabile et magnifico theodosio.... Quomodo dicunt quod leucius sit nomen eius? Tunc assistens unus nomine Zereas magus; spiritu diaboli plenus. et in omni nequitia pessima devolutus; dixit. Audite me omnes populi; qui dicitis vos esse christianos; sed non estis. quoniam me dominus christus in hanc provinciam misit predicare; et michi hoc nomen est. Hic autem helenus episcopus. quam et iste euprescius mendaces sunt et ypocrite. Me autem dominus proinde dignatus est mittere in hanc provinciam ad vos; ut omnem heresem quam vobis misit helenus per me curaret et ad veritatem perduceret. Istos autem qui in vos tanta scismata operati sunt. nisi de ista provincia expulcritis tam hi quam et qui eis consentiunt; certissime peribunt. Non enim iam amplius dominus mala eorum suffert. Tunc omnes responderunt ei dicentes; quomodo possumus scire quod te christus miserit ad nos? cum tibi soli minime credere possumus talia dicenti. quod sanctus pater helenus male nos predicet; cum omnes scimus; quia a deo est electus ab infantia sua; et aliquando durus sermo de ore eius non processit. et terribiliter nos praedicat et ammonet dicens ita. credite patrem et filium et spiritum sanctum ex patre et filio processisse. et in hac trinitate. unum deum et dominum ihesum christum. qui natus est de spiritu sancto. et de gloriosa maria semperque virgine. Unde et passus est pro salute nostra. et resurrexit a mortuis tertia die; sicut ipse iam antea predixit. et sic ascendit ad celos et sedet ad dexteram patris; unde iterum venturus est. ut iudicet seculum per ignem. et reddat unicuique secundum opera sua. Hec igitur de fide; et securitate predicat. Predicat igitur et ammonet nos; ut unusquisque diligamus deum ex toto corde. et ex tota anima. et ex tota virtute; deinde proximos nostros tanquam nos ipsos. Et alia sicut in lege scripta sunt. Hec igitur pater noster dompnus helenus predicat. et nobis utilis et bona esse videtur ista ammonitio. Tu autem unde sis vel unde venisti nescimus. aut que est fides tua? vel operatio tua. aut cuius doctrinam tenes. vel quo honore fungeris. aut quod tibi nomen est. nisi istut quod audivimus de coelo clamans. aliud nos nescimus. Hunc autem patrem nostrum helenum scimus quia ab infantia sua electus fuit a domino. Tunc zereas contumacie verbo plenus coepit dicere. nomen igitur meum quod dicitis nescire vos. audistis enim quod de coelo michi clamatum est per repromissionem que in libro vite ascripta est. quomodo igitur dicitis vos nescire illud? Opera vero mea vel doctrina mea. melior est quam vestra. Tunc quidem signo crucis edito; beatus leucius dixit ei. Dic filius mortis. cur dicis te missum a deo; et hoc nomen quod de celo clamatum est. tuum esse; et sanctum hac venerabilem patrem helenum et doctrina eius reprobas. Dic ergo et enuntia nobis doctrinam tuam quam meliorem ponis quam nostram vel opera tua ut audiamus illam; et si melior est quam nostra. hec quam tenemus. nos ea relinquamus et obediamus doctrinae tuae; sin autem doctrina tua nequam fuerit sicut et tu appares; et te et illam puniemus. Doctrina igitur nostra ita nos docet. ut non nos

ipsos laudemus sed ab aliis laudemur. zereas dixit. sic dixi. ego meipsum non laudo. Beatus Leucius dixit. et quomodo coram omnibus modo te laudando glorificasti. Zereas dixit. et quomodo me laudavi? Beatus leucius dixit; nunquid non audistis vos omnes quomodo se laudavit. quod doctrina eius vel opera eius melior sit quam nostra. Tunc omnes dixerunt ita est. Zereas dixit. sic dixi; quoniam vos et doctrina vestra. dicitis quod sit alia mors. ego vero et doctrina mea. ita credimus quod alia mors non sit. nisi cum de corpore exierit anima. statim ad coelos pergat. Beatus helenus dixit. ad beatum leucium. michi eum iam modo relinque. quoniam venit michi tempus loquendi. Beatus leucius dixit. sicut vis domine loquere. Et conversus beatus helenus ad zeream magum. dixit ei. dic inimice animae tue; et si alia mors. non est. de qua morte vel de qua vita in primo psalmo davit dicit; quod iustus in regno celorum erit. tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum. quod fructum suum dat in tempore suo. et folium eius non decidet et omnia quaecumque fecerit prosperabuntur. Ubi statim de reprobis dicit. mutata sententia spopondit. non ita erunt impii. non ita. sed tanquam pulvis quem prohicit ventus a facie terre. Et iterum. Ideo non resurgunt impii in iudicio neque peccatores in concilio iustorum. Quoniam novit dominus viam iustorum. et iter impiorum peribit. Et si alia mors non est. qui sunt hii qui separabuntur de medio iustorum? et si separabuntur ubi vadent? Zereas dixit. mea doctrina hoc non dicit. Beatus helenus dixit. certe doctrina tua falsa est. sicut et tu cum ea ostendis. Similiter omnes dixerunt. certe quia falsa est ut videmus. Zereas dixit. ubi eam videtis falsam esse. Beatus leucius dixit. te solum punies. me autem fidentem in virtute et confidentia domini mei ihesu christi; non punies; etiam si pennis volare possis. Zereas dixit; Quid verbis ambages agimus? et factis nichil monstramus? Beatus leucius dixit. demonstra quod vis. Tunc iniquus zereas arte magica plenus. finxit se quasi orare. et pedes suos de terra elevans in aere videbatur pendere. Quod cum vidisset beatus helenus archiepiscopus. consignavit eum et maledixit. tam ipse; quam et omnes sacerdotes eius. et exivit foras de aecclesia. et illa die non fuit ibidem sacrificium factum. propter illum iniquissimum magum. Tunc omnes talia eum videntes facere. ceperunt dicere. vere iste bona precepta. et doctrinam tenet. qui cum in oratione se ponit. terra eum sustinere non valet. Beatus leucius dixit ad zeream. tu qui dicebas te a deo missum; et doctrinam tuam ostendere quod melior sit quam nostra. ecce videmus; ostendis te magum et maleficum. Tunc zerea zelo diaboli plenus. dixit omnibus populis. numquid nescitis omnes et audistis; quomodo nomen meum de celo clamatum est. et iste cum videt se victum dolet se et dicit me magum esse atque maleficum cum magiam non habeam sed veritatem. Beatus leucius dixit. In te veritas non est. nisi mendacium. Zereas dixit. mendacium tu habes qui dicis te leucium vocaris nomine. cum isti omnes sciunt; cum euprescius sit nomen tuum. et non leucius. Et omnes dixerunt. ita scimus; quoniam sic est nomen eius. Beatus leucius dixit. vere quia sic habui nomen. sed in ista nocte; per revelationem dominus patri meo illud mutavit dicens ita. eudeci. eudeci; ecce nomen tuum in libro vite ascriptum est. et amodo nomen tuum non edecius sed erit eudeclius idest mitissimus consolator. Qui statim subiuncxit ei dicens; filio autem tuo quem eupresciumn vocas. amodo non euprescius sed leucius erit nomen eius. Ille autem a sompno evigilans; prophetiae assumens in ore spiritum dixit. Fortitudo mea et laudatio mea dominus..... quod audivimus in nocte ista. Tunc zereas magus cepit in verbis superare beatum eudeclium et dicere. tibi hoc non credimus. quia omnis pater filium suum diligit et eum semper laudare decertat. Beatus eudeclius dixit. michi non credis? zereas dixit. non. Beatus eudeclius dixit. aut credas aut non credas. ego tibi sentire minime debeo. vel amplius rationem ponere. Tunc zereas cepit in verbis superare beatum eudeclium. quam et leucium filium eius. Tunc omnes ut viderunt eos superatos; reliquerunt doctrinam domini nostri ihesu christi. ac beatum aelenum archiepiscopum. et addiderunt se zeree mago. Tunc beatus leucius una cum beato eudeclio patre suo. ut viderunt quod populus omnis seductus esset a zerea mago reliquerunt zeream magum et venerunt ubi erat beatus helenus archiepiscopus. Cum appropinquasset beatus leucius ad beatum aelenum pedibus eius provolutus dixit. pater sancte. quare reliquisti oves quas domino conquisisti a iu-

ventute tua? Beatus helenus dixit; et quis exinde faciam? Beatus leucius dixit. et si in verbis eum superare non potuimus superemus eum in signis. Beatus haelenus dixit. dic michi frater. tu quomodo dicis te hoc habere nomen? cum isti omnes dicant. quod euprescius sit nomen tuum. Ego quidem plus possum credere quod tuum esset illud nomen. quam de illo nequissimo spiritu qui talia zizania superseminavit in plebem. Beatus leucius dixit. accendatur ignis in medio campo si iubes et modo probavimus cui nomen est leucius. aut cuius doctrina melior est. si nostra si de illo mago. qui dicit quod illius sit ipsum nomen. Beatus helenus dixit. et quomodo eum probabis. Beatus leucius dixit. si quis ab igne incombustus remanserit. ipse est leucius cultor domini nostri ihesu christi. Tunc placuit omnibus sententia haec. Et inter haec statuta dixit pater helenus ad beatum leucium ingrediar et ego tecum. Post haec igitur perrexit omnis turba populorum qui ibidem aderant. et hoc verbum audierant ad zeream magum dicentes. quare hic advenisti nescimus et nos omnes in temptatione mala misisti. Aut veni convince illos. et puniemus eos aut si non interficiemus te quod dubio animos nos fecisti esse et nescimus cui credamus. Tunc zereas cepit predicationis insistere. ut non eum populus conturbare mollibus verbis. qualiter placeret eis. Tunc hi qui venerant ad eum dixerunt ei. nos autem predicationem tuam pro nichilo computabimus. nisi veneris et deviceris eos in hoc quod illi dicunt. Tunc zereas dixit. ecce coram vobis omnibus astantibus devici eos. Et illi dixerunt in verbis et non in signis. Zereas dixit. et quomodo in signis? quando vidistis cum orare ceperam. non me terra sustinere poterat. Qui dixerunt ei. illi enim dicunt quod per artem magicam hoc fecisti. Zereas dixit. et quid vultis ut faciam et credatis michi? Qui dixerunt. quod illi dicunt. Zereas dixit. et quid dicunt? Ad haec illi dixerunt. ut accendatur ignis in medio campo. et transeatis per medium ignis. et si quis exustus non fuerit. ipsum misit christus. et ipse est leucius. Tunc zereas maledictus coepit mutare effigies suas. talia audiens. et dixit. eamus ut faciam quod vultis. cepit eum diabolus confortare. Iam enim beatus helenus ignem accendere fecerat in medio campo copiosum nimis. Cum autem vidisset beatus leucius zeream venientem ad se. subridens dixit. ecce modo probavimus; cuius predicatio melior est. si tua. si de venerabile patre heleno. vel si tibi est nomen leucius. si michi. Beatus autem helenus prudentiam beati leucii vel fortitudinem eius ammirans ait ad beatum leucium. quis te docuit fili mi? Beatus leucius dixit. dominus meus niceta me docuit. Sanctus helenus dixit. qualis niceta? beatus leucius dixit. qui abbas prefuit in monasterio beati ermetis. Sanctus pater helenus dixit. bonus magister fuit ille; et bonum discipulum edocuit. Tunc beatus leucius dixit. Quid iubes domine ut fiat? Sanctus helenus dixit; ut ingrediatur ille qui dicit; quod melior sit doctrina eius quam nostra. Zereas dixit. vos inquid primum ingredimini; qui hoc fieri iussistis. Beatus leucius spiritu sancto repletus dixit. in nomine patris et filii et spiritus sancti. ingrediar ego primum. Qui dixerunt ei. ingredere. Tunc beatus leucius signo crucis munivit se per totum; et coepit pergere contra flammas. Cumque vidisset sanctus helenus beatum leucium pergentem clamavit post tergum eius dicens; expecta me fili; veniam et ego tecum. Beatus leucius respondens dixit. quod iubes mi pater. Cum eum expectasset; apprehenderunt ambo per manum. et ingressi sunt in medium ignis. ita dicendo. perfice gressus nostros in semitis tuis ut non moveantur vestigia nostra. et reliqua. Cumque pertransissent in partem ignis. cucurrerunt omnes populi qui aderant ad spectaculum istud ut viderent finem veritatis. Erat autem turba populorum fere quinque milia hominum; exceptis parvulis et mulieribus. Populi autem universi qui ad sanctos hos cucurrerunt helenum et leucium. ut eorum pedes oscularentur. mirati sunt omnes; et stupefacti. quod aetiam nec vestimenta eorum essent adusta nec odor ignis ea demutasset. Tunc zereas cepit pavere; sciens quod non posset talia facere. Beatus leucius dixit ei; quid stas? Ingredere. Zereas dixit. ego nec flammas ingrediar. nec vobis credam. sicut isti omnes vobis credunt. Beatus leucius dixit. Vivit dominus meus cui servio ego quod ibidem ingredieris in hora hac. Zereas dixit; et quare? Beatus leucius dixit. quia te leucius vocans doctrinam nostram dissimulasti; (et) dixisti quod non esset bona. Zereas dixit. ego nec per ignem volo transire; nec leucius nomine vocari.

Tunc omnis turba populorum dixit; si per tuam voluntatem non ingredieris. invitum te illuc trahemus. Zereas dixit. et quare invitum? Omnes dixerunt; quoniam sic es dignus. Zereas vero cepit rogare eos. ne in ignem ingrederetur. Tunc apprehendit eum populus; et invitum contra ignem traxerunt. Sed antequam in ignem ingrederetur tunc apprehendit eum flamma et combussit eum. Tunc beatus leucius; currens iterum per medias flammas. apprehendit zeream magum; et semivivum foras traxit. Tunc omnis turba populorum cepit glorificare deum dicens; benedictum sit nomen tuum ihesu christe filius dei vivi deus noster qui tanta mirabilia ostendis in te sperantibus (et) fecisti coram omnibus nobis signa. ut videremus quod certum esset illud(?) nomen de illo sancto viro. Tunc beatus leucius dixit ad zeream. Vide modo si cupis dicam tibi quod nomen tuum. Sed zereas minime verbum loqui poterat; quoniam totus ustus erat; et seminecem eum beatus leucius adtraxerat. Tunc beatus helenus dixit ad beatum leucium. Quod est nomen eius? Beatus leucius dixit. Zereas. Tunc omnis populus cepit interrogare zeream dicens; num vere zereas est nomen tuum. Tunc dicit ille; ita est. Et illi dixerunt. dic pabulum mortis; quomodo dicebas quod leucius sit nomen tuum? et nos contra sanctos illos in tanta misisti? Zereas autem responsum non dedit eis. eo quod vidit se esse victum; et nimium declinatum. Tunc ceperunt salutare beatum leucium omnes et beatum haelenum archiepiscopum dicentes; ne irascantur nobis domini nostri; quia adversus vos tanta aegimus iniquitatem. et sepe contraria. Tunc beatus leucius dixit. filioli et fratres mei vobis irasci minime possumus. irascimur itaque diabolo qui per illum nequissimum adversarium; vobis malum semen seminare voluit. Tunc beatus helenus dixit ad beatum leucium. vir sancte quomodo non dixisti nomen de illo nequissimo spiritu antea; cum illut sciebas. Beatus leucius dixit. quia ad hoc eum volui perducere. ut igne cremaretur; et non se presumeret tantam iniquitatem perpetrare. quantam fecit usque modo. quoniam quod absit. si vos suadere potuisset in malis operibus quomodo ipse voluit. multa et alia peiora habuit perpetrare. Tunc illa die fuit gaudium magnum omnibus christianis qui habitabant alexandriae; et per vicina loca eius. et ceperunt dicere unusquisque intra se; de beato leucio. benedictus deus qui talem spiritum vel talem prudentiam dedit viro isto sancto. Tunc beatus helenus cum iam esset sero; dixit omnibus populis. audite filii; ecce sol occubuit. et non iam hodie missam celebrare possumus; expectate usque in crastinum et crastino die caelebretur; quia hodie non valemus. Tunc alia die celebraverunt missam in dei genitricis laudibus et fecerunt letanias domino; et in ipsis letaniis canebant antiphonas has dicentes; confundantur omnes qui adorant sculptilia; et qui gloriantur in simulacris suis. Post hec autem ammonere sanctus helenus beatum leucium ut eum ordinaret archipresbyterum. Tunc beatus leucius eius voluntati conexus dixit; non sum dignus hoc honore fungi; sed sicut placitum est domino meo fiat. Tunc omnes populi una cum beato heleno archiepiscopo dixerunt; tu autem non tantum presbyteratum; sed aetiam aepiscopatu dignus es. Tunc quidem ordinavit beatus helenus; beatissimum leucium archipresbyterum alexandrie. et ille aegyptum habiit.

In ipso autem tempore quidam vir ethiops genere; venit ad conversationem christianorum; quem teneret invidus diabolus coepit infestari et nequiore spiritu clamare coepit dicens. christianus esse nolo. Tunc quidem tulerunt eum ad beatum leucium dicentes. domine sanctissime pater. iste vir ab inmundo spiritu vexatur. Tunc dixit ad eum beatus leucius. obmutesce spiritus diaboli. Ad has statim voces infremuit. et coepit cum fletu clamare dicens. si ex hoc exeo; ubi ingrediar. quia non habeo meliorem domum hac. Cui beatus leucius dixit. spiritus diaboli; absens esto a plasmate dei; et non presumas iam ibidem habitare. sed obstrictus et depressus exi ab eo; in quem invidia ductus es. et propter hoc eum usque modo tenuisti religatum catenis tuis pessimis. et vade ingredere in his vasis; que non credunt in dominum ihesum christum; nec vivificam crucem eius adorant. Tunc ipse demon exit foras de corpore viri ethiopis; in similitudine avis nigerrime. flendo ita dicens. quid michi et tibi serve dei leuci; quare me habitare prohibes; et deicis ab hac domo mea? quam ego ipse michi acquisivi et hoc timens; nolui ingredi in his qui pulchri sunt vultum sed dixi cogitans quia si in hanc ingrediar

domum que est horribilis ad videndum exhinc nemo me expellet. Tunc quidem illum consignavit vexillo crucis beatus leucius. et demon territus abscessit. et minime loqui iam ausus est. sed quasi terremotus locum concussit. et pergens in egyptum; quasi mille iudeos in una hora interfecit. De infidelibus autem gentilium; quingentos viginti quinque. Et introgressus civitatem aegyptum in serpentis effigie pergere coepit per mediam civitatem et si ei vel homo vel bestia obviavit. devorabat eos usque in locum qui dicitur galgather. qui ex siro vocatur in latinum piscina omnium. Cumque hoc gestum esset omnes in fugam versi cum fletu magno; pervenerunt ubi beatus haelenus archiaepiscopus residebat; et voce magna contra eum clamare ceperunt; pater sanctae; subveni et libera nos. quia draco nequissimus nos modo omnes devorat. nisi subveneris nobis; omnes interiemus. Cum igitur audisset beatus haelenus rumorem populi in fletu talia dicentis; surrexit eadem hora ab oratione in qua consternatus iacebat pronus in terram. et dixit ad archidiaconem suum nomine ysabrum. vade et tolle baculum in manu tua. et obvia draconi illi dicens; hec dicit tibi et imperat in nomine ihesu servus dei haelenus ut sicut deglutisti aut hominem aut bestiam; evomas illos sanos et incolumes absque omni lesione. et tu non presumas in ista provincia habitare. sed abstrae te a plasmate dei. quod illum consequitur fide et opere. Tunc quidem iuxta preceptum beatissimi aeleni. surgens archidiaconus ysabrus. cum timore et perturbatione accepit baculum in manu sua et coepit ire contra draconem. Cumque appropinquasset. et vidisset draco baculum beati aeleni ad se venientem flatu venenoso coepit rugitum maximum tenere. et quasi flamma urens exire de ore eius. Tunc perturbati sunt universi amplius quam antea. et solus ysabrus archidiaconus venit propinquior draconi immanissimo. cui et dixit. in nomine domini nostri ihesu christi imperat tibi draco nequissime dominus meus haelenus per me servum suum ut reddas omnia que devorasti; tam hòmines quam universa que perdidisti. Et subito concussus omnia que devoravit evomuit mortua. Et totus exurgens tenebrosus. fecit flumina ante eos esse. et ille in mari se precipitavit statim. et in alexandria iterum est reversus. Cum igitur hoc gestum esset. factum est ut beatum leucium ab alexandria egyptum transiret eadem hora propter visitandum devotione legis beati eleni archiaepiscopi. Cum pervenisset ad locum ubi hoc gestum fuerat beatus leucius. dixit ad eos qui astabant; quid est talis fletus inter vos? et os qui mortui sunt quis interfecit? Qui dixerunt draco ingressus est huc. et alios devoravit. alios vero interfecit. et per iussionem beati aeleni evomuit omnia. Et ille in fugam conversus est. Tunc beatus leucius aquam afferri precepit. quam cum benedixisset. super mortuos illos manu sua coepit aspergere. Quae cum aspersa esset per manus eius dicit ita in nomine domini sabaot surgite quia non mortis vinculo sed veneno diaboli oppressi estis. et non valetis potentia virtutis eius absolvi; propter diabolicum pessimumque serpentium genus quod vos nec gentilium stultitiam potuit consumare nequitiam vestram. Sed ideo vos usque modo aggredi valuit. quia cecitas cordis vestri vobis dominata fuit. sed surgentes reddite ei laudes qui creavit vos. Et statim hec dicens beatus leucius tulit baculum beati eleni archiaepiscopi de manu ysabri archidiaconi. et tetigit cadavera mortuorum. Qui statim omnes levati sunt ad vocem eius. et ceperunt tenere pedes beati leucii dicentes. quis est deus quem oportet adorari nisi pater et filius et spiritus sanctus. quem predicatis vos famuli eius. Cumque hec peracta essent; quidam currens nuntiavit beato heleno quod sanctus vir leucius advenisset; et hec talia fecisset. Audiens beatus helenus quia sanctus leucius adveniens talia operatus esset; gaudio repletus est magno. et exiens cum non parvis clericis suis. statim obviavit ei ad se venienti. Beatus autem leucius cum vidisset archiaepiscopum obviare sibi. clamavit ad eum dicens. quare indigno nimium peccatori dominus suus ei obviat? Et statim ad terram prostravit se beatus leucius dicens. benedic pater peccatorem servum tuum. Statim videns humilitatem eius beatus helenus; ad terram se prosternentem dixit. sanctificatio et benedictio sempiterni regis nos protegat. et dixerunt astantes Amen. Et apprehensum eum osculatus est statim cum nimio amore beatus helenus et universi ordines clericorum. Tunc in illa die tandem infidelibus quam et iudaei crediderunt in dominum ihesum christum. quasi tria milia fere hominum; exceptis parvulis. et mu-

Heribus laudantes et benedicentes dominum nostrum ihesum christum; propter signa et mirabilia que fecit dominus per sanctos suos famulos. et baptizati sunt omnes.

In ipso autem tempore surrexerunt quidam viri iniqui numero sex; sarason. et armogen. paragitis. et amatias. alagar. et mophianus. Et inierunt consilium. et diviserunt populum. et concitaverunt bellum. adversus christianos. et fecerunt seditionem ut non iam dimitterent aliquem christianum intus civitatem habitare. sed aliquantos foras eicere. Aliquantos ad gladios mitterent decertabant. Interea ingressus est unus ex illis carason nomine; infra ecclesiam beati marci apostoli et evangeliste; ubi idem felicissimus aepiscopus philippus missam celebrarent. et evaginato gladio decollavit eum super altare. Quem mox ut videntes parentes christianorum surrexerunt et apprehensum eum ignibus tradiderunt; et alios omnes occiderunt. Et in his seditionibus; christi fidem nimium colentes; venerunt nautes depredati veneticorum genere se vocitantes. et intus civitatem miserunt illos elemosinam ei facientes. Et illi post multos dies abstulerunt reliquias beati marci plus quam medias absconse. et fugam petierunt. Qui mox ut ingressi sunt in ecclesiam eius custodes invenerunt capsam discopertam. et reliquias beati marci minuatas. Ceperunt autem tediari et murmurationem ducere quod factum hoc fuisset. Cum igitur hoc audisset beatus leucius; venit et reliquias beati marci expulit de capsa. et in alio loco eas conclusit. et misit ad beatum helenum ut renuntiaret que facta sunt. Beatus igitur helenus audiens talia que facta fuerant ei coepit flere. de beatissimo episcopo philippo. sed non tantum de eo quantum de reliquiis beati marci. Tunc quidem surgens beatus helenus venit alexandriam. Qui cum magno gaudio susceptus esset. ingressus civitatem. aquam exorcizatam praecepit spargere per totam civitatem. Et iterum edificavit altare beati marci in alio loco. non ubi episcopus philippus decollatus fuerat. Et corpus beati philippi aepiscopi fecit iussionibus suis; ut ubi decollatus fuerat. ibidem sepeliretur. Qui vero sepulto iussu suo altare construi fecit. et in ipsius nomine est edificatum. ubi orationes eius florent usque in hodiernum diem. Interea ordinatus est beatus leucius archiepiscopus. et beatus helenus obdormivit in domino. Tunc sepelivit eum beatus leucius in aecclesia sancte dei genitricis marie. et consecravit altare ibidem in nomine eius. Interea non multum temporis. a preside saturnino; initum est consilium. ut sicut philippus episcopus detriverunt gladio ita et beatum leucium punirent. Audientes autem christiani hoc consilium; irruerunt ut interficerent presidem saturninum. et beatum leucium divinis voluminibus intentum; a domino ostenderent liberatum. Tunc beatus leucius convocat omnes christianos fideles et ammonendo coepit eis divina visione exponere dicens. Sciatis quia dominus meus per visionem michi apparere dignatus est. ut severum diaconem fratrem beate virginis eugenie ordinare hic episcopum. et ego ad brindisiopolim civitatem pergerem. Tunc audito hoc omnes christiani catholici a beato leucio; ceperunt prostrare se ad pedes eius cum fletu dicentes. Sancte pater noli nos in hoc deserere; et orphanos relinquere; et gregem quem domino conquisisti cum patre sanctissimo heleno. nequaquam spernas. sed cum agone certaminis usque ad finem perducas. Ad hec beatissimus leucius respondit et dixit; omnes vos scitis quia cum adhuc in adulescentia mea essem; prelium inii cum zerea mago. et quomodo per visionem dominus dignatus est patri meo eudeclio ostendere; ut nomen meum commutaretur de eupreseio leucius. et qualiter hoc quod dignus non fui fungere officio honore. et heresim que in brindisiapali inest; per me dominus dignaretur lumine suo sancto destruere et novi participes eos hominis facere. Inde quoque dominus meus ihesus christus precepit et ab eo michi revelatum est; ut vobis patrem proponam. et ego exequar quod michi ipse mandavit. Saturnii interea sciatis qui persecutionem mittit in christianos; quia in modico est vita et opinio eius virtutis quia post meum discessum ex hac civitate ruet domus eius. et opprimet eum cum omnibus in domo sua habitantibus. ita ut numquam iam inveniatur; qui persecutionem vobis faciat dominandi. Tunc quidem secundum quod dixit beatus leucius ita actum est. Ita per voluntatem domini ordinavit episcopum severum. Et ille cum eusevio et dionisio archidiaconibus suis; alios quinque discipulos suos; sertion fratrem severi episcopi assumens secum ad locum stipitem pervenit. Et cum eo omnis plebs

fidelium christianorum fere quindecim milia; exceptis parvulis et mulieribus usque ad mare pervenerunt nimio ardore flendo dicentes. cur nos pater deseris et non affectum prestas infelicibus tuis servis. Tunc beatus leucius conversus in fletum. et ipse cum vidisset quod eum ut mortuum flebant omnes; oravit ad dominum et dixit. Domine meus ihesu christe; si est tua voluntas; non permittas ab istis separari ubi me dignatus fuisti ad serviendum tibi ministrum efficere. Et antequam navem ascendam: demonstra ut credant his tuam promissionem quam michi demonstrasti ut credant omnes quia per tuam hanc michi voluntatem est exhibendum. ut ubi volueris domine ego velociter pergam. Tunc quidem audientibus cunctis qui ibidem adherant; vox de celo facta est ad eum dicens. leuci; spiritu et actione preclare ne contempnas quod tibi iussum est a domino; sed ascende navem et proficiscere in pace. Tunc quidem navigantibus in diebus quindecim pervenerunt usque ad civitatem andronopolim et exinde adhaesit sibi duos presbiteros leonem et sabinum. Et invenit aliam navem de regio; et dedit ei naulum et ascendit in ea. et cum ea pervenit usque ydronti civitatem. Tunc coactus descendit ibidem de ea nave et profecta est navis in propria sua. postulata benedictione; a beato leucio; et ab universi qui cum eo erant. Beatus igitur leucius iterum ascendit navem dalmatinorum cum clericis suis et veniens brindisiapolim descendit de nave. et appropinquo civitatem interrogavit unum de civibus dicens. Quis praeest dominus civitati huic? Cui ille respondit. Numquid non audistis magnum antiochum cognatum imperatoris anatolii? en ipse praeest cuncte italie dominus. Sanctus leucius dixit. qua fide colit? Tunc subridens dixerunt omnes ibi astantes; et est alia fides. aut deus adorandum nisi sol et luna. qui illuminat mundum universum? nam omnes possunt audire quando voces suas super nubes resonant. Tunc beatissimus leucius audiens ab eis talem responsionem suspiravit et dixit eis. O miseri et ignari; quomodo a luce divina estis alienati? qui lucem visibilem esse dicitis deos. Si lumen invisibilem cognosceretis que istam lucem creavit quam oculi vestri et omnium vident; multum vobis conveniens fierent testimonium quia non tantum visibilem; sed invisibilem oculi vestri aspicerent. Tunc armaleon tribunus dixit ad beatum leucium. et qualis est ista lux quam tu asseris; que oculi nostri videre eam non possunt. Sanctus leucius dixit. christus filius dei qui natus est de spiritu sancto; per virginem mariam. Cumque exposuisset eis omnem ritum quomodo natus et crucifixus et sepultus resurrecturus esset; et ad celum ascensurus et qualiter ad dexteram dei sedet patris. venturus iterum ad iudicandum totum seculum per ignem. et reddet unicuique secundum opera eius. Illi audientes eum talia prosequentem; in terra se statim omnes prostraverunt dicentes; obsecramus te pater; ut facias nos participem vite aeterne. Qui eadem hora cathecizavit eos numero videlicet; quasi sexaginta et septem. Cumque hoc gestum esset; nuntiatum est antiocho. quia armaleon christianus esset effectus cum plurimis; qui misit et fecit eum ad se adducere. Qui cum adductus esset; dixit ei; vere audio armaleon christianus te esse dicis? Armaleon non respondit ei. Tunc iratus antiochus dixit; quare non loqueris? Armaleon respondit. et in te quid furibundum debet apparere si christianus sum? Antiochus dixit. ego non furibunde. sed simpliciter te interrogo ut dicas quis tibi dedit istam doctrinam? Quia cum te sapientem scimus in nostris litteris et usque modo doctrinam christianorum pellebas. miror quomodo ad hoc pervenisti. ut te christianum esse fatearis. Armaleon respondit. usque modo cecus fui; sed modo in claritate sum vivens. Antiochus dixit. et quomodo vivetis? Armaleon respondit; si cupis; poteris eam vitam et tu cognoscere? Antiochus dixit. si recte eam ostendas? volo eam videre. sed non credo quod sit alia vita. aut aliud lumen; nisi soli et lune. Armaleon respondit. sol et luna non sunt dii. sed ille qui creavit nos; ipse posuit eas in firmamento coeli et iussionibus suis imperat ut serviat nobis. nos vero convocat ad serviendum sibi qui creavit nos. Tunc quidem stupefactus antiochus talia audiens ab armaleon dixit ei; quis te ista omnia docuit? Armaleon dixit. Dominus meus leucius. Antiochus dixit. et unde iste leucius huc advenit? Armaleon respondit. ab urbe alexandria. Erat interea beatus leucius foris civitatem contra portam partis occidentis iuxta ampitheatrum. et illic docebat. et baptizabat eos qui ad verbum eius credebant in christo. Tunc misit antiochus et fecit beatum leucium ad se

cum magna mansuetudine vocare. Qui cum advenisset dicit ei antiochus. si vis ut credam iuxta tuam praedicationem. misereatur nobis deus tuus et det nobis pluviam quia ecce duobus annis. sine pluvia esse videtur. Beatus igitur leucius convocatis ad se clericis suis et universis christianis; fecit letanias in domino. Mox ut elevavit oculos suos ad celum tanta pluvia irrigata est. ut omnis terra italie cognosceret divinitatem dei quam ostendit per beatum leucium. Interea credidit dominum christum; antiochus. et universa civitas brindisciapoli; et baptizati sunt omnes numero qnasi viginti septem milia hominum; Ad laudem et gloriam domini nostri ihesu christi. Et fabricaverunt aecclesiam in honore beate dei genitricis. et virginis marie. et beati iohannis baptiste in media civitate. in locum ubi sacrum baptismum acceperunt. Tunc quidem confirmavit eos in fide et doctrina perfectius. et sic in pace obdormivit in domino. Tunc quidem secundum suam iussionem in eodem loco fecit sepelire corpus venerabilis beati leucii ubi de nave descenderat; de alexandria advenisset. Antiochus venerabilis memorie in nomine eius fecit cum omni dignitate fabricare ecclesiam. Que dedicata est ab aepiscopo sancto. dormitionis eius vero festiva solemnitas. undecimo die intrante mense ianuario celebratur. Quanta autem et quam multiplicia miracula dominus operatus est per eum ad scribendi ordinem. non sunt convocanda. Sed hec in modicum condita sunt collecta ab eusebio. et dionisio. archidiaconibus suis. ut nec legentibus fastidium exhiberent; nec audientium aures gravarent. Sed ex hoc quod in hac historia declaratur. existat omnis arbitrium qui legerit. et qui audierit. et ad capiendam eius intercessionem. existat securus; per virtutem et agnitionem sancte trinitatis. Cui est honor. et potestas. et imperium per inmensa secula seculorum. Amen.

Pag. 431 — In sancti Dominici.

Almificus itaque dominicus ex provincia spolitina suae nativitatis originem ducens. locum qui folingc dicitur sua specialiter insignivit nativitate. Cuius admodum religiosi parentes; ut pote quorum de semine tam uberrimus exortus est fructus; secundum evangelicum enim dictum. bona arbor educat fructus. Cum infans adolevisset litterarum studiis eum tradere curaverunt. in cenovio scilicet sancti silvestris quod dicitur subaseri. Parvulus itaque mirabilis indolis. infantilem aetatem suam cepit senilibus antecedere moribus. Ethimologiam quippe sui nominis imitans; dominicis mandatis insignis puerulus ita commodaverat animum; ut carnalibus abiectis illecebris totum se divino tradere mancipatui. Erat enim tante maturitatis abstinentiae; dans sepius operam quam strenuus esset futurus; in dei servitio miles. in ipso tyrocinio singulariter demonstraret. Pudicitiae vero limitem transgredi quasi letale precipitium formidabat. Unde divinitus sibi sapientia prestita cordis obstruens aditus. cum beato iob dicebat assidue; Statui in corde meo ut ne cogitarem quidem de virgine. Quo scilicet in facto salustii frustrabatur elogium asserentis. nullum locum ita murorum circumvallationibus esse munitum ut libidinis. illic nequaquam flagrarent incendii. Simplicitatis autem erat purissime. sciens esse descriptum. cum simplicibus sermocinatio domini quam tamen ita serpentis astutia temperabat. ut fatuitate carens. versutiam omnino depelleret. Talibus itaque morum pollens ornatibus monachicum regulariter adeptus est habitum; que cum mirifices actibus adornaret. Ac de virginitate ad virtutem gradatim conscenderet ad sacerdotii provectus est infulam. Post aliquantum vero temporis. ab exercitio monachili. devenit ad heremiticum. deo plenus certamen in loco qui scandrilia dicitur. ubi non parvum tempore demoratus in dei sedulus lege meditabatur. Humanas enim devitans almificum laudes. quibus secutura multotiens amittitur merces quemammodum evangelicae dicitur. Amen dico vobis receperunt mercedem suam. Cunctipotentis dei solummodo gestiebat placere conspectibus; cui digniter quisquis heret non commovebitur in aeternum. Cum propheta siquidem iugiter concinebat; aelegi abiectus esse in domo tua domine; magis quam habitare in tabernaculis peccatorum. Et iterum. Beati qui habitant in domo tua domine in saeculum saeculi laudabunt te. cuncta vero temporalia mentis pede conculcans ita coelestibus iniabat; ut contemplationis penae multotiens sublevatus cum situ corporis hereret terris; etherea salicanus habitacula mentis incessu perambularet. Quanto enim amplius humano

se subtrahebat vir sanctus colloquio· tanto magis perfrui divinis merebatur affatibus. nec eum conversatio; terrena poterat praegravare; quem caeleste desiderium ab infimis; iam delectationibus erigens. in virtutum collocaverat arce. Verum divine prescientia maiestatis; noluit strenuissimam militem suum intra silentii claustra diutissime commorari; sed plurimorum saluti profuturum; quae destinaverat ad predicationibus provide transtulit exercitium quatinus ipse talentum multiplici cumulatum. reddens usura; sui gaudium domini perenniter aepulaturus intraret. Cum ergo rumor illius accresceret sueque vite radiis plurimos illustraret multi fama sanctitatis eius dulciter invitati; ceperunt habitum seculare relinquere deique se famulatui sub eius magisterio mancipatio. Vir igitur domini secundum illud quod dicitur qui audit dicat veni; tantis eos praedicationis omnibus irrigabat. ut omnis mundana madefieret in eis ariditas. Nec multum aberat. quod simplicitati mirabiliter deditus minus elimatus philosophicis. studiis videbatur. Cum exemplo magis efficacium operum quam verbis inanibus licet admodum sonoris omnipotentis dei servitium homines invitaret. Constructum igitur ad honorem domini et salvatoris nostri ihesu christi cenobio. patrem eis constituit. ipse vero dilecte sollicitudinis appetitor. ad quendam transmigravit locum qui proprie domus dicitur ibique coniuncto sibi iohanne religioso monacho. sancte trinitatis aecclesiam caepit aedificare. iuxta quam constructis tuguriundus singulariter in dei laudibus morabantur. His ita brevi causa terminatis. iam dominica sententia comprobanda est qua scilicet dicitur. Ego glorificantes me glorificabo. Vere enim hunc precipuum virum glorificantem suam maiestatem per divinorum observantiam mandatorum. ita sublimiter exaltavit; ut non tantummodo paradisiacis eum amoenitatibus collocaret. sed etiam per illum miracula quam maxime demonstraret.

Pag. 435 — In sancti amasii episcopi.

Amasius salvatoris mundi sacerdos; salutaribus dogmatibus sufficienter instructus. lucerna emicans; super candelabrum fidei et iustitie lumen quocumque poterat infundebat. Providebat autem. dominicis lucrum competenter facere de talentis. atque tritici mensura. Competenter distribueret confamulis suis; quatinus laudatus intraret; et invitatus in gaudium domini laudabiliterque super omnia bona sua eum proficeret. Erat utique sanctus decenter adornatus moribus. Humilis. Mansuetus. Sobrius. Mitis. Benignus. Omnibusque bonis. Quas sacre scripture inmutabiliter profitentur. In arce igitur mentis sue divinarum testimonia scripturarum quantum possibile est; habebat recondita proferens. Et eis qualiter unusquisque christicola recta fide. et iustitia cum timore dei et amore observando perfrui paradisi deliciis mereretur. Interim cura sollicite illi erat. visitando cerneret loca venerabilia. ut doceret ignoros doctrinam pro dei amore. et fidei catholicae. Nimium enim maculaverat per multos annos arriana aeresis. Syriam; et libiam omnesque provinciam. atque aliquantulum. italiam usque quo eam notissimi doctores. ylarius. Augustinus. Ambrosius; orthodoxique ceteri extirparum per invincibiles. veraciter itaque sylogismos, universas hereses iugularunt opitulante deo. Predictus vero ipse sanctus amasius celitus qualiter paraliticus curaverit propter religionis scilicet augmentum narrandum est.

Itaque contigit ut iter faceret dum veniret in urbem que vocatur sora. Tunc quedam mulier vidua inspirata dei amore. intuens eum obnixe coepit supplicare ut in domo eius requiesceret. quicquid de susceptionis eius libitum foret. sed libenter quod iam tardior esset hora. sol occidente. vespere stella solito apparente; ipsa mulier lacrimabiliter gemendo cepit eum postulare fiducialiter ut pro filio suo qui per multos annos erat paraliticus. nullaque a medicis medelam potuit invenire. suas opes distribuendo iugiter habere potuerat; ut preces funderet ad dominum. Ipse innuente nemo in ea remansit nisi ipse solus. In domum ingressus. humi postratus diutissime oravit. Deinde aelevans se tenuit manum paralitici et ait. In nomine domini nostri ihesu christi esto continuo sanus. Tunc ille sanitate recepta. gaudens et letus cecinit et dixit. gloria tibi deus. Gavisa autem itidem vidua. caepit laudare deum et dicere. Supernus arbiter me visitatum dei filius. Michi enim videtur tanquam misisset angelum sanctum consolationem et auxilium michi prestans. Revera bene estimavit;

apicibus. quia divini sacerdotes. angeli vocantur. Circum quoque degentes vicini eiusque parentes. qui in propinquis habitabat occurentes ad domum viduae; unanimiter videntes incolumen filium eius. ihesu christo filio dei salvatori omnium. indesinenter laudes cotidie concinebant quia pius est et misericors qui in se sperans; nullatenus deserit. Adtendendo gemitus clementer. lacrimisque eorum qui cotidie tribulatione patiuntur. placatus oratione servorum suorum mortalibus. ostendit. mirabilia virtutis sue.

Cumque per vicina loca hoc divulgaretur miraculum; unusquisque aegros suos. deferebat ad virum dei. Ille autem intente orans dei filium. et sanitatem ei citius tribuebat. Unde cepit ab omnibus venerari. et quecumque ei necessaria erant cotidie honorabiliter transmittebat. Ille vero gratias cunctis benigne agebat. Post haec dictum est. ut ad sanctum Amasium; ubi in domo viduae ospitabatur. Sorani iugiter plerique occurreret postulantes ut fidem orthodoxam eos instrueret. Quia ut superius dictum est. paenae totum orbem terrarum; heresis arriana infestaverat. Christumque collaudarent quod eos misericorditer detersa caligine falsitatis. in fide veraciter optime solidasse. eidem sancto amasio. cotidie exenia victum. et potum. et quecumque essent necessaria devote transmittebant dicentes ad invicem. Iste civum erroris nobis abstulit; et sine dubio contulit spiritalem mentis nostre oculos aperuit. Videbatur nobis error summa quoque veritas. et veritas maximus error nunc autem in fide radicati sumus per honorabilem a nobis semper et omnibus hic habitantibus patrem nostrum amasium. Optamus. Adiuramus. Obsecramus. Gratias illi agamus. quatinus illi etiam a filiis modo nostris. nec non et a filiis eorum pariterque a cunctis parentibus nostri qui modo sunt; potsmodumque perceptionem originaliter futuri sunt ceterisque in his locis habitantibus. atque aliunde hic quodcumque modo advenientibus devote sanctitatis eius venerarentur. Quousque finis saeculi advenerit intercessione sua. et in presenti. et in futura vita veneratores suos semper adiuvet.

Intimando omnino videtur. de fide orthodoxa; aliquantulum breviter. quomodo benigne placido quoque vultu. auditores suos veritatem querentibus ipse sanctus sedule docebat auctoritatem. fretus niceni concilii omniumque venerabilium patrum. Unusquisque christicola indubitanter credere debet unum deum patrem et filium et spiritum sanctum; spiritum quoque sanctum; eo quod ex patre procedit et filio; patri et filio coeternus. Pater et filius et spiritus sanctus. unum deum in sanctam trinitatem et unitatem. una substantia. una est divinitas. una aeternitas. perfecta est equalitas. dissimilitudo nulla. Iam ad superiorem ordinem sermonem vertamur. Soliditatis in fide catholica ut dictum est; quidam evidenter soranis aliis inimici perversi. cum suo funditus iudice. arriana haeresi inlaqueati fortiter eundem expulerunt unanimiter sanctum amasium; comminanter ei. Ut ne aliquando in illis locis. transitum haberet. Interea fama nominis eius. divulgata fuerat urbano teani diacono. qui venientem cum gaudio suscepit. amplectens. osculansque eum ait illi. O amasi venerabilis nimis. sacerdos altissimi. iam te cognitum sancte pater habemus auditis mirabilibus et fama doctrinae tuae; qua eruisti de arriana heresi multos per dei gratiam. Obsecro amabiliter te nimium in domo mea semper. aut quantum volueris. honorabiliter habites. ut tu sis michi pater unanimis. et ego tuus omni modo obediens filius.

Civibus autem teani gratuiti fuerunt quod sacerdos et levita. tamquam due lucerne radiantes secum habitarent essetque eis cor unus et anima una. Sicut in actibus apostolorum legitur; multitudinis credentium erat cor et anima una. Et ideo sancto amasio; alimonia et potum. et queque necessaria essent. cotidie transmittebant. Nam doctrina eius et facundia eis optime complacebat. medelam quoque diversis egritudinibus afflictis. sanctis suis precibus exhibebat. Illis enim temporibus multa mirabilia. huc illucque fiebant. ad corroborandam fidem veritatis. Igitur sancto patri qui primum theani episcopus fuit. Migrante ad christum; cum corona sanctitatis et iustitiae; predictum urbanum teane eiusdem cives teani. ad honorem episcopatum eligere voluerunt. sed ipse letissimo vultu humiliter postulavit. non se. sed quem fraterno diligebat affectum; cuius sanctitas mirabiliter claruerat; sanctum eligerent amasium. qui caritate hospitalitate perspicuum. cor. coruscus. simplex ut ovis. mitis ut agnus. sobrius. quietus. diu nobiscum habitabat. Tunc consen-

tientes viri religiosi deo inspirante. veridici. omnia ita esse. cum magno amore. et letitia eum eligerunt.

Antistite itaque providente deo. consecratus. angelicis quantum possibile est. Ambo tamen; mente spiritalibus intererant; non mundialibus curis sed die et nocte tantum in lege domini meditabantur exemplum bonum famulis christi premonstrantes. Annos vero post aliquantos. ipse sanctus amasius se adiuvantibus teani civibus cum columpnis. hinc et inde. et porticum construxit. cymiterium. ubi ad dominum de hoc seculo transiens; digne cum honore reconditus est. Una variis igitur heresibus funditus eradicatis permultas librorum copiosa quod sancti doctores epyphanius. augustinus. ephilaster. multipliciter hediderunt. Annis a transitu beati amasii plurimis evolutis. universi iam memorati sorani; qui primitus obdurati erant; seu ipsi sive heredes eorum. reversi ad catholicam fidem tenuerunt reminiscentes miraculum et doctrinae praephati sancti amasii. communiter basilica in eius nomine honorabiliter construxerunt. Illic per multos annos tanta veneratio extitit; ut omnibus annis ad ipsam plebem locupletem. aepiscopus cui pertinebat; cum clericis suis in ipsius sancti amasii sollempnitate veniret. ibique religiosi ac feminae; non tantum de propinquis. sed etiam de longinquis locis; cum luminaribus atque oblationibus gratulanter devenirent. Devotissime divino officio et missa peracta; unusquisque ad propria remeabat. Agentes deo gratias patri et filio et spiritui sancto. cui est honor et gloria in secula seculorum. Amen.

Pag. 732 — Passio Sanctae Albinae virginis et martyris.

Tempore illo adveniente decio caesare a palestinae provincia. in civitate cesareae. Cumque ingressus esset in civitate; sequenti vero die sedens pro tribunali; mandans per omnes civitates; vel vicos resonant precones. ut si quis non occurerit ad sacrificandum; diversis tormentis a carnificibus traherent. Tunc stari iussit in medio populi scriptorem; cui scribere praecepit scribere coram omni populo dicens. si quis christiani confiteretur esse deum; diversis cruciatibus interiret. et capitalem subire sententiam. Cumque relecta fuisset epistola coram omni populo. unus ex curialibus dixit. Domine caesar. est in hac civitate virgo speciosa nimis. bona mente. casto corpore. et nobili genere. nomine albina. quae die noctuque ieiuniis et elemosynis vacans omni hora. deos nostros abnegat. et christum quem iudei crucifixerunt adorat. Cui decius caesar ait. Et ubi eam possumus invenire? At ille respondit. In domum suam. Tunc iussit sibi eam presentari. Cumque presentata fuisset. ait ad eam decius cesar. blandis sermonibus cum ea loqui caepit. O infantula. video te nimis pulcherrima et speciosa facie. et delicato corpore. beata viscera qui te portavit. et felix mater qui te genuit. Cognovi quia nobili genere es. ideo poteris te clarissimo copulare viro. tantum accede et sacrifica diis immortalibus. ut vivere possis. Sancta albina respondit. Ego enim sum annorum duodecim sufficit michi tantos annos vixissem. ut ad illam vitam merear pervenire quae nescit habere finem. Et ideo notum tibi sit quia desidero exire ab hac vita; ut ad illam merear pervenire beatam. Decius cesar dixit. Sacrifica diis ut vivere possis. Sancta albina respondit. Ego quidem sacrificavi et sacrifico hostiam laudis domino ihesu christo. Nam daemoniis immundis non sacrificabo. Decius cesar dixit. O quanta tormenta te expectant; si non sacrificaveris. Sancta albina respondit. Non expavesco tormenta tua sed mori parata sum. nam deos tuos non adoro; tu vero fac quod vis. Tunc cesar dixit ministris. afferte plumbum et ollam. et implete vehementer et calefacite. et ante eam ponite ut expavescat. Primum ad illam haec ostendite. si sacrificare noluerit. tunc eam ferventem plumbum perfundite. Sancta vero albina haec videns; elevans oculos suos ad caelum dixit. Deus verax da michi ancillae tuae virtutem tolerantiae. et dona michi angelum sanctum custodem. quia in te credo deum salvatorem. Et cum orasset; perfunderunt eam ministris ferventem plumbum. qui statim plumbum frigidum factum est. et nulla lesio in corpore eius apparuit. Tunc videns caesar quod nichil eam nocuit; ait ministris. quod faciemus puellae istae; qui per maleficia ignem exuperat. Et conversus ad eam dixit. Puella accede et sacrifica diis. Sancta albina respondit. hoc scito caesar quia

sacrifico domino meo ihesu christo qui me liberavit de igne. Nam deos tuos non sacrificabo. Decius caesar dixit ministris. afferte acetum ferventem. et in os eius mittite. ut coquatur lingua qui nominat christum. cumque mitteretur in os eius. Sancta albina dicebat. acetum tuum tanquam favum mellis michi est. Confirmata et confortata in christo. dixit ad caesarem. tormenta quae michi inferre precepisti; non dolorem sed refrigerium michi prestat. Decius caesar dixit. O duritia huius puellae. qui nec blandimenta; nec asperitas revocat ad salutem. Sancta albina respondit. Ego christum quem confessa sum. nec blandimenta nec adversitas poterit me deviare. Decius caesar dixit ad carnifices. quid tanta iniuria auribus nostris infert. parate sententiam qualiter possit virginem pessimam perdere. Accendite lampades. et in pectore eius ponite. ut adoret deos invictissimos. Sancta albina respondit. Stulte et stercore plenus. Ego enim nunquam cesso confiteri domino meo ihesu christo in quem confidit anima mea. in ipsius nomine. inmolo hostiam laudis. Cumque posuissent lampadas ardentes supra pectus eius; sancta albina exclamabat dicens. O caesar. ignis tuus qui michi applicavit; frigidus factus est. et non calorem sed refrigerium michi prestat. Decius caesar dixit ministris. Succendite caminum et oleo eam ungite. et nudato corpore in eum mittite. ut totum corpus eius ardeat et dispereat. Cumque missa fuisset in camino ignis; psallebat dicens. Deus in adiutorium meum intende. domine ad adiuvandum me festina. dum deambularet in pretorio; quia ibi iuxta erat fornax ubi ardebat et cum audisset eam psallentem. dixit ministris; adhuc vivens puellam; ecce ignem non sentit. victi sumus ab ea. Et iussit eam educi de igne et dixit ei. Albina audi consilium meum. veni et adora deos nostros; et bene tibi erit; et habebis gloriam apud nos. Sancta albina respondit. Iam dixi; et iterum dico. quia non sacrificabo diis tuis. Decius caesar dixit ministris; accendite lampadas et latera eius subponite. Sancta albina respondit. gratias ago domino meo ihesu christo. et psallebat dicens. Exurge domine salvam me fac. Et continuo lampades extinctae sunt. et manus tenentium aruerunt. Virgo autem christi gaudens et exultans dicebat. Gratias tibi ago domine ihesu christe; propter quem has poenas patior. Te confiteor in corde meo. tibi deservio. tibi commendo spiritum meum. Decius caesar dixit ad eam. Si vere deus est in quem credis; quomodo ut homo in terra suscepit passionem? Sancta albina respondit. Suscepit quidem passionem; ut nos de laqueo mortis eriperet. et induit se formam servilem ut nos ad libertatem perduceret. Decius caesar dixit misera. accede et sacrifica diis. et habeo te ut filia. et sociabo te prefectum. et dabo tibi aurum et argentum. et divitiae multae tantum; ut non pereat pulchritudinem tuam. Sancta albina respondit. O suasor serpentis antiqui. sacrifica tu vel omnes tibi adstantes. cum quibus in gehenna ignis damnaturus es? Nam ego in infantia meo domino optuli mundum sacrificium; ideoque de istis tormentis secura sum. et confortata in domino ihesu christo. Decius caesar dixit ad carnifices. Haec virgo perdurat in poena. Afferte craticula; et carbones vivos subtus eam spargite; et illic eam sternite. Sancta albina subridens. vultu alacri dixit. fac impie quod facturus es; ego enim in christo adiuvata; tormenta tua non timeo. Decius cesar dixit. quandiu sum patiens erga te accede et immola diis. ut vivere possis. Sancta albina respondit. Dii tui qui celum et terram non fecerunt. dispereant. quia idola surda et muta sunt. erea et lapidea. quae ad usus hominum substernuntur. de quo beatus david propheta dicit. Simulacra gentium argentum et aurum; opera manuum hominum. similes illis fiant qui faciunt ea et omnes qui confidunt in eis. Decius caesar dixit ministris. Cito afferte machera acutissima. et omnia membra eius dissipate. Sancta albina respondit. Fac quod facturus es miser. Et statim laniatores coeperunt eam expoliari. At illa elevans oculos ad caelum cum lacrimis dicebat. Domine ihesu christe. qui non meis meritis sed pro tua misericordia in numero ancillarum tuarum vocare dignatus es; tibi flecto genua cordis mei ut me exaudire digneris. et ne tradas in manu inimicorum amplius corpus meum lacerare. sed libera me quem dilexi. quem retineo. quem videre desidero. Eadem ora qua virgo christi orabat. terremotus factus est magnus. et maxima pars populi mortua est. et manus carnificum aridae factae sunt. multi vero videntes quod factum est; crediderunt in dominum ihesum christum dicentes. Vere magnus est deus christia-

norum. quem predicat beata albina. Videns autem caesar confusionem suam. dixit ministris. comprehendite eam. et afferte novaculam et decalvate eam. et per publicum trahite. ut omnis populus videat deformitatem eius. At illi subito apprehendentes eam decalvaverunt. et trahebant per forum et plateas. Illa vero clamabat voce magna dicens. Universi populi qui me aspicitis; convertimini ad dominum deum meum propter quem haec poena sustineo. quia ipse est verus deus. et recedite ab idolorum cultura. Offerte illi mundum sacrificium. et ne timeatis minas caesaris. sed puro corde deum timete. et adorate qui vos creavit. Cumque haec verba renuntiata fuissent caesari. Iterum praecepit sisti ante se. et dixit ei. Misera. ut quid tanta mala invadit audacia tua. ut non sufficiant tibi quod ipsa te affligeris; adhuc et alios suades? Et adiecit. Aut sacrifica; aut faciam tibi in conspectu omnium diversa inferri tormenta. et nunc videbis si christum tuum tibi subveniet. aut eripiet te de manibus meis. Et ait ministris. Afferte calcem et acetum. et fragmenta fictili. et trepides ferreos. et super eam sternite. et aquam bullientem perfundite. et eius plagas defricate. Cumque haec agerentur. illa vero adiuvata a domino; viriliter sustinebat. Decius caesar dixit ad commilitones suos. Attendite ad has plagas quas video in istam puellam. adhuc perdurat in pena. Ministri vero qui haec agebantur caeci effecti sunt. At ubi vidit caesar quod caeci essent. furore repletus; iussit aliis ministris dicens. Afferte sinapem. salem. et acetum bullientem. et in os eius mittite. Sancta albina respondit. Sinapem non timeo nec salem. nec acetum. sed quasi favum mellis accipio. Gratias ago domino meo ihesu christo propter quem has poenas michi infert. Et dum haec agerentur. beata albina orabat dicens. Eripe me de inimicis meis deus meus. et ab insurgentibus in me libera me. Decius caesar videns quod nichil proficeret; conversus ad eam dixit. Albina infelix. prevale magiae tuae ut nichil sentias tormenta. consule sanguine tuo; ut non male pereas ab oculis nostris. Sancta albina respondit. pereas tu et omnes ministri tui cum patre tuo diabolo in ignem eternum. qui michi tanta circumventione famularis. Ego quidem secura sum ad domino meo ihesu christo. penae tuae non sentio. fac quod tibi videtur. Decius caesar dixit ministris. fustes nodosos afferte. et expoliate eam. et precincta eam cedite. Et dum eam expoliassent; psallebat dicens. Deus ne longes a me; deus meus in auxilium meum respice. Confundantur et deficiant detrahentes animam meam. ego autem semper in te sperabo domine. Quae cum diu caederetur beata albina; confortata in christo dicebat. Deus verax; iustus. et fortis. veni ad liberandum ancillam tuam. qui cum servis tuis misericordiam facis. et eos ad te convertisti ita et me ad te conversa liberare digneris. quia propter nomen sanctum tuum haec tormenta sustineo. Haec ea orante; manus tenentium eam aridae factae sunt. Tunc decius caesar nimio furore arreptus. videns quod nichil paenas sentiret; sed magis ministros perderet. prorupit in voce dicens. Educite verbosam hanc foras civitatem. et decollate eam. et auferte magam ab oculis meis. Sancta vero albina cum duceretur ad decollandum ait. Gratias tibi ago domine ihesu christe. precor te accipe spiritum meum. Tunc astitit spiculator; et amputavit caput eius continuo. Et habuit consilium cum militibus et omnibus circumastantibus dixit. Audite consilium meum. Comprehendite istam magam. et alios magos quae in istum regnum habitant. comprehendite omnes; et perducite ad me unam vetustam naviculam fragilem. sine omni armamento. Et fecerant ministri sicut preceperat decius caesar. Et statim miserunt in ea sanctam albinam; cum aliis sanctis. Angelus autem domini descendit de caelo et intravit cum illis in navicula. et perducti sunt in locum qui dicitur scauri. Per virtutem domini nostri ihesu christi. Cui est honor et gloria in saecula saeculorum Amen.

Pag. 820 — Sermo sancti Augustini episcopi.

Beati iohannis merita exordia nativitatis ostendunt. quod maior sicut dominus ostendunt in natis mulierum nemo surrexit iohanne baptista. Nullum quippe sanctorum celebrat ecclesia diem quo carnem assumpsit. quin imo frequentat; quo carnalia cuncta reliquid. domini tantum illustris beata nativitas celebratur; quam stella prodidit. et hero-

des expavit; quam ipse denique sanctus iohannes. ex utero in utero salutavit. et per oculos matris. spiritu sancto repletus agnovit. Mittitur ecce fratres karissimi preco. qui nuntiet iudicem. dirigitur precursor; qui praedicet salvatorem. De hoc propheta esayas. vaticinabatur dicens. vox clamantis in heremo; parate viam domino; rectas facite semitas dei nostri. omnis vallis implebitur. et omnis mons et collis humiliabitur. et erunt prava in directa. et aspera in vias planas. et videbit omnis caro salutare dei. Sonat ecce in heremo vox. humilitas precipitur omnibus et asperioribus suis ac semitis tortuosis. mollis planities imperatur. strata in hominum cordibus fidei preco componit. et humana fragilitas expavescit. O humana infirmitas. quid factura es in adventu iudicis; que non potuisti vocem sustinere preconis? nam et in hoc tanta sublimitas apparuit. dum esset sterilis mater; loquebatur pater. fit feta sterilis; et efficit pater elinguis. Subito igitur gabrihel; ille secretorum familiarissimus divinorum; ethereas evectus. in aulas elabitur. et placido allidens volatu; astitit coramque sic alloquitur zacharia. ecce exaudite sunt orationes tuae. et uxor tua elisabeth pariet tibi filium; et vocabis nomen eius iohannem. et ille. unde hoc sciam? ego enim sum senex. et uxor mea processit in diebus suis. O beate zacharia. ista est fides tanti ac venerandi sacerdotii tui; ut non credas nuntio loquenti? crede zacharia angelo crede coelesti ministro. accomoda nuntio fidem. si non vis perdere vocem. Ecce ubi incurristi perfidie noxam. statim accepisti in ostio lingue catenam. hic angelus gaudium portat. et vinculum fidem observat et vocem; si credideris. gaudium meruisti. si non credideris. vinculum incurristi. unde enim hoc sciam? Ego enim sum senex. et uxor mea processit in diebus suis. Ergone impotens erat dominus de sterili producere filium; qui ex limo materie fecit hominem primum. Unde hoc sciam? Ego enim sum senex; et uxor mea sterilis. et processit in diebus suis. et ille. Ego sum gabrihel. qui asto ante dominum; et missus sum ad te loqui usque ad diem. quo haec omnia fiant. Pro eo quod non credidisti verbis meis. que implebuntur in tempore suo. Non credidit zacharias sterilitatem iussu dei parituram. et mox perdidit linguam. tollitur vox a patre. donec filius generetur a matre. ut tunc accipiat verbum. ubi susceperit filium. Obstupuit ecce nunc in cithara corporis vocabulum vocis. et cum universa viverent in corpore membra. sola mortua iacuit in sepulchro de nuntio lingua. erat autem in manu angeli et munus et gladius. negavit zacharias muneri animum. et exercuit angelus in lingua supplicium. non credidit. et siluit. angelus loquebatur. et zacharias in sermonis palato ligabatur. Ille in promisso filio titubabat; et angelus ei verbum de lingua secabat. expectabat angelus fidem. ubi zacharias non credidit. ilico in ore compedes taciturnitatis accepit. volutabatur sermo in parte corporis; nec audiri poterat foris. quia eum in ore clauserat clavis. Ecce angelus claustrum in labiis zachariae posuit. et ospitium verbi conclusit. ascendit unde venerat; nec solvit quem ligaverat. tunc solvitur quando iohannes nascitur. tunc accepit lingua libertatem. quando elisabeth edidit vocem. Ipse est enim iohannes. vox clamantis in heremo. qui necdum de vulva matris exierat. etiam exemplum perfidis demonstrabat. Adest igitur prefata dies. teneri luce partus effunditur. ambigitur de vocabulo. interrogatur pater qui loqui non poterat. postulat pugillarem ut scribat vocabulum iohannes et mox dodus disrumpitur vocis et ut vocis nomen imponeretur. vocis ianua que clausa fuerat aperitur auspicatur zacharias vocem in voce. generatur filius; et pater solvitur mutus. vox a matre editur. et in ore patris sermo recreatur. et quem incredulitas linguae fecerat mutum nativitas filii prestitit absolutum. Loquendi contulit beneficium; et taciturnitatis solvit silentium. vox verbum precessit. lucerna solem antecessit. Gignitur vox e sterli et sene. et verbum nascitur ex purissima virgine. Hic in aridis visceribus creatur. virgo rem reportata virginalem. in virginalibus membris christi nascitur; et naturalem dissipat legem. in elisabeth vividus calor accesserit; in maria virgine fervor virginalis accessit. et spiritus sanctus refrigerans introivit. Nascitur ante dominum omnium servus; ante iudicem metator excurrit; condicio federis coniugalis; in iohanne mutatur in christo vacuatur. quia assensu sterilium ipsa copula edidit in mundo iohannem; virginalis autem integritas. secundo protulit salvatorem. sed in altrice iohannis infusa carnalitas. in matre vero christi spiritus sancti est operata maiestas. Celebremus ergo hunc diem; non

prophanis ritibus paganorum; sed tranquilla devotione fidelium. nec inquieta turba plantas turpis quatiat. nec vana substitutione; munda inmundioribus vitiemus; sed frequentemus hunc diem in augmento fidei. spei et castitatis ne cum precursorem domini contristaverimus; iratum eum cum venerit sentiamus.

EX CODICE CXLVII.

Passio sancti Prisci Episcopi (1)

(Pag. 455)

Temporibus valentiniani et valentis augustorum; in partibus orientis apollinaris laodicenus episcopus a fide catholica pro cuius amore primo multa composuerat opuscula devians; heresem condidit. quae hactenus ex ipsius nomine nuncupatur. Eodem etiam tempore valens augustus a leontio arrianorum episcopo baptizatus; christianis persecutionem magnam immisit. Hic quarto imperii sui anno talem dedit legem; ut etiam monachi compulsi arma bellica tractantes; saeculo isti magis quam deo militarent. Nolentes vero; fustibus tormentis necarentur. Unde factum est; ut ministri tam execrabilis iussionis ad haec implenda provincias circumirent. Qui venientes africam in quandam civitatem; dum multos ibi sanctos contemnentes iussa principis terreni et in domini ihesu christi fide permanentes diversis interimerent poenis; et viderent se nichil proficere ut aliquos secundum mandata sibi data aut ad arma bellica tractanda aut ad fidem arrianam possent applicare. Eiectis de carcere qui tenebantur in vinculis; applicatoque uno ex eis qui dicebatur priscus; ornato moribus patientia et episcopatus honore; dixerunt ei ministri missi ab augusto. Quare iussis principum non obeditis. ut arma tractetis bellica; et effugiatis tormenta quae vobis praeparantur? Beatus priscus respondit. tormenta vestra non pertimescimus; quoniam deum habemus in caelis. ipsius principis arma induti sumus. et per haec resistimus diabolo et principi vestro. Ministri augusti dixerunt. consule tibi prisce. et arma suscipe. et cum augusto crede. ut et mortem evadas; et amicus efficiaris augusti. Beatus priscus respondit. iam vobis dixi; arma habemus fidei concessa nobis a deo. quem a puerili aetate colere docti sumus. Ipsi credimus. ipsi immolamus sacrificium laudis. ipsum diligimus. ipse nobis et si a vobis mortem susceperimus hanc transitoriam; vitam nobis tribuet aeternam. quam repromisit deus diligentibus se possidendam. Tunc videntes maligni ministri constantiam eius; consilio inito ut suo placerent principi; iusserunt navem praeparare vetustissimam. ut illic beatissimum priscum episcopum cum aliis qui remanserant sanctis impositis; alto pelago pertusa navi marinis feris traderentur in pastum. Expletis vero iussionibus impiorum; gubernante deo qui sanctos suos non derelinquens in aeternum conservat atque diligenter custodit; concessa est eis in mari via; et in fluctibus semita firmissima. et ac si in novam fuissent superpositi naviculam; ita illesos et sibi psallentes perduxit eos dominus ihesus christus in litore campano. In qua provincia singuli angelo preeunte duce; per diversa oppida concessi sunt custodes. Beatus autem priscus episcopus capuae est donatus a domino. ut populum qui ibi adhuc dianae vana sacrificia offerebat liberaret. et ad veram dei cognitionem atque credulitatem perduceret. Qui ante civitatem non longe a porta quae albana nuncupatur; in via quae ducit beneventum habitabat cum duobus ministris suis. Cui tantam deus contulit gratiam; ut

(1) *Vide Cod. CXLII. pag. 288. Quae ab initio usque ad verba:* concessi sunt custodes, *excurrunt, ad Priscum iuniorem pertinere videntur, uti Ughellus, qui ea prodidit T. VI. col. 302. censet; quae sequuntur Prisco priori Bollandiani adiudicant.*

cotidie infinita populi multitudo ad eius sanctam praedicationem concurrerent. Sed cum deus per eum multa ibi ostenderet mirabilia. Sanando infirmos; Suscitando mortuos; Illuminando caecos; Daemones ab obsessis corporibus effugando; atque multitudinem populi ad fidem domini convertisset; concitata est seditio non minima paganorum a sacerdotibus suis; qui questum magnum perdiderant. non recipientes solita responsa daemonum. Adierunt itaque proconsulem. clamantes per priscum eversum esse populum; relicto templo dianae. praedicantem eis nescio quam superstitiosam sectam. Tunc proconsul iussit sanctum priscum teneri. et a carnificibus ad sacrificandum dianae compelli. Sed beatus priscus repletus spiritu sancto; cum contemneret minas et seditiones eorum; dicebat eis. Quid stulte operamini? Cognoscite deum vivum et verum. factorem caeli et terrae. Et psallebat domino dicens. fiat cor meum domine quod tibi ab infantia devote servivit immaculatum in tuis iustificationibus; ut non confundar. et iube me pertingere ad tuam gratiam domine deus. Compellebant autem eum carnifices ad sacrificandum; volentes eum cum pugionibus interficere. et alii cum fustibus lignorum. quorum brachia adversus sanctum dei defecerant. Beatus autem priscus astantibus eis extensis manibus ad coelum; oravit dicens. Domine ihesu christe gratias tibi ago; quia me non fraudasti de numero sanctorum tuorum. sed ad desiderium meum me perducere dignatus es. Sit nomen tuum benedictum in saecula saeculorum. et suscipe modo spiritum meum domine deus meus. Cumque complesset orationem; statim emisit spiritum. gaudensque et laetus perrexit ad dominum. Inimici autem stupefacti et confusi; reversi sunt. non praevalentes adversus sanctum dei. Multi vero ex eis crediderunt in dominum ihesum christum. Post aliquantum vero temporis quando christi ecclesiae patuerunt; quaedam matrona in provincia hispaniae ventris fluxum iam per annos aliquot patiebatur; et a medicis curari non poterat. Huic ergo in revelationem venit angelica visio dicens. si vis ab infirmitate tua liberari; vade in campaniae civitatem capuam. ante portam eiusdem civitatis; in viam quae ducit beneventum; illic in monumento invenies corpus prisci hominis dei; qui ibi pro christo passus est. hunc tu mox cum honore sepelieris ubi tibi demonstratum fuerit; statim recipies corporis tui sanitatem. Quae veniens capuam et diligenter requirens; ubi ei dictum fuerat repperit corpus beati prisci. quo posito in vehiculo pergebat. expectans ostensionem loci sicut ei fuerat revelatum. Cum venissent autem ad locum ubi nunc requiescit; animalia quae tantum vas portabant iussu divino steterunt. ubi illud conditum aromatibus sepelivit. fabricans ei cubiculum. Quae mox ut fideliter sibi iussa complevit; infirmitatis suae sanitatem recepit. et omnium petitionum suarum effectum promeruit. Intercedente beato prisco. cuius dies natalis celebratur die kalendarum septembrium. Ad laudem domini nostri ihesu christi; cui est honor et gloria in saecula saeculorum. Amen.

EX CODICE CXLVIII.

Acta Sanctorum.

Pag. 50 — (Vita S. Donati episcopi.)

Desideranti tibi famula Dei Anastasia; ut vitam beati donati episcopi de graeco in latino transferrem sermonem. . . . .
utrarumque fontium aque humanis usibus saluberrime facte sunt; in nomine patris. et filii. et spiritus sancti. in eternum. Amen. In illo igitur tempore. filia theodosii imperatoris. a demonio vexabatur. Quam offerebant ad simulacra singulis; sacrificia. et multas hostias immolantes. sacerdotibus quoque eorum et incantatoribus multas conferentes dona. et nemo eorum poterat demonium effugare. Cum ergo multa fierent; et nichil remedium praestaretur. summaque pater materque tristitiam unice. causa filiae laborarent. fama ad eos de virtutibus beati donati pervenit. quod et draconem occiderit. et aquam orationibus suis obdulcaverit. Missum est ad provinciam ephirie veteri; imperiale preceptum ut omnes episcopi suam constantinopolim praesentiam procurrerent. Qui dum in eadem urbem convenissent; omnes honorifica salutatione suscepti sunt. Quibus imperator ait. quis es donatus episcopus; qui draconem occidit. et aquam sua oratione produxit? omnesque pariter ostenderunt eum. Regina vero in occultiori secreto abscondita. expectabat quis esset. At ubi ostensus est; humiliter occurrens tenuit genuas eius. dixitque ad eum; pater bone; bene advenisti incolumis; miserere filie nostrae. Dixit autem ei imperator; papa donate; filia nostra gravissime vexatur a demonio. et nullus sacerdotum. aut incantator. potuit curare eam; aut ipsum demonium effugare. Audivimus autem de te quod possis expellere demones. misi propter te; ut tuis orationibus salva efficiatur. quia unica nobis est. et dimidium facultatum mearum dabo tibi. Respondit donatus episcopus dixit eis. non est impossibile deo meo curare filia vestra. eamus ad eam. Primum quidem regina festinanter processit. introeunte sancto viro. exclamavit demon dicens. parce donate. quid me persequeris. nichil te lesi. Sanctus donatus respondit; exi inmunde spiritus ab illa. quoniam non licet tibi habitare in plasma dei vivi. Demon autem clamabat dicens. da michi transitum quomodo exeam. ubi vadam. Dixit sanctus donatus; unde hic advenisti? ille respondit. de heremo. Dixit ei sanctus donatus; quare non exis et reverteris unde venisti? Demon clamans dicens illi; video magnum signum crucis in te. ex qua ignis exiit contra me. et pre timore; nescio quomodo exeam; aut quo vadam. sed magis da michi locum exeundi et exeo. Respondit donatus et dixit; non est tibi dare locum aut requiem voluntatis tuae. sed do tibi exitum talem; ut revertaris unde hic venisti. revertere ergo ad heremum. Convocans vero post tergum suum regem vel regina; dixit demoni; ecce habes transitum ire. redi ad locum tuum. nichil noceas in hominem; qui est plasma dei nec que eius sunt. ecce dixi tibi. Exeuntes autem demone. commota est tota domus. et ianue concusse sunt. Filia vero imperatoris surgens de stratu suo; tenuit pedes homini dei dicens; queso te pater; tu michi sis genitor et pater ab hodiae quia video magna virtutem esse tecum ecce pedibus tuis adhereo. miserere mei; quia signum timore concutior. propter eum qui tecum est; adiuva me. Extendens autem homo dei donatus manum; elevavit ea a terra.

et christi armans signaculo reddidit incolumen. Parentes vero eius gaudebant; cum exultatione multa dicentes ad hominem dei; pater donate; sicut promisimus tibi; tolle dimidium rerum heredidatis nostrae. Respondit illis homo dei donatus et dixit. cernitis me hominem proximum sepulturae. et vultis ut filie vestrae coheredes inveniar; sed magis si placet serenitati vestrae. est locus in provincia mea. cui vocabulum est vinfalis. ipsum michi iubete prestare; ut faciam. in ipsum domum orationis. pro vestra mercede atque filiae vestrae. Dixit ei imperator; nichil est petitio tua. veruntamen ut voluisti fiat tibi. Statimque amputans canonem loci ipsius; ab omni inlationem tituli fiscalis. sic tamen inmunem factis donationibus contulit. rogans eum; ut aliquantulum temporis apud se moraretur. Puella vero non recedebat ab eo. neque iam patiebatur adtingere de sacrificiis idolorum. dicens parentibus suis; fugite ab illo errore. quoniam non est nulla misericordia; in diis vestris. Magis autem legem iusti sequamur; quoniam magnum habet patronum; valentem occidere et vivificare. Cum enim interrogassem eum quisnam esset; aut ubi esset; dixit michi; lex est que mecum est. et potes videre eam. nunc; quia non est religioni vestre. tunc enim vidisti eum mecum esse. ut fugeret a te diabolus. propter quem parentes tui deprecati sunt me. Haec autem omnia referebat beatus episcopus his; qui secum erant episcopis in lecto et salutabat eos; quasi iam ad patriam rediturus. quia ipse nondum relaxabatur a principe. stantibus autem illis et loquentibus in quadam regionem. ecce mortuus quidam efferebatur. et homo quidam habens in manu cyrographum; tenebat funus dicens; deberi sibi ab ipso. solidos ducentos. et non permittebat sepelire eum. erant in circuitu turbae fremitus; multus valde et vehemens. Videns autem hoc sanctus donatus episcopus; dicit reliquis episcopis. venite mecum eamus et rogemus eum. ut permittas sepeliri corpus defuncti hominis. Qui submusitantes ei dixerunt; putas hic nos volens mori. ipse autem solus abiit rogaturus. quidam viros eminus agnoscentes eum; consilium dederunt relicte eius dicentes curre interpella istum hominem dei; qui procidens ad pedes eius ait; fac in me misericordia. quia vidua sum et geminum circumdata sum malis. Virum perdidi; et sepeliri mortuum non permittor. tu enim iustus vocatus es in civitate ista fac in me misericordiam peccatricem. opus iustitiae. et fac eum sepeliri quia iam resolvitur funus eius in lecto. Dicit ei beatus donatus scis quia devitor quam dicit; debuit ei vir tuus pecunia. que respondit domine mi; ante hoc aliquantum temporis. dicit vir meus; quia complevit ipsa pecunia. et remansit cyrographum apud eum. At homo dei rogabat creditorem dicens. permitte fili mi. sepelire corpus defuncti. et quocumque modo. solvetur devitum. Qui non solum audivit; sed iniuriavit eum. Tunc iungens se homo dei ad ferretrum. ait defuncto. manum tangens eum. et vocans dixit. Audi me. qui respondit ei; ego sum. dixit ei beatus donatus surge et vide. quid agas cum homine isto; quia non permittit te sepelire. Qui residens; confutavit eum de completo devito. et accipiens cyrographum suum; sedens et scindit illum in feretro. Aspiciens autem in hominem dei dixit ei. Iuste excitasti me homo iustitiae; ad confutandum peccatorem istum. Iube ergo me dormire iterum quia dormitor. Dixit ei sanctus donatus; vade fili in requiem. quia liberasti cyrographum tuum. Videns autem haec imperator. magisque credebant in gratia dei. Dixit enim ad hominem dei. dico tibi pater donate. quia mecum eris omnibus diebus vitae tuae. Volo enim ego transire ad legem tuam; quia et filia mea. non recedit a te. Puto quia deus tuus per ipsam invitat nos ad notitiam suam. Agnoscentes autem primarii civitatis; convenerunt ad regem et dixerunt ei. imperator iustissimae in aeternum vive quoniam quidem cognovimus; quod divinitas tua mago illi inveterato seiunxeri; et vis credere verbis eius. et deos neglegere; sacraque ipsorum quod nullus unquam imperator fecit. Quapropter trade nobis illum inveteratum foras; qui te suis artibus immutavit. Imperator autem tam civium multitudine congregata videns; respondere noluit quicquam. Consilium autem facientes. iterum autem convenerunt ad regem dicentes; domine orbis terre magis senem illum preposuisti diis et non bis seductorem illum pendere precamur. non irascatur optime serenitatis tuae. quia iam trienni tempus est ex quo sic civitas terras optinuit et exarserunt. viridia et arbores. Non ergo irascatur tranquillitas tua in verbo nostro. Si enim habet iste senex dominum verum qui possit salvare nos. roget eum ut

pluat. et tunc sciemus; quia non est magus. sed est verus dei cultor. Tunc dixit ei imperator. iusta petitio vestra fiat quemadmodum vultis et quid turbamini ad molestia meam? tunc imperator perrexit ad hominem dei. et dixit ei. pater donate potes rogare ut pluat? quia tota civitas congregata est ad me. contrariae propter te et hoc petierunt a te; signum fieri. Respondens donatus dixit; potens est deus meus; omnia que ab hominibus iuste postulantur; impendere.

Quando autem iubes ut hoc fiat? dicit ei imperator. ecce nunc ergo roga deum tuum antequam convalescat seditio. Exiens vero homo dei exorat civitatem; oravit dominum ihesum christum. et statim venit nebula aquosa; et effusi sunt celitus tanti imbres. ita ut palatium et regiones inundatio occuparet. Gaudium recreatus est imperator. in mirabilibus quae dominus super eum ostendere volebat; ad honorem gloriae suae. Cogitabat enim imperator de hominem dei donatum. quia levius erat vestimenti indutus. et pluvia erat magna valde. Sanctus autem donatus; siccis vestimentis rediit quasi super eum nec vestigium pluviae evenisset. Quem suscepit imperator cum laetitia. dixitque ad eum. scio quia famulus dei es. qui in coelo est. fac me notum deo tuo. Nunc autem agnosco. quia ipse est dominus omnium saeculorum. dii autem gentium daemonia sunt. concitantes scandala. non ergo verearis; quod tradam te civitati. magis autem; ipse dona te civitati. bonum est enim. ut per te verum et vivum agnoscamus dominum. Tenuit ergo imperator hominem dei. annis tribus et baptizatus est ab eo; una cum filia sua. et primarii civitatis. Sequenti quoque tempore. regina cum reliquis gentibus. baptismi gratia consecuti sunt. Tunc factum est christi signum in urbem constantinopolitana. in nomine domini nostri ihesu christi usque in hodiernum die. Post haec autem petiit homo dei ad imperatore. et rediit ad suam civitatem. et fuit ibidem multum tempus. Eligens autem locum in possessione; ubi draconem occiserat. et designavit oratorii domum sibi; ad sepulturam. ubi et posite sunt reliquiae eius. et celebrantur ab omnibus; summa cum veneratione. ubi multa beneficia prestantur. In nomine domini ihesu christi. qui servientibus sibi donat gloria; in saecula saeculorum. Amen.

Pag. 106 — Natale Sancti Cornelii episcopi.

Imperante urbi romae anno iam tertio philippo ab exordio edificationis prefate urbis explebatur annus millesimus. hic philippum consortem regni. largitate fecit paterna. Quibus imperantibus; Decius e pannonia inferiore budaliae. que ab aliis est bubalia nuncupata. oriundus adveniens; philippum seniorem. veronae; romae iuniorem interfecit. His igitur interfectis; imperium suscepit crudelissimus decius. Qui dum religionis christiani nominis esset inimicus; et philippo ob christi vocabulum fuisset infestus; catholicis persecutionem aecclesiis septimam suscitavit. Hac interim persecutione in urbe roma. Beatus fabianus pontifex martyrio coronatus; sedem sui episcopatus; romano de genere nato. religioso viro reliquit cornelio. Quo tempore novatus romanae ecclesiae presbyter. elatione quadam tumidus; in certamine lapsis; spem penitus salutis adimebat; etiam si digne penituissent. ex quo princeps hereseos extitit novatianorum. Qui ab aecclesia separati; superbo nomine semetipsos catharos. idest mundos appellarunt. Ob quam rem concilium sacerdotale celeberrimum in urbe roma congregatum est. Preterea etiam per singulas quasque provincias de hac re magna deliberatione habita; decretis significatur quod facto opus esset. Statuitur ergo novatus quidem cum his qui eum mentis elatione tumidum sequerentur. Quique ad inhumanam istam et nichil fraterne caritatis servantem sententiam declinarent; alienum esse ab aecclesia. Eos vero qui lapsi in certamine fuerant; fraterna miseratione curandos. et fomentis penitentie medicandos. His ita peractis; confessores qui suadente novato a beato cornelio cum maximo presbytero fuerant separati. idest; urbanus; et dionisius. seu ceteri ad ecclesiam cum penitentie fructu reversi; ihesu christi deinceps fideles facti sunt confessores. Interea dum haec gererentur; predictus antistes a quadam matrona christi famula nomine lucina rogatus; ut apostolorum corpora beati petri et pauli; summa cum diligentia de catacumba levarentur aliis digna sepelienda locis. Cuius scilicet petitioni; benigne favens Beatus cornelius; cum eadem lucina noctu ad catacumbas perrexit. Ubi primum data oratione; egregii pauli apo-

stoli corpus elevans; religiosae ad sepeliendum tradidit feminae. Tunc famula christi lucina sacrum corpus susceptum; secundo ab urbe miliario in suo proprio prediolo; via ostensi honorifice sepelivit. Corpus denique beati petri antistes christi cornelius aelevans detulit. posuitque iuxta locum quo crucifixus est. inter corpora sanctorum pontificum in templo apollinis. monte aurelio in vaticano palatio neronis. sexto kalendas iulias. Quo audito decius cesar furore arreptus iniquo; precepit ut si clerici quocumque in loco fuissent reperti; punirentur ocius inauditi. Corneliumque pontificem; centumcellensi urbe in exilium ire mandabit. Qui dum in eadem civitate exiliatus maneret; multi christianorum ob amorem et confirmationem fidei; ad eum pergentes. predicationis illius sermone confortati; rediebant gaudentes. Veruntamen veluti ad se venientes; ille confortabat in carcere. ita illi aliqui ex ergastulo; sua scripta de laudis confessione emittebat. Eodem tempore Beatus cyprianus carthaginensis episcopus; ex imperatorum precepto; a paterno proconsule. pro christiani nominis fide; in carcere tentus; congratulando pontificis fidei. vel de celerino lectore scribens; hanc epistolam mittere studuit. Cyprianus cornelio fratri salutem. Cognovimus frater corneli; fidei ac virtutis vestrae; testimonia gloriosa. et confessionis vestrae honorem que sic exultanter accepimus; ut in meritis ac laudibus vestris; nos quoque participes ac socios computemus. Claruit fides vestra adunatio sequentis est fraternitatis ostensa. dum aput vos unus animus et una vox est. aecclesia est omnis romana confessa. Dum sic unanimes et fortes; magna ceteris fratribus unanimitatis et fortitudinis exempla tribuisti. ex quibus; quosdam iam comperi coronatos; quosdam vero; ad coronam victoriae proximos. Quibus ergo vos laudibus predicem fortissimi fratres; robur pectoris vestri et perseverantiam fidei? quo preconio vocis exornemus? tolerastis usque ad consumationem gloriae durissimam questionem nec cessistis suppliciis; sed supplicia vobis cesserunt. Finem doloribus quem tormenta non dabant; corone dederunt. Fluebat sanguis; qui incendium persecutionis extingueret. qui flammas et ignes gehennae; glorioso cuore sopiret. O beata aecclesia nostra; quam sic honor divine dignationis illuminat. quam temporibus nostris; gloriosus martyrum sanguis illustrat. Erat ante in operibus fratrum; candida. Nunc facta est in martyrum cuore; purpurea. floribus eius; nec lilia nec rosae desunt. Cernent nunc singuli ad utriusque honoris; amplissimam dignitatem; accipiant coronas vel de opere candidas. vel de passione purpureas. In celestibus castris; et pax et acies flores suas habent. quibus milex christi ob gloriam coronetur. Nam ut vos rome dilectissime frater. aecclesie militibus exempla preliandi prevetis insignia; ita aput nos celerinus lector; et verbo et exemplo plurimis in christi bello; exititit doctor. His temporibus nostris prelium plurimus. hic inter christi milites ante signatus. hic inter persecutionum initia ferventium; cum ipso infestationis principe et auctore congressus. dum inexpugnabili firmitate certaminis sui adversarium vicit. vincendi ceteris viam fecit. Hic celerinus; cum aurelio in lectione socii fuerant. cum quo omnibus virtutibus et laudibus insignibus copulatus est. Pares ambo et uterque consimiles. in quantum gloriae similes; in tantum verecundia humiles. In talibus servis laudatur dominus in eiusmodi confessoribus gloriatur. sicut et in vobis desiderabilis frater corneli. quorum secta et conversatio sic proficit ad preconium gloriae; ut magisterium ceteris prebeat discipline. Unde plane quantum possumus karissimi confessores; pro caritate tua; qua nobis invicem coheremus ut quoniam providentia domini momentis instruimur. et divine misericordiae consiliis salubribus ammonemur; appropinquare iam certaminis et agonis nostri diem; ieiuniis. vigiliis. et orationibus insistere cum omni plebe non desinamus. Incumbamus gemitibus assiduis. et deprecationibus crebis. Hec sunt enim nobis arma celestia; que stare et perseverare fortiter faciunt. Haec sunt munimenta et tutela divina; que protegunt; si memores nostri invicem sumus concordes. atque unanimes. ut ubique pro nobis semper oremus pressuras et angustias mutua caritate relevemus. Et si quis istinc prior divine dignationis celeritatem precesserit; perseveret apud deum adunata dilectio. pro fratribus nostris apud misericordiam dei patris non cesset oratio. Opto vos fortissimi fratres et confessores; agonem martyrii opitulante domino perficere inchoatum. semperque in domino bene valere. et nostri memores esse perpetuo. Dum talibus et

his similibus caritatis cohortationibus. pontificumque alloquiis cartago. spatium maris contracto. romanae necteretur. aecclesiae. Quatenus. christi confessores in fidei stabilitate persistentes. a domino coronas perciperent preparatas; Inimicus caritatis et fidei; aures inmerita decii cesaris; per suos satellites hoc pertulit. quod beato cornelio centumcellis; nonnulli epistolas. et maxime cyprianus episcopus mitteret. Qui mox haec audiens; centumcellis sub omni celeritate direxit; ut suo conspectui ab exilio revocatus exhiberetur cornelius. Cumque fuisset adductus; iussit eum noctu in tellure ante templum palladis sibi presentari. cui et dixit; corneli. sic definisti; ut deos non reverearis; nec preceptis pareas principum neque nostras metuas minas. et ut contra rem publicam accipias et dirigas litteras? Ad haec beatus cornelius respondens ait illi; absit hoc a me ut quos a domino volo salvari; perire cupiam. aut contra vos. aut statum reipublicae. suscipiam litteras. non feci quod asseris cesar. sed ut roboretur. fidelium fides; et ego coroner a domino; litteras suscepi. Tunc decius furore repletus; precepit plumbatis obs (*os?*) cedi beati cornelii. eumque ad templum martis. ut diis libamina exhiberet. iussit perduci. quod si fecisset; liber abscederet sin vero capitalem subiret sententiam. Qui postquam caesus plumbatis duceretur ad templum martis; factum est ut quidam miles nomine cerealis. simul cum militibus qui illum ducebant; multis cum precibus obsecraret. ut domum eius ingredi dignaretur. eo quod per quinque annorum curricula; uxor ipsius officio corporis destituta; clenica iaceret in lectulo. Pergens vero beatus cornelius cum militibus comitante christianorum plebicula; devenit ad arcum qui dicitur stellae. ubi morabatur infirma. iterum precibus omnium comitantum postulatus. ut visitationis suae presentiam debilitanti inpenderet foeminae. Qui dum intrasset domum cerealis. cum duobus presbiteris et clerico uno. cunctis hanc audientibus; orationem elevatis ad celum oculis fudit. Domine deus creator omnium. visibilium et invisibilium. qui dignatus es ad nos venire. per nos hanc iube elisam erigere. et dona ei miserationis tuae medelam; sicut ceco nato ad cognoscendam nominis tui gloriam lumen donasti. Postquam vero ab astantibus ibidem; amen fuisset responsum; apprehensa manu infirmae. erigens eam dicens; in nomine ihesu christi; salustia surge. et sta supra pedes tuos. veruntamen non mea virtute; sed eius qui fecit celum et terram. vivensque regnat in saecula saeculorum. Cumque iterum omnes respondisset amen; elevavit se subito. quae infirma iacuerat. bis terque clamans et dicens. Vere christus est dei filius. ipse est restaurator humani generis solus. Quae postquam exilivit incolumis. prostravit se pedibus beati cornelii; et ait illi. adiuro te per christum in cuius nomine hoc fecisti miraculum; ut michi ancillulae tuae; sicuti corporis; ita et anime restituas sanitatem. Levans baptizes me; sicut audio ceteris te fecisse. Tunc surgens salustia a terra qua iacuerat et currens ausit aquam. attulitque sancto antistiti. Acceptam igitur aquam beatus pontifex; sanctificans benedixit. et baptizavit eam in nomine sanctae trinitatis. Eadem hora milites qui aderant. miraculo visu; quod salustiae per cornelium debilitanti operatus sit dominus. pariterque perfusa aqua fuisset baptismatis. Omnes pariter eius se pedibus cum ingenti gemitu prostravere dicentes. Negotiator sancti spiritus corneli redime animas nostras. et subveni nobis. aspergens cunctos fluentis aquae; sicut fecisti salustiae. Quibus cornelius ait. si relictis idolorum herroribus ex toto corde credatis christo; redimentur. animae vestrae. et delicta peribunt. Cui omnes una voce dixerunt; credimus sancte pater. credimus; quia ihesus christus est filius dei vivi; qui regnat in saecula. et omnes desideramus tecum pro eius nomine magis mori; quam infeliciter vivere. Usque nunc pater sancte; adoravimus idola surda et muta. cognoscimus modo per te; quia unus est deus verus et sanctus. qui per te talem ostendit miraculum. tantum munda et libera animas nostras. Quo audito antistes; ut omnes genua flecterent iussit. Cumque poplite flexo fuissent prostrati; huiusmodi venerandus pontifex super eos cum lacrimis dedit orationem dicens; deus omnipotens; qui propter restaurationem humani generis; dignatus es filium tuum mittere in terris. effunde super hos sancti spiritus gratiam; ut relicto antiqui hostis errore; te super omnia ex toto corde puriter diligentes; eorum purgentur anime et deleantur delicta. Et cum omnes respondissent Amen; Baptizavit eos in nomine pa-

tris et filii et spiritus sancti. Sacrificio de more perfecto; corporis ihesu christi et sanguinis; fecit eos participes. Audiens haec decius cesar de cornelio; quod dum iret ad templum martis. quod cerealis egerit domi. in eius uxore. et quod viginti unus militum sacrae renovationis unda fuissent abluti; commotus furore frendens et stridens dentibus; misit ut tenti una cum cornelio; omnes ad sacrificandum templum ducerentur ad martis. Tali quidem data sententia; si noluissent diis libamina exhibere; cum eodem cornelio ultionem decollationis perciperent. Hac christi milites definitione audita; exeuntes de domo cerealis gaudentes. voce clara clamabant; Gloria in excelsis deo. Gloria in excelsis deo. Venientes igitur foras murum viae appiae ante templum martis. expuebant dicentes; pereant dii demonum omnes simul cum decio pereant. Hoc audientes ministri qui missi fuerant; decollaverunt beatum cornelium; et milites viginti unum; et cerealem cum uxore sua; septimo decimo kalendarum octubrium. eo die quo cartagine cyprianus episcopus; sed non eodem anno. Eadem nocte venientes clerici cum beata lucina et familia eius; rapuerunt corpora sanctorum et sepelierunt ea in agro eiusdem lucinae. in cripta iusta cymiterium calisti. Ubi hodiae eorum orationibus petentes beneficia consequantur. Prestante domino nostro ihesu christo cui est honor et gloria in saecula saeculorum. Amen.

Pag. 243 — (Versus in laudem SS. Dyodori Mariniani et sociorum.)
Editi in Bibl. Laur. *Tom. I. Supplem. col. 564.*

Pag. 342 — Incipit vita sancti iohannis chrisostomi.

Fuit vir vitae per omnia laudande. Iohannes opere et nomine. qui merito vir dicitur; qui viriliter vivens saecundum deum. Magna enim vere res acta est quod huic sancto viro nomine iohannes ex hebrea principe linguarum omnium lingua inditum est. Qua sancti patriarche; prophetae; evangeliste; et apostoli; ipse etiam verus deus; et verus homo. Idem veri dei verique hominis filius; simul unus existens; instructi sunt. Per quos innumera salubria. vitaliaque dogmata quorumque virtutes magnae inbuendis. atque ad coelestia invitandis ubertim gentibus per totum recitantur orbem assiduae. Iohannes; domini gratia interpretatur. ergo et praesagio quodam magnus hic vir tale consecutus est vocabulum quia videlicet; ei omnis extabat gratia conferenda; per quam praeclara predictorum sanctorum volumina edisserens mirabiliter; erudiret homines. coelos penetrare. Fuit autem hic illustris vir iohannes. antiociae ortus. eruditus atque alitus. Parentes vero carnis eius; potentes homines fuerunt. praefecturam agentes syriae. Qui non solum clarissimis hominibus; sed et deo gratissimi extiterunt. Hec que loquor ita esse; nomina etiam eorum declarant. Nam pater eiusdem sancti iohannis; dictus est fecundus. hoc est securus; sibe gratus. Mater ipsius vocitata est anthusa. idest florens. vel florida. utrique studiosissimi divine operarii existentes vinee. mandatorum proculduviae dei. ac fecundae radice germinantes optimum constructorem vere fidei; cultoremque summum totius paene agri dominici mense scilicet hominum; semper nominandum beatum iohannem.

Qui ex fulgore nimio. plus absque omni extimatione coruscantis; quam aurum coruscat cunctarum rerum. visibilium eminentissimum. praetiosissimaque gemma; doctrine a deo sibi collate; ac per se in mundum diffuse; greco verbo ad nomen trahit chrisostomum. quod latino aureum os. cuius praefati parentes; ut fertur in evangeliis; propter hanc eandem suam prolem; recte noscuntur conferendi optimis arboribus; proferentibus de se gratissimum fructum. necnon lucernis emittentibus lumen; illustrans homines; comparantur. Quin potius ob sobolem propriam in coelo. ac per orbem ratissime rutilantem; propriis meritis et doctrina dei chrisostomum iohannem; similantur beati fecundus et anthusa duobus magnis luminaribus; soli videlicet ac lunae lucem prebentibus; cunctis qui in celo et in terra morantur. Cui vati eximio ipsi parentes sui universique simul sancti colletantur sine fine in regno dei. Quorum patria illustrissima ut praemisimus; fuit anthiocena civitas. que totius syriae capud ac princeps est. In qua primi christi discipuli spiritu sancto inspirati. ut locatur rete bene contextum capiens pisces in mari; ita divini verbi praedicationem captantem homines beatum petrum principem suum instituere praeesse. Exi-

stens vero facillimus ad discendum puer domini iohannes; erudiebatur exterioribus studiis. Habens adiutricem propriam genitricem; genitore iam defuncto. habebat etiam sororem unam virginem. Quamvis autem orphanus remansisset; non tamen quemammodum pueri parentibus destituti solent per diversa vagari ita hic vagabatur. sed pergebat ad singulos quosque magistros ad discendum. et universi stupentes ammirabantur in astutia illius. Nimiam enim nobilitatem naturae propriae ostendebat; in disciplinis liberalibus. Piissimus enim deus qui iustam (*iuxta*) prophetam finxit singillatim corda nostra; qui intellegit omnia opera nostra; desuper a primordio praevidens qualem quantumque hic habiturus esset famulum; priusquam ad pueriles annos perveniret; tam immensam ei gratiam diffudit; tantamque latitudinem cordis ei contulit; ut excelleret pares suos; sed etiam universos mundi sapientes magnos. Et erat intellectui hominum; valde mirabilis res. quod in brevi tempore tam praeclara doctrina ei collata esset; quantam hi qui numerum annorum multorum in liberalibus litteris impleverant optinere non valebant. Accedente enim ei augmento annorum; non tantum sensus illius intellegendo visa; et audita peritior per singulos dies fiebat; sed et lingua ad proferendum utilia verba cautior. Cumque non sufficerent haec illi; sed etiam nosse concupisceret multa sublimiora et ampliora; minime se continens intra proprios terminos tradidit se experiendum studiis sapientium romanorum; velocibusque scriptoribus eorumdem. Quis non obstupescat. quis non ammiretur. Audiens quoniam adolescens immatura adhuc aetate positus; patre orbatus; vidue matris et absque tutore existenti convivens; tanta aviditate omnem doctrinam ediscere cuperet; et hoc sine pecuniae pretio fiebat. Exuperabat enim in eo animi natura; et a deo praestita. et quamvis multa illi impedimenta obsisterent. valuit tamen naturaliter id adipisci.

Hic beatus iohannes incipiens fieri vir; licet quorundam hominum hortatu ex prudentia et verbis eius. noscentium; quod magnus vir esset futurus; magis tamen hispirationis omnipotentis et clementis dei ductus opereque suffultus efficaciter verax causidicus ac patronus mali quippiam patientium. periclitantibus quies. viduis munimen. pupillorum pater. hec universa; sine omni praemio agebat. Cavens mundanum habere aurum; verum omni ecclesie christi aurum sensibus dictis; et actibus piis; immo ipsi christo effectus est; et distribuit cunctis. Decem vero et octo agens etatis suae annos; deseruit liberales artes. Cum vero discipulus foret libanii; atque androgathii; clarissimorum mundi sapientium. Nam firmatum iam sensum; sitiens edoceri. etiam sacratissima dei vivi et veri doctrina; festinabat nimium attingere lectionem divinorum verborum. Qui in paucis diebus omnes daviticos psalmos; cepit memoria sua. et ut curiosus quis inchoatum a se aliquod opus perficere gessit; sic ammirandus iste satiari gestiebat plenitudine scientiae; divinarum scripturarum. Non ut quidam solent amare percurrendo legere divinos libros; velut nonnulli propriae eos memoriae sunt soliti retinendos commendare solum intellectum dictorum; ac perfectione actuum piorum postponentes; Ita hic legebat seu discebat ea que dei extant. sed sensum eorundem studebat per cuncta nosse; atque opus implere. A libro autem geneseos inchoans prope cunctas sacras ex ordine; scripturas didicit memoriter. Presul vero existebat eo tempore aecclesiae anthiocenae. beatissimus meletius confessor dei. genere armenius. Qui perspiciens adolescentem bone indolis. jubebat eum frequenter propinquare sibi. amplectens pulchritudinem sensus illius. prophetico intuito praevidens; adolescentis exitum. Atque pontificem accedens crebro felix iuvenis iohannes; misterio sacrae religionis ab eo inbutus; regeneratus est ex aqua; et spiritu sancto; regeneratione sancta qua regenerare dignantur solitus est deus; humanum genus.

Regeneratus autem sanctus iohannes sacro fonte. institutus est lector; et permansit in aecclesia annis tribus; deinde despexit cunctas opes saeculi praesentis. omnem mundanam gloriam. universa oblectamenta omnes affectus carnis sprevit. fervens amore divino.

Commendans tamen tutori omnium deo; viventes in carne viduam matrem suam; ac sororem propriam virginem; et sciens. christum factis implere illa propriis verbis edita promissa; Amen dico vobis; quod vos qui relinquentes omnia terrena; et sequentes me; centuplum accipietis in terris; et vitam aeternam possidebitis in coelis. elegit totis viribus

suis placere deo. Muniensque totum se victricibus semper existentibus armis sancti spiritus; ut verus preliator vir. evincere invisibilem atque indesinentem acerrimumque cunctorum hostem bello aggressus est. et devicit hoc modo. Iugiter sanctis viris aderens; creberrimis diutissimisque vigiliis et orationibus ac lectionibus sanctis insistens. in nudam humum cylicio indutus iacens. nimis ieiuniis conficiens carnem suam. et cuncta his similia propter deum libenti animo patiens.

Non erat enim ita per haec validissime debere hominem adherere; volentem deo contendere corpus suum. ne revelare que ad animae illius. et impediat desiderantem possidere dominum. ac possideri ab eo uti conteruntur spice frumentó plene. Quibus in paleis redactis; nutu divino flante vento. triticum ab his segregatum; mundum cum hilaritate delatum. iam reconditum in horreo. Nec hoc latebat virum dei chrisostomum iohannem; quod nisi laboribus nimiis fracta viribus carnis; cuiuspiam servi dei ut ratio competit deficiat; sic adversetur spiritui eius; sicuti ascensori suo adversatur equus; nisi congrue ab eodem sessore frenis ore teneatur. et calcaribus retinens voluntatis; stimuletur.

Edomans ergo servus domini iohannes carnem propriam; sancta intentione ac vehementi sufferentia variorum cruciatuum; exuperabat domini amminiculo; adversantia cuncta. Tanta vero perseverantia in se crescere satagebat gratiam sibi a deo praestitam; ut nimis mira res esset; quod intra brebe tempus excelleret; etiam eos qui ex multis annis huiusmodi agonem arripuerant. Deest enim indigentia; multitudinis annorum; ei cum vult et prout vult; opitulatur deus. Erat ergo valde mirum; cernere predictum hominem iohannem in corpore adhuc constitutum. vitam iam angelicam agentem. et sanctarum virtutum in corpore aurum verum emulatorem omnimodo existentem.

Ad quo etiam prephatus anthiociae urbis papa meletius cernens. pium affectum populi erga illo suadens ad speluncam. talia clamitabat. his bere beatis; egredimini fructuosi vineae christi operatores. Relinquite cavernas petrarum; abditaque loca; et adventantes devoti. stabilite gressus vestros in aula dei. solidate animas infirmantes super vivum ac validissimum lapidem christum. Vosmet solos ipsos velle salvari. pigrórum est operariorum opus. De vobis soli vos curam gerere. nocere est proximis; vobis estis solis noti. solis vobis et magistri. si solis vobis estis absque temptatione. vobis solis et munimen. si vobis solis semen est et spicae; solis vobis et apothecae in fame non sufficientes.

Christum non propter semetipsum crucifixus est. set ut innumeros efficeret salvos; imitamini ergo eius vestigia. En quemammodum paraliticus ad christum quondam per tectum depositus est. ita nunc civitatis populus intra limites vestros descendit. Ut christum quodam secus viam sedente coeco. et hunc fide ac voce sua coeptum iter peragere; prohibentes. populus comitabatur. sic modo vos adiit populus salvari per vos confidens. Confirmate pusillanimitatem eorum. curantes illorum egritudines. Haec audientes magnanimes milites dei; quasi filii patris obedientes. secuti sunt patriarcham meletium. Et erant uno animo in ecclesia; gratia et sapientia proficientes. Aliquanto vero transacto tempore; summus basilius levita consecratus ad cesaream reversus est civitatem. Et remansit solus chisostomus iohannes vir domini. ut remanens bos solus ferens honus; a socio suo disiunctus. sed socium honoris huius optinuit; salute populus egens. Inter haec nimio eum pervadente frigdore. insensibilia sunt reddita eius genitalia membra; renes videlicet; et ea quae sub albo sunt. Non autem iam sibi sufficiens congruam utilitatem impendere. infirmitatisque doloribus compulsus. discedens ab antris rediit ad ecclesiasticum portum. et hoc sine dubio salvatoris providentia gestum; pro utilitate aecclesiae. Inde sanctus iohannes consecratus in diaconium per meletium serviens; altari; tribus ac duobus annis.

Noverat autem hic vehementi litterarum peritia eruditus; quoniam miser est qui verbis tantum docet nosse homines bona dei; et quod plus miser sit sciens ea solum; et silens ex his et quia miserrimus existens. nec sciret volens illam. Et beatum esse sapiebat nescientem divina iussa; descripta legere sed tamen pie factis propriis ea implendo docente homines; beatissimum etiam fore sentiebat eadem; et sacris sermonibus operibusque sanctis hoc idem simili modo agentem. Quia ergo haec singula sciebat. ut dixi; beatissimus iste iohannes unicuique solere contingere pro meritis suis; celsa di-

spensatione. bonaque a propria infantia divino plus dono quam hominum eruditionum; vel sua meditatione didicerat pio animo; veraciore sancto opere scilicet proprio. indesinente quos et quod volebat; docebat proximos sibi. Esurientes sine dubio pascens; sitientes potans; peregrinos suscipiens; nudos bestiens; laborantes adiuvans; imbalidos confortans; ruentes erigens; oppressos relevans; periclitantes liberans; merentes consolans. Talia his similia quibusdam in animabus; plerisque in corporibus propriis; aliquibus in anima et carne propria patientibus adversa; compatiens omnibus pene omni vita sua secundum virtutem suam; carnaliter et spiritualiter auxilium prestabat illis. Congaudebat vero et congratulabatur plurimum; firmistantibus; quietis; felicibus; ac pie per omnem modum viventibus. Secularium tamen prosperitatibus; iuxta condignam singulis rebus; et deo placitam rationem colletabatur.

Tempore quo ad declarandum veram catholicam fidem; et coronandum per martyrium innumeros servos dei; deo permittente mortale pessime credulitatis venenum versutus hostis seviens. ad suam perniciem refundere studebat simplicibus animabus; per sectatores hereseos arrii alexandrini quondam presbyteri. in quorum sensibus redundabat ipsum tale virus; evocatus sanctus meletius patriarca anthiocenus; cum festinatione perrexit ad predictam heresim exterminandam; et ibidem presentem finiens vitam. ad perpetuam pervenit vitam. Diffundebatur autem nimium longe lateque fama virtutum sancti crisostomi iohannis. per ora omnium crescentibus eius sanctis meritis. de die in diem. Qui post predictos quinque annos quos in diaconium sancte transegit. ordinatus est presbiter. a flaviano antiociae papa; successore sancti meletii. Quod sacerdotium tenuit per ter quattuor annos; sanctius per omnia vivens tractatu; sermone et actu. sibi ac proximis. Inter haec dormivit in domino beatissimus nectareus; constantinopolitanus episcopus; et querebatur a cunctis civibus ipsius urbis; qui deberet eligi ad consecrandum pro eo antistes. ad divini gregis salutem. Tunc aliquanti solo generali nomine viri; sed non viri virtute presbiteri; ab hominibus constituti; sed tanto talique honore indigni pontificatum optinere desiderantes. accedentes ad quosque potentes. multa et magna munera promittebant se esse daturos. Alii et presentia dona afferebant illis rogantes singuli adiuvari se ab eis. apud imperatorem arcadium; et praesentes episcopos; ac residuos omnes pro hac re. Orthodoxus vero quisque curiose perquirebat virum; aptum deo et hominibus existentem per omnia. ad constituendum pontificem. Quo tempore post augustum; tenebat rem publicam eutropius spado cubicularius; et comes imperialis. qui et innotuit studiose beatum iohannem propriis verbis in regia urbe. cunctis idoneum sollicite querentibus habere sibi rectorem. Innotuerat enim sanctae virtutes beati iohannis; predicto eunucho iter habenti aliquando per anthiociam; augustalis iussione occasione; hic ergo persuasit deo; cuius nutu fiunt omnia bona; prestante animis imperatoris. et pontificum ac populi; scribere litteras et mittere ad priores anthiociae; per quosdam gloriosissimos gloriosos missos. Hoc praecipiendo. ut cum summo honore et sub omni celeritate ascendere facerent. ex anthiocia constantinopolim; sanctum chrisostomum virum iohannem; quem deus omnipotens ac pius a propria repleverat gratia.

Et legatis regalibus festine pergentibus anthiociam; pene omnis populus regalis civitas; ita sitiebat cito cospicari ad se venientem eum quem ignorabat. quasi iam agnitum eum a se. Et velud oves balantes ad vocem pastoris sui; et currentes ad illum. saturari cibi cupientes per illum; sic et isti desiderabant repleri doctrina chrisostomi viri iohannis. Delatoribus autem regalium litterarum anthiociam ingressis; innotuerunt omnibus civibus ipsius. regalia praecepta; que regales continebant epistolae; de viro dei chrisostomo iohanne. Et mox omnium illorum factus est magnus multusque plantus; super fraudatione; qua fraudari se cognoverunt; tanto talique viro. qui lingua; studiis; exemplisque propriis ostendebat eis viam; per quam ire possent ad dominum. Ve inquiunt nobis; ammittentibus aurum obrizum; perfulgidum margaritum. pretiosissimum amictum; ac precipuum cunctis humanis opibus opus; quo indigni fuimus perfrui. et quia transgredi nequiverunt in aliquo; imperialia iussa opere completa sunt.

Deducens vero anthiocie multitudo beatum virum chrisostomum iohannem; cum legati augustalibus honorifice. clamabat ei. quis o pater; micis

sanctarum doctrinarum de mensa christi; et dulciarum poculo; amodo recreavit. Deum omnia iuste disponentem; cum hoc in me placet fieri; quis diiudicare audeat; vel quis resistat illi. bonam tantum voluntatem illius facto complentes; confidite in eo; et tuetur vos a pravis; ac ditavit bonis. Gaudete tamen si vobis fons ut dicitis fui; quoniam vestra aqua ab alieno populo; queritur auriri. His ipsius verbis refrigeratis quodam modo animis suis; vale facientes ei; regressi sunt ad propria; quasi quidam milites ex castris; absque victricibus armis. Sanctus autem pater noster chrisostomus iohannes; cum comitibus suis legatis regis ministrantibus sibi. ut solent domino proprii ministrare servi; ascendit constatinopolim. tamquam sol clarissimus illuminans detrusos in tenebris. Quem summum virum cum ingenti honore et gaudio multo; suscepit arcadius imperator. universaque constantinopolis civitas; tamquam a deo missum; ac sibi donatum. Consecratus vero est ad officium summi sacerdotii gerendum; a theophilo alexandrino papa; atque in sede constantinopolitane ecclesie locatus. Qui quondam in lumbis patris ut aaron sanctificatus fuerat; sacrificare deo.

Abstinebat vero se idem sanctus vir iohannes a cibo et potu; etiam in episcopatu positus. amplius quam ante. propter quod pene omnia membra illius; extenuata et desiccata erant. vene eius apparebant; contracta cutis ossibus adherebant. Sed et in reliquis omnibus sanctis virtutibus. in quibus a primeba etate sua vivebat; excellentissime de die in diem proficiebat atque crescebat usque ad extremum vitae suae. Inter quas virtutes animi. secundum deum viventes; optime amplectebatur. Incredulis secundum inspirata divinitus. prophetis; aevangelistis. atque apostoli dogmata recte credere; deumque verissime diligere persuadebat. Diffidentes; constantes; desperantes; sperantes; alitabat. Insipientes; Sapientes; Ignaros; scientes. imprudentes; providos; oblibiosos; memores; et leve sensu graves exhibebat. Iracundos; pacatos; asperos; lenes. invidos; congratulantes. prosperitatibus fratrum odientes proximum; dilectores proximorum constituebat. fallentes; veraces. maliloquos; silentes. ingratos; gratiosos efficiebat. Somnolentes; pervigiles. pigritantes; bonum nosse loqui seu agere. citatos et neglegentes studiosos reddebat. Corde duros et contemptores virga aspere increpationis feriens corrigebat. Virgines in virginitate permanere statuebat. amplissimam esse apud deum virginitatis gloriam studiis sermonibusque precedentium sanctorum patrum affirmans. Edaces et bibaces; largos; superfluos; moderatos sancibat. Inhonestos; cautos. ludentes; penitentes. Ridentes; lugentes ordinabat. Luxuriosos; castos. pollutos; mundos. miseros; beatos faciebat. Invalidos; valentes. egros; sanos. instabiles; fixos. mestos; letantes assignabat. Haec universa cavere mala; sectari bona. ore predicabat fratribus; actu ostendebat. atque salvatore omnium in uno quoque fieri; prece optinebat. Inter quae construxit etiam spatiosa loca egrotis atque advenientibus peregrinis excipiendis. Et constituit duos reverendos presbiteros; medicosque et cocos. et commodos ministros ab omni negotio saeculi alienos existentes deputavit. Ammonens eos omnes; multam de his curam gerere pro qua copiosum a domino; ac perhenne forent accepturi premium. necessaria vero his existentia cuncta; de rebus episcopi largiri praecepit. quae omnia iuxta apostolum paulum ad gloriam dei fiebant; ipso cooperante; pro quibus cunctis studiis suis; ab universis dignis deo mentibus maxime diligebatur.

Mox autem ut pontifex est constitutus isdem sanctus iohannes; deprecatus est deum diffundere in se gratiam spiritus sancti. Qua misericorditer sibi auxiliante; omnis divinitus inspiratus perfectissime posset interpretari scripturas propheticas procul dubio evangelicas; atque apostolicas. Quarum nova interpretatio ab ipso facta; in voluminibus descripta. animos cupientium scire sensum earum pene instrueret. Ad quod opus insigne complendum per ipsum; sancta eius deprecatio exaudita est. Predicabat vero solito sanctus iste spiritalis pater noster. chrisostomus iohannes; per omnem diem ea que ad salutem vitaque anime et carnis pertinent clero et populo; more scolastica quo ab infantia edoctus erat. Cuius dictorum sensum qui poterant intellegerent; ammirantes gratulabantur. Non cognoscentes illum; grave habebant quia non per sermones illis aliquo modo notos sed sollicitos loquebatur. Propter quod quadam die quedam mulier de presentibus coram ipsis elevata voce dixit ad illum. beata plane est sancte pater vox verborum; que de labiis tuis exeunt. sed plus beata mens tua; quae istis

exercetur. sed beati qui tua possunt optima intellegendo ebibere verba. Da tamen sitientibus animabus limpidissimam aquam bibere; de fonte tuo. Doce bona discere desiderantes; per cognita illis. quocumque modo et solita vera abundantes multa sapientia sermonis tui. fiant illis apti ad bibendum; idest cognoscendum. Labores tui sint fructuosis in omnium mentibus; omnes sentiant virtutem bene pluentium; quod bona loquentium labiorum tuorum. Ecce ego derelinquens omnia opera mea; delectantem multos ad locutionem tuam. festina veni audire; desiderans doceri veritate per te. Ut sitiens currerit ad dulcem fontem satiari concupiscens potu de illo. Sed quia de verbis tuis nullum potui sentire verbum; pro quibus multum istius diei sine omni lucro ut arbitror duxi. tristis revertor ad propria ut redit sitis ardens; et querens potum nec inveniens guttam. Haec audiens vir dei chrisostomus iohannes; convertit solidam et vivam labiorum suorum petram in fluvium bibende aque clausam multis et veram allocutionem suam fecit claram esse doctrinam ad cognoscendum sapientiam. Et seminavit agros incultos; docuit homines non litteratos. et plantavit vineas; hoc est bonas actiones. et fecit fructus plurimos nativitatis nove bonitatis in singulis. Et adiuvabit pauperes sensu; non facientes fructum sermonum sapientiae. Et posuit sicut oves tranquillas; familias populi sui proprii pastoris bene audientes et cognoscentes vocem.

Dignum est etiam hoc opus eximii patris iohannis; nos non preterire. sic quippe ad agenda sacrarum missarum solemnia; stabat pavens ac fixus corde et corpore toto uti divini. munditiis circumdatus; velud facie ad facie videns deum. Quoniam utique semper obserbare debet omnis homo; omni procul dubio virtute propria timere deum. et voluntatem eius in omnibus comprehendere qui totus ubique semper est. Tamen per omnia fixi stare devemus ac tremere; quando laudamus aut oramus deum. et aliquem vel aliquos sanctorum qui presentes ubique sunt. Sed et cunctis terrenis rebus silens; agebat sanctus iohannes sacra dei misteria. Cunctos quoque pari modo de secularibus expedit causis tacere; divina aliqua operantes. qualem autem scriptura nobis tradidit samuelem fuisse; talis hic deo angelis et hominibus placens. dilectus videns verax ac fidelis; et tamquam abraham. patriarcham. Qui diaconos secum stantes horis sancti sacrificii; pavidos inmobilisque stare iuvebat. et nec signo quidem aliquo; quantominus verbo permittebat quempiam clericorum rem aliquam indicare; assistentibus sancto altari. Temporum sollemnium missarum precipue dicens plena esse sacraria sanctis angelis. ab invisibili acerrimoque hoste defendentibus et iuvantibus per cuncta presentes. ut digni fiant sumendis inestimabilibus sacramentis; pretiosissimi corporis ac sanguinis ihesu christi. Ob summa plane humilitatem suam; testabatur quod didicisset haec ita esset; sanctis referentibus patribus. Que tamen ut aliorum patrum revelatione cognovimus; ipse contemplari solebat. Qui multis vicibus in extasi raptus; cernebat mirabiles et praesagas res stupens. Et post paululum rediens ad se; praedicabat multa futura. que rerum sequentium; post firmabat affectus. Talis erat ardens ac perlucida lucerna; oculusque totus orbis iohannes patriarcham summe hierusalem. Exemplum in cunctis bonum; se ipsum prebens hominibus. Tunc autem perfectis discipulis cum boni magistri secuntur exempla. Non enim tantum verba; quantum actus discipulos acuere consuevit. Misertus vero augustus mulieri viduae ab eo relicte; dimisit illi habendum de agris viri sui agrum unum grandem vinetum; ad nutriendum se. Qui ager erat circa mare prope urbem; adherens imperiali agro. At quem regalem agrum egressa ibit regina eudoxia uxor regis arcadii; tempore vindemie. atque inspexit optime viduae vineam; quam complacentem sibi statim ingressa est et ammirata. abscidensque ex ea botrum de magnis unum gustavit gaudens. Cuius mox ut gustu delectata est fauce; derelicto ablationis vineae ipsius capta est mente. Puto quod vetustus hostis; qui evam vetite in paradyso arboris ad vescendum suabis. et ad videndum pulcre existentis fructum; in primordio mundi edere per serpentem seduxit; idem per saporem ube simile immisit huic mulieri desiderium ad auferendam vineam viduae. Quam tollens vi. novam insuper legem instituit. quippe quod alienatus esset deveret dominus agri; ab eo agro ex quo imperiali manu fructus letus fuisset. ac regali ore commestus. et stimulandum esse palatio eundem agrum. Quam suae notitiae hominum novam ini-

quitatem; vetustam legem sic diffamare precepit. quasi vetus a praecedentibus regibus constituta lex est. Porro egit hoc iniqua mulier similis ieczabel; ut revelaret nequitiam suam hominibus quam nec deo neque sanctis revelare valebat. Audiens vidua quoniam agrum de quo vivebat iniusto iudicio imperatrix abstulit; nec valens ei resistere viro dei chrisostomo iohanni qui erat directus regi eidemque regine per scriptam et missam tabulam; vociferabatur. Defendi se ab iniqua augusta; opprimenti se. cum lacrimis multis talia clamitabat; Defende me o pater ab adversante michi imperatrice. Per doctrinam tuam christum dominum aeternum dei filium; saecundum divinitatem non creaturam existentem. confidente viro meo. per arriane hereseos sectatorem validissime odientem nos. cunctam substantiam nostram perdidimus; et pro fide christi vir meus in alienam patriam nolens ductus; et mortuus ac sepultus est. Ante quem defleam? ante quem defugiam? nisi ante te plangam adiutorem viduarum et pupillorum; nisi ante te confugiam; docentem nichil iniustum agere. Ad te qui predicas; neminem apponentem cor. ad affluentes divitias. Ad te ammonentem; res pauperum non concupiscere. Quod doces; fiat per te pater. Quod ammones; compleatur per te sanctissime. Quod consulis; efficiatur per te iustissime. Vidua tibi laborem imponit; defende eam non accipias faciem potentis; loquere imperatrici; non erubescens loqueris creatori ac rectori omnium; non verecundans. Loquere fiducialiter potestati terrestri; qui loqueris confidenter caelo terreque dominanti. Loquere eudoxiae pro vidua male patienti; sicut loqueris aecclesie terrena despicere et celestia desiderare deventi.

Haec audiens vir dei chrisostomus iohannes a vidua compatiens illi. lacrimavit; sicut super lazarum lacrimatus est christus. Et praemisit multas preces ammonitionemque auguste pro vidua muliere per eutichicum archidiaconum dei; amicum suum sincellum; idest cohabitantem sibi et dispensatorem; suavem virum in omni opere et loquacem; ac mitigare scientem insaniam furentium. Quoniam dimittere non poterat sine defensione afflictam et clamantem; que iniustae violentiam patiebatur qui solebat et hortabatur diutissime oppressos tueri; afflictos consolari. iniustaque non fieri. Qui etiam cupiebat reginam per deum feliciter; cum rege marito ac filio utriusque theodosio; in perpetuum regnare. Quem theodosium beatus iohannes; parvulum in natale sancte individueque trinitatis sacro fonte baptizans. lavansque ex eo susceperat. Iusta preceptionem igitur beati viri adiens venerandus levita reginam allocutus ei. ut redderet vineam viduae. Cui fallaciter augusta respondit; secundum morem detinemus vineam pro qua loqueris; sed davimus pro ea viduae agrum alium.

Redeunte vero diacono absque affectu rei; et renuntiante verba regine. perrexit sanctus iohannes ad palatium. Et ingressus cubiculum imperiale; nimium pro redditione praedicti agri deprecans ammonensque imperatricem. optinere apud eam nil valuit. Convertit se ad increpandum eam dure. terrens illam; malis que pati solent in presenti et in futura concupiscentes et auferentes alienas res. sed per haec illa mulier mala ut apostolus ait; profecit in peius. Denique animo commota furore praecepit sanctum iohannem egredi cubiculum. Qui egressus rediit ad patriarchiu. et iussit eutichico levite ne cum veniret imperatrix ad ecclesia; sineret eam eundem sanctum locum intrare. Insuper diceret sanctum iohannem hoc sibi facere iussisse; quod ille sic fecit. At illa maiori succensa ira; atque ab amore ad inimicitiam nimiam prolapsa. querebant ex tunc occasione invenire adversus eum; qua posset facere ut sacerdotali dignitate per pontificales sinodum privare illum; et ex urbe regali pellere. Instigabat enim eam pessimarum indesinens licium auctor demon. Nullo modo sustinens fugam a se illorum; quos ob erroribus illius. verbum dei pro sua misericordia per sanctissimum virum chrisostomum iohannem segregans; ferventissimos sibi amore copulabat vel copulaverat.

Qui beatus iohannes; prius quam pertingeret comanam urbem; antequam perveniret ad locum sancti basilisci martiris et episcopi eorundem comanorum. obvians ei apparuit in somno ante unam diem gloriosissime finis eius; hisdem sanctus martir. Dicens; frater iohannes; confide; et gaude et letare concertator magne; crastina die egredieris de vita tediosa et temporali. et raperis ad paradysum; gratissimae eterneque vite. Et sociabuntur sanctissima ossa tua meis. et sanctorum martirum eutropii et rufini; et colluthi ossibus; et tempore apto; redu-

cetur sanctus corpus tuum ad sedem suam. non enim acquievit iustissimus iudex deus; iniquissimo iudicio iniustissime eversionis sanctissimi sacerdotii; et durissimi exilii tui; gloriosissime per omnia vir dei chrisostome. Quomodo enim possibile erat synodo. que non conveniebat cum dei consilio; stabiliter condemnare te; aut in medio eorum qui in nomine christi non erant congregati; nec loquentes de te in spiritu sancto; venire deum ut scriptum est. veni ergo exultans ad perpetuam quietem. Ibi gloriaveris anima sancta; et epulareveris caro beata. Omnia bona domini; tibi hereditate donata est; pro eo quod fortiter decertasti adversus malignos. Custodi etiam loci sui beatus basiliscus apparens in somnio dixit; prepara locum magno martyri iohanni. in quo quiescat. nobiscum veniet enim. Exurgens autem sanctissimus iohannes a somno; certissimus ac letissimus de divinis promissis; rogavit ductores suos; non moveri de loco ipso. cui unus ex ipsis absentire voluit; alius noluit.

Euntibus autem ipsis; et cum omni crudelitate hunc trahentibus; more suo deum obsecrantem; erupit repente pluvia et grando de coelo super terram. At illi non valentes pergere. nec devertere quemquam. neque in via subsistere; necessitate subacti; reversi sunt ad locum prefatorum sanctorum martyrum. Ubi dispoliavit se sanctus iohannes omnibus vestimentis. et discalciavit se calciamentis suis. Qui se a propria iuventute nudaverat mundissimus omnium rerum visibilium; vestitus vestibus; calciamentisque calciatus mundis; signans se atque orans dominum; cui sacrificium erat ipse iuxta psalmistam. totus communicavit se sacrificio. sacri corporis ac sanguinis dei et domini nostri ihesu christi. Solitumque sibi verbum dignissime dicens; gloria deo in omnibus; responso amen. dolens capite collocavit se. Quem commendans in manus coronaturi illum dei; sanctissimam animam suam reddidit. eidem creatori. rectori. tutori ac possessori omnium. Que ferentibus illam divinis nuntiis; letissima festinans penetravit celos; ex tunc optime victura. epulatura. regnaturaque perpetuo cum christo. Sed et carnem cum qua contra hostes decertavit ac devicit; eos divino iuvamine; post deo iuvente ac prestante vivificavit. In die scilicet quo statutum ab eo; cunctos revivescentes tunc in carne sua priori; iustos; pios; pessimos; in examine iudicari; unumquemque secundum meritum suum. et convivens ex tunc sanctus iohannes; carni sue congaudevit et conregnavit ei; et universi sanctis propriis carnibus sine fine.

Locellum quoque in quo cadaver imperatricis; inimice viri dei chrisostomi iohannis locatum est; non cessavit commoveri; donec post annos triginta et tres. cum immensis magnisque precibus et ymnis. ac luminaribus; reduceretur sanctum corpus beati viri iohannis. a loco in quo quiescebat; ad urbem constantinopolim. qui beatissimus iohannes idis novembres; qui est dies tertius decimus eiusdem mensis obiit. completis in exilio annis tribus; et mensibus duobus. Cuius ab egressione sua de utero matris suae; totius temporalis vitae in hoc saeculo fuit quinquaginta duorum annorum et octo mensuum. Huius sacratissima ossa; octabo decimo kalendas december; qui est dies quartus decimus mensis novembris; sociata sunt sanctis praedictorum martyrum ossibus; ut ei promiserat sanctus basiliscus. et custodi sancti loci sui iusserat. His sanctissimus iohannes estimatur a quibusdam in paucis annis tractatu; dictis factisque complésset universa placentia deo. Et propterea putant esse completam in illo; propheticam illam salomonis sententiam ita dicentis; consummatus in brevi explevit tempora longa. placita enim erat deo anima illius. Propter hoc properavit educere illum de medio iniquitatum. Hic sensus propheticus etiam in sanctis innumeris; qui paucissimis annis hic vixerunt; devet intelligi fuisse completus.

EX CODICE CXLIX.

PASSIO S. MERCURII.

(Pag. 267)

Decius ambitionis inflammatus libidine . . . . . in virtute et gloria domini nostri ihesu christi. Per idem tempus auctoribus illius nefarii edicti talis accessit e vestigio clades ultionis. Igitur evoluto iam biennio deciani imperii. ad puniendum inimicos suos omnipotentia christi domini bellicae nequitiae spiritu gentium mentes excitans. in armis eos accendi permisit. Repente nanque laxatis habenis infinitae barbarorum phalanges. clandestinis eruptionibus romanos fines incunctanter pervadentes. igni ferroque depopulabantur. Cum subito tristi nuntio decius correptus. animo concidebat. totaque urbs exterrita. metu maximo trepidabat. non minus utique. quam gallorum exundatione vel hannibalis adventu quondam pavore consternata fuerat. Quorum multitudo hoc argumento conici potest. quod imperatores tanta formido perculerit. ut unus nequaquam exire praesumens. uterque copiosas undique contrahentes armatasque militias. adversus eos simul acies direxerint. Deorum itaque suorum auxiliis freti. magnisque viribus fulti. in abrittum confluunt. quo perturbatis animis impetu hostium. dum per devia passim amentes multo terrore romanae legiones cederent. decius eventu rei anxius. inter confusas agminum turbas manifesto dei iudicio palustri profundo summersus delituit. ita ut cadaver eius usque in praesentem diem inveniri nequiverit. Filius vero ipsius praelio fusus. et hostibus ludibrium. et diris alitibus escas miserabiles praebuit. Cum quo etiam simul palantes oberrantesque christiani nominis obtrectatores. prophanatores. accusatores. delatoresque complurimi digna punitione consumpti sunt. Hanc mercedem idolatriae tyrannus uterque recepit. Haec pro cultibus daemonum utrique data retributio. pariterque eorum sequacibus. Hanc dumtaxat ultionem sanctorum suorum exhibuit qui dixit. Michi vindicta ego retribuam. christus dominus vivens et regnans deus cum patre in unitate spiritus sancti. per omnia saecula saeculorum. Amen.

EX CODICE CLII.

LIBER S. JOANNIS CHRISOSTOMI, ET VITA S. BRENDANI.

Pag. 27 — INCIPIT LIBER SANCTI IOHANNIS DE REPARATIONE LAPSI SEQUITUR. AMEN.

Quis dabit capiti meo aquam. et oculis meis fontem lacrimarum? Oportunius nunc a me quam tunc a propheta dicitur. Licet enim non urbs inclita nec gens integra. lamentanda michi sit. anima tamen flenda est. multis gentibus nobilior. multisque urbibus preciosior. Nam si eam unus fecerit voluntatem dei. melior est quam multitudo iniquorum. melior ergo et tu eras quondam quam multitudines iudeorum. Propter quod nemo miretur si forte prolixioribus ego nunc utar lamentis. et maiores profundam fletus quam tunc propheta profudit. Non enim urbis ut dixi capte excidia defleo. nec vilis vulgi captivitatem lamentor. set insignis anime lapsum. et templi in quo christus habitat excidium. si quis enim ornamenta anime tue novit. que nunc dyabolica flamma consumpsit. si quis templum corporis tui contemplatus est. tunc cum castitatis splendore fulgebas parvam profecto et inferiorem illam propheticam lamentacionem putabit. in qua barbarice manus sancta sanctorum polluisse deflentur. et sacras edes populatus hostilis. ubi cherubin et archa. et propitiatorium. tabuleque lapidee. et urna aurea lamentantur. Hec enim lamentacio qua ego defleo. tanto illa durior et amarior quanto verius cuncta hec et evidencius in tua anima quam intra parietes templi erant; hoc sanctius multo fuit quod in te erat templum. Non enim auri et argenti metallo sed virtutibus animi et dono spiritus sancti radiabat. Habebat enim archam intra se. et duo cherubin. idest fidem patris et filii et spiritus sancti sitam. Sed nunc nihil horum in te est. Ablata sunt cuncta hec ab anima tua. nudata est omnibus ornamentis suis. cunctisque que divinis fuerat muneribus consequuta remansit spoliata deformis et turpis. Periit ab ea omne munimen. et omnis custodia. non iam ostium clauditur. non servatur ingressus. set patet omnibus malignis spiritibus ad corruptelam anime festinantibus. Nulla inde turpis cogitacio. nulla cupiditas feda repellitur set si venerit fornicacionis spiritus ingreditur. si iactancie. si avaricie. et si horum nequiores et impuriores venerint nemo prohibet. nemo propellit. Nullus ei custos. nullus remansit edituus. Nam sicut prius ad celi secreta nullus huiusmodi malis indulgebatur accessus. ita nec ad purissimam mentem tuam penetrare poterat ulla contagio. Sed fortasse incredibilia videar loqui apud eos precipue qui priora tua nesciunt. sed hanc que nunc est anime tue destructionem vident. Inde utique est quod ego inremediabilibus lacrimis plango. quia novi et incessabiliter lugeo. dum recordor; usquequo iterum repedare te videam ad prioris glorie statum. Quod et si apud homines impossibile videtur apud deum tamen omnia possibilia sunt. Ipse enim est qui allevat de terra inopem et de stercore erigit pauperem. ut collocet eum cum principibus populi sui. ipse est qui facit sterilem in domo super filios letantem. Non ergo dubitemus. neque desperemus mutari te posse in melius. Si enim tantum potuit diabolus. ut a celsis virtutum fastigiis in profundum malorum te duceret. quanto magis poterit deus ad summum te bonorum verticem revocare. et non solum in id te restituere quod fuisti. sed et multo beatiorem quam prius videbaris efficere? Tantum est ne concidas animo; neque spem tibi

ascondas bonorum. Ne queso accidat tibi quod impiis solet. Non enim multitudo peccatorum animam in desperacionem adducit. sed impietas. et propterea salomon non dixit. omnis qui venerit in profundum malorum contempnet. set impius inquid cum venerit in profundum contempnet. Impiorum ergo est desperare salutem. et contempnere cum in profundum malorum venerit. non peccatorum. Impietas enim non sinit ad deum respicere. et illuc redire unde lapsi sunt. Ista ergo cogitacio que spem conversionis abscidit. ab impietate descendens. et sicut lapis gravissimus cervicibus anime incumbens. semper eam in terram deorsum cogit respicere. ad deum vero non sinit sursum oculos levare. Set virilis anime. et praeclare mentis est deicere cervicibus anime sue pondus inimicum immo deprimente se abicere diabolum. et imperare anime sue. ut canens verba prophetica dicat ad dominum. Sicut oculi servorum in manibus dominorum suorum. et sicut oculi ancille in manibus domine sue. ita oculi nostri ad dominum deum nostrum donec misereatur nostri. Miserere nostri domine miserere nostri. quoniam multum repleti sumus despectione. Preclara vero in his verbis celestis philosophie doctrina est. Repleti inquit despectione. Hoc est quod docere voluit. quia et si peccatorum multitudine repleti sumus despectione. atque obprobriis adoperti. oculi tamen nostri ad dominum nostrum sint. donec misereatur nostri nec prius ab obsecracione cessemus quam peccatorum veniam impetrare mereamur. Hoc vere est constantis animi. et pertinacis. ut nequaquam lasescat a perseverancia deposcendi. desperacione impetrandi. set persistat et perseveret in obsecracionibus donec misereatur nostri. Et ne forte arbitreris te offensam magis contrahere apud deum. si cum non merearis audiri inportunius persistas in precibus. recordare evangelii parabolam. et ibi invenies quod perseverantes. et importunos precatores. dominus non sibi ostendit ingratos. Ait enim. quia et si non dabit ei eo quod amicus eius sit propter improbitatem tamen eius surget. et dabit ei quantum opus habuerit. Intellige ergo karissime quia propterea diabolus desperacionem subicit impetrandi. ut spem nobis dei bonitatis abscidat. que est salutis nostre anchora. fundamentum vite. dux itineris. quo ad deum regredimur. Denique apostolus dicit. Spe autem salvi (facti) sumus. Spes autem que videtur non est spes. Spes ergo est in qua salus nostra subsistit. et que de terris (animas) velut quibusdam cathenis celitus dependentibus innexa(s) evehit ad superna. et evocat ad celestes sedes eos qui sibi vehemencius inherent. celsioresque eos vite huius ac terrenorum malorum turbinibus reddit. Si quis vero in his positus resolvatur animo. et salutaris spei anchoram dimittat e manibus decidat necesse est. et in abyssum. profundumque malorum necetur. Quod cum senserit inimicus. et viderit nos peccatorum nostrorum multitudinem perhorrentes. increpacionibus etiam ipsius conscientie deterreri. accedit. et ipse cogitacionesque nobis subicit desperandi. plumbo. et omni arena graviores. Quas si receperimus. necesse est nos statim pondere ipso abruptis nostre salutis retinaculis. in profundum demergi malorum. In hec ergo et tu deiectus. boni et mitis domini precepta nunc spernis. crudelis autem et immitis tyranni atque inimici salutis tue voluntatibus pares. Abiecisti onus leve suavis et mitis domini. et pro eo molam asinariam collo tuo suspendisti. Abiecisti suave iugum christi. et duras ac ferreas pro eo cervicibus tuis imposuisti cathenas peccatorum.

Sed quousque pertendis? Sta iam et desine infelicem animam sine ullo respectu. sine ulla recordacione demergere. Quousque perurges eam; et precipitas in interitum tuum? Et ut mulier quidem illa que in evangeliis dragmam quam perdiderat invenit convocat amicas. et vicinas ut congratulentur ei. Ego convocabo amicos meos. tuosque ac vicinos nostros. et deprecabor eos convenire. non ut gaudeant sed ut lugeant mecum. non ut gratulentur. set ut lamententur. et ingentem plantum sublatis ad celum una mecum vocibus reddant. Dicam ad eos. Ululate mecum o amici et plangite. profundite mecum fontes fletuum et producite flumina lacrimarum. non quia auri pondus immensum. nec argenti talenta innumera amisi de manibus meis. non quia gemmarum fila preciosa perdiderim. sed quia horum omnium carior. et omni auro. omnique gemma preciosior amicus. qui una nobiscum vite huius pelagus; et mare hoc magnum. et spaciosum navigabat. nescio quomodo lapsus usque in ipsum fertur perdicionis profundum. Quod si aliquis ex amicis consolari me voluerit et a lu-

gendo prohibere. propheticis ad eos respondebo vocibus dicens. Sinite me amarissime flere nec persistatis consolari me. Non enim lugeo pro carnis affectu. nec planctum plango femineum. ubi immoderacio lacrimarum culpabilis videatur. sed illud lugeo quod et magnus ille et mirabilis paulus apostolus lugere se dicit. cum scribit. Et lugeam multos ex his qui peccaverunt et non egerunt penitenciam. Nam eos qui pro communi morte carorum immoderatis plantibus affliguntur. merito quis notabit? Ubi vero non corporis sed anime vulnera lamentantur. et talis anime que in ipsa eciam morte signa prioris pulcritudinis admirandi decoris ostendat. atque extinctum in semetipsa florem virtutum indiciis adhuc spirantibus prodat. quis ita crudelis et ab effectu tocius virtutis alienus est. qui non moveatur ad luctum. non excitetur ad lacrimas? Sicut enim pro morte communi philosophicum est a lacrimis temperare. ita in anime morte et talis anime consolacionem recipere. et insipiens et irreligiosum videtur. Quomodo enim non videtur sine intermissione lugendus. cum is qui omnem pulchritudinem dudum in corporibus tanquam in lapidibus inspiciebat. qui aurum sicut lutum videbat qui delicias cunctas ut cenum respuebat hic subitis febribus libidinis ac voluptate simul arreptus. sanitatem atque ornamentum mentis extinctum habens. virtutibus quidem periit solis vero viciis et voluntatibus vivit. Huncine ego non plangam? Huncine ego non rigem toto flumine lacrimarum. quousque potero fletibus resuscitare sensus eius et vitales aliquos in eo motus tepore eicere lacrimarum? Si enim. qui corpora lamentantur. cum sciant et certi sint. nihil prodesse fletus suos ad revocandam vitam defuncti tamen a lamentacione cessare non possunt. nos qui scimus a morte revocari animam posse per conversionem. quomodo non medicamentum penitencie quo magis patescentibus sepulcris respirare possit lacrimis uberioribus emulemur? Quin immo et ignavie nos arguendos puto. si cum lamentatores corporum mortisque communis tam dure et tam vehementer hoc faciant. certi ut diximus quod non resuscitabunt mortuos suos. nos nihil tale pro anime lamentacione faciamus. quam restitui in statum suum posse per penitenciam noverimus. Scimus enim plures et nostri temporis et memoria maiorum prolapsos ab itinere recto et precipitatos ab ingressu vie anguste ita rursus esse reparatos ut posterioribus priora transierint. atque ad palmam pervenerint et coronam. numeroque (rursus)et choro inscripti credebantur esse sanctorum. Sed donec permanet quis in ipsa adhuc flamma ac fornace libidinum. hec ei impossibilia esse videntur. eciam si mille provocentur exemplis. Si vero fieri ceperit vel parva conversio. et inicium dederit. Penitendi paulatim procedens ad superiora ac pedem (1) illa quidem que vehemencior erat flamma post tergum remanebit. ante pedes vero quanto acrius ceperit incedere. tanto omnia inveniet divini cuiusdam roris sopita refrigerio; tantum ut unum quod precipue inimicum est saluti huic caveamus. Inimica autem est conversioni penitenciae desperacio; quae si insederit menti. quantumvis sit grande salvandi propositum. quantumcumque sit salutis desiderium desperacione occurrente omnes salutis aditus obstruentur. Intercepta enim penitencie via: clauditur etiam salutis ingressus. Et quomodo poterit qui extra via est. et cui ostium clauditur boni operis aliquid implere: cum ad bonorum non veniat ingressum desperacione prohibente? Propter hoc et diabolus omnibus modis molitur huiusmodi cogitaciones plantare in cordibus nostris. Si nos desperacionis metus procul a via veritatis effecerit: nullum ei adversum nos ultra certamen remanebit. Quem enim impugnet. cum nullus obsistat? Qui autem istud resolvere poterit vinculum. continuo vires sue redeunt ad eum: incalescit vigor animi. delectabitur rursus instaurare certamina. Videbit enim fugare se eum quem fugiebat: et persequi persequentem. Quod et si forte ut se habet agonis condicio. rursus labatur aut cadat. non continuo lapsus sui pudore desperet: sed meminerit hanc esse agonis et certaminis legem. non ut nunquam quis cadat (2). quia non ille qui nunquam (3) cecidit victus dicitur set ille ad ultimum cessit. Nam qui cogitacionum desperacionibus victus est; quomodo vel vires reparare certandi vel

(1) *In Cod. CXLIII. legitur*: Si vero ceperit fieri vel parva conversio; et initium dederit reparandi paulatim procedens et ad superiora referens pedem.

(2) Sed ut nunquam cadat, *additur in Cod. CXLIII.*

(3) Sepe, *pro* nunquam *habetur in Cod. CXLIII.*

resistere ac repugnare potest cum fugiat. nec omnino redeat ad certamen? Et nolo putes quia de his mihi tantum sermo sit. qui in paucis et levibus peccaverunt: de illo loquor qui omnibus succubuit malis. qui immanitate sceleris viam sibi excluserit regni celorum. et non de infidelibus fuerit. sed ex his (1) qui prius placuerit deo: post hec autem deciderit. vel in adulteria. vel omnes immundicias que ut ait apostolus turpe est dicere. Nec hunc ego dico salutem desperare; et si ad ultimam huiusmodi malis obsessus pervenerit senectutem. Sed que sit ratio dicti huius asculta. Si ira dei esset passibilis affectus recte diceremus non posse restingi flammam que tot ac tantis (peccatorum) accensa sit malis. Cum vero impassibilem esse divinam naturam definitio veritatis ostendat. intelligere debemus. quia et si punit deus. eciam si penas infert. non hoc cum ira passibili sed cum ineffabili clemencia facit. medentis non perimentis affectu: et ideo valde libenter suscipiet penitentem. Penitencie enim medicamentum si prevenerit curat. et non facit eam ad medicamenta iracundie pervenire pro his que commisit in deum. Non enim propter semetipsum vindicat deus ut diximus in peccatorem quasi ulciscens iniuriam suam. nihil enim tale in se recipit divina natura. sed ad utilitatem nostram facit omnia. Pro utilitate nostra et correctione inducit et penas: non ut se vindicet sed ut nos emendet. Quod si persistit quis in duricia sicut ille qui avertit a luce oculos suos. dampnum quidem luci intulit nullum semetipsum vero tenebris condempnavit: ita et qui per cor inpenitens contempnere se putat virtutem dei. semetipsum alienum efficit a salute. Quod si medicus ab his qui frenesim paciuntur. vel cerebro moti sunt patitur iniurias. et neque dolet per hoc. neque irascitur. sed facit omnia que medendi racio deposcit. quibus cruciari quidem videtur ille qui patitur. porro cruciatus ille non est iniuriarum vindicta. sed cura languentis: denique si parum quid eger proficere ceperit ad salutem. statim videas gaudere medicum. letiusque et alacrius exequi reliquam curam. Nec usquam prorsus iniuriarum memoriam. sed salutis in hominibus gerere profectum. quanto magis deus etiam cum in ultimam inciderimus insaniam. non ulcionis affectu pro his que conmissimus movetur in nos. sed cupiens visceribus nostris inveteratos viciorum curare languores. pro hoc et dicit omnia et agit. cupidus sanitatis nostre non pene. Quod quamvis ratio ipsa cupiditatis sufficienter ostendat. tamen ne tibi de huiusmodi sententia dubitacio ulla videatur. possumus hec etiam de divinis scripturis. quod ita se habeant edocere. Dic mihi quid sceleracius fuit rege babilonio? Qui cum in multis esset dei potenciam expertus. ita ut prophetam eius adoraret. et iuberet ei thus et magma immolari. rursus tamen adversus deum ad priorem superbiam devolutus est. et eos qui imaginem eius adorare noluerunt preferentes veneracionem dei vinctos in fornacem iecit ignis ardentis. et hunc tam immanem; tam impium. provocat deus ad penitenciam. et dat ei convertendi materias. primo quidem ex hoc ipso quod in fornace tribus sociatus apparuit: tunc deinde quod visionem vidit illam quam interpretatus est daniel. que vel sola sufficeret lapidea eciam corda mollire. Sed postquam rebus ammonitus est: accessit eciam sermonum per prophetam cohortacio. Accessit enim et prophete consilium dicentis. Propterea o rex consilium meum placeat tibi. et peccata tua elemosinis redime et iniquitates tuas misericordiis pauperum. fortassis erit paciencia in delictis tuis. Quid dicis ad hec vir sapiens et beate? Post tantos (lapsus) est adhuc reditus ad vitam? Est michi crede. est; quia et post gravissimam egritudinem. atque ab ipso pene mortis confinio redit sanitas. et post desperatam insaniam multi resipiscunt. Ecce enim ut supra memoravimus rex iste babilonius omnes iam sibi aditus salutis excluserat. per id quod deum se fecit. et eum qui se ad regni celsa fastigia perduxit. qui sibi celestium eciam mysteria revelavit. qui futurorum quoque scientiam dedit. et rei tocius archana reseravit (2). ita ut non solum credere videretur. sed in omni orbe deum danielis deum verum esse predicaret. et non solum post hec hunc ipsum negavit. set in tantam rursus insaniam devolutus est ut servos dei qui non adorarent imaginem eius in fornace precipitaret ignis ardentis. et tamen nec ibi quidem

(1) de infidelibus. sed de infidelibus fuerit et ex his *legitur in Cod. CXLIII.*

(2) Qui magicas astronomicas. gazarenas chaldicasque prestigias prophete sui divina interpretatione confudit et ineffabili sacramentum captivi pueruli sapientissima dissertione patefecit, *additur in Cod. CXLIII.*

et remedii eius obliviscitur divina miseracio. set in ipso ut diximus ignis incendio. ubi flammis tradiderat pueros deum colentes. eciam ibi eum non in terroribus set in mirabilibus mitigat. Poterat enim et ignem restinguere et imbrem celitus inundare. set hoc non facit. ne plus accendat insaniam. set permictit in tantum exaggerari flammas. quantum furentis poscebat immanitas. et non inferri prohibet penas. sed potestatem adimit cruciandi illatis. Et ne quis videns non uri pueros putaret fantasma esse non flammas que videbantur. permisit exuri flammarum ministros. eos scilicet qui circa fornacem stabant. ut ostenderet quia vere ignis erat qui videbatur. set erat preceptum dei ignis virtute validius. Omne enim quod est. necessario famulatur ei a quo ut esset accepit. Suscepit ergo ignis ille sanctorum corpora. et precepto dei advolante. nature qua urit oblitus. sola in eis illa parte qua illuminat operatus est. ita ut sanctum ac fidele depositum non corruptum redderet sed illustratum. Processerunt enim de fornace ignis tanquam de aula regali mirandi omnibus et omnibus venerandi. Nullus tunc convertit oculos ad regem purpura et diademate refulgentem; set relictus est a cunctis tanquam si non esset. quia omnium in se mirabiles pueri rapuere conspectus. Quis enim non stuperet. ad corpora iuvenum pavitasse flammas. et non solum viscera refugisse sanctorum verum nec capitis comam quod est omnium fragilius. summam saltim vestimenti fimbriam actigisse; Quis non miretur in eis menbra montibus; vestimenta metallis; capillos adamante forciores? set in eo admiracionis cumulus accrescit. quod in medio flammarum positi ymnum canebant. cum utique notum sit. eos qui traduntur flammis. statim ut os aperuerint absumi. Et illi quidem beati pueri apud deum gloriosi et apud homines mirabiles. rex vero impius nec mirabilibus movetur set permanet incredulus (1). nec tamen punitur. Neque enim vincitur in eo paciencia dei set tempore plurimo substentato vis divina aliquando corripuit preterita puniens. set emendacionem prospiciens in futuris. Denique non in perpetuum dampnatur sed parvo tempore correptus. et annis paucissimis emendatus. ad priorem rursus regni reducitur statum ita ut nihil dampni pateretur ex pena. lucri autem plurimum ex emendacione adquireret. Talis michi crede; talis erga homines pietas dei. nunquam spernet penitenciam si ei sincere et simpliciter offeratur. etiamsi ad summum quis pervenerit malorum et inde tamen velit reverti ad virtutis viam suscipit et libenter amplectitur. facitque omnia quatenus eum ad priorem referat vel revocet statum; et quod est adhuc prestancius et eminentius eciam si non potuerit quis explere omnem satisfacionis ordinem. quantulumcumque tamen et quam brevi tempore gestam non respuet penitenciam. suscipiet eam eciam ipsam. nec patitur quamvis exigue conversionis perire mercedem. Hoc enim mihi videtur indicare ysaias; ubi de populo iudeorum talia quedam dicit. Propter peccatum modice contristavi eum. et percussi eum et averti faciem meam ab eo et contristatus est. et ambulavit tristis. et sanavi eum et consolatus sum eum. Evidencius autem nobis testimonium dabit (2) rex ille impius qui cupiditate quidem uxoris sue predam nequitie quesivit. set perturbatus ipsius sceleris immanitate penituit. et cilicio circumdatus flevit; atque ita erga se dei misericordiam provocavit (3). ut cunctis eum absolverit malis. Sic enim ait. Et dixit dominus ad heliam. Vidisti quomodo conpunctus est ahab a facie mea? Et quia flevit in conspectu meo. non inducam mala in diebus eius. Set post hunc manasses iterum qui omnes tyrannos immanitate superavit scelerum. qui cultum divine religionis et observanciam legis everterat (4). celesti cultu vacuatus. Hic ergo impietate sceleris. supergrediens omnem memoriam. quia penituit. inter amicos dei postmodum numeratus est. Quod si vel hic. vel illi quos supra memoravimus considerantes immensitatem scelerum suorum conversionis et penitencie reditum desperassent ab omnibus utique bonis que eos ex emendacione consecuta sunt decidissent. Quinnimo respicientes ad ineffabilis miseracionis dei et immense bonitatis eius profundum. diabolica quidem a cervicibus suis desperacionis vincula solverunt. suscitantes vero semetipsos. conversi sunt ad virtutis viam. et revocantes a precipicio pedem cursum rursus

(1). nec visionis et confessionis sue sacramenta miratur, *additur in praecitato Codice.*

(2) etiam achab, *additur in Cod. supranominato.*

(3) facinus ipsius, *addit Codex CXLIII.*

(4) qui templum dei idolis repleverat, *additur in iam dicto Codice.*

consummaverunt bonum. Hec quidem de sermonibus dicta sint sanctorum. Audi nunc quomodo eciam sermonibus per prophetam. ad conversionem invitemur a domino. Hodie inquit si vocem eius audieritis nolite obdurare corda vestra sicut in exacerbatione. Quod autem dicit hodie. omni tempore quo vivimus indicat. etiam ad ultimam usque si ita res exigat senectutem. Non enim temporis longitudo set affectus sinceritatis. et penitudo pensatur. Aut non legimus levitas peccatum illud gravissimum in deserto non temporis longitudine. set unius hore diei exigua diluisse. Set; et latro qui pendebat in cruce. non eguit prolixitate temporis ut ingressum paradisi mereretur. set tantum ei suffecit. quantum expedire potuit. donec unum proferre sermonem posset. ita ut intra momentum temporis. tocius vite sceleribus absolutus precedere ad paradisum eciam apostolos mereretur. Quid autem et martyres? Nonne frequenter videmus una die. interdum vero et sub unius hore spatio. coronas sumere ingencium premiorum? Ideo audendum est tantummodo. et promptis atque incitatis animis aggrediendum. ut quadam velud indignacione irascamur adversus deceptricem nostram libidinem. affectum atque amorem nostrum convertamus ad virtutem. Hoc est enim quod vult et poscit deus a nobis. Non querit temporum longitudinem. nec affliccionem crucis; ad hoc precipue respicit si vera et sincera sit conversio. Ideo denique videmus aliquociens nonnullos cepisse postremos et factos esse merito priores. Non ergo cecidisse ita malum est. quam ut post lapsum iacere. et non resurgere. et cum quadam velud voluntate iam ac resolucione peccare desperacionisque sermonibus mali propositi vicium tegere. Contra hos enim etiam propheta cum quadam indignacione proclamat dicens. Numquid qui cadit non resurgit. aut qui adversus est non revertetur? Quod si dicas. queritur si aliquis fidelium cecidit et potuit reparari: audi hec. Hoc ipsum quod dicimus cecidit. stetisse eum aliquando antequam caderet profitetur. Nemo cecidisse eum dicit qui semper iacuit; et numquam stetit. Proferimus etiam ex scripturis divinis si qua super hoc vel in parabolis vel per apertas sentencias dicta sunt. si qua etiam in maiorum continentur exemplis. Quid tibi videtur. ovis illa que cum a nonaginta novem ovibus aberasset; requisita est postmodum. et pastoris humeris reportata? nonne aperte. et lapsum et reparacionem fidelis ostendit? Ovis enim est et ipsa. sicut et ille nonaginta novem. et non alterius sed unius eiusdemque gregis. et unius eiusdemque pastoris. iisdem namque pascuis prius quibus et cetere. iisdem poculis. hisdemque cubilibus utebatur. Sed erravit errore non minimo. Per montes enim et colles evagata est. longis scilicet et difficilibus circumacta erroribus et anfractibus; nec tamen reliquit eam pastor bonus consumi meroribus suis. set requirit et revocat. Revocat autem non violenter perurgens nec verberibus cogens. set propriis humeris subvectans. Sicut enim octimi quique medicorum. eos quos viderint tabo longe egritudinis afflictos tollerant. et rigorem temperant medicine. et delicacius et tenerius agunt cum eis; ita et deus eos quos viderit peccatis vehemencius esse corruptos. non districta satis et ardua observancie intencione revocat ad viam veritatis. set sensim et paulatim. ut in quamplurimis sustentet ac pluribus suppleat. ne dura eis videatur et ardua repentina conversio. et non tam peccandi amore tracti residere videantur in erroribus quam conversionis asperitate deterriti. Sed non hec sola moderacionem nobis conversionis ostendit; verum et illa que de luxuriosi filii redditu scribitur. et ille enim filius erat non erat extraneus; germanus eius erat qui numquam a patre discesserat filius ergo erat; qui ad ultimos malorum fines dicitur pervenisse. Abierat enim in regione longinqua et longe satis a deo effectus. qui fuerat dives et nobilis. deterior servo et mercenario factus est; set tamen regressus et penitens in antiquum recipitur statum. et in pristinam gloriam reparatur. Quod si desperasset. et erubuisset pro his que acciderant ei reverti ad patrem mansissetque in regione longinqua. et aliena. non utique adeptus esset ea que adeptus est. set fame perditus infelicissimam mortem subisset. Vides ergo quanta sit penitencie utilitas. quanta conversionis spes per penitenciam. Filius prodigus recipit prioris glorie statum quem senior frater habebat extra penitenciam. Et si audere in talibus fas est; videtur michi quod ex conversione hic etiam amplius aliquid meruerit. Vide enim quomodo senior frater dicit. Ecce tot annis

servio tibi et numquam dedisti michi hedum ut cum amicis meis epularer. Cum autem venit filius tuus. qui comedit substanciam suam cum meretricibus; occidisti illi vitulum saginatum. Quomodo ergo non amplius consecutus videtur qui per penitenciam redit. cum ille hedum numquam acceperit. huic vitulus saginatus sit occisus? Hec igitur karissime habentes exempla penitencie. non perseveremus in malis. nec desperemus reconciliacionem. set redeamus etiam nos ad patrem. et approximemus deo. Ipse enim dicit. Deus approximans ego sum; et non deus de longe. Et iterum per eundem prophetam peccata inquit vestra separant inter me et vos. Si ergo peccata sunt que separant a deo. auferamus e medio istud obstaculum. et nihil est quod nos prohibeat coniungi deo. Vis ostendam tibi hec non solum in parabolis dicta; set et rebus impleta. Apud corinthios erat quidam vir ut videbatur non ignobilis. Hic commiserat tale peccatum. quale nec inter gentes admicti solet. et erat hic ex numero fidelium. et familiarium christi. Quidam enim eum ex sacerdotali ordine fuisse tradunt. Quid igitur? Numquid excidit eum paulus de numero eorum qui spem gerunt salutis? Quinnimo posteaquam sufficienter corinthios arguit pro eo. volens rursus ostendere quia nullum vulnus est. nulla egritudo que non cedat et sanetur medicamento penitencie iubet eum tradi sathane in interitum carnis. ut spiritus eius salvus fieret in die domini nostri ihesu christi; set hec iubet ante quam de penitencia eius agnosceret. Ubi vero penituit sufficit ei inquit increpacio hec que fit a pluribus. Et addit. Obsecro vos confirmate in illum caritatem. ne possideamur a sathana non enim ignoramus astucias eius. Galatharum autem gens integra posteaquam credidit christo et accepit spiritum sanctum. ita ut spiritus etiam signa et virtutes faceret: postea quam propter fidem christi multa sustinuit post hec inquam omnia decidit a fide. et rursus cohartacionibus apostoli reparata est. Ut autem scias quia per spiritum sanctum signa et virtutes fecerunt. Audi quomodo ipse apostolus dicit. Qui ergo dedit vobis spiritum et operatus est virtutes in vobis. ex operibus legis. an ex auditu fidei? Et rursus quia multa passi sunt post fidem. designat in eo ubi ait. Tanta passi estis sine causa. si tamen sine causa. Post hos ergo tantos ac tales in fide profectus. conmiserunt peccatum tale quod possit eos alienos efficere a christo; de quo ipse apostolus dicebat. Ecce ego paulus dico vobis; quoniam si circumcidimini. christus vobis nichil proderit. Et iterum. Qui in lege iustificamini; a gratia excidistis. Et tamen post istos fidei casus post tam gravem lapsum revocat eos; et maternis visceribus ut ita dicam refovet dicens. Filioli mei quos iterum parturio; donec formetur christus in vobis. Quid ergo aliud per hec omnia docetur. nisi quia possibile sit ut etiam si in ultimam quis perniciem peccatorum corruat rursum in eo christum per penitenciam reformari. Non enim vult mortem peccatoris. set ut convertatur et vivat. Convertamur ergo o amicissimum michi caput. et reddamus nos ad voluntatem dei implendam. Propterea enim creavit nos deus. et esse fecit qui non eramus. ut eterna in nos conferat bona. et prestet regnum celorum. (1) Regnum celorum propter nos; gehenna propter diabolum facta est. Et hoc ita esse ex evangeliis doceam. Ipse etenim dominus dicit his qui a dextris sunt. Venite benedicti patris mei. percipite regnum quod vobis paratum est a constitutione mundi. Illis autem qui a sinistris sunt dicit. Discedite a me maledicti in ignem eternum. qui preparatus est (2) diabolo et angelis eius. Si ergo propter diabolum gehenna ignis; propter hominem regnum celorum a constitucione mundi paratum est. Tantum est ne nos ipsos ab ingressu bonorum; persistendo in malis pertinaciter excludamus. Dum enim sumus in hac vita; quantacumque nobis acciderint peccata. possibile est omnia ablui per penitenciam. Cum autem abducti fuerimus ab hoc seculo ibi eciam si penitet nos et valde enim penitebit set nulla erit utilitas penitencie. Et licet sit stridor dencium. licet ululatus et fletus. licet fundamus preces innumeris obsecracionibus. etsi proclamemus. nemo audiet. nemo exaudiet nemo subveniet. Sed ne extremo quidem digito aquam quis infundet lingue nostre posite in flammis. set audiemus illud quod dives ille audivit ab abraham. quia cahos magnum firmatum est inter nos et vos. et neque hinc illuc transiri potest. neque inde huc. Resipiscamus ergo tan-

(1) Non nos ad hoc fecit ut gehenne nos tradat ignique perpetuo, *additur in citato Codice.*

(2) non dixit vobis. sed, *additur in Cod. nominato.*

dem te queso frater et dominum nostrum ihesum christum tamquam boni servi et utiles requiramus; nec desperemus dum in hac luce vivimus. nos posse veniam per penitentiam promereri. In inferno tantum ut diximus penitencie medicamenta non proderunt. in hac vero luce positi. eciamsi in extrema etate: etsi in ultima senectute adhibeas; crede michi curaberis. Ideo denique diabolus omnia movet et agit. ut animum nobis desperacionis inducat. Scit enim quia si vel parvo tempore quis penitenciam gerat. quamvis sit brevis non erit tamen infructuosa conversio. Set sicut is qui calicem aque frigide porrexerit nequaquam fructum mercedis amictit; ita et is qui pro male gestis preteritis penitudinem gerit. licet minus digna videatur ad peccatorum pondus. penitentie tamen quantuscumque ille motus penitendi fuerint et conversionis momentum expers non erit remuneracionis bonorum. Nichil enim michi crede boni operis quamvis sit exiguum; despicietur apud iustum iudicem deum. Si enim peccata cum tanta examinacione discucienda sunt. ut eciam verborum. et cogitacionum unusquisque perferat penas; quanto magis bene gesta et magna in iudicio recompensabuntur et parva. Itaque etiamsi non putas esse possibile ad illum rursum summe vite ordinem te posse reparari: aliquid certe de nimietate luxurie si reseces; nec quid quidem tibi infructuosum sencies fore. Incipe tantum et inicium aliquid arripe. meliorem conversionis viam summis saltem continge vestigiis. Donec enim incipias. difficile tibi et inaccessum virtutis iter videtur. Sic namque est natura rerum. ut omnis labor tamdiu gravis putetur. donec sola animi consideracione pensatur; ubi vero ad rem ventum fuerit. et operis ipsius ceperimus aliquantulum profligere successus. operis dulcedinem parit. et leticia menti conferunt recuperata denuo incrementa virtutum; redditque nos continuo forciores. cum proxima videri iam ceperit spes salutis. Propterea denique et iudam inimicus hinc rapuit: ne forte quia sciebat quod esset reditus ad salutem. lapsum suum penitencia reformaret. Ego enim etiamsi mirum videtur esse quod dico; ne illud quidem iude peccatum dixerim vires penitencie excedere potuisse; Propter quod deprecor et exoro. ut omnem diabolicam cogitacionem repellas. et effuges a mentibus tuis et velocius te convertas ad viam salutis. Etenim si subito te et ex integro ad illum priorem virtutum verticem cogerem merito trepidares merito difficile facto putares. Cum vero hoc a te nunc expetam tantum ne augescas in malis ne per dies singulos perdicionis incrementa conquiras set ut desinas tantum. et a peccato iam cesses; cur dubitas et cunctaris. et retrorsum revocas pedem ac solam saltem cogitacionem bonorum recipere formidas? Quid enim ne ipsius quidem libidinis sacietas. tibi adhuc ullum fastidium reddit? Quid profuit illis qui in luxuria corporis et presentis vite voluptatibus usque ad diem ultimum permanserunt? Intuere nunc sepulcra eorum et vide si est aliquod iactancie sue vestigium. si aliqua diviciarum vel glorie signa cognoveris. Require ubi nunc vestes. et ornamenta peregrina. ubi spectaculorum voluptas. ubi asseclarum turbe. et conviviorum cessit opulencia; risus iocus. et immoderata atque effrenata leticia. quo abiit. quo recessit? Ubi illa nunc et ubi ipsi? Quis finis utrorumque? Intuere diligencius. et accede propius ad singulorum sepulchra. vide cineres solos et fetidos carnes feditas vermiumque reliquias. et recordare hunc esse carorum finem. eciam si in deliciis et leticia. etiam si in labore et continencia transegerunt finem. Atque utinam res omnisque causa nostra. usque ad cineres veniret et vermes; parva viderentur hec dampna et que facile excusari possit nature condiccio. Nunc autem converte oculos tuos ab his cineribus et sepulchris. et revoca cogitacionem tuam ad illud divini iudicii tribunal horrendum quod ardens fluvius flammeis ambit fluentis; ubi fletus et stridor dencium ubi tenebre exteriores. ubi vermis ille consciencie numquam moritur. et ignis qui numquam extinguitur. Recordare parabolam lazari. et divitis illius qui opum tantarum dominus; qui purpura indutus. et bysso. unam aque guctam invenire non potuit. et hoc cum esset in ardoris necessitate constitutus. Dic queso te quid amplius habet vita ista quam somnium? Sic enim qui in metallis condempnati. vel in alia qualibet pena positi. cum forte post multum laborem vite paululum relaxati fuerint in somnum et viderint se inter plurimas dapes positos epulis copiosissimis refici. at ubi surrexerint nichil sibi gracie ex delectacione somni intelligunt resedisse; ita et dives ille quasi somnum habuit vite huius delicias ubi discessit.

nihil cum illo nisi preteritorum penitudo et presencium pena permansit. Hec recordare mi amice; et illum gehenne ignem. his que te nunc exagitant flammis libidium et cupiditatis oppone. Est enim hoc mirabile quoddam medicamenti genus; ut ignis ignibus restinguatur. Si enim extincti non fuerint isti qui te nunc exagitant; illos tibi eternos ignes acriores et inextinguibiles reddent. Quanto tempore putas tibi permanere posse presentis vite delicias? Ut ego quidem reor nec quinquaginta annis tibi superesse possunt usque ad extremam qumvis longissimam senectutem. Sed et in hoc tempore. vide quanta intervenire possunt. Primo quod nemo eciam si usque ad vesperam perveniat certus est; Deinde quod mobilis semper humanarum rerum status est. Frequenter enim vita quidem in longum perducitur. nec tamen ei facultates. et divicie fideliter permanent. set sepe accidit. ut prius quis opibus quam vita deficiat. Verumtamen concedamus et vivere te posse annos plurimos. et nullam permutacionem temporum pati. Et quantum queso istud spacii est ad eterna supplicia? Quante hoc voluptatis. ad illas execrabiles et intollerabiles penas? Nam in hac vita. sive bona sive mala terminum suum norunt cumque velociter sortiuntur. in futuro autem seculo utraque immortalibus spaciis protenduntur. Adde et illud. quod eciam pene ipsius longe alia et diversa condicio est. Ignis enim hic qui in presenti vita est. absumit cuncta que recipit. ille vero quos susceperit semper cruciat. et pene sue semper integros servat. Propterea enim inextinguibilis dicitur non solum quia ipse non extinguitur. sed quia nec eos quos susceperit extinguit aut perimit. Scriptura etenim dicit. quia peccatores induat incorrupcionem; scilicet non ad honorem vite. set ad diuturnitatem supplicii profuturam. Huius autem pene vim. et ignis illius potenciam. nulla vox exponere nullus sermo poterit explicare. Nichil enim simile in rebus curruptibilibus sive bonis sive malis. Verumtamen ut aliquam imaginem ignis illius et pene capiamus. recordaris quando quis febrium nimio ardore succenditur. que angustie. qui cruciatus corpori atque anime insideant; et ex hac temporali pena metire quanta sint illa supplicia que eternus ignis inflammat que fluvius igneus percurrens ante tribunal illud horrificum undis penalibus irrogabit. Ibi quid agemus? Quid respondebimus? Nichil erit ibi nisi stridor dencium. nisi ululatus et fletus. et sera penitencia cessantibus undique auxiliis. et undique invalescentibus penis; set nec solacium quidem est usquam ullum. nulli enim occurent oculis nostris nisi soli penarum ministri et facies undique dira tortorum et quod est undique omnium tetrius. nec aeris quidem ipsius ullum erit solacium aut lucis. Circumdabunt enim penarum loca tenebre exteriores. et ignis ille flammeus. qui sicut naturam non habet consumendi. ita nec illuminandi. set ignis obscurus. et flamma tenebrosa. In his autem positis. qui tremor immo que resolucio viscerum sit. divulsioque membrorum. que autem quante omnibus sensibus cruces nullus nec sermo poterit explicare. Sunt enim varie et diverse penarum facies et pro peccatorum quantitate singule multiplicantur et pene. Quod si dicas quomodo malis tantis sufficiet corpus ad penam. finem temporis nesciens considera que in hac vita interdum accidunt. et ex his parvis magna conicito quomodo interdum videmus nonnullos longissima egritudine confici nec tamen ex ea vite terminum dari. At et si corpus aliquando morte dissolvitur. set anima non consumitur. Unde constat quod cum imortalitatem etiam corpus acceperit nec animam pena nec corpus ultra iam perimat. Nam si presenti quidem vita evenire non potest. ut pena corporis et vehemens possit esse et perpetua set alter cedit alteri quia et corporis fragilitas utrumque non patitur; ubi vero utrumque corruptela caruerit. pena quidem accepta potestate deseviet. set nullum finem incorruptio quesitum suscipiet. Non ergo putemus quia suppliciorum nimietas ipsis dabit finem dolorum. set ut diximus peccata quidem penas accendent. incorruptio vero anime et corporis nullum suppliciis finem dabit. Dic igitur nunc quanta tempora luxurie. que deliciarum tempora comparare vis talibus penis. Centum si placet annos deliciis demus; adde alios centum si libet adde et alios centum. Que erit ex his ad etercitatem compensacio? Nonne omne tempus vite huius quo deliciis frui videmur. et indulgere libidini. quasi noctis unius sompnium ad eternitatis comparacionem videtur? Est ergo aliquis qui ut delectabile videat sompnum eternas subire deligat penas et illas pro hiis recipere vel pro illis ista mu-

tare? Nondum descendo ad vituperacionem deliciarum. neque amaritudinem que in eis est nunc aperio quia nec huiusmodi oracioni hoc tempus est. sed tunc cum forte ab eis effugere poteris. Nunc enim cum in eis passibiliter tenearis. delirare nos credis. si bona libidinis que grata omnibus videntur et iocunda. aspera asseramus et amara. Si vero per misericordiam dei evadere ex huiusmodi egritudine quiveris: tunc quid amaritudinis immo vero quid veneni libido habuerit deprehendes. Nunc interim ponamus delicias et libidinem voluptatemque nec aliquid habere dedecoris aut obprobrii. Quid dicimus ad repositas penas? Quid faciemus ad hec quod delicie quidem velut umbra pertranseunt et velociter fugiunt. pene vero perpetuo manent? Quod si equale tempus et idem spacium deliciis positum esset et pene. Est aliquis ita stultus. et ita demens. ut eligeret pro uno die deliciarum. unam diem subire penarum; cum soleat dolor unius hore et quilibet cruciatus corporis. in oblivionem mictere omne tempus in voluptate transactum? Nunc vero cum possibile sit parvo tempore si convertamur ad deum effugere illa omnia cruciamenta penarum. et perfrui bonis eternis: quid differimus. quid moramur et divina largicione non utimur? Dei enim ineffabilis et immensa bonitas etiam hoc providit ut laborum quidem tempus et agonum non extenderet. nec longum faceret aut eternum. set breve. et ut ita dicam momento unius hore. hoc est enim vita presens si ad illam conferatur eternam. Providit ergo bonitas dei ut in hac brevi et exigua vita. agones essent et labores. in illa vero que eterna est corone et premia meritorum. ut labores quidem cito finirentur. meritorum vero premia sine fine durarent. Set hoc sicut letificat eos qui per laborum patientiam coronantur; ita affligit et cruciat eos in futurum qui vident se pro parvo et exiguo deliciarum tempore. perdidisse quidem bona eterna. mala vero quesisse perpetua. Ne ergo nos etiam in istum veniamus anime cruciatum; expergiscamus aliquando dum tempus est. Ecce nunc tempus acceptabile. ecce nunc dies salutis. Nunc enim est penitendi facultas: et tempus quo et fructus consequitur penitentie. Verum non hec solum que diximus manent nos mala que in gehenna perferemus si negligamus vitam nostram; sed est malum multo his gravius. Excludi enim a bonis et alienum effici ab his que preparata sunt sanctis. tantum generat cruciatum. tantum dolorem. ut et si nulla extrinsecus pena torqueret. hec sola sufficeret. Omnes enim gehenne superat cruciatus. carere bonis quibus in potestate habueris perfrui. vel uti. Considera enim queso te statum vite illius in quantum tibi possibile est ut enim vere est: comprehendere nullus sermo sufficiet. Set quantum possumus ex hiis que legimus. et per enigmata accepimus. tenuem quandam opinionem de ea capiamus. Dicitur de ea quodam loco quod aufugiet ibi dolor. et tristicia et gemitus. Quid hac vita beatius ubi non est paupertatis metus. non egritudinis ledit iniuria? Nemo irascitur nemo invidet nulla cupiditas exardescit. nullum cibi desiderium. nulla livoris seu potestatis pulsat ambicio set omni viciorum labe sopita et extincta. pax cuncta continet et leticia. tranquilla sunt omnia et quieta. iugis splendor et lux. non ista que nunc est set tanto splendidior tanto clarior quanto splendidior nunc est sol lucerna. Nulla ibi nox. nulle tenebre. concursus nubium nullus. nulla frigoris ardorisve asperitas: set talis quedam erit rerum temperies quam scient illi soli qui ea digni fuerint perfrui. Non est senectus ibi nec senectutis miseria set omne quicquid corrupcionis est exulat. et gloria incorrupcionis cuncta circumdat. Super hec omnia est sociari consorciis angelorum et archangelorum. et omnium celestium supernarumque virtutum contuberniis perfrui. Ultra omnem vero hanc et huiusmodi gloriam est ipsius domini ineffabiles adipisci conspectus. et maiestatis eius inenarrabili splendore radiari. Verum ne hec subito ingesta obtutum mentis exterreant. paulatim te ad hec capienda provocabo. Intuere celum. inde et etiam extende paululum cogitacionem tuam et supra celum. deinde considera tocius creature transformacionem. non enim in ea que nunc est qualitate persistet: set in aliam transformabitur splendidiorem multo et pulcriorem. quantum si dici potest aurum plumbo est splendidius. Hec enim futura edocet beatus paulus cum dicit. Quia et ipsa creatura liberabitur a servitute corrupcionis. Nunc enim tanquam corrupcionis particeps multa patitur. que pati necesse est corpora corruptibilia tunc autem ubi omne quod fragilitatis et corruptionis est abiecerit. ineffabili pulchritudine deco-

rabitur. neque enim ultra corruptibilia corpora pacietur. set incorruptibilia ex resurreccione percipiet. Unde et ipsa creatura in meliorem statum transformabitur. Nulla erit tunc usquam discordia set cuncta conveniencia. cuncta consona. omnium enim sanctorum una erit concordia. Nullus ibi diaboli metus. insidie demonum nulle. terror gehenne procul. mors neque corporis neque anime. set imortalitatis munere metus uterque resolutus. Sicut enim puer regius primo pauperis tugurii alendus traditur vilibus nutrimentis. sub metu vivit pedagogorum quo etas prima discipline arcioris frenis repressa. adultam demum etatem probabilem reddat. ac paternis natalibus dignam. at ubi venerit tempus ut aulam regni et sceptrum paterne potestatis assumat abiectis omnibus vilibus indumentis. repente in habitum regium ac paterne dignitatis infula transformatur. splendor purpure protinus ac diadematis fulgor. ministrorum succedit ambicio. simulque honoris auctoritas invalescit et efficitur totus alter ab altero. ita et tunc tali quadam specie sanctorum immutatio fiet. Et ut scias quia non in his que dicimus sola pompa verborum est conferamus oculos ad illum montem in quo transformatus est christus. et intueamur splendorem eius illum quo tunc in transformacione resplenduit; nec sic quidem inveniemus cunctam nobis futuri seculi gloriam patefactam. Illa enim transformacio facta est. non in quantum futurorum bonorum veritas habet. set quantum ferre poterant oculi intuentium. Sic enim et evangelium dicit. quia resplenduit facies eius sicut sol. Incorruptorum autem gloria corporum. non hoc tantum splendoris emittit quantum ex ista corporali luce procedit nec talem lucem qualem nunc mortales oculi capere vel videre possunt; sed tantus erit future glorie splendor. quantum corporeus sufferre non possit aspectus. cum tamen illum non tulerit qui in montis transformacione resplenduit. unde ostenditur quia tantum revelatum sit quantum ferre mortalium oculi potuerunt. nec tamen tulerunt ex integro. set ceciderunt inquid in faciem suam super terram. Tunc preterea si quis te introduceret in conventum aliquem. ubi omnes auratis amicti residerent stolis quorum in medio aliquis adornatus gemmis refulgeret et purpura. isque polliceretur tibi quod possis in illo honoratorum numero ascribi; nonne cuncta gereres et omnia permoveres quatenus id assequi posses? Adaperi ergo nunc sensibus tuis celos. et intuere ibi conventum illum non auri neque vestium neque gemmarum set iustitie meritis congregatum. splendidius sideribus micantem. clarius sole fulgentem; intuere cetum non ex hominibus set ex angelis et archangelis. thronis et dominacionibus et principatibus congregatum. De rege autem qui horum medius residet. dicere nulla vox sufficiet. Effugit enim omnem sermonem atque omnem sensum humane mentis excedit. decus illud. illa pulchritudo. illa virtus. illa gloria. illa maiestas. illa magnificentia. Quid ergo dic mihi horum omnium bonorum expertes nos faciemus et alienos; uti ne parvum aliquem suscipiamus laborem. et exiguo tempore libidinis illecebras refutemus. Si enim cotidie oporteret nos tormenta tollerare ipsamque gehennam parvo tempore perferre pro eo ut christum possemus videre in gloria venientem et sanctorum eius numero sociari nonne erat dignum pati omne quod triste est modo. ut tanti boni (1) participes haberemur? Audi quid dicit. beatus petrus. Bonum est inquid nos hic esse. Quod si ille tenuem quandam future glorie imaginem videns. omnia subito proiecit ex animo. Dulcedine quam perspexit innixus. quid dicit aliquis si ipsam rerum faciem ut se habet veritas contempletur. tunc scilicet cum celestis aula pandetur. ad regnum celi non iam per speculum et in enigmate. sed per speciem contuendum? Nonnulli imperitorum putant igitur satis esse optabile videri si gehenna tantummodo careant. ego autem multo graviores quam gehenna est dico esse cruciatus. removeri et abici ab illa gloria; nec puto ita esse acerba supplicia gehenne ut sunt illa quibus torquetur is qui arcetur a conspectu dei. Hoc crede mihi penis est omnibus gravius: hoc est solum quod superat et gehennam. Si enim nunc regem terrenum cum comitibus suis et ministris ingredientem aulam regiam miramur et magnos eos dicimus quos herere lateribus eius videmus. nosque miseros credimus. si nullum inter eos locum habere mereamur. et quidem scientes quod incerta est hec que in terris sunt. nunc quidem pro bellis hostilibus nunc etiam pro civilibus insidiis.

(1) tanteque glorie, *addit citatus Codex.*

interdum etiam pro livore. et pro eo ipso precipue quod hec ipsa fragilia et caduca. Et nullius numeri tamen quoquomodo sint cruciatum generant. his qui inde deciderint. Et quomodo non multo magis cruciabimur si apud regem omnium qui non partem terre sed universum circulum eius tenet immo qui eciam pugillo continet. et celum palmo metitur. qui portat omnia verbo virtutis sue. apud quem omnes gentes tanquam nichilum et inane et velud sputum reputantur? apud hoc inquam ubi eternos honores largiri ceperit si nullum habeamus locum. et in nullo apud eum ministrorum numero conputemur? nonne omni nobis pena cruciabilis erit? Set sufficiet nobis evadere gehennam. et indignos nos fieri tanti regis aspectu. Quid illa anima cui hoc sufficiet infelicius? Quid miserius? Hunc autem regem quem diximus putas quadrigis mularum aut curribus aureis vectum. vel ornatum purpura. aut terribili potestate diadematis affuturum cum ad iudicandum venerit terram? Set audi quomodo prophetis nunciantibus. ut nunciari hominibus fas fuit. predicitur ei adventus. Ait ergo quidam ex eis. Deus manifeste veniet. deus noster et non silebit. Ignis ante ipsum ardebit. et in circuitu eius tempestas valida. Vocabit celum desursum et terram discernere populum suum. Alius vero qui et penarum species nobis indicat. hoc est ysaias. audi quomodo dicit. Ecce dies domini venit insanabilis. dies furoris et ire. ut ponat orbem terre desertum. et peccatores perdat ex eo. Stelle enim celi et orion et omnis ornatus celi lumen suum non dabit. et oscurabitur sol in ortu suo et luna non dabit lumen suum. et mandabo universo orbi mala. et impiis peccata eorum. et perdam contumeliam iniquorum et iniuriam superborum humiliabo. Et erunt qui relicti fuerint preciosi magis quam aurum ab igne et hoc preciosior erit quam lapis ex saphyro. Coelum enim quatietur. et terra movebitur a fundamentis suis. propter furorem irae domini sabaoth. in die qua supervenerit furor eius. Et iterum dicit. fenestre celi aperientur. et movebuntur omnia fundamenta terre. Turbacione perturbabitur terra. stupore stupebit terra. inclinacione inclinabitur terra. commovebitur terra sicut ebrius et sicut crapulatus excrucietur; sicut pomorum custodia erit et non poterit resurgere. Invaluit super eam iniquitas. et inducet super eum deus ornatum coeli in excelso manum suam in die illa et super regna terrae. et congregacionem eius ponet in vinculis; et concludent eam in loco munito. Set et malachias propheta consona his loquitur dicens. Ecce venit dominus omnipotens; et quis sustinebit diem adventus eius? Aut quis portabit conspectum eius? Quoniam ipse ingreditur ignem conflactorium et sicut palia ventilancium: et sedebit conflans et purgans sicut aurum et sicut argentum. Et iterum dicit. Ecce dies domini venit ardens ut clibanus. et exurens eos et erunt omnes alienigene. et omnes qui faciunt iniquitatem ut stipula. Incendet eos dies illa que venit dicit dominus omnipotens et non relinquetur radix neque palmes. Alius vero ille vir desideriorum ita dicit. Videbam et ecce throni positi sunt. et antiquus dierum sedit et indumentum eius sicut nix candidum. et capilli capitis eius sicut lana alba. Thronus eius ignis exurens. sicut fluvius igneus currebat ante ipsum. Et paulo post. Et vidi inquit in visu noctis. et ecce cum nubibus celi filius hominis veniebat. et usque ad vetustum dierum pervenit et in conspectu eius oblatus est et ipsi datus est principatus. et honor. et regnum. et omnes populi; tribus et lingue ipsi servient. et potestas eius potestas eterna que non transibit et regnum eius non corrumpetur. Inhorruit spiritus meus. Ego daniel corrui in hebitudine mea. et visiones capitis mei conturbabant me. Cum ergo haec agi ceperint. pandentur sine dubio celi porte. imo pocius ipsum celum auferetur e medio. tamquam si tabernaculi alicuius velamina colligantur: scilicet ut reparetur et transformetur in melius. Tunc ergo omnis metus habibit. timorque ac tremor universa complebit. Tunc etiam ipsos angelos formido quassabit et non solum angelos. set fortassis. et archangelos. et thronos. et dominaciones. et principatus et potestates. Hoc enim indicat in eo quod dicit: et virtutes celorum movebuntur. Conservi enim sunt eorum qui iudicandi sunt et vite huius posituri racionem. Si enim apud iudices seculi cum civitas una iudicanda est. pavent cetere et contremiscunt. eciamsi nichil periculi metuant. quanto magis cum orbis terre universus ad iudicium veniet. iudicandus a iudice qui teste non egeat. qui argumentum non querat; qui oratores cause non postulet.

set his omnibus procul amotis ipse et gesta. et verba. et cogitaciones hominum denudat atque in medio collocat. et cuncta velut in tabulis quibusdam depicta. oculis eorum qui commiserunt ea atque omnium qui assistere videntur ostendat. quomodo non commovebitur et in metu erit omnis terra? Quod et si tunc igneus ille fluvius non curreret. neque assisterent terribiles. et facies dira tormentorum. set hoc solum si evacuarentur homines ad regem et alii quidem laude et honore digni haberentur. alii vero dehonorati cum confusione et nota abicerentur. si hoc non solum pene homines paterentur. nonne gehenne excederet cruciatum quod aliis munera percipientibus ipsi repulsam cum dedecore meruissent. Id quantum pene sit. etiam si nunc plene sermo non potest edocere tunc tamen cum ad rem ventum fuerit manifestius senciemus. Tu vero ad hec omnia etiam dolores suppliciorum. et non solum confusionem neque solius dedecoris notam. set illam pone ante oculos tuos viam qua trahuntur homines ad ignem. et qua traduntur ad penas. Cogita sevos illos et horrendos penarum ministros. qui peccatores precipitant ad supplicia. et hoc eo tempore quo alii qui bene egerunt a clarissimis angelis et placidissimis subportati ante regis eterni solium sublime coronis glorie et immortalibus premiis munerantur. Hec quidem erunt propria diei illius. et iudicii et temporis que vero post hec sequentur. quis sermo poterit explicare? Que erit voluntas. que leticia. cum christo esse: ubi anima ad propriam generositatem regressa cum fiducia et leticia iam ceperit videre deum suum? Explicari non potest illius leticie magnitudo. Non enim pro his solum exultat mens quibus fruitur in presenti. set multo magis pro eo gaudet. quod bonorum suorum scit nullum finem futurum et quia illa gaudia illamque laeticiam. neque sermo ullus explicare valet. neque cogitacio concipere. tenuiter tamen. et velut umbram quamdam future imaginis intuentes. tibi quoque indicare curabimus. Requiramus si videtur ab his qui in presenti vita bonis seculi et deliciis perfruuntur. qui in honoribus et potestatibus gloriantur. quanta leticia extolluntur in hiis. quanta hec delectacione et voluptate mirantur. ita ut interdum nec se esse arbitrentur. et quidem cum constet apud illos ipsos nec vera esse hec bona. nec perpetua. sed sompno cicius evolare. aut si acciderit aliquando ut parum aliquid permaneant. et exiguum hoc tempus presentis vite non deserant. quanta his felicitas creditur? quanta leticia? Igitur si hec caduca et corruptibilia tantum gaudii hominibus conferunt. quid putandum est servire leticie animas illas. que ad celestia et perpetua pervenerint bona? In quibus et qualitas et quantitas tam diversa et tam eminens est ab his qui in hac vita putantur bonis. ut neque ad conspectum adhuc illius neque ad auditum venerint. neque ad cognicionem cordis ascenderint. Et ego nunc sicut parvulus in vulva matris. ita et nos in hoc mundo positi sumus. et angustiis quibusdam atque obscuritate conclusi. futuri seculi lucem animeque libertatem non possumus intueri. Cum autem tempus affuerit ut pariat nos presens hic mundus. et omnes quos concepit. proferat in seculi futuri lucem si quos quidem peccatis intervenientibus avorsus immaturus invenerit. de tenebris in tenebras eunt et de angustiis ad acriores angustias redeunt. quos vero perfectos et regis imagine similes genuerit. offert patri sobolem generosam. in officiis angelicis et sedibus archangelicis collocandam. Noli ergo queso te amice pertendere ad illam partem ubi vultus anime tue et imago regia corrumpantur et velut avorsum quendam te in fine mundus iste proiciat: sed cicius repara in te imaginem paternam. repara virtutum decus et speciem. ut inter filios agnoscaris a patre. Etenim pulchritudinem corporis deus certis quibusdam et naturalibus terminis clausit: anime vero pulchritudinem liberam fecit. et nulla sub necessitate conclusam: et multo prestanciorem decore corporeo. Hec ergo anime species in libertate est; sub dei quidem nutu. in nostris tamen manibus posita. Nam si etiam corporei decoris potestatem deus nostro permisisset arbitrio. sollicitudo nobis superflua immineret. atque in hiis que nichil prodessent. omne vite nostre tempus hoc occuparemus. ex quo cultus anime necessario negligeretur. quippe qui etiam nunc ubi nulla nobis est potestas conferendi aliquid decoris corpori. hoc tamen agimus et hoc studemus. ut speciem corporis omnibus excolamus dum colorum fucis vel composicionem crinium. vel oculorum rotatu. vel varietate vestium. diversis aliis et exquisitis molitionibus conferre aliquid ut dixi decori corporis cupimus. Sed quanto magis

conveniebat nos ad cultum anime dare operam. ubi pulchritudo vera est. et in potestate nostra est cotidie eam facere meliorem? Verum nos e contrario omne tempus vite nostre consumimus. excolentes et adornantes ancillam diversis ornatibus. eius vero dominam tamquam vile mancipium incultam. fedam. sordibus obsitam in omne illuvie ac dedecore relinquentes. cum ob hoc utique deus nos excluserit a corporis cura et decoris eius naturalibus terminis clauserit augmenta ne superfluis curis occupati. negligeremus anime cultum: cuius forma et species et si ultimam corruat feditatem. labore tamen et intencione nostra. ad summam potest pulchritudinem reparari. et in tantum decoris adduci. ut non solum admirari a bonis omnibus. sed ab ipso etiam rege omnium deo concupisci possit et amari: sicut et propheta ad eandem dicit in psalmis. Et concupiscet rex decorem tuum. Frequenter scimus ex his etiam mulieribus quae prostitute sunt. accidisse ut si forte aliquis inventa est decora specie contemplacione pulchritudinis ab aliquo etiam bono viro assumpta sit ad honestatem matrimonii: quanto magis deus non despicit neque contempnit animas. que de superna generositate per diaboli tyrannidem in istud presentis vite lupanar ac prostibulum deciderunt? Invenies autem hiis exemplis usos prophetas. cum ad iherusalem loquantur. Etenim illa in prostibulum decidit et in meretricatione novi generis: sicut designat ezechiel propheta dicens. omnibus meretricibus dantur mercedes. tu autem dabas mercedes amatoribus tuis: et facta est in te res perversa preter omnes mulieres. Et iterum aliis dicit. Sedisti super viam expectans eos sicut cornicula desolata. Istam ergo que sic meretricata est. revocat ad se deus. Nam et captivitas que facta est: non tam pro pena quam pro conversione facta est. Nam si eos punire voluisset et perdere. non utique revocasset eos denuo ad paternum solum neque civitatem deiectam maiori gloria edificari fecisset et templum. Erit inquit gloria domus huius novissime super illam priorem. Quod si illam que frequenter meretricata est non exclusit deus a penitentia. multo magis tuam revocabit animam. que nunc primum conruit. Nemo enim nemo amatorum carnalium. etiam si sit supra modum insaniens ita exardescere potest in amorem dilecte sue: sicut deus effunditur in amorem animarum nostrarum. Quod quidem possibile tibi est ex hiis noscere que quotidie geri videmus: potes tamen etiam ex divinis scripturis evidenter agnoscere. Intuere denique vel in principiis ieremie que feruntur de domino. vel apud reliquos prophetas. quomodo cum despiceretur et contempneretur a populo tamen rursus revertebatur ad eos: et amore eorum constrictus sectabatur eos etiam aversos ad se. Et hoc est quod ipse dominus insinuat in evangeliis cum dicit. Iherusalem iherusalem que occidis prophetas et lapidas eos qui ad te missi sunt: quotiens volui congregare filios tuos quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas et noluisti. Set et paulus dicit ad chorinthios scribens. Quoniam deus erat in christo mundum reconcilians sibi non reputans eis delicta ipsorum et posuit in nobis verbum reconciliacionis. Pro christo ergo legacione fungimur. tanquam deo exhortante pro nobis. rogamus per christum reconciliamini deo. Hec etiam ad nos dici putemus. Non solum enim infidelitas. sed et vite contaminacio. execrabiles istas inimicitias fecit inter deum et hominem. Sic enim et apostolus dicit. quia sapientia carnis inimica est deo. Age ergo destruamus hunc inimicitiarum parietem. et viam nobis reconciliationis efficiamus ad deum. Ut iterum efficiamur ei amabiles et concupiscibiles: Scio quia valde miraris hermionis pulchritudinem: et decoris eius nichil inveniri posse simile in terris iudicas. Set si velles o amice multo tu ea formosior et pulchrior esses. quantum potest aurum esse luto pulchrius. Si enim multi illius corporis speciem mirantur et accenduntur pro ea quantum potest esse in anima decoris? Si ad omnem nature sue fuerit sculpta pulchritudinem. quam amabilis (1) erit? Etenim corporei decoris substancia non in alio quam in flegmate et sanguine et humore ac felle consistit que ex ciborum sucis corruptibilibus colliguntur. Ex hiis enim oculorum orbes splendescunt. ex hiis genarum rubor dipingitur. et visus omnis ornatur; et nisi per dies singulos rigentur huiusmodi sucis. et ex fonte iecoris ascendentibus venis. continuo aridior efficitur cutis. oculi cavantur rubor omnis e vultu cum omni decore abscedit. Quod si diligenter consideres

(1) omnibus et quam mirabilis, *addit Codex CXLIII.*

que sint (1) que intra narem tegantur. que intra fauces et ventrem. nichil aliud nisi sepulchrum dealbatum pronunciabis esse istam corporis pulchritudinem. que foris quidem apparent decora (hominibus). intus autem plena sunt sordibus et immundiciis. Tunc deinde si in vestimento videas flegmata (vel sputamenta). horrescis. et extremis saltem digitis ea contingere refugis set aspectum retorques. Et quomodo cellaria ipsa et horrea flegmatis diligis et concupiscis? Set tua pulcritudo non erit talis. Quantum enim celum terra pulchrius: tamen anime tue pulchritudo omnem formam quamvis pulcerrimi corporis superabit. Et licet animam corpore nudatam nullus viderit: tamen alias tibi decus eius ex virtutibus suis conabor exponere. Nunc autem sufficiat nobis commemorare sermonem domini ubi ait. quia erunt sicut angeli dei in celis. Quod si eciam in corporibus tanta est differencia eorum dumtaxat. et que subtiliora sunt ab eis quae graviora videntur et crassiora verbi gratia ut celum terra prestancius. ut ignis aqua. ut stelle lapidibus pulcriores ut arcus celi omnibus qui in terra sunt floribus: quid diceremus si posset fieri ut corporalibus oculis animi pulcritudinem videremus. Nonne ridentes omnia hec que ad exemplum decoris et pulcritudinis adducimus ad internam substanciam? Queso ergo ne contempnamus tantam beatitudinem. neque negligamus preciosum hunc thesaurum qui intra nos est maxime cum facilis nobis reditus esse possit et non parvo labore reparare omne anime decus. Ubi enim futurorum specie conceperis et adamaveris: statim redit anima ad pulcritudinem suam. Ait enim ille. Nam quod in presenti est momentaneum et leve tribulacionis nostre: supra modum immensum et eternum glorie pondus operatur in nobis: non aspicientibus nobis que videntur. set que non videntur. Que enim videntur temporalia sunt. que autem non videntur eterna. Quod si tribulaciones leves et faciles appellat paulus. pro eo quod non ad ea que videntur. set que non videntur aspicimus. quanto magis leve tibi et facile desinere ab impudicitie ponderibus fedis? Neque enim nunc te invitamus ad illos labores et pericula. aut illas cotidianas mortes quas apostoli perferebant. vel ad persecuciones et verbera. aut vincula. aut carceres. aut ad tocius mundi contemptum. aut famem. aut nuditatem. aut vigilias multas. aut pericula itineris. naufragia maris. pericula latronum. pericula ex genere. atque ex falsis fratribus. atque omnia illa que apostoli et agones desudant. nichil eorum nunc te poscimus. set tamen illud rogamus ut turpissima servitute derelicta. ad priorem redeas libertatem considerans et penam que subsequitur luxuriam et gloriam que virtutibus est reposita. Nam hii quidem qui resurreccionem futuram non credunt si vitam suam negligant et nullum futuri iudicii metum concipiant nichil mirum est. Nos vero qui multo cercius intuemur futura quam presentia. tam infeliciter agere debemus et tam misere. ut nullam recordacionem futuri iudicii capiamus? Set in ultimum decidere contemptum. extreme demencie est. nec potest aliquid huic malo conferri si credentes non credentibus similes sumus. quinnimo non pauci reperti sunt in illis. qui in hac vita virtutibus floruerunt. Et que nobis erit excusacio quid solacii si in die iudicii isti nobis producantur ad exemplum? Nonnullos negociatorum videmus incidisse naufragia. et universam perdidisse substanciam. nec tamen per hoc deiectos redisse. sed rursus aggressos. eandem viam atque eadem esercitia reparasse. Et illi quidem dampna non desidia animi sed ventorum violencia pertulerunt: nos autem qui certi sumus quia si nolumus neque naufragia anime neque dampna poterimus incurrere. quomodo non arripiamus denuo priora exercicia. et negocia que negligenter omisimus reparemus ociosi et desides. Set et manus ociosas plicamus ad pectus. et utinam ociosas et non operantes in perniciem nostri. quod est evidentis insanie veluti si quis urbem causa pyratarum derelicto advesario in suum capud manus vertat. suumque verticem cedat. Pepulit nos diabolus et elisit: oportet utique resurgere et contra eum stare. Nam si semel deiectus non solum a terra non resurgere. set et temetipsum volueris precipicio dare. hoc est consensisse adversario et partibus eius favisse. Nam et beatus david cecidit eodem casu quo et tu: nec hoc solum sed aliud hiis addidit gravius homicidium enim coniunxit adulterio. Et quid post hec? Numquid permansit iacens? Nonne surrexit et iterum stetit contra adversa-

(1) que intra illam autem que tibi formosa videtur lateant, *addit citatus Codex*.

rium. et ita eum subiecit. ut etiam post mortem eius merita profuerint posteris suis? Nam salamon cum immane illud conmisisset scellus et dignus mille mortibus haberetur: propter david tamen ei se cessurum dominus regnum eius iterum dicit. Ait enim. Scindens scindam regnum de manibus tuis. et dabo illud servo tuo. verumtamen in diebus tuis non faciam. propter david patrem tuum: set de manu filii accipiam illud. Sed ezechias cum in extrema pericula venisset. quamvis et ipse iustus esset: tamen pro beato david liberatus est. Ait enim. Audivi orationem tuam. et vidi lacrimam tuam. et ecce sanavi te. Die tertio ascendes templum domini. et addam diebus tuis quindecim annos: set et de manu regis assiriorum liberabo te. et civitatem hanc. et protegam eam. propter me et david puero. Vides quanta est virtus penitencie: vides quantum meriti conversio reparavit? Quod si voluisset ille cogitare hec que tu nunc animo geris. et dicere quia impossibile est propicium iam michi fieri deum. honoravit enim me honore ingenti et propheticam michi gratiam contulit. regni eciam magnificentiam dedit. de periculis quoque innumeris me eripuit: et quomodo potero cum post hec tanta eius beneficia deciderim et offenderim. atque in ultima flagitia devolutus sum. propicium rursum promereri deum? Si hec cogitasset david: cum prioribus pariter et novissima perdidisset. Non enim sola vulnera corporis si negligantur inferunt mortem; sed et anime similiter. Nos vero stulti erimus ut corpori quidem si vulnus adhybeatur. adhibeamus continuo medicinam; in nullo vero anime vulneribus medeamur. Et quidem vulneribus corporum sunt plura que sanari omnino non possunt. et tamen nos continuo desperamus. set in quantum possumus adhibemus dei licentiam. etiamsi audiamus a medicis quia huiusmodi vulnus sanari medicamento non possit. solacia medici aliquid substentacionis inquirant. in anime vero vulneribus ubi nichil est insanabile: neque enim anima necessitatem patitur nature. quasi aliena sit a nobis eius passio sic negligimus. sic desperamus. sic nichil ad anime sollicitudinem revocamus. et ubi natura languoris desperacionem generat. nos tamen quasi spei aliquid conferat. diligencie non omictimus curam hic ubi nulla est desperandi necessitas. quasi nulla sit sanitatis spes. omissa penitus cura discedimus. Vides quanto maiori corporis quam anime amore constringimur. ignorantes quia si animam negligimus nec corpus salvare poterimus. Non enim anima pro corpore. sed corpus pro anima factum est. Qui ergo quod primum est negligit. et quod inferius est excolit. utrumque confundit. Qui vero ordinem servat. et quod primum est excolit. etiam si negligat quod secundum est. per primi salutem salvabit et secundum. Quod ita esse etiam dominus et salvator noster docens dicebat. Nolite timere eos qui possunt corpus occidere. sed magis eum timete. qui potest corpus et animam mictere in gehennam. Putasne satisfacimus tibi quod nullus anime languor quasi insanabilis debeat desperari: an adhuc necesse est alias nos adhibere raciones et pluribus hec eadem confirmare? Melius enim si te ipsum desperes: nos te nunquam desperabimus. Neque enim hoc ipsum agimus. in quo alios reprehendimus. quamvis non sit idem cum ipse de se quis desperet. et cum ab alio desperatur. Qui enim alium desperat habet veniam. qui vero semetipsum desperaverit. nullam. quia ille non est dominus mortis alterius. hic vero sui propositi potestatem habet. Nos ergo non desperamus quod sit tibi reditus ad prioris vite statum: et ad illas quas in te novimus anime virtutes. Sed addimus adhuc ad te etiam hec. Ninivite audiebant prophetam ex definito dicentem et cominantem adhuc tres dies et ninive subvertetur sed nec sic quidem animis conciderunt: et hoc cum nec satis confiderent posse exorari deum ut contra responsa sua venirent que dicebantur. non sub aliqua venie condicione suspensa: set abrupta sentencia terminata. tantum ad penitenciam confugiunt dicentes. Quis scit si penitebit deus. et deprecabitur super malicia quia locutus est ut faceret. Quod si homines barbari et imperiti tantum potuerint habere intellectum divine bonitatis: nonne multo magis oportet nos qui in divinis licteris eruditi sumus. et hec ipsa exempla precessisse non ignoramus. multaque alia in divinis scripturis similia vel sentenciis similia vel in rebus gestis didicimus contineri? Non inquid deus consilia mea. sicut consilia vestra. nec vie mee sicut vie vestre: sed quantum distat celum a terra tantum distant cogitationes mee. a cogitationibus vestris. et consilia mea a consiliis vestris.

Tum preeterea si hos famulos nostros qui offenderint. cum promictunt se meliores futuros recipimus. et ad priorem locum revocamus. interdum vero eciam maiorem eis post offensam ex reconciliacione fiduciam damus. non multo magis nobis hec faciet deus? Nam si propterea nos fecisset deus ut puniret. bene desperasses et dubitares pro salute tua. Si vero propter bonitatem suam tantummodo nos fecit. ut eternis eius bonis et muneribus frueremur. atque omnia que agit ab inicio seculi usque ad presens tempus propterea agit et propterea movet ut nos misericordia sua salvet: que ultra nobis desperandi que ambigendi causa supererit. Set vehementer animis offendimus eum ut nullus umquam hominum. Propterea ergo maxime velocius et vehemencius satisfacere oportet et conmissi penitudinem gerere et cito recedere ab hiis actibus quibus offenditur deus. Neque enim rectas et ingenuas mentes ita deus offendit. quamvis sit gravis iniuria delicti: ut cum sit tempus satisfaciendi non sibi velit satisfieri. Peccare namque humanum est. permanere in peccatis diabolicum. Et dum inquit posteaquam meretricata est per hec omnia ad me convertere et non est conversa. Et iterum alibi. In hiis omnibus non est conversus inordinatus iuda: set adhuc manus eius excelsa. In aliis quoque postquam arguit peccata populi per prophetam. et emendacionem suam promiserunt: ostendens quam amabiliter conversionem suscipiat peccatorum dicit. Quis dabit ita esse cor eorum in eis ut timeant me et custodiant mandata mea omnibus diebus vite sue et bene sit eis et filiis eorum usque in seculum. Sed et moyses docere populum volens quid deus requirat ab hominibus ita ait. Et nunc israel quid dominus deus poscit a te. nisi ut timeas dominum deum tuum et incedas in eum ex toto corde tuo et ex tota anima tua? Deus ergo qui cupit se diligi a nobis. et omnia facit per hoc. et nec unigenito filio suo pepercit pro salute nostra et caritate. et quid optat ut ita dicam quocumque pacto. ut quandoque reconciliemur ei. quomodo penitentes nos et conversos ad se non libenter suscipiet. et amabit ut filios? Nam quo prospectu illud putas dixerit propheta. dic tu prior iniquitates tuas ut iustificeris: Nonne cupiens ad amorem suum nos revocare: et ad intimum caritatis effectum: Quis enim diligat amicum. si forte multas ab eo iniurias pertulit. et nec sic quidem aversus est amor a dilecto: si proferri in medium iniurias et exponi velit. certum est quod nullam aliam ob causam velit fieri. nisi ut redintegracio fiat amoris vehemencior et validior quam dudum. Quod si sola confessio peccatorum tantam reconciliacionis materiam tenet: quanto maior erit reconciliandi fiducia. si ipsis operibus penitencie que conmisimus deleamus. Nam si hoc esset ut eos qui semel lapsi sunt de via recta redire ad priores status voluntas divina prohiberet. aut nullus aut valde rarus intraret in regnum celorum. Immo vero eos quos precipuos inter patres et in admiracione habemus: post lapsus peccatorum invenimus reparatos: Qui enim vehementes fuerunt in malum conversi rursus ad bona eadem. nichilominus eis utuntur vehemencius: conscii sibi quod in multis teneantur obnoxii. Quod et dominus in evangeliis docuit. cum symoni de muliere quadam dicebat. Vides. inquit hanc mulierem? Introivi in domum tuam. aquam pedibus meis non dedisti. hec autem lacrimis suis rigavit pedes meos. et capillis capitis sui detersit. Osculum mihi non dedisti. hec autem ex quo ingressus sum non cessavit osculari pedes meos. Oleo capud meum non unxisti. hec autem unguento unxit pedes meos. Propter quod dico tibi: remictuntur ei peccata multa quoniam dilexit multum: Cui autem parum dimictitur parum diligit: Et ait mulieri; Remictuntur tibi peccata tua: Propterea denique et diabolus sciens. quod hii qui multa operati sunt mala. si se ad penitenciam converterint districte satis et vehementer hoc faciunt. utpote scientes quid elegerint: metuit et tremit ne quis forte horum inicium aliquid penitudinis capiat. Si enim ceperint iam nequeunt retineri. set in modum ignis penitencie calore succensi. auro purgaciores reddunt animas suas. et memoria consciencie sue velut spiritu quodam flante. ad portum salutis spe gubernante perveniunt. itineris sui habentes cautelam maximam preteritorum horrorem gestorum. atque in hac penitencia eos qui nullos unquam incurrerint lapsus videntur procedere. dum cauciores eos reddit experiencia. Acrius enim nescio quo pacto expetimus ea que necdum possessa desideramus adquirere. Tantum est ergo sicut dixi. ut inicium fiat. In hoc omnis est difficultas: ut primos aditus ingrediamur penitencie. In ipso enim ingressu stat

inimicus minis ac terroribus aspirans. et volentes adire cum omni acrocitate depellit: cuius si terrorum fumos et inanem nebulam contempnas. nec ille aliquid valebit ultra. et tu occupato aditu validiorem reditum sencies superioremque effectum inimici terroribus gratulaberis: ac perfacilem tibi de reliquo agonis istius cursum videbis: Age ergo age iam aggrediamur iter vite revertamur ad civitatem celestem in qua et conscripti sumus et cives decreti. Huius nobis urbis ianuas desperacio quidem claudit. aperit autem spes. et fiducia latum prebebit ingressum. Hec si contempnimus. non solum iam desidie culpam. set et superbie incurrimus. Nam et diabolus non aliunde talis est factus nisi quia primo quidem post peccatum desperacione usus est. postea vero ex desperacione in elacionem incidit et superbiam: Sic ergo et anima si semel quidem salutem suam ceperit desperare: iam nec intelligit quomodo vel in que mala precipitetur. Nichil enim aut agere aut dicere metu et quod contrarium sit saluti. sicut sepe videmus in hiis qui insaniunt cum semel perdiderint sanitatis statum. nichil iam ultra metuunt. nichil erubescunt. set licenter omnia et dicere audent et facere. eciam si in ignem proruant non declinant etiam si in profundum et precipicium. non revocant pedem: ita et qui desperacione capti sunt. intollerabiles fiunt per omnes malicie vias discurrunt pudor nichil prohibet. nichil impedit. presencia non vetant. futura non terrent. sola mors est quam evadere non possunt. Propter quod deprecor. priusquam inebrieris mali huius veneno. exurge queso te. expergiscere aliquando. et diabolicam hanc depone temulenciam. Quod si ad subitum non potes: paulatim certe et sensim recollige animos tuos. quamvis ut mihi videtur facilior via sit omnia simul abrumpere. atque ex integro ad exercitia penitencie converti. Si autem hoc difficile videtur. ut vis et potes tantum sume inicium aliquod melioris vite: et eterne vite desiderium cape: Itaque queso et obsecro et per illa te merita que prius quesieras exoro. ac per illam libertatem quam prius gerebas obtestor. si te iterum illum cernam virtutum verticem conscendentem et in illo prius penitencie robore solidatum. parce mihi amanti te. parce omnibus qui per te scandalizantur. et pro tuo lapsu labuntur: parce cunctis qui pro tua desperacione desperant nec putant virtutum viam incedere si te ad eam redisse non videant. Respice queso te quantus meror omnium sanctorum fratrum habeat chorum: quanta leticia et exultacio incredibilis fiat. quanta desidiosis adolescentibus de te fabula. quantaque eis per precipicia luxurie de te crescit auctoritas: Quod si redeas denuo ad illam priorem viam. omnia hec vertentur in contrarium: nostrum quidem dedecus ad illos migrabit. nos vero erimus in gaudio et leticia. Toto enim orbe victorem libidinis. victorem luxurie predicabimus. et triumphi coronas scribemus. Ista est enim maior et vera victoria que post lapsum conquiritur. post fugam reparatur. Tu vero non solum proprii laboris et emendacionis tue merita consequeris. set et mercedem pro illorum salute percipies. qui ex tua conversione capientes exemplum ad penitenciam se abiecta desperacione converterint. nec erit post hec aliquis qui quolibet lapsu deiectus non statim resurgere cupiat. et se reparare festinet. Ne queso ne contempnas tam magna hec et tam grandia lucra. nec animas nostras cum tristicia ad inferos mictas: set da nobis paululum respirare et eius que nos tui causa velavit tristicie nubem repelle. Ecce nos propria obliviscentes mala tuos casus lugemus. set si velles respirare sursum paululum et amorem celestium capere hac nos quidem lamentacione liberares. et pro nostris iam faceres cogitare delictis. Quod autem possint homines per penitenciam ad splendorem pristinum reparari. immo interdum et multo clariores effici quam dudum fuerant. iam quidem ex divinis scripturis docuimus. Inde denique est quod et meretrices et publicani hereditatem regis celestis accipiunt. inde et multi novissimi primi constituuntur. set tamen addam tibi etiam aliqua que nostra memoria gesta sunt quorum tu quoque testis es. Scis adolescentem illum filium urbani fenicis provincie. qui pupillus fuit a parentibus derelictus. sed divitis admodum familie et argento et auro ac possessionibus locupletissimus. Hic primo quidem contempta omni pompa elacionis ac iactancie quam vel adolescencia vel abundacia ministrare. ipsis etiam auditoriis licterarum liberalium derelictis. ad humilem vitam et indumenta vilia atque habitum pauperem. neglectumque conversus. ad montem desertaque secessit. atque ibi per continenciam nostre phi-

losophie exercitatus. et supra etatem suam magnorum et mirabilium virorum vitam abstinencie virtutibus. non solum equiparavit. set et precessit. Post hec etiam sacri baptismi misterium consequutus: multo magis ascendebat incrementa virtutum. Letabantur omnes et gaudebant. et laudabant dominum quod in tantis diviciis natus. et tam clari generis. et adhuc prime etatis adolescens. subito omni vite temporalis vanitate calcata. ascendere desideraverit. ad eterne vite fastigia. Cum ergo in his exerciciis conversaretur et in admiracione esset omnibus: quidam conrupte mentis homines qui ei iure consanguinitatis proximi videbantur accedere ad eum visendi gratia ceperunt. Post hec assiduitate colloquii mali rursus ad ea quae spreverat. et contempserat revocaverunt: et abiecta omni quam assumpserat philosophia. de montibus descendit ad forum. Tunc per medium civitatis equo vectus incedere totamque urbem quasi volitans et exultans abire. Abiecta sunt frena pariter castitatis: cui cum deliciis et luxuria nullum potest esse consorcium. Inde iam obscenis amoribus irretiri. et in omnem turpitudinem captivari. ita ut nullus hominum fuerit. qui non salutem eius desperaverit. Circumvolabant namque eum examina parasitorum circumdabant adulatorum greges. pupillum. adolescentem. divitem. Et quid ei reliquum videbatur spei? Illi autem. qui ad reprehendenda omnia prompti sunt. etiam illud culpabant. cur omnino vel ex inicio aspirasset ad hanc vitam. et presumpsisset quidem quod optinere non poterat. reliquisset autem studia ex quibus proficere in litterarum erudicione potuisset. Cum ergo per hec et alia huiusmodi singulis vita eius mollis videretur. et esset apud nos facti huius pudor ingens. sancti quidem viri quibus esset pericia in huiusmodi venacionibus capiendisquique multo usu experiencia didicissent. nichil esse desperandum: armati spe dei ceperunt observare eum sollicitius: et si quando in platea occurrissent. accedere cum mansuetudine et salutare. At ille primo quidem equo sedens vix resalutare aut respondere eis e latere incedentibus dignabatur. tantum elacionis et improbitatis assumpserat. Set illi misericordes viri nichil horum ad iniuriam revocantes. prospiciebant illud solum quod in animo intenderant. si quo pacto possent agnum de dentibus eruere luporum. quod et factum est per pacienciam et penitenciam sanctorum. nam cum frequenter hec facerent. aliquando velud ex amencia quadam in semetipso regressus adolescens. liberalitatis eorum et perseverancie erubuit et indulgencie: et cepit primo ut eos eminus sibi vidisset occurrentes. equo protinus desilire. et inclinato capite in terram. tacitus que ab illis dicebantur audire. ac processu temporis maiori circa eos uti reverencia. et ita paulatim per dei gratiam et sermonis eorum mansuetudine revocatus. cunctisque illis mortis nexibus quibus innexus fuerat evolutus. rursus ad solitudinem. rursus ad montes. et exercicia prioris philosophie repedavit. et in tantum nunc effulsit. ut longe supergressus sit priora illa que in admiracione fuerant prioribus studiis; Didicit enim et experimento assecutus est. que fuerit lapsus sui occasio. ac tocius deceptionis illecebra. illa procul dubio. quod non secundum mandatum evangelii prius omnia que habuit vendidit et indigentibus prerogavit ut thesaurum suum de terris transferret ad celum. et ibi esset cor suum ubi erat thesaurus suus. Set quia habuit adhuc aliquid in terris regressum est cor eius ad terram: et ideo ubi resipuit. continuo omnia que habuit expendit in pauperes. ut semetipsum sollicitudine liberaret. et in posterum sibi illecebram deceptionis abscideret. atque ita celestem nunc viam incendens. ad omnem virtutum perfeccionem caucior ex emendacione pervenit Set hic quidem adhuc adolescens et cito corruit; et velociter surrexit. alius quidam post multos labores. quos in solitudine positus desudaverat. habens secum unum solum vite habitacionis consortem. angelicam vitam ab adolescencia usque ad ipsam iam perduxerat senectutem: et nescio quomodo diabolico instinctu quasi dormitavit paululum. et parvum primo ingressum in corde suo diabolo prebuit. atque in desiderio mulieris incurrit. qui nec viderat unquam mulierem ex quo se ad monachorum contullerat vitam. Primo igitur rogare illum qui secum vivebat aggreditur ut vinum sibi et carnem ad vescendum deferret. Quo cunctante. comminari cepit venturum se ad civitatem non quo vesci carnibus delectaretur. sed ut occasionem aliquam desiderii inveniret explendi. Super hiis collega ille miratus. et verens ne forte si hec negaret maioribus eum traderet malis. que poscebat exhibuit. et desiderio eius satisfecit: Set ille ubi vidit occasionem sibi

fraudis exclusam. aperte iam et impudenter desiderium suum revelat. et ad civitatem se omnimodis descensurum fatetur. Ille vero ubi multa obiciens retinere non potuit. ad ultimum dimisit. eminus tamen subsequens observabat quid aut quo ire vellet. Ubi autem procul positus cernit eum lupanar ingressum. et desiderium suum contagione meretricis explesse. operiens foris et considerans vim naturalis in homine legis quia in huiusmodi delictis statim suscitatur penitudo conmissi: egressum resupinis manibus amplectitur et benigne deosculans nec omnino increpans pro lapsu. rogat ut expleto iam desiderio suo redeat prorsus ad habitacionem suam pristinam. et ad heremi solitudinem: at ille tantam in eum benignitatem et clemenciam videns. erubuit. et quasi telo verborum eius gestorumque percussus. ac semetipsum pro hiis que gesserat notans misericordem et optimum collegam sequitur ad montem. Cumque illuc pervenissent. exorat ut sibi in secreciori cellula incluso. adituque obstructo. panem tantum et aquam interiectis diebus preberet si qui autem de eo requisissent. defunctum affirmaret. Quibus impetratis. semetipsum conclusit. ibique permansit. ieiuniis et orationibus ac lacrimis. peccati sui diluens sordes. Tempore autem exacto non multo. cum penuria imbrium vicinas regiones siccitas ureret. et omnes qui habitabant illam terram lugerent: quidam ex ipsis admonetur in sompnis abire ad virum qui erat intra cellulam clausus. ut ipse oraret. nec aliter dandas pluvias monet. nisi illius precibus impetratas. Cumque assumptis secum nonnullis abisset. et collegam eius solum vidisset. percunctabatur de illo quem visio mandaverat perquirendum. Ubi vero defunctum audivit. falsatum se opinabatur in somnis. Rursus ad deprecandum deum vertebantur omnes: et iterum eo qui prius apparente sibi eadem monentur. Tum vero instancius perurgentes qui fefellerat. exorabant ut sibi ostenderet virum: confirmantes se ad viventem non ad defunctum tante visionis auctoritate transmissos. At ille ubi pactum resolutum divinitus vidit. ducit eos ad hominem dei. ac revulso aditu quem obstruxerat. ingressi procidunt ad pedes eius. atque omnem causam prodentes obsecrant ut necessitati famis oracionibus subveniret. Qui primo quidem excusabat procul se esse ad huiusmodi meritis asserens. ita lugebat peccatum illud. tamquam nuper admissum. et ante oculos positum. Tandem tamen fatigatus astancium precibus. intelligens dei esse voluntatem. ad orationem convertitur. flexisque genibus ad supplicacionem domini provolvitur et statim magna copia secuta est pluviarum: quibus et terra et homines recreati sunt. Nam de illo quid dicam? qui iohannis apostoli discipulus fuerat prius. postea vero ad latrocinia conversus. et multo in his tempore grassatus. rursus ab ipsis latronum speluncis apostoli manibus apprehensus. et priori ut ipse bene nosti redditus vite. longe melior et mirabilior posterioribus temporibus quam prioribus fuit. Non quia frequenter hec legens admiratus sis beati apostoli incredibilem benignitatem. atque inter cetera que erga eum ostenderit ineffabilis amoris insignia. illud te precipue mirari fatebaris. quod humano sanguine cruentam dexteram iuvenis deosculatus sit prius. et sic in amplexus eius corruens. ad eternam revocavit vitam. eum quem iam mors eterna subruerat. Set et beatus paulus onesimum. inutilem. factum fugitivum. furem. non solum amplectitur et diligit conversum. set a domino eius exorat. ut ita eum sicut seipsum habeat. Hec autem omnia pro munere penitencie. Sic ergo ait de eo. Obsecro te pro meo filio quem genui in vinculis onesimo: qui aliquando tibi inutilis fuit. nunc autem et mihi et tibi utilis quem misi ad te. Tu autem illum ut mea viscera suscipe. quem ego volui retinere. ut pro te mihi ministraret in vinculis evangelii. sed sine consilio tuo nichil volui agere. uti ne velud ex necessitate bonum tuum esset sed voluntarium. Fortassis enim ideo discessit ad horam. ut in eternum illum reciperes iam non ut servum set pro servo fratrem carissimum. maxime mihi. quanto autem magis tibi et in carne et in domino? Si ergo habes me socium suscipe illum sicut me. Set et corinthiis scribit idem apostolus pro his qui peccaverunt hoc modo. Ne forte cum venero lugeam ex hiis qui ante peccaverunt et non egerunt penitenciam pro immundicia. et fornicacione. que gesserunt. Et rursum. Sicut dixi et iterum dico. quia si venero iterum non parcam. Vides quos luget apostolus. et quibus non parcit? Non eos qni peccaverunt. set eos qui non penituerunt: non solum quia non penituerunt. set quia semel et iterum pro hoc com-

moniti obedire noluerunt. Quod autem dixit. predixi. et iterum dico ut presens secundo et nunc absens scribo: non aliud nisi admonitus eius eos indicat contempsisse. Unde vereor ne etiam nobis hoc accidat. Licet paulus non videatur assistere. set christus adest qui per ipsum loquebatur. Et si persistimus in duricia. dicet nobis quia non peream. non solum in presenti. set eciam in futuro. Igitur preveniamus faciem eius in confessione. et effundamus corda nostra in conspectu eius. Ait enim. peccasti. non adicias ultra. sed et pro prioribus tuis deprecare. Et iterum. Iustus in primordio sermonis accusator est sui. Non ergo expectemus inimicum accusatorem nostri: set nos eum preveniamus. et ex ipsa confessione nostra benigniorem erga nos iudicem faciamus. Et quidem quod confitearis peccata tua. et defleas temetipsum. bene novi. set hoc non solum volo abs te. Confessionem namque preteritorum. cum emendacione volo fieri futurorum. et ita volo persuasum habeas. quod hec faciens. certus sis veniam promereri. Omnis enim qui aliquid agit. nisi persuasum habeat. quod ei prosit illud quod agit. nec prompte id faciet nec competenter. Verbi causa. seminare vult fruges: nisi confidat et certus sit adfuturos imbres. germinaturam terram. fructus maturandos. numquam colliget messem. Si ergo nemo in vano laborare nemo in vano laborem gestit effundere; nemo operam consumit in id unde nichil lucri sit quesiturus. ita et qui verba seminat in confessione peccatorum insuper expendit fortassis et lacrimas. si non spem gerat venie promerende nec desinere a peccatis poterit. nec vinculis pessime consuetudinis absolvi. Sic qui de colligendis frugibus desperavit. nichil cure habuit ut aves a segetibus depellat. aut pecudes aut si qua sunt que nocere frugibus possunt. ita et qui in lacrimis seminat confessionem. nec tamen se ex ea fructum consecuturum sperat: nichil omnino fugat aut repellit a corde. quod corrumpere possit penitentiam. Corrumpitur autem penitencia si eisdem quis pro quibus confitetur rursus involvatur malis. Unus inquid edificans. et unus destruens: quid consecuntur nisi laborem? Et qui baptizatur a mortuo. et iterum tangit mortuum: quid proficit in lavacro suo? Ita et homo qui ieiunat pro peccatis suis. et iterum vadit. et eadem agit. orationem eius quis exaudiet? Et iterum dominus dicit. Qui redit a iustitia ad peccatum. precipitare eum in gladium: et sicut canis cum revertitur ad vomitum suum odibilis fit. ita et stultus rediens ad peccatum suum. Non ergo hoc solum sufficit si incusans temetipsum peccata tua videaris exponere. set eo affectu hec age ut speres tibi in eo iustificacionis aliquid conferri per penitenciam. Sic enim poteris et ipsi anime tue confitenti incutere verecundiam; ne ultra hec pro quibus confitetur incurrat. Nam contempnare semetipsum et peccatorem dicere: comune hoc est omnium penitencium infidelium: Denique multi de scena quoque viri et precipue mulieres impudice peccatores semetipsos appellant: set non eo prospectu hoc dicunt quo cupiant emendari. ideo non est ista dicenda confessio. Non ex corde compuncto. nec in amaritudine lacrimarum talia proferunt. neque eo affectu quasi oderint ea que accusant. nec ultra non dicam agere hec. set ne audire quidem velint: set tantum res in sermone est et summis labiis. non ex intimo cordis dolore perducto: ita ut interdum etiam pro hoc ipso laudari expectent. quasi qui nichil fallant: set licet contra semetipsos tamen vera pronuncient: quasi vero non ita grave videatur apud homines peccatum quod ab eo profertur qui id amisit. quam cum et ab alio arguitur. Set istud faciunt hii qui multa desperacione etiam sensu carent. nec hominum iam verentur notam: set cum fiducia quadam. quasi aliena ita enunciant mala sua. te autem nichil horum facere volo. neque ex desperacione ad confessionem venire. set cum spe bona et presumpcione indulgencie desperacionis radice penitus excisa. Radix autem est desperacionis ignavia: et non solum radix. set et nutrix eius et mater. Nam sicut vestimentum generat tineas et nutrit. ita et ignavia non solum generat ex se desperacionem. set alit et fovet. Ex semetipsis ergo animantur hec pariter. et augescunt: et si alteram quis harum abscidat. altera sine dubio interitu perimitur alterius. Istam ergo tibi male copulatam bigam disiunge. et iugum eius confringe. Iugum dico animi iudicium in quo velud in iugo. libra vite pendet humane. Ubi enim cogitacio animi non recte consuluerit. ibi axis vite rapitur in preceps. Set nunc quid dicamus asculta. Sepe accidit ut per penitenciam quis multa et maxima correxerit mala. inter hec tamen bona que peni-

tencia correxerit. etiam peccata commiserit. Et hoc est quod maxime animo desperacionem inducit. quia videtur sibi destruxisse quod edificaverat. et omnes illos labores inaniter effundisse. et hec cogitacio est. que precipue anime pondus desperacionis imponit. Set illud rursus oportet cogitare per quod pessima et inimica vite nostre cogitacio ista depellatur. quia illa bona que egimus et emendacio illa que per penitenciam quesita est nisi fuisset. et velud contrarium pondus ponderi huic quod ex peccato nobis introductum est. obstitisset. nichil fuerat quod nos in profundum malorum ire prohibuisset. Nunc autem sicut fortis quedam lorica. iaculum grave et amarum non permisit usque ad vitalia viscerum penetrare. set vim letalis teli maxima fregit ex parte. Certum est enim (quia) qui fert secum illic plura opera bona et plura mala. in ipsis penis habebit aliquid refrigerii. Qui autem bonorum operum nichil. malorum autem secum multam copiam defert: quid eum maneat nec opus est dicere. Erit enim ibi sine dubio compensatio bonorum operum malorumque et velut in statera posita utraque pars que dimiserit illa sibi eorum quo momento vergitur operarium vendicabit. Si ergo malorum multitudo superaverit. operarium suum pertrahet ad gehennam. Si vero maiora fuerint opera bonorum. summa vi obsistent: et repugnabunt malis: atque operatorem suum ad regionem vivorum ex ipso etiam gehenne confinio revocabunt. Verum hec non tam ex nostro sensu quam ex divinis scripturarum sermonibus affirmantur. Sic enim scriptura pronunciat dicens: Ipse reddit unicuique secundum opera eius. Non solum enim in gehenna suppliciorum. set in regno celesti multe erunt differencie. Mansiones inquid multe sunt apud patrem meum. Et iterum. Alia gloria solis et alia lune. et quod vere amplius admirandum sit. ut ostenderet quod etiam in minimis ratio et mensura compensabitur meritorum: et stella inquid a stella differt in claritate. ut per hoc ostenderet. quia inter singulos eorum qui in regno erunt. futura sit differencia. Hec igitur omnia scientes. non nos subtrahamus ab operibus bonis neque desperacionis obtentu desidie nos atque ignavie concedamus. neque si ad splendorem solis ac lune pervenire non possumus etiam stelle nobis quamvis inferioris claritas contempnenda non est. Tantum est ut aliquantulum lucis virtutum merito queramus. tantum est ut quamvis minimum celi tamen ornatum mereamur explere. Si aurum. si preciosus lapis esse non possumus. argenti saltem locum expleamus. Tamen ne in illa materia convertamur quam facile ignis absumit. ne lignum. ne fenum inveniamur aut stipula. Simus in bonorum parte vel ultimi tantum ne in malis primi inveniamur. Etenim sicut divitie huius seculi. tunc maxime augentur. cum nulla prorsus lucra vel minima contempnuntur. ita et in spiritalibus diviciis. nec minimum quidem boni operis contempnendum est. Alioquin valde absurdum videtur. cum iudex noster nec calicis quidem aque frigide mercedem se promisit negaturum. nos dicere. quia nisi magna sint que gerimus et ingentia. nichil proderunt minima. Immo vero ego etiam illud addo. quia si quis parva non contempnat et minima. certum est quod paulatim ad magna perveniat. qui vero spernit minima sicut dicit scriptura. paulatim decidet et ideo arbitror dominum. et salvatorem nostrum in rebus minimis magnas statuisse mercedes. Quid est tam leve. tam facile. quam visitare infirmum? Et tamen huic tam exiguo operi remuneracionem magnificam posuit. Et iterum quid tam facile. quid tam gratum quam esurienti cibum. sicienti potum. nudo indumentum. conclusum in carcere requirere. Et hec que tam parva sunt. et tam minima ita magna ducit et summa. ut ea non homini. set sibi ipsi deus reputet ministrata. et pro hiis regnum celestem promiserit. Aggredere ergo o amice. Karissime aggredere iter eterne vite et rursum suscipe iugum christi suave et onus eius leve. Recupera in temetipso animi virtutem. et finem redde initiis similem ne paciaris tantum tibi et tanto labore quesitum spiritualium agonum deperire censum. Peribit si persistas in peccatis et exacerbes deum in operibus tuis. si vero priusquam census tui fiat multa iactura. quam terra tua noxiis inundacionibus repleatur. excludas irruptionum fines. et ingressum prohibeas inundancium viciorum. rursus poteris pristinam reparare culturam. et ad fructus solidos optimi ruris quondam tua exercere novalia. Exurge ergo exurge sicut dicit propheta et excute pulverem pedum tuorum. Exurge de terra. et statim michi crede terrebitur adversarius tuus. Ille quidem te ita

deiecit. quasi ultra non surrecturum: si autem videat te exurressisse de terra et brachia rursum certamini pretendentem. ipsa tui fiducia deterrebitur. et quanto tu promcior. tanto ille formidolosior fiet. quanto tu maiora presumis; tanto ille infirmior fragiliorque reddetur. Set et illud cogita quod tibi maiora audenti adderit deus. illi vero scelerum conscientia. et audacia labefactabit vires. Si michi credis iam videor michi videre erga te dei nutum. et te quidem auxilio sublevari divino. adversarium vero tuum pudore ipso et confusione terreri. Iam mente concipio. quod omni gratulatione te atque favore. totus ad se invitet virtutum chorus. tu tantum ne reformides. nichil trepides. set perge audentior. tende alacrior. erumpe iam letior. Nec ego usquam pro viribus deero. set semper animabo sermone. semper hortabor. et presentem viva voce. et absentem litteris suscitabo. quamquam certus sim. quod si hec libenter relegas. ultra alia medicamenta non requiras. Amen. EXPLICIT LIBER SANCTI IOHANNIS DE REPARACIONE LAPSI.

Pag. 159 — VITA SANCTI BRENDANI ABBATIS.

Sanctus brendanus filius finlocha; nepos althi. de genere eogenistagnilen regionis mumenensium ortus fuit. Erat magnae vir abstinentiae. et virtutibus clarus. trium milium fere monachorum pater. Cum esset in suo certamine in loco qui dicitur saltus; virtute brendani contigit. ut quidam patrum ad illum quodam vespere venisset. nomine barindus. nepos illius. Cumque interrogatus esset multis sermonibus a predicto sancto patre. coepit lacrimare. et se prostrare in terra. et diutius permanere in oratione. Sanctus brendanus. erexit illum de terra. et osculatus est illum dicens. Pater cur tristitiam habemus in adventu tuo? Nonne ad consolationem nostram venisti? Magis laetitiam tu debes fratribus preparare. Indica nobis verbum dei. atque refice animas nostras de diversis miraculis que vidisti in oceano. Tunc sanctus barindus. expletis sermonibus brendani. coepit narrare de quadam insula dicens. Filius meus mernoc. atque procurator pauperum christi. confugit a facie mea. et voluit se esse solitarium. Invenit insulam iuxta montem lapifilis nomine. insulam deliciosam. Post multum vero tempus; nuntiatum est michi. Quod plures monachos secum habuisset. et deus multa mirabilia per illum ostendit. Itaque perrexi illuc ut visitarem filiolum meum. Cumque appropinquassem iter trium dierum. in occursum michi festinavit cum fratribus suis. revelavit enim dominus sibi adventum meum. Navigantibus nobis in predictam insulam. occurrerunt nobis obviam; sicut examen apum; ex diversis cellulis fratres. Erat enim habitatio corum sparsa. tamen unanimiter illorum conversatio. in spe. et fide. et caritate. Una refectio. Opus dei una in aecclesia perficientes. Nichil aliud cibi ministratur; nisi poma. et nuces. atque radices. et coetera genera herbarum. Fratres post completorium in suas singulas cellulas usque ad gallorum cantus. seu pulsum campanae. Pernoctantibus nobis. et filiolus meus. et perambulantibus totam insulam; duxit me ad litus maris contra occidentem; ubi erat navicula. et dixit michi. Pater ascende in navim. et navigemus contra occidentalem plagam. ad insulam quae dicitur terra repromissionis sanctorum. quam deus daturus est successoribus nostris. in novissimo tempore. Ascendentibus nobis et navigantibus nebulae cooperire coeperunt undique. in tantum ut vix potuissemus puppim. aut proram naviculae aspicere. Transacto vero spatio quasi unius horae. circumfulsit nos lux ingens. et apparuit terra spatiosa. et herbosa. pomiferosaque valde. Cum stetisset navis ad litus; ascendimus nos. et coepimus ire. et perambulare per quindecim dies illam insulam. et non potuimus finem ipsius invenire. Nichil herbarum vidimus sine flore. et arborum sine fructu. lapidos enim ipsius praetiosi generis sunt. Porro quintodecimo die invenimus fluvium vergentem ab orientale parte ad occasum. Cumque considerassemus haec omnia. dubium nobis erat quid agere debuissemus. placuit nobis transire flumen. sed expectavimus dei consilium. Cum haec exposuimus intra nos; subito apparuit quidam vir magno splendore coram nobis. qui statim propriis nos nominibus appellavit. atque salutavit dicens. Euge boni fratres. dominus enim revelavit vobis istam terram. quam daturus est sanctis suis. est enim medietas insulae istius usque ad istud flumen. Non enim licitum est vobis transire ulterius. Revertimini igitur unde existis. Cumque hoc dixisset. statim illum interrogavi unde esset. aut quo nomine vocaretur. Qui ait. Cur me interrogas unde

sim. aut quo nomine vocor? Quare me non interrogas de ista insula? Sicut illam vides modo. ita ab initio mundi permanet. Indiges aliquid cibi aut potus. sive vestimenti? Unum annum es in hac insula. et non gustasti de cibo. aut de potu. Numquam fuisti oppressus somno. nec nox te operuit. Dies namque est semper sine ulla cecitate tenebrarum hic. dominus noster ihesus christus lux ipsius est. Confestim inchoavimus iter. et ille predictus vir nobiscum pervenit usque ad litus ubi erat nostra navicula. Ascendentibus autem (nobis) in navim. raptus est idem vir ab oculis nostris. et venimus per predictam caliginem ad insulam deliciosam. At ubi fratres nos viderunt. exultabant exultatione magna de adventu nostro et plorabant de absentia nostra multo tempore dicentes. Cur patres dimisistis vestros oves sine pastore in ista silva errantes? Novimus abbatem nostrum. frequenter a nobis discendere in aliquam partem. sed nescimus in qua. et ibidem demorari aliquando unum mensem. aliquando duas ebdomadas seu unam ebdomadam. plus minusve. Cum haec audissem coepi illos confortare dicens eis. Nolite fratres putare aliquid nisi bonum. vestra conversatio procul dubio est ante portam paradysi. Hinc procul insula est quae vocatur terra repromissionis sanctorum. ubi nec nox imminet. nec dies finitur. illam frequentat abba mernoc. Angelus enim dei custodit illam. Nonne cognoscitis in odore vestimentorum nostrorum quia in paradyso dei fuimus? Tunc fratres responderunt dicentes. Abba novimus quia in paradyso dei; spatium morabamini. Ubi est ille paradysus nescimus. Nam a flagrantia vestimentorum abbatis nostri probavimus. quae pene usque ad quadraginta dies tenebantur adore. Illuc mansi duas continuas ebdomadas; cum filio meo. sine cibo et potu. In tantum habuimus de satietate corporali; ut ab aliis videremur repleti musto. Post vero quadraginta dies. accepta benedictione fratrum et abbatis. reversus sum cum sociis meis ut redirem ad cellam meam. ad quam iturus eram crastino. His auditis sanctus brendanus inquit. Iustus deus in viis suis. et sanctus in omnibus operibus suis. qui revelavit servis suis tanta ac talia mirabilia. Et benedictus in donis suis qui hodie nos refecit de tali gustu spirituali et potu. His finitis sermonibus. dixit sanctus brendanus. Eamus ad refectionem corporis. et ad mandatum novum. Transacta autem illa nocte. accepta benedictione fratrum ad cellulam suam sanctus brendanus perrexit.

Igitur sanctus brendanus de omni congregatione sua electis bonis fratribus septem; conclusit se in uno oratorio cum illis. et locutus est ad illos dicens. Conbellatores mei amantissimi. consilium atque adiutorium prestolor a vobis. quia cor meum et cogitationes meae conglutinatae sunt in unam voluntatem. tantum si voluntas dei est. Terram autem de qua locutus est pater barindus repromissionis sanctorum; in corde meo proposui illam querere. Quomodo vobis videtur? Aut quod consilium vultis michi dare? Agnita vero illi voluntate sancti patris; quasi uno ore dicunt omnes. Abba. voluntas vestra ipsa est et nostra. Nonne hereditatem nostram despeximus? Nonne parentes nostros dimisimus; et corpora nostra tradidimus in manus vestras? Itaque parati sumus sive ad mortem sive ad vitam vobiscum ire. Unam tantummodo queramus dei voluntatem. Diffinivit ergo sanctus brendanus; et hii qui cum eo erant. ieiunium quadraginta dierum semper per triduanas. et postea proficisci. Transactis iam quadraginta diebus; et salutatis fratribus commendatisque preposito monasterii sui qui fuit postea suus successor in eodem loco. profectus est contra occidentalem plagam. cum quattuordecim fratribus. ad insulam cuiusdam sancti patris nomine aende. ibique demoratus est tribus diebus. et tribus noctibus. Post haec accepta benedictione sancti patris. et omnium monachorum qui cum eo erant profectus est in ultimam partem regionis suae. ubi morabantur parentes eius. Attamen noluit illos videre. sed in cuiusdam summitate montis extendentis se longe in oceanum. in loco qui dicitur sedes brendani. fecit tentorium. ubi erat introitus unius navis. Sanctus brendanus et qui cum eo erant. acceptis ferramentis. fecerunt naviculam levissime costatam. et columnatam ex ilice; sicut mos est in illis partibus et cooperuerunt illam coriis bovinis. atque rubricatis in cortice roborino. et linierunt foras omnes iuncturas pellium ex butyro. Et miserunt duas alias paraturas navis de aliis coriis intus in navim. et dispendia quadraginta dierum. et butyrum ad pelles preparandas ad cooperimentum navim. et coetera utensilia; quae ad usus vitae humanae pertinent. Ar-

borem posuerunt in medio navis. antennam et velum. et coetera quae ad gubernationem navis pertinent. Sanctus brendanus fratribus suis praecepit in nomine patris et filii et spiritus sancti intrare in navim. Cumque ille solus stetisset in litore; et benedixisset portum. ecce fratres supervenerunt de suo monasterio post illum qui statim ceciderunt ante pedes eius dicentes. Pater. dimitte nos ire tecum quo iturus es. Alioquin moriemur in isto loco fame et siti. Decrevimus enim peregrinari diebus vitae nostrae. Cum vir dei vidisset illorum angustiam praecepit illos intrare navim dicens; fiat voluntas vestra filioli. Et addidit. Scio quomodo vos venistis. Iste frater bonum opus est operatus. nam deus preparavit sibi aptissimum locum. vobis autem teterrimum iudicium. Ascendit sanctus brendanus in navim extensis velis coeperunt navigare contra solstitium aestus. Habebant autem prosperum ventum. nichilque fuit eis opus navigare nisi tenere vela. Post quindecim vero dies cessavit ventus. et coeperunt navigare. usque dum vires eorum defecerunt. Confestim sanctus brendanus coepit illos confortare. atque ammonere dicens. Fratres. nolite formidare. deus enim noster adiutorem et gubernatorem dabit nobis. Tantum mittite intus omnes remiges. et gubernam tantum dimittite vela extensa. et faciat deus sicut vult de servis suis et de nave sua. Reficiebant autem semper ad vesperas. aliquando ventum habebant. in quam partem ferebatur navis.

Consummatis iam quadraginta diebus; et omnibus dispendiis quae ad victum pertinent; apparuit illis quaedam insula ex parte septemtrionali. valde saxosa et alta. Cum autem appropinquassent ad litus illius. viderunt ripam altissimam sicut murus. et diversos rivulos descendentes de summitate insulae fluentes in mare: tamen minime poterant invenire portum; ubi stetisset navis. Fratres enim valde vexati de fame et siti; singuli vero acceperunt vascula; ut aliquid de aqua potuissent sumere. Sanctus brendanus cum haec vidisset dixit. Nolite facere. stultum est quod agitis. quando deus non vult nobis ostendere portum intrandi; et vultis rapinam facere. Dominus ihesus christus post tres dies ostendet servis suis portum et locum manendi. ut reficiantur corpora vexatorum. Cum autem circuirent per tres dies illam insulam; tertia die circa horam nonam invenerunt portum ubi erat aditus unius navis. Et statim surrexit sanctus brendanus et benedixit introitum. Erat namque petra incisa ex utraque parte mire magnitudinis sicut murus. Cum vero omnes ascendissent de navi. et stetissent foris in terra; praecepit sanctus brendanus ut nichil de suppellectile tulissent foras de navi. Porro ambulantibus per ripas maris; occurrit illis canis per quandam semitam. et venit ad pedes sancti brendani sicut solet canis venire ad pedes dominorum suorum. Tunc sanctus brendanus dixit fratribus suis. Nonne bonum nuntium donabit nobis deus? sequimini eum. Tunc sanctus brendanus cum fratribus suis secutus est canem usque in oppidum. Intrantibus autem in oppidum viderunt aulam magnam. ac stratam lectulis. et sedibus aquamque ad pedes lavandos. Cum autem resedissent; praecepit sanctus brendanus suis sociis dicens. Cavete fratres ne satanas perducat vos in temptationem. video enim illum suadentem unum ex tribus fratribus qui post nos venerunt de monasterio de furtu pessimo. Orate pro anima eius. iam caro eius tradita est in potestate diaboli. Illa domus in qua residebant; erat quasi inserta per parietes in circuitu de appendentibus vasculis et de diversis generibus metalli. Frenis et cornibus circumdatis argento. Tunc sanctus brendanus dixit ministro suo qui solebat panem apponere fratribus. Fer prandium quod nobis deus misit. Qui statim surrexit invenit mensam positam. et linteamina. et panes singulos miri candoris. et pisces. Cum allata fuissent omnia benedixit sanctus brendanus prandium. et dixit fratribus. Qui dat escam omni carni. confitemini deo coeli. Residebant igitur fratres et magnificabant deum. Similiter et de potu quantum volebant. Finita iam cena; et opera dei perfinita dixit predictus vir. Requiescite singuli in lecta et bene strata. Opus est vobis ut repausetis membra vestra ex labore nimio navigii vestri. Cum autem fratres obdormirent. vidit sanctus brendanus opus diaboli. infantem ethiopem habentem frenum in manu et iocantem ante predictum fratrem. Statimque sanctus brendanus surrexit; et coepit orare. pernoctans usque mane. Iam vero mane facto. cum fratres ad opus dei festinassent. et post hoc ut iter egissent ad navim. ecce apparuit mensa parata sicut et pridie. Ita per tres dies preparavit deus prandium servis suis.

Post haec sanctus brendanus cum suis sociis coepit ita agere. et fratribus dicere. Videte ne aliquis ex vobis aliquid de substantia istius insulae tollat secum. At illi omnes responderunt. Absit pater. ut aliquod furtum violet nostrum iter. Tunc dixit sanctus brendanus. Ecce frater noster quem dixi vobis heri. habet frenum argenteum in sinu suo. quod hac nocte tradidit ei diabolus. Cum haec audisset predictus frater; iactavit illum frenum de sinu suo. et cecidit ante pedes viri dei dicens. Peccavi pater ignosce. ora pro anima mea ne pereat. Confestim omnes simul prosternebant se ad terram. deprecantes dominum pro anima fratris. Elevantibus se fratribus a terra. elevatoque fratre a predicto sancto patre. ecce viderunt ethiopem parvulum sallire de sinu suo. et ululantem voce magna dicens. Cur me vir dei iactas de habitatione mea in qua habitavi septem annis? et facis me alienare ab hereditate mea? Sanctus brendanus ad hanc vocem dixit. Precipio tibi in nomine domini nostri ihesu christi; ut nullum hominem leseris usque ad diem. Iterum conversus vir dei ad predictum fratrem ait. Sume corpus et sanguinem domini. quia anima tua modo egredietur de corpore. Hic enim habes locum sepulturae tuae. En frater tuus qui venit tecum de monasterio nostro in infernum habet locum sepulturae. Itaque accepta eucharistia. anima fratris egressa est de corpore. suscepta ab angelis lucis videntibus fratribus. Corpus autem conditum est in eodem loco a predicto sancto patre.

Igitur fratres cum sancto brendano venerunt ad litus eiusdem insulae ubi illorum navis. Ascendentibus autem illis in navim. occurrit illis iuvenis portans cophinum plenum pomibus. et amphoram aquae. Qui dixit eis. Sumite benedictionem de manu servi dei. Restat enim vobis longum iter. usque dum invenietis consolationem. Tamen non deficiet vobis panis neque aqua. ab isto die usque in pascha. Accepta benedictione. coeperunt navigare in oceanum. Semper triduanas reficiebant. ita per diversa loca oceani ferebatur navis. Quadam namque die viderunt insulam non longe ab illis. Cumque coepissent navigare ad illam insulam subvenit illis prosper ventus in adiutorium. ut non laborassent plus quam vires poterant sustinere. Cum navis stetisset in portu. precepit vir dei omnes exire foras. Ipse autem egressus post illos. Cum coepissent circuire illam insulam viderunt aquas largissimas manare ex diversis fontibus plenis piscibus. Dixit sanctus brendanus fratribus suis. Faciamus hic divinum opus. sacrificemus domino immaculatum holocaustum; quia hodie est cena domini. Et ibi manserunt usque in sabbatum sanctum paschae. Perambulantes illam insulam. invenerunt diversos greges ovium unius coloris. idest albi. ita ut non possint ultra videre terram pre multitudine ovium. Convocatis fratribus suis sanctus brendanus dixit illis. Accipite quae sunt necessaria ad diem festum de grege. Fratres vero festinabant secundum mandatum viri dei ad gregem. Qui statim acceperunt de grege unam ovem. Cum illam alligassent per cornua. sequebatur illa quasi domestica illum qui tenebat ligatam in manu sua. usque ad locum ubi stetit vir dei. Iterum autem vir dei uni ex fratribus dixit. Accipe agnum immaculatum de grege. Qui festinavit. et fecit sicut sibi iussum fuerat. Cum illi parassent omnia ad opus crastini diei. ecce apparuit illis homo habens in manu sportam plenam panibus subcinericiis. et coetera quae erant necessaria. Cum haec posuisset ante virum dei cecidit pronus super faciem suam tribus vicibus ad pedes sancti patris dicens. Unde michi immerito o margarita dei ut pascharis in istis sanctis diebus de labore manuum mearum? Sanctus brendanus elevato illo de terra. et dato osculo dixit. Fili. dominus noster ihesus christus proposuit nobis locum. ubi celebrare possumus sanctam suam resurrectionem. Cui ait predictus vir. Pater. Hic celebrabitis istud sabbatum sanctum. vigilias vero et missas in illa insula quam videtis proposuit vobis deus celebrare suam resurrectionem. Dum haec dixisset. coepit obsequium famulorum dei. et omnia quae necessaria erant in crastinum preparare. Finitis omnibus et allatis navim; dixit ad sanctum brendanum predictus vir. Vestra navicula non potest amplius portare. ego vobis transmittam post octo dies quae vobis necessaria sunt de cibo et potu usque in pentecosten. Sanctus brendanus dixit. Unde tu nosti ubi erimus post octo dies? Cui ait. Hac nocte eritis in illa insula quam vos videtis prope. et cras usque in oram sextam. postea navigabitis ad aliam insulam quae est non longe ab ista insula contra occidentalem plagam quae vocatur pa-

radisus avium. ibique manebitis usque in octavas pentecosten. Interrogabat quoque sanctus brendanus illum. quomodo oves potuissent esse tam magnae sicut ibi visae sunt. erant enim maiores quam boves. Cui ille dixit. Nemo colligit lac de ovibus in hac insula: nec hiemps distinguit illas. sed in pascuis semper commorantur diu noctuque. ideo maiores hic quam in vestris regionibus. Profectique sunt ad navim et coeperunt navigare. data benedictione vicissim.

Cum autem venissent ad aliam insulam coepit illa navis stare ante quam portum illius potuissent tenere. Sanctus brendanus praecepit fratribus exire de navi intus in mare. et ita fecerunt. tenebantque navim ex utraque parte cum funibus. usque dum ad portum venit. Erat autem illa insula petrosa sine ulla herba. silva rara erat ibi. et in litore illius nichil de harena fuit. Porro pernoctantibus in orationibus et in vigiliis fratres foris nave. vir dei sedebat intus. sciebat enim qualis erat illa insula. tamen noluit indicare ne fuissent perterriti. Mane autem facto precepit sacerdotibus ut singuli missas cantassent. et ita fecerunt. Cum sanctus brendanus et ipse cantasset in navi. coeperunt fratres carnes crudas portare foras de navi. ut condidirent sale illas. Portabant etiam et pisces quas secum tulerunt de alia insula. Cum haec fecissent. posuerunt caccabum super ignem. cum autem ministrassent ligna igni. et fervere coepisset caccabus; coepit illa insula se movere sicut unda. Fratres vero coeperunt currere ad navim deprecantes patrocinium sancti patris. Pater singulis manibus illos trahebat intus. Relictis omnibus quae portabant in illam insulam coeperunt navigare. Porro illa insula ferebatur in oceanum. In uno poterant videre ignem ardentem super duo miliaria. Sanctus brendanus narravit fratribus quid hoc esset dicens. Fratres admiramini quod fecit haec insula? Aiunt. Admiramur valde. nec non et ingens pavor penetravit nos. Qui dixit illis. Filioli. nolite expavescere. Deus enim revelavit mihi hac nocte per visionem sacramentum huius rei. Insula non est ubi fuimus. sed piscis prior omnium natantium in oceano. Semper quaerit suam caudam ut simul iungat capiti; et non potest prae longitudine. qui nomen habet iasonis.

Cum autem navigassent iuxta insulam ubi erant per triduanum antea. et venissent ad summitatem illius contra occidentem viderunt aliam insulam prope sibi iunctam. interveniente fretu magno herbosam valde et nemorosam plenam floribus. coeperunt querere portum per circuitum insulae. Porro navigantibus contra meridianam plagam eiusdem insulae. rivulum invenerunt vergentem in mare. ubi navim ad terram miserunt. Ascendentibus illis de navi; precepit sanctus brendanus ut per funes contra alveum fluminis traxissent. quantum plus potuissent. Erat autem illud flumen tam latum sicut et navis latitudo erat. Predictus pater sedebat in navim. et ita fecerunt per spatium unius miliarii usque dum ad fontem venirent eiusdem fluminis. Dixit sanctus brendanus. Ecce dominus noster ihesus christus nobis dedit locum ad manendum in sua resurrectione sancta. Et addidit. Si non habuissemus aliqua dispendia excepto isto fonte; sufficeret credo nobis ad victum et ad potum. Erat autem super illum fontem. arbor mire latitudinis in girum non nimis altitudinis. cooperta avibus condidissimis. In tantum cooperuerunt illam. ut folia et rami eius minime viderentur. Cum haec vidisset vir dei. coepit intra se cogitare et tractare quidnam esset. aut qua causa fuisset tanta multitudo avium. et potuisset esse in una collectione. In tantum sibi erat tedium. ut effudisset lacrimas involutis genibus. atque deprecaretur deum dicens. Deus cognitor incognitorum. et revelator absconditorum omnium. tu scis angustiam cordis mei. Deprecor tuam maiestatem. ut michi peccatori digneris per tuam magnam misericordiam revelare tuum secretum. quod video cum oculis meis. Non dignis meis meritis presumo sed clementia tua. Cum haec dixisset inter se atque resedisset. ecce una ex illis avibus volabat de arbore et sonabant alae eius; sicut tintinnabulum contra navim ubi vir dei sedebat. Quae sedit in summitate prore et coepit extendere alas quasi signo laetitiae. et placido vultu aspicere sanctum patrem. Statim vir dei novit quia deus recordatus est deprecationum eius. tunc ait ad avem. Si nuntius dei es; narra michi unde sunt iste aves. aut pro qua re illorum collectio hic sit. Quae statim ait. Nos sumus de illa magna ruina antiqui hostis. sed non peccando consensimus. Sed ubi fuimus creati; per lapsum illius cum suis satellitibus contigit nostra ruina. Deus autem noster iustus et verus per suam magnam vindictam misit nos in

istum locum. Poenas non sustinemus. et per presentiam dei possumus videre lumen. Tantum alienavit nos a consortio aliorum qui steterunt. vagamur per diversas partes aeris. et firmamenti. et terrarum. sicut alii spiritus qui mittuntur. Sed in sanctis diebus atque dominicis. accipimus corpora talia quae tu vides. et commoramur hic. et laudamus nostrum creatorem. Tu autem cum tuis fratribus habes unum annum in tuo itinere. adhuc restant sex. Ubi hodie caelebrasti pascha; ibi omni anno celebrabis. et postea invenies quae posuisti in corde tuo. idest terram repromissionis sanctorum. Cum haec dixisset. levavit se de prora illa avis. et coepit volare ad alias. Cum autem vespertina hora adpropinquasset. coeperunt omnes quae in arbore erant quasi una voce cantare. percutientes latera sua atque dicentes. Te decet ymnus deus in syon. et tibi reddetur votum in ierusalem. Et semper reciprocabant predictum versiculum. quasi per spatium unius horae. Et videbatur viro dei et illis qui cum eo erant illa modulatio; et sonus alarum quasi carmen planctus pro suavitate. Tunc sanctus brendanus ait fratribus suis. Reficite corpora vestra. quia hodie animae nostrae divina refectione satiatae sunt. Finita iam cena; coeperunt opus dei peragere. His omnibus finitis. vir dei et qui cum eo erant. dederunt corporibus quietem. usque ad tertiam vigiliam noctis. Evigilans vero vir dei. caepit suscitare fratres suos ad vigilias noctis sanctae. incipiens illum versiculum. Domine labia mea aperies. Finita iam sententia viri dei. omnes aves alis et ore resonabant dicentes. Laudate Dominum omnes angeli eius. laudate eum omnes virtutes eius. Similiter et a vespera per spatium horae semper cantabant. Cum aurora refulsisset. coeperunt cantare. Et sit splendor domini dei super nos. Aequali modulatione et longitudine psallendi. sicut in matutinis laudibus. Similiter ad tertiam horam istum versiculum. Psallite deo nostro psallite. psallite regi nostro psallite sapienter. Ad sextam. Illumina domine vultum tuum super nos. et misereatur nostri. Ad nonam psallebant. Ecce quam bonum et quam iocundum habitare fratres in unum. Ita die et nocte aves reddebant domino laudes. Igitur sanctus brendanus usque in octavam diem. reficiebat fratres suos festivitate paschali. Consummatis itaque diebus festis dixit. Accipiamus de isto fonte stipendia. quia usque modo non fuit nobis nisi ad manus et pedes lavare.

His dictis. ecce predictus vir cum quo ante fuerunt. triduanum ante pascha qui distribuit illis alimonia paschalia; venit ad illos cum navi plena victu et potu. ablatis omnibus de navi. cum sancto patre locutus est ad illos. Viri fratres. hic habetis sufficienter usque ad diem sanctum pentecosten. Et nolite bibere de hoc fonte. fortis namque est ad bibendum. Dicam vobis naturam illius. Quisquis biberit ex eo. statim irruet super eum sopor. et non evigilabit usque dum complentur viginti horae et quattuor. Dum manat foras de fonte. habet saporem aquae; et naturam. Accepta benedictione sancti patris; reversus est in locum suum. Sanctus brendanus mansit in eodem loco; usque ad octavas pentecosten. Illorum refocillatio avium erat cantus. Die vero sancto pentecosten; cum sanctus vir cum suis famulis missas cantasset venit illorum procurator portans omnia quae ad opus diei festi necessaria erant. Cum autem simul discubuerunt ad prandium; locutus est illis idem vir dei dicens. Restat nobis magnum iter. Accipite de isto fonte vestra vascula plena. et panes siccos quos potestis servare in alium annum. ego vobis tribuam quantum vestra navis potest portare. Cum autem haec perfinita erant. accepta benedictione; reversus est in locum suum. Sanctus brendanus post octo dies fecit onerare de omnibus quae sibi distribuit praedictus vir. et de illo fonte omnia vascula implere fecit. Ductis omnibus ad litus; ecce predicta avis cito vulatu venit. et resedit supra proram navis. At vero vir dei agnovit; quod aliquid sibi voluit indicare. Tunc humana voce ait praedicta avis. Nobiscum caelebrabitis diem sanctum paschae. et ubi fuistis in preterito anno in coena domini; ibi eritis in anno futuro in predicto die. Et istud tempus preteritum quod fuit in preterito anno. Similiter noctem dominicam paschae coelebrabitis; ubi prius celebrastis supra dorsum iasonis. Invenietis quoque post octo menses quae vocatur insula familiae ailbei. ibi celebrabitis nativitatem domini. Cum haec dixisset. reversa est ad locum suum. Fratres coeperunt extendere vela. et navigare in oceano. et aves cantabant quasi una voce. Exaudi nos deus salutaris noster. spes omnium finium terrae et in mari longe.

Igitur sanctus pater. et sua familia per equora oceani. huc atque illuc agitabantur per tres menses nichil poterant videre nisi coelum et mare. reficiebant semper per biduanum aut triduanum. Quadam vero die apparuit illis insula non longe. Cum adpropinquassent ad litus; traxit illos ventus in partem. et ita per quadraginta dies navigabant per insulae circuitum. nec poterant portum invenire. Fratres vero qui in navi erant. coeperunt deum deprecari cum fletu. ut illis adiutorium prestolasset. Vires enim eorum pre nimia lassitudine pene defecerunt. Cum autem permansissent in crebris orationibus per triduanum. et in abstinentia apparuit portus angustus. tantum unius navis receptio. Et apparuerunt illis duo fontes ibidem. unus turbidus et alter clarus. Porro fratres festinabant cum vascula ad auriendam aquam. Intuens vir dei illos ait. Filioli. nolite paragere inlicitam rem sine licentia seniorum. qui in hac insula commorantur. tribuent namque vobis has aquas spontanee. quas modo vultis furtim bibere. Igitur ascendentibus illis de navi. et considerantibus illis qua parte ituri essent. occurrit illis senex nimie gravitatis. capillis niveo colore. et facie clarus. qui tribus vicibus se ad terram prostravit. ante quam oscularetur virum dei. At vero sanctus brendanus et qui cum eo erant: elevaverunt eum de terra. Osculantibus se invicem tenuit manum eiusdem senis. et ibat cum illo per spatium unius stadii ad monasterium. Tunc sanctus brendanus cum fratribus suis restitit ante portam monasterii. et dixit seni. Cuius est istud monasterium? et quis preest ibi? Aut unde sunt qui commorantur illuc? Ita sanctus pater diversis sermonibus senem interrogabat. et numquam poterat ab illo ullum responsum accipere. sed tantum incredibili mansuetudine manu silentium insinuabat. Statim ut agnovit sanctus pater illius loci decretum. fratres suos ammonebat dicens. Custodite ostia vestra a locutionibus ne polluantur isti fratres. Occurrerunt autem obviam cum capsis. et crucibus. et ymnis. dicentes istum capitulum. Surgite sancti dei de mansionibus vestris. et proficiscimini obviam veritati. locum sanctificate. plebem benedicite. ut et nos famulos vestros in pace custodire dignemini. Finito iam versiculo. predictus pater monasterii osculatus est sanctum brendanum et suos socios per ordinem. similiter et sui famuli; osculabantur familiam sancti viri. Data pace vicissim; duxerunt illos in monasterium sicut mos est in occidentalibus partibus ducere fratres per orationes. Post haec abbas monasterii cum monachis. coeperunt lavare pedes hospitum. et cantare mandatum novum. His finitis. cum magno silentio excepit illos ad refectorium. Pulsato signo lavatisque manibus fecit omnes residere. Iterum pulsato secundo signo. surrexit unus ex fratribus patris monasterii. et coepit ministrare mensas panibus miri candoris. et quibusdam radicibus incredibilis saporis. Sedebant autem mixtim fratres cum hospitibus in ordine. Inter duos fratres; semper panis integer ponebatur. Idem minister pulsato signo ministrabat potum fratribus. Abbas quoque hortabatur cum magna hilaritate fratres dicens. Ex eo fonte puro. modo facite caritatem. cum iocunditate et timore domini. Ex alio fonte turbido quem vidistis. lavantur pedes fratrum omni die. Quia omni tempore calidus est. Panes vero quos videtis; nobis ignotum est ubi preparantur. aut quis portet ad nostrum cellarium. Sed tamen notum nobis est. ex dei magna elemosina ministrantur servis suis; per aliquam subiectam creaturam. Nos sumus hic viginti quattuor fratres. omni die habemus duodecim panes ad nostram refectionem. inter duos singulos panes. In festivitatibus et in dominicis diebus integros panes singulis fratribus addit deus. ut cenam habeant ex fragmentis. Modo in adventu vestro; duplicem annonam habemus. Et ita nutrivit christus nos a tempore sancti patricii et sancti ailberti patris nostri usque modo per octoginta annos. attamen senectus et languor in membris nostris minime amplificatur. Insula in hac; nichil ad comedendum indigemus quod igne paratur. neque frigus aut estas superat nos unquam. Sed cum tempus missarum venerit aut vigiliarum; incenduntur luminaria in nostra ecclesia. quae duximus nobiscum de terra nostra divina predestinatione. et ardent usque ad diem. et non minuitur ullum ex his luminaribus. Postquam biberunt tribus vicibus; abbas more solito pulsavit signum. et fratres unanimiter cum magno silentio et gravitate. levaverunt se a mensa. antecedentes sanctos patres ad ecclesiam. gradiebantur vero post illos sanctus brendanus et predictus pater monasterii. Cum vero intrassent in ecclesiam. ecce alii duodecim fratres exierunt foras

obviam illis. flectentes genua cum alacritate. Sanctus quoque brendanus cum illos vidisset dixit. Abba cur isti non reficierunt nobiscum simul? Cui ait pater. propter vos. quia non potuit nostra mensa nos omnes capere in unum. Modo reficient et nichil illis deerit. Nos autem intremus in ecclesiam et cantemus vesperas. ut fratres nostri qui modo reficiunt; possint ad tempus cantare vespera post nos. Dum autem perfinissent debitum vespertinale; coepit sanctus brendanus considerare quomodo illa ecclesia erat aedificata. Erat enim quadra tam longitudinis; quam latitudinis. et habebat septem luminaria. Idest tria ante altare quod erat in medio et bina ante aliis duobus altaribus. Erant enim altaria vasa de cristallo. Idest patenae. et calices. et urciola. et coetera vasa quae pertinebant ad cultum divinum. et sedilia viginti quattuor per circuitum ecclesiae. Locus ubi abbas sedebat; erat inter duos choros. Incipiebat enim ab illo unam turmam. et illum finiebatur. et alia turma similiter. Nullus ex utraque parte ausus presumere inchoare versum; nisi praedictus abbas. Non in monasterio ulla vox. aut ullus strepitus aliquis presumens. Si aliquid opus necesse fuisset alicui fratri. Ibat autem ad abbatem et genua flectebat coram illo. postulans in corde suo quae necesse fuerant. Statim sanctus pater accepta tabula et grafium; per revelationem dei scribebat et dabat fratri qui ab illo consilium postulabat. Cum autem sanctus brendanus haec omnia intra se consideraret; dixit ei abbas. Pater. iam tempus est ut revertamur ad refectorium. ut omnia fiant cum luce. et ita fecerunt ad hunc modum sicut ad refectionem. Finitis omnibus secundum ordinem cursus diei. omnes cum magna alacritate festinabant ad completorium. At vero abbas cum inchoasset predictum versiculum. idest deus in adiutorium meum intende. et dedissent honorem trinitati. incipiebant istum versiculum cantare dicentes. Iniuste egimus iniquitatem fecimus. tu qui pius es pater parce nobis domine. In pace in idipsum dormiam et requiescam. quia tu domine singulariter in spe constituisti me. Post haec cantabant officium quod pertinebat ad horam. Iam consumato ordine psallendi. omnes egrediebantur foras fratres ad illorum singulas cellulas accipientes hospites secum. Abbas vero cum sancto brendano residebat in ecclesia. expectantes adventum luminis. Interrogans beatus brendanus sanctum patrem de illo silentio et conversatione. quomodo potuit esse in humana carne. Tunc predictus pater cum immensa reverentia et humilitate respondit. Abba coram christo meo fateor. octoginta anni sunt postquam venimus in hanc insulam. nullam vocem humanam audivimus. excepto quando cantamus deo laudem. inter nos viginti quattuor fratres in insula quae vocatur insula familiae ailberti.

Transactis autem festivitatibus accepta annona et benedictione sanctorum virorum beatus brendanus cum suis sequacibus; tetendit vela in oceanum naviculae suae. et ibi sive per navigium. sive per vela. ferebatur navis per diversa loca. usque initium quadragesimae. Quadam die viderunt insulam in regione non longe ab illis. Cum fratres illam vidissent. coeperunt hanc iterum navigare. quia iam vexati erant fame et siti. ante triduanum enim defecit victus et potus. At vero cum sanctus pater benedixisset portum; et omnes exissent foras de navi; invenerunt fontem lucidissimum. et herbas diversas. ac radices in circuitu fontis. diversaque genera piscium discurrentes per alveum rivuli; manantem de fonte in mare. Sanctus brendanus fratribus suis ait. Deus dedit nobis hic consolationem post laborem. Accipite pisces quantum sufficit ad nostram cenam. atque assate eos igni. Colligite herbas et radices. quas dominus servis suis preparavit. Et ita fecerunt. Cum autem effudissent aquam ad bibendum; dixit vir dei. Fratres bibite. cavete ne supra modum utemini has aquas ne gravius vastentur corpora vestra. At vero fratres inaequaliter diffinitionem viri dei considerabant. Alii singulos calices bibebant. alii binos. Ceteri namque ternos unius diei et noctis. At sanctus pater sine intermissione deprecabatur dominum pro fratribus suis. quod per ignorantiam contigit illis tale periculum. Transactis quippe his diebus dixit sociis suis sanctus pater. Fratres fugiamus istam mortem. ne deterius nobis contingat. Deus enim dedit vobis pastum. et vos fecistis inde detrimentum. Egredimini igitur foras de hac insula. et accipite dispendia de istis piscibus. atque preparate quantum necesse est per triduanos usque in cena domini. Similiter de aqua singulos calices fratribus per singulos triduanos. et ex radicibus equaliter.

Onerata erat navis de omnibus quae vir dei pre-

ceperat; tenderunt vela et coeperunt navigare in oceanum; contra septemtrionalem plagam. Porro post tres dies et tres noctes. cessavit ventus. et caepit mare esse quasi coagolatum. per nimiam tranquillitatem. Sanctus pater dixit. Mittite in navim remiges et laxate vela iuxta. ubicumque vult deus gubernare illam faciet. Ferebatur ita navis circiter per viginti dies. Post haec iterum ventum deus illis suscitavit prosperum ab occidente contra orientalem partem. coeperunt simul detendere vela in altum et navigare. Reficiebant semper post triduanum.

Quadam vero die apparuit illis a longe quasi nubes. Dixit sanctus brendanus. Filioli. Cognoscitis vos insulam illam? At illi dixerunt. minime. At ille ait. ego cognosco. Ipsa est enim illa insula in qua fuimus altero anno in cena domini. ubi noster bonus procurator commoratur. Tunc fratres ceperunt navigare acriter pre gaudio quantum vires eorum poterant sustinere. Cum haec vir dei vidisset. dixit. Nolite pueri stulte fatigare membra vestra. Nonne deus omnipotens est gubernator et nautor nostrae naviculae? Dimittite sibi quia ipse diriget nostrum iter sicut vult. Cum autem adpropinquassent ad litus predictae insulae; occurrit illis obviam in navicula idem procurator. et duxit illos ad portum ubi preterito anno descenderunt de navi. magnificans deum. et osculans pedes singulorum. incipiens a sancto patre usque in novissimum dicens; Mirabilis deus in sanctis suis. deus israhel ipse dabit virtutem et fortitudinem plebi suae benedictus deus. Finito iam versiculo et omnibus ablatis de navi; extendit tentorium et preparavit balneum. Erat enim cena domini. Et induit omnes fratres novis vestimentis. et fecit illorum obsequium per triduanum. Fratres quoque passionem domini celebrabant cum magna diligentia. usque in sabbatum sanctum. Finitis ordinibus diei sabbati. immolatisque victimis spiritalibus deo; atque cena consumata; dixit idem procurator ad sanctum brendanum et ad illos qui cum eo erant. Proficiscite et ascendite navim ut celebretis sanctam dominicam noctem resurrectionis. ubi celebrastis altero anno illam. et diem similiter usque in sextam horam. Postea navigate ad insulam quae vocatur paradisus avium. ubi fuistis in preterito anno a pascha usque ad octavas pentecosten. et portate vobiscum omnia quae necessaria sunt de cibo et potu. Ego vero visitabo vos die dominica altera. et ita fecerunt. Oneravitque ipsam navim panibus et potu. ac carnibus. coeterisve deliciis quantum poterat capere. Sanctus brendanus data benedictione ascendit in navim. et coeperunt statim navigare ad aliam insulam.

Cum autem adpropinquassent ad locum ubi ascendere debuissent de navi; ecce apparuit illis caccabus quam altero anno dimiserunt. Tunc sanctus brendanus illo ascendente de navi cum suis fratribus; coepit cantare ymnum trium puerorum usque in finem. Finito predicto ymno. vir dei ammonebat suos fratres dicens. O filioli vigilate. et orate ut non intretis in temptationem. Considerate quomodo deus subiugat immanissimam bestiam subtus nos sine ullo impedimento. Fratres vero navigabant per illam silvam. usque ad vigilias matutinas. Postea omnes sacerdotes singulas missas deo offerebant usque ad tertiam horam. Immo beatus brendanus cum suis fratribus ascendens navim; immolabat agnum immaculatum deo et dicebat fratribus. In altero anno hic celebravimus resurrectionem domini. ita volo et hoc anno. Inde profecti sunt ad insulam avium. Appropinquantibus autem ad portum destinatum ipsius insulae. omnes aves cantabant quasi una voce dicentes. Salus deo nostro. sedenti super thronum: et agno. Et iterum. Deus dominus et illuxit nobis. Constituite diem sollempnem in condensis usque ad cornu altaris. Tam vocibus quam alis resonabant diu quasi dimidium horae; usque dum sanctus pater cum sancta sua familia et omnibus quae erant in navim dilatae sunt. et resedit in tentorio suo. Ibi quoque cum suis famulis celebravit festa paschalia usque ad octavas pentecosten. Predictus namque procurator venit ad illos sicut predixerat. die dominico octava paschae. Portans secum omnia alimonia quae ad usum humanae vitae pertinebant. Cum autem resedissent ad mensam. ecce predicta avis resedit in prora navis extensis alis. stridentibusque sicut sonitus organi magni. Tunc vir dei agnovit quia illa sibi indicaret aliquid. Ait namque idem avis. Deus proposuit vobis quattuor loca per quattuor tempora. usque dum finiantur septem anni peregrinationis vestrae. Idest. in coena domini; cum vestro procuratore qui presens est omni an-

no. in dorso belvae pascha caelebrabitis. Nobiscum festa paschalia usque in octavas pentecosten. Apud familiam ailbe(rt). nativitatem domini celebrabitis. Post septem annos antecedentibus magnae ac diversae periclitationis vobis. invenietis terram repromissionis sanctorum quam queritis. et habitabitis ibi quadraginta diebus. et postea reducat vos deus ad terram nativitatis vestrae.

Sanctus pater ut audivit; prostravit se ad terram cum fratribus suis. referens gratias et laudes suo creatori. Cum perfinisset preces venerabilis senex. avis reversa est in locum suum. Porro predictus procurator finita refectione dixit. Deo adiuvante revertar ad vos. in die adventu sancti spiritus super apostolos cum dispendiis vestris. Accepta benedictione sancti patris; et omnium qui cum eo erant; reversus est in locum suum. Consumatis itaque diebus festis; sanctus brendanus fratribus suis precepit preparare navigium et implere vascula onerata a fratribus venit. Cum haec omnia posuisset in navicula. vir dei osculatis omnibus reversus est unde venerat. venerabilis pater cum suis sodalibus navigavit in oceanum. et ferebatur per quadraginta dies navis.

Quadam vero die apparuit illis bestia immensae magnitudinis post illos a longe quae iactabat de naribus spumas. et sulcabat undas velocissimo cursu. quasi ad illos devorandos. Cum hoc fratres viderunt. ad dominum clamaverunt dicentes. Libera nos domine ne devoret nos belva ista. Sanctus brendanus confortans eos dicens. Nolite expavescere minime fidei. Deus qui est noster defensor semper; ipse nos liberabit de ore ipsius bestiae et de ceteris periculis. At vero cum adpropinquasset illis. antecedebant unde mire magnitudinis usque ad navim dumtaxat. Fratres magis ac magis clamabant timentes. Venerabilis quoque senex extensis manibus in coelum dixit. Deus libera servos tuos. sicut liberasti david de manu goliae gigantis. Deus libera nos. sicut liberasti ionam de potestate caeti magni. His finitis tribus versibus. ecce ingens belva ab occidente iuxta illos transiebat obviam alterius bestiae. quae statim irruit in bellum contra illam. ita ut ignem misisset de ore eius. At vero senex fratribus suis ait. Videte filioli magnalia redemptoris nostri. Videte obedientiam istarum belvarum creatori suo. Modo expectate finem rei. nichil enim ingerit vobis haec pugna mali. sed propter gloriam dei reputabitur. His dictis; misera belva quae persequabatur famulos omnipotentis dei. interfecta est in tres partes coram illis. et altera reversa est post victoriam qua ibat.

Altera vero die viderunt insulam procul arbustam valde et spatiosam. Adpropinquantibus illis vero ad ipsius litus; atque ascendentibus de navi; viderunt posteriorem partem ipsius belvae quae erat interfecta. Et ait sanctus brendanus. Ecce quae voluit nos devorare; ipsam devorabitis. vobis expectantibus multum tempus in hac insula. levate ergo vestram naviculam altius in terram. et requirite locum in ista silva ubi tentorium vestrum poterit stare. Ipse sanctus pater predestinavit locum illis ad habitandum. Cum haec autem fecissent secundum preceptum viri dei; atque misissent omnia utensilia in tentorium; dixit sanctus brendanus fratribus suis. Accipite dispendia vestra de ista belva. ut sufficiat vobis per tres menses. hac enim nocte erit illud cadaver devoratum a bestiis. Itaque usque ad vesperam asportabant carnes quantum eis opus erat secundum preceptum sancti patris. At vero fratres cum haec omnia perfecissent dixerunt. Abba quomodo possumus hic vivere sine aqua? Quibus ipse ait. Nunquid difficilius est deo tribuere aquam quam victum? Ite igitur contra meridianam plagam insulae istius. et invenietis fontem lucidissimum. et herbas multas. ac radices. et inde michi stipendia sumite secundum mensuram. Et invenerunt omnia sicut vir dei predestinavit. Mansit ergo ibi sanctus brendanus tres menses quia tempestas erat in mari; et ventus fortissimus. et inequalitas aeris. idest(?) de pluvia et grandini. Fratres vero ibant videre quod dixerat vir dei de illa belva. Cum autem venissent ad locum ubi erat cadaver antea. et nichil invenerunt nisi tantum ossa. Reversi sunt confestim ad virum dei dicentes. Abba sicut dixisti ita est. Quibus ille ait. Scio filioli quod voluistis me probare si verum dixi an non. Aliud signum dicam vobis. Portio cuiusdam piscis hac nocte veniet illuc et cras reficiemini inde. Sequenti vero die exierunt fratres ad locum. et invenerunt sicut vir dei predixerat. et adtulerunt quantum poterant portare. Ait illis venerabilis pater. Istud diligenter observate. sale condito.

inde habetis necessitatem. faciet enim vobis serenum tempus hodie et cras. et post cras cessabit impetus maris ac fluctuum. Postea proficiscemini de loco isto. Transactis autem diebus predictis: précepit sanctus brendanus suis fratribus onerare navim et utres implere atque alia vascula. herbas ac radices ad suum opus colligere. quam predictus pater postquam sacerdos fuit nichil gustabat in qua spiritus vitae erat de carne. Oneratis omnibus in navim. et velis extensis; profecti sunt contra septemtrionalem plagam.

Quadam vero die viderunt insulam longe ab illis. Dixit sanctus brendanus. Videtis illam insulam? Aiunt. videmus. Dixit illis. Tres. populi sunt in illa insula. Puerorum. et populus iuvenum. tertius vero populus seniorum. Porro unus ex fratribus vestris ibi peregrinabitur. Fratres interrogabant quisnam esset ex eis. Cum autem perseverassent in illa sententia et vidisset illos tristes; ait. Iste est ille frater qui permansurus erit ibi. Fuit autem predictus frater unus ex tribus fratribus qui subsecuti sunt sanctum brendanum de suo monasterio. De quibus predixerat fratribus antea quando ascenderunt navim de patria sua. Adpropinquabant ergo ad predictam insulam; usque dum navis stetit in litore. Erat illa insula mirae planitiae: in tantum ut illis videretur aequalis mari. sine arboribus aut aliquid quod a vento moveretur. valde enim erat spatiosa. tamen cooperta scalptis albis. et purpureis ubique. Viderunt tres turmas sicut vir dei predixerat. Nam inter turmam et turmam erat quasi iactus lapidis de funda. et semper ibant huc atque illuc. Et una turma cantabat stando in uno loco dicens. Ibunt sancti de virtute in virtutem; et videbunt deum deorum in syon. Dum una turma perfiniebat illum versiculum. alia turma stabat. incipiebat cantare carmen predictum. et ita fecerunt sine cessatione. Erat autem prima turma puerorum. in vestibus candidissimis. Et secunda turma in iacintinis vestibus. Et tertia turma in purpureis dalmaticis. Erat hora quarta quando tenuerunt portum insulae. Cum autem sexta venerat; coeperunt simul cantare dicentes. Deus misereatur nostri usque in finem. Et Deus in adiutorium meum intende similiter. Et iterum psalmum; Credidi. et orationem ut supra. Similiter ad horam nonam alios tres psalmos De profundis. et Ecce quam bonum. et Lauda ierusalem dominum. Et cantabant ad vesperas. Te decet ymnus deus in syon. et Benedic anima mea dominum domine deus meus. Et tertium psalmum Laudate pueri dominum. Et quindecim gradus cantabant sedendo.

Cum autem perfinissent illum cantum; statim obumbravit illam insulam nubes mirae claritatis. sed non poterant videre quae antea viderant pre spissitudine nubis. Attamen audiebant voces canentium predictum carmen sine intermissione. usque ad vigilias matutinas coeperunt turmae cantare dicentes. Laudate dominum de coelis. Deinde Cantate domino. Tertium Laudate dominum in sanctis eius. Post haec cantabant duodecim psalmos per ordinem psalterii. At vero cum dies inlucesserat discooperta est insula de nube. Confestim cantabant tres psalmos Miserere mei deus. Deus deus meus ad te de luce vigilo. et Domine refugium. Ad tertiam alios tres. Idest Omnes gentes plaudite. et Deus in nomine tuo. Tertium vero Dilexi quoniam. sub alleluia. Deinde immolabant agnum immaculatum. et omnes ad communionem veniebant dicentes. Hoc sacrum corpus domini et salvatoris sanguinem. sumite vobis in vitam aeternam. Itaque finita immolatione. duodecim turma iuvenum portabant cophinum plenum de scalptis purpureis. et miserunt in navim dicentes. Sumite de fructu insulae virorum fortium. et reddite nobis fratrem nostrum. et proficiscemini in pace. Tunc sanctus brendanus vocavit predictum fratrem ad se; et ait. Osculare fratres tuos et vade cum illis qui te invocant. Bona hora concepit te mater in qua meruisti habitationem cum tali congregatione. Osculatis omnibus et sancto patre; ait sibi sanctus brendanus. Fili. recordare quanta beneficia proposui tibi in hoc saeculo. Vade et ora pro nobis. Protinus secutus est duos iuvenes ad eorum scolam.

Venerabilis pater cum suis sodalibus; coepit navigare. Cum autem hora nona venerat. precepit suis fratribus reficere corpora de scalptis insulae virorum fortium. Cum dixisset haec vir dei accepit unam ex illis. Ut autem vidit magnitudinem illius et illam plenam esse suco; admiratus est et ait. Nunquam vidi nec legi scalptas tantae magnitudinis. Erant enim aequalis staturae. in modum pilae magnae. Tunc precipit vir dei vasculum sibi afferri. exprimitque unam ex illis. et attulit de suo su-

eo libram unam. Quam sanctus pater divisit in duodecim uncias. dansque unicuique singulam unciam. Ita per duodecim dies fratres reficiebant de singulis scalptis tenentes semper in ore saporem mellis.

Finitis iam diebus sanctus pater precepit triduanum ieiunare. Porro transacto triduo. ecce una avis grandissima volabat e regione navis. tenens ramum cuiusdam arboris ignotae habentem in summo botrum magnum mirae rubicunditatis quem ramum misit de ore suo in sinu sancti patris. Tunc sanctus brendanus vocavit fratres suos et ait. videte et sumite prandium quod nobis misit deus. Erant enim uvae illius sicut poma. quas divisit vir dei fratribus per singulas uvas. et ita habebant victum usque ad duodecimum diem. Iterum coepit vir dei predictum ieiunium cum fratribus suis. Tertia namque die viderunt insulam non longe ab eis totam coopertam arboribus densissimis. habentes fructum predictum uvarum; incredibili fertilitate. ita ut omnes arbores incurvatae fuissent ad terram. unius fructus. uniuscuiusque coloris. nulla erat sterilis arbor. nullaque alterius generis eadem insula. Tunc tenuerunt fratres portum. vir dei ascendit de navi et coepit circuire illam insulam. Erat odor illius; sicut odor domus plenae malis punicis. Fratres adhuc expectabant in navim; donec vir dei ad eos rediret. Interim flabat illis ventus odorem suavissimum. ita ut ad oblivium illorum ieiunium conarentur. At venerabilis pater; invenit sex fontes irriguosissimos herbis virentibus; ac diversis radicibus. Post haec reversus ad fratres suos; portans secum de primitiis insulae dicens illis. Ascendite de navi et figite tentorium. et confortamini de optimis fructibus terrae istius quam dominus ostendit nobis. Ita per quadraginta dies reficiebant de uvis et herbis. ac radicibus fontium. Post vero predictum tempus ascenderunt portantes secum de fructibus quantum poterant portare. Ascendentibus porro ipsis tendebant vela in classim; quo ventus dirigisset. Et cum navigassent. apparuit illis cetis quae vocatur grifa a longe volans obviam illis. Cum hanc vidissent fratres; dicebant ad sanctum patrem. Ad devorandum nos venit illa bestia. Quibus ait vir dei. Nolite timere. Deus noster adiutor est. qui nos defendet etiam hac vice. Illa extendebat ungulas ad servos dei capiendos et ecce subito avis quae illis altera vice portabat ramum cum fructibus. venit obviam griphae rapidissimo volatu. quae statim voluit devorare illam. At vero defendebat se usque dum superasset ac abstulisset oculos griphae. praedicta avis. Porro gripha volabat in altum. ut vix fratres potuissent videre. Attamen interfectrix non dimisit illam donec eam interemit. Nam cadaver eius coram fratribus iuxta navim cecidit in mare. Altera vero avis. reversa est in locum suum. Sanctus brendanus cum suis nautoribus. non post multos dies viderunt insulam praedictam familiae ailbei. ibique natalem domini celebravit cum suis fratribus. His perfinitis diebus festis; venerabilis pater accepta benedictione abbatis et famulorum suorum. circuibat oceanum per multum temporis. nisi in predictis festivitatibus. idest paschae. et natalis domini. Nam in illis habebat requiem in predictis locis.

Quodam vero tempore cum sanctus brendanus celebrasset sancti petri apostoli in sua navi festivitatem. invenerunt mare clarum. ita ut possent videre quicquid suptus erat. Cum autem aspexissent intus in profundum. viderunt diversa genera bestiarum iacentes super arena. videbatur quoque illis quod potuissent manu tangere illas prae nimia claritate illius maris. Erant enim sicut greges iacentes in pascuis. prae multitudine tales viderunt sicut civitas in girum applicantes capita ad posteriora iacendo. Rogabant fratres venerabilem patrem; ut celebrasset cum siletio suam missam: ne bestiae audirent ac elevarent se ad persequendos servos christi. Sanctus pater subrisit atque dicebat eis. Miror valde vestram stultitiam. cur timetis istas bestias. et non timuistis omnium bestiarum maris devoratorem et magistrum. sedentes vos atque psallentes multis vocibus in dorso eius? Immo et silva sindistis. et ignem succendistis. carnemque coquistis? Ergo cur timetis istis? Nonne deus omnium bestiarum est dominus noster ihesus christus? qui potest humiliare omnia animantia? Cum haec dixisset coepit cantare in quantum potuit altius. Caeteri nanque ex fratribus aspiciebant semper bestias. Cum autem vidissent bestiae. levaverunt se a terra. et natabant in circuitu navis. ita ut non potuissent fratres ultra videre in omnem partem prae multitudine diversarum natantium. tamen non adpropinquabant na-

viculae. sed longe lateque natabant. et ita huc atque illuc; donec vir dei finivit missam se retinebant. Post haec quasi fugiendo omnes bestiae per diversas semitas oceani; a facie dei servorum natabant. Sanctus brendanus per octo dies prospero ventu. et velis extensis. vix potuit mare clarum transmeare.

Quadam vero die cum celebrasset missam. apparuit illis columna in mare. et non longe ab illis videbatur. sed non poterat ante tres dies adpropinquare. Cum autem adpropinquasset vir dei. aspiciebat summitatem illius. Namque altior erat quam aer. Porro cooperta sunt ex raro conopheo. In tantum rarus erat. ut navis possit transire per foramina illius. Ignoraverat de qua creatura factus esset ipse chonopeus. habebat colorem argenti. sed tamen durius illis videbatur quam marmor. Columna vero de cristallo clarissimo. Dixit sanctus brendanus fratribus suis. Mittite remiges intus in navim. et arbores atque vela. et alii tenent ex poppis interim fibulas conopei. Spatium nanque magnum tenebat. in omnem partem praedictus sagus. a columna quasi unius miliarii. et ita extendebatur in profundum. Cum haec fecissent ait ad illos vir dei. Mittite navim intus per aliquod foramen. ut videamus diligenter magnalia dei creatoris nostri. Cum intus intrassent et aspexissent huc atque illuc; mare apparuit illis vitreum prae claritate ita ut omnia quae subtus erant possint videre. Nam bases columnae poterant considerare. et summitatem conopei similiter iacentem in terra. Lux solis non minor erat intus quam foris. Tunc sanctus brendanus mensurabat foramen unum inter quattuor conopeos. quattuor cubitis in omnem partem. Igitur navigabant per totum diem iuxta latus unum illius columnae. et semper umbra solis et calorem portabant ultram. ita usque ad horam nonam. Sic et ipse vir dei semper mensurabat latus unum. mille quadraginta cubitis mensura una per quattuor latera illius columnae erant. Sic per quatriduanum operabatur venerabilis pater inter quattuor angulos praedictae turris. Quarto autem die invenerunt calicem de genere conopei. et patenam de colore columnae contra austrum. Quae statim vascula sanctus brendanus adprehendit dicens. Dominus noster ihesus christus ostendit nobis hoc miraculum. et ut ostendatur multis ad credendum. hac michi dedit ista bina munera. Statim vir dei praecepit statim divinum officium peragere. et postea corpora reficere. quia nullum tedium habebant de cibo sumere aut potu. postquam illam mensurabant columnam. Transacta autem nocte illa coeperunt fratres navigare contra septemtrionem. Cum vero transierunt quoddam foramen; posuerunt arborem et vela in altum. et alii tenebant ex fratribus fibulas conopei; quousque omnia praeparassent in navim. Extensis omnibus coepit prosper ventus post illos flare. ita ut nichil illis opus fuisset navigare; nisi tantum tenere funiculos et navigare. Sic ferebatur per octo dies navicula contra aquilonem.

Transactis autem diebus octo; viderunt insulam. non longe. valde rusticam. saxosam. atque scoriosam. sine arboribus; et herbam. plenam officinis fabrorum. Venerabilis pater ait fratribus suis. Vere fratres angustia est michi de hac insula. quia nolo in illam ire. aut etiam sibi adpropinquare. sed ventus illuc subtrahit nos recto cursu. Circumdabatur illa limite. Ergo illis praetereuntibus parumper quasi iactum lapidis. audierunt sonitus follium sufflantium; quasi tonitruum. atque malleorum collisionem contra ferrum et cudiones. His auditis venerabilis pater. armavit se dominico tropheo in quattuor partes dicens. Domine ihesu christe libera nos de hac insula. Finito sermone viri dei; ecce unus ex habitatoribus eiusdem insulae egrediebatur foras; quasi ad aliquod opus peragendum. Erat ille yspidus valde. et igneus atque tenebrosus. Cum vero vidisset famulum christi transire iuxta illam insulam. reversus est in suam officinam. Vir autem dei iterum se armavit. et ait fratribus. Filioli tendite in altum plus vela et simul navigate quantocius. atque fugiamus istam insulam. Citius dicto ecce praedictus barbarus occurrit ad litus illius eregionem. portans forcinam in manibus cum massa ignea discoreo. inmensae magnitudinis atque fervoris. Qui statim super famulos christi iactavit praedictam massam sed illis non nocuit. supertransibit enim illos quasi spatium unius stadii. et ultra. Nam ubi cecidit in mare. caepit fervere quasi ruina montis ignei fuisset ibi. et ascendebat fumus de mari. sicut de clibano ignis. At vero vir dei cum transisset ultra quasi spatium unius miliarii ab illo loco. ubi cecidit massa; om-

nes qui in illa insula erant occurrerunt ad litus. portantes singuli singulas massas. Alii iactabant post famulos christi massas in mare. Alii alter super alterum iactabat suam massam. revertentes in illorum officinas incendentes eas. et simul apparuit quasi tota arsa insula; sicut unus globus. Et mare estuabat sicut caccabus plenus carnibus estuans. quando bene ministratur ab igne. Et audiebant per totum diem ingentem ululatum ab illa insula. etiam quando non poterant illam videre. ad aures eorum adtingebat adhuc ululatus habitantium in illa. atque ad nares ingens fetor. Tunc sanctus pater suos monachos confortabat dicens. O milites christi. roboramini in fide non ficta. et in armis spiritualibus quia sumus in confinibus infernorum. propterea vigilate et agite viriliter. Altera vero die apparuit illis mons altus. in oceano contra septemtrionem non longe. sed quasi per tenuas nebulas. sed valde fumosus erat in summitate. Et statim rapidissimo cursu ventus traxit eos ad litus eiusdem insulae. usque dum navis resedit non longe a terra. Erat namque ripa immensae altitudinis ita ut summitatem illius vix potuissent videre. et colores carbonis et mirae rectitudinis sicut murus. Unus quidem qui remansit ex tribus fratribus qui subsecuti sunt sanctum brendanum de suo monasterio; exilivit foras de navi et coepit ambulare usque ad fundamentum ripae. qui coepit clamare dicens. ve michi pater praedor a vobis; et non habeo potestatem ut possim venire ad vos. Fratres confestim navem retro ad terram ducebant. et clamabant ad dominum dicentes. Miserere nobis domine miserere nobis. At vero venerabilis pater cum suis sociis aspiciebat quomodo ducebatur infelix a multitudine demonum ad tormenta. et quomodo incendebatur inter illos. atque dicebat. ve tibi fili quia recepisti in vita tua merito talem finem. Iterum arripuit illos prosper ventus ad australem plagam. Cum autem aspexissent a longe retro illam insulam. viderunt montem discopertum a summo. et a se spumantem flammas usque ad ethera. et iterum a se flammas respirantem ita ut totus mons usque mare unus rogus apparuisset.

Igitur sanctus brendanus cum navigasset contra meridiem iter septem dierum; apparuit illis in mare quaedam formula quasi hominis sedentis supra petram. et velum ante illum a longe; quasi mensura unius sagi. pendens inter duas forcellas ferreas. et sic agitabatur fluctibus; sicut navicula solet quando periclitatur a turbine. Alii ex fratribus dicebant quod avis erat. alii navim putabant. Vir dei cum audisset eos inter se conferentes talia ait. Sinite contendere. dirigite cursum navis usque ad illum locum. Cum vero vir dei illuc appropinquasset. restiterunt undae in circuitu quasi coagolatae. et invenerunt hominem sedentem supra petram. yspidum ac deformem. et undae ex omni parte quando affluebant ad illum percutiebant eum usque ad verticem. et quando recedebant. apparuit illa petra nuda. in qua sedebat infelix ille. Pannus quoque qui illo pendebat; aliquando percutiebat eum per oculos et frontem. Beatus brendanus coepit interrogare eum quis esset. aut pro qua culpa missus esset ibi. seu quid meriti habuit. ut talem poenitentiam sustineret. Cui ait. Ego sum infelicissimus iudas atque negotiator pessimus. Non meriti habeo istum locum. sed misericordiae ineffabilis ihesu christi; non michi computatur penitentiae locus. sed indulgentia redemptoris. propter honorem dominicae resurrectionis. Nam erat dies dominicus tunc. Michi enim videtur quando sedeo hic. quasi fuissem in paradiso deliciarum propter timorem tormentorum quae futurae sunt in hac vespera. Nam ardeo sicut massa plumbi liquefacta in olla; die ac nocte. in medio montis quem vidistis. Ibi cum leviathan cum suis satellitibus. Ibi fui quando degluttivit fratrem vestrum. et ideo erat inferus laetus ut emisisset foras flammas ingens. et sic facit semper quando animas impiorum devorat. Meum vero refrigerium habeo hic omni die dominico. a vespere usque ad vesperas. et in nativitate domini usque theophaniam. et a pascha usque in pentecostem. et in purificatione sanctae dei genitricis. atque in assumptione eius. Postea et antea. crucior in profundo inferno cum herode et pilato. et anna et caypha. Iccirco adiuro vos per redemptorem mundi. ut intercedere dignemini ad dominum ihesum ut habeam hic potestatem esse. usque ad ortum solis cras. ne me daemones in adventu vestro crucient. atque ducant ad malam hereditatem quam comparavi malo pretio. Cui sanctus brendanus ait. Fiat voluntas dei. hac nocte non eris morsus daemonum usque mane. Iterum vir dei interrogabat illum dicens. quid sibi vult iste pannus? Cui ait. Istum pannum cuidam

leproso dedi. quando fui camerarius domini. sed tamen non fuit meus quem dedi. nam dominicus et fratrum suorum erat. ideo ab illo non habeo ullum refrigerium. sed magis impedimentum. Nam furcae ferreae ubi pendit illas dedi sacerdotibus templi ad caccabos sustentandos. Petra in qua sedeo. illam misi in fossam in publica via sub pedes transeuntium. ante quam fuissem discipulus domini. Cum autem vespera hora obumbrasset tithim. ecce innumerabilis multitudo daemonum cooperuit faciem tithis in circuitu vociferantes atque dicentes. Recede vir dei a nobis. quia non possumus adpropinquare ad socium nostrum. et usque dum ab illo recedas; nec faciem principis nostri ausi sumus videre. donec sibi reddemus suum amicum. Tu vero reddidisti nobis nostrum morsum. et noli istum defendere hac nocte. Quibus ait vir dei. Non ego defendo sed dominus ihesus christus concessit sibi istam noctem hic esse usque mane. Cui aiunt daemones. Quomodo invocas nomen domini super illum. cum ipse traditor est domini? Quibus vir dei dixit. Praecipio vobis in nomine domini ihesu christi ut nichil sibi mali faciatis usque mane.

Transacta itaque nocte illa; primo mane cum vir dei coepisset iter agere. ecce infinita multitudo daemonum. cooperuit faciem abyssi. emittentes diras voces atque dicentes. O vir dei. maledictus ingressus tuus atque exitus tuus. quia princeps noster hac nocte flagellavit nos verberibus pessimis. propter quod non presentavimus sibi istum maledictum captivum. Quibus ait vir dei. Non nobis pertinet vestra maledictio. sed vobismetipsis. cui autem maledicitis; ille est benedictus. et cui benedicitis ille maledictus est. Cui daemones responderunt. Duplices poenas sustinebit in istis sex diebus infelix iudas. propter quod illum defendisti in ista preterita nocte. Quibus venerabilis pater dixit. Non habebitis potestatem inde. neque vos. neque princeps vester. sed potestas dei erit. Iterum subiunxit. Precipio vobis in nomine domini nostri ihesu christi; et principi vestro. ne istum extollatis amplius cruciatibus quam antea. Cui responderunt. Nunquid dominus es omnium ut tuis sermonibus oboediamus? Quibus vir dei ait. Servus suus sum. et quicquid in suo nomine praecipiam inde habeo ministerium. de quibus quos michi concedit. Et ita secuti sunt eum usque dum non poterat iudam videre. Reversi sunt quoque daemones. et levaverunt infelicissimam animam inter illos. cum magno impetu et ululatu. Sanctus vero brendanus cum suis commilitonibus navigavit contra meridianam plagam. glorificans dominum in omnibus.

Tertia vero die apparuit illis quaedam insula parva contra meridiem. procul. Cum autem fratres coepissent navigare acrius; et appropinquassent praedictae insulae; ait illis sanctus brendanus. Viri fratres. nolite supra modum corpora vestra fatigare. satis enim habetis laborem. Septem iam anni sunt prius quam egressi sumus de nostra patria; usque in hoc pascha quod venturum erit cito. Namque modo videtis paulum heremitam spiritalem in hac insula sino ullo victu corporali commorantem per sexaginta annos. Nam triginta annos ante sumsit cibum a quadam bestia per predictos annos. Cum autem adpropinquanssent ad litus; minime poterant aditum invenire. pre altitudine ripae illius. Erat autem parva et nimis rotunda insula illa quasi unius stadii. De terra vero nichil habuit desuper sed petra nuda in modum silicis apparuit. Quantum erat latitudinis. tam et longitudinis. tantae et altitudinis. Cum antem circuissent navigando illam insulam; invenerunt portum strictum. ita ut proram naviculae vix capere potuisset. et ascensum difficillimum ad ascendendum. Sanctus brendanus dixit fratribus suis. Expectate hic donec revertar ad vos. Non autem licet vobis. intrare sine licentia viri dei. qui est morator in hoc loco. Cum autem venerabilis pater pervenisset ad summitatem illius insulae. vidit duas speluncas hostium contra hostium in latere insulae; contra ortum solis. Ac parvissimum fontem rotundum in modum patulae surgentem de petra ante hostium speluncae; ubi miles christi residebat. At ubi predictus fons surgebat; statim petra sorvebat illum. Sanctus brendanus vero cum adpropinquasset ad hostium speluncae unius. de altera vero egressus est senex foras obviam sibi dicens. Ecce quam bonum et quam iocundum habitare fratres in unum. Cum haec dixisset praecepit sancto brendano; omnes fratres suos venire de navi. Osculantibus se invicem. ac residentibus. propriis nominibus appellavit. Erat enim coopertus capillis suis et barba. et coeteris pilis usque ad pedes. et erant candidi sicut nix prae nimia senectute tantum faciem et oculi

videbantur illius. Nichil aliud indumenti erat sibi iunctum. exceptis pilis qui egrediebantur de corpore suo.

At vero sanctus brendanus eum haec vidisset contristatus est intra se dicens. Ve michi qui porto habitum monachicum. et sub me constituti sunt multi sub nomine illius ordinis. cum video modo in angelico statu hominem in carne adhuc sedentem. illesum a vitiis corporis. Cui ait vir dei. O venerabilis pater. quanta et qualia mirabilia ostendit tibi deus; quae nulli sanctorum patrum manifestavit. et tu dicis in corde tuo non esse dignum monachicum habitum portare? et tu cum sis plus monachus? Monachus vero labore manuum suarum utitur et vestitur. Deus autem de suis secretis per septem annos pascit te cum tua familia et induit. Ego vero miser sedeo sicut avis in ista petra nudus; exceptis meis pilis. Tunc sanctus brendanus interrogavit illum de suo adventu. aut unde esset. aut quanto tempore sustinebat ibi talem vitam. Cui ille respondit. Fui nutritus in monasterio sancti patricii per quinquaginta annos. et custodiebam cymiterium fratrum. Quadam vero die cum locum sepulturae designasset michi meus decanus cuidam defuncto ut sepelissem. apparuit michi quidam senex ignotus; qui dixit michi. Noli frater fossam ibi facere; quia alterius est. Cui dixi. Pater quis es tu? Qui ait. Cur me non cognoscis? Nonne tuus abba sum? Qui dixi. Sanctus brendanus meus est abba. At ille respondit ego sum. Heri enim migravi de seculo. Ipse est enim locus sepulturae meae. Hic facies sepulchrum fratris nostri. et nulli dicas quae ego dixi tibi. Cras autem proficisce ad litus maris. et invenies navim ibi. in quam intrabis quae te deducet ad locum ubi expectabis diem mortis tuae. Mane vero secundum praeceptum sancti patris; profectus sum ad praedictum litus. et inveni sicut ipse michi predixerat. Cum autem ascendissem naviculam; coepi navigare per tres dies et noctes. Quibus transactis; dimisi navim ubicumque voluisset illam iactare. Porro septimo die apparuit michi ista petra; in qua statim intravi. dimissa navicula atque percussa pede meo; ut eisset unde venerat. Confestim vidi illam velacissimo cursu sulcantem undas per aequora. ut rediret in patriam suam. ego vero mansi hic usque hodie. Prima nanque die qua intravi huc circa horam nonam; luter portavit michi prandium de mari. idest piscem vivum in ore suo. et fasciculum de graminibus ad focum faciendum; inter suos anteriores pedes. ambulans super duobus posterioribus pedibus. Cum posuisset ante me piscem et gramina. reversus est unde venerat. Ego vero accepto ferro et silice; percusso cum esca. feci ignem de graminibus. et paravi michi cibos de illo pisce. Ita per triginta annos. semper tertia die. idem minister easdem escas. idest unum piscem ad tres dies. Adtulit tertiam partem piscis assi. omni die. et nichil michi erat sitis gratia. Sed in die dominico egrediebatur pauxillum aquae de ista petra. unde potui sumere potum. et vasculum meum implere.

Transacto iam tempore sollennitatis. procurator qui cum illis erat dixit sancto brendano. Ascendite naviculam et implete utres fonte isto. ero nanque socius itineris vestri ista vice. atque ductor. sine me non poteritis invenire terram repromissionis sanctorum. Ascendentibus autem navim; omnes aves quae in illa insula erant. quasi una voce dicebant. Prosperum iter faciet illis deus salutarium nostrorum. Sanctus brendanus et qui cum illo erant. navigaverunt usque ad insulam procuratoris. et ipse cum eis. ibique sumserunt stipendia per quadraginta dierum. Erat autem navigium illorum contra orientalem plagam. equidem quadraginta dierum. Porro procurator ipse antecedebat eos. et illorum iter dirigebat. Transactis vero diebus quadraginta. vespere imminente cooperuit eos caligo grandis. ita ut vix alter alterum potuisset videre. Procurator autem ait sancto brendano. Scitis que est ista caligo? Sanctus brendanus ait. Quae est? Tunc ait ille. Ista caligo circuit illam insulam quam quaeritis per septem annos. Post spatium vero unius horae. iterum circumfulsit illos lux ingens. et navis stetit ad litus. Porro ascendentibus de navi. viderunt terram spatiosam. ac plenam arboribus pomiferis. sicut in tempore autumnali. Cum autem circuibant illam terram insulae; nichil affuit illis nox. accipiebant tantum de pomis. et de fontibus bibebant. Et ita per quadraginta dies perlustrabant totam terram. et non poterant finem invenire.

Quadam vero die invenerunt flumen magnum vergentem per medium insulae. Tunc sanctus brendanus conversus fratribus suis ait. Istud flumen

non possumus transire. et ignoramus magnitudinem illius terrae. Cum autem haec intra se involvissent. ecce iuvenis illis occurrit obviam. osculans illos cum magna laetitia. et singulos nominatim appellabat atque dicebat. Beati qui habitant in domo tua. in saeculum saeculi laudabunt te. Cum haec dixisset. ait ad sanctum brendanum. Ecce terram quam quaesisti per multum tempus. ideo statim non potuisti invenire illam; quia deus voluit tibi ostendere diversa sua secreta in oceano magna. Revertere itaque ad terram nativitatis tuae portans tecum de fructibus istius; et de gemmis quantum potest tua navicula capere. adpropinquant enim dies peregrinationis tuae. ut dormias cum patribus tuis. Post multa vero curricula temporum declarabitur ista terra successoribus vestris: quando christianorum persecutio ceperit. Istud flumen quod videtis. dividit istam insulam. Sicut modo apparet vobis matura fructibus. ita omni tempore permanet sine ulla umbra noctis. lux enim illius est christus. Acceptis de fructibus terrae. et omnibus generibus gemmarum. dimissoque benedicto procuratore et iuvene. Sanctus brendanus cum suis fratribus naviculam ascendit. et caepit navigare per medium caliginis. Cum autem pertransissent. venerunt ad insulam. quae vocatur deliciarum. ibique trium dierum hospitium peregerunt. Accepta benedictione sanctus brendanus. recto itinere ad locum suum reversus est.

EX CODICE CLXII.

Incipit Sancti Aurelii Augustini Episcopi ad Quemdam Comitem...

(Pag. 241)

Charissime frater. Si cupis scire.... epistolam quam perfectissima atque plenissima sit iustitia. iustitia est; deum toto corde amare. illique tota adherere voluntate qui est summum bonum. Summum vero amare bonum. summa beatitudo est. Qui deum amat bonus est. Si bonus est. ergo et beatus. Quem quanto quis ardentius amat. tanto melior efficitur. quatinus hoc beatissimo bono abundare te faciat frater carissime ipse qui est hoc bonum. cottidianis precibus integro cordis desiderio eum etsi indignus. deprecari studeam. Tu vero frater carissime; intellege quia consilio sanctae trinitatis. et opere maiestatis divinae creatus es. ex primoque condicionis honore intellege. quantum debeas conditori tuo. dum tantum in condicione mox dignitatis privilegium praestitit tibi conditor aeternus. ut tanto eum ardentius amares; quanto mirabiliorem te ab eo esse conditum intellegeres. Nec hoc solum quod consilio sanctae trinitatis sic excellenter a conditore conditus es. sed etiam quod ad imaginem et similitudinem suam ipse creator omnium te creavit. quod nulli alii ex creaturis nisi soli homini concessit. Et haec est imago unitatis et trinitatis omnipotentis dei. quam anima tua habet in se. Primum quia secundum dei donum vivit ac sapit. secundum quod ad imaginem tui creatoris conditus es. tertium licet unus appelleris homo. tamen tres habes a patre et filio et spiritu sancto concessas dignitates. intellectum. voluntatem. et memoriam. Quod idem licet aliis verbis in evangelio designatur. cum dicitur. Diliges dominum deum tuum ex toto corde tuo. et ex tota anima tua. et ex omnibus viribus tuis. In his enim tribus imaginem conditoris nostri mirabiliter gerit in sua natura noster interior homo. ex quibus quasi excellentioribus animae dignitatibus iubemur diligere conditorem. ut quantum a nobis intellegitur diligatur. Nec solum sufficit nobis deum intellegere. nisi fiat in amore eius voluntas nostra. Immo nec hoc sufficit. nisi cum memoria et voluntate. opus addatur. Tuo vero capiti frater carissime assit gratia spiritalis scientiae. quae mentem illuminet. et ad vitam aeternam sicut opto et desidero perducat. Toto etenim cordis mei affectu opto deumque deprecor. ut semper ad interiora te extendas. donec pervenias ad sublimem perpetuae beatitudinis coronam. et animi tui nobilitatem. quam in te optime scio nullis amicorum consiliis. nulla saecularium ambitione desideriorum ab amore christi immorare permittas. Noli tuam bonitatem aliorum malignitate obscurare. sed ubique quantum vales amabilis coram deo et omni populo appareas. Non deerit tibi gratia adiuvantis dei. si tibi aderit voluntas ammonitionis sanctae. quam sepius in scripturis divinis mens bonitatis tuae adtendit. Esto quaeso quamvis laicus ad omne opus dei promptus. pius ad pauperes. ad infirmos misericors. consolator moerentum. compatiens miseriis omnium. largus in elemosinis. memorans evangelicae viduae duo minuta. et prophetam dicentem. frange esurienti panem tuum. et cave praevidens discretionem elemosinae. ita ut....

INDEX TOMI III.

CODEX CX.	Lectionarium, continens Homilias SS. Patrum, Vitas sanctorum, et quaedam de S. Scriptura	pag. 1
COD. CXI.	Homiliarium, et Lectionarium	» 23
COD. CXII.	Homiliarium	» 35
COD. CXIII.	Homiliarium	» 40
COD. CXIV.	Homiliarium	» 44
COD. CXV.	Homiliarium	» 48
COD. CXVI.	Homiliarium	» 54
COD. CXVII.	Homiliarium et Lectionarium	» 59
COD. CXVIII.	Ignatii Monachi Casinensis *Flores sententiarum* collecti ex libris S. Gregorii Papae. Eiusdem *Elucidarium* Moralium S. Gregorii Papae. *Biblia Pauperum*	» 76
COD. CXIX.	*Infortiati* pars prima, cum glossa Accursii Florentini L. D.	» 85
COD. CXX.	*Infortiati* secunda pars cum glossa, sive secundus Tomus *Pandectarum*	» 89
COD. CXXI.	*Apparatum* Innocentii Pp. IV. in Decretale	» 93
COD. CXXII.	*Institutiones iuris civilis, Consuetudines feudorum* cum glossa, *Novellae* Iustiniani, et alia	» 105
COD. CXXIII.	Iosephus *de bello Iudaico*, Passio S. Urbani Pp. et M. Vitae Sanctorum, Homiliae SS. Patrum	» 112
COD. CXXIV.	Fl. Iosephi *Antiquitates Iudaicae*	» 117
COD. CXXV.	Peregrini Monachi Casinensis *Summa Canonum*	» 130
COD. CXXVI.	S. Leonis Pp. I. *Sermonum* pars prima	» 161
COD. CXXVII.	*Missale Monasticum*	» 166
COD. CXXVIII.	*Missale Monasticum*	» 172
COD. CXXIX.	Petri Lombardi *Commentaria in Psalterium*	» 177
COD. CXXX.	Petri Lombardi *Commentaria in Epistolas Pauli*	» 184
COD. CXXXI.	Remigii Antisiodorensis *Expositio in Epistolas Pauli*	» 185
COD. CXXXII.	Rabani Mauri *De origine rerum*	» 190
COD. CXXXIII.	Rabani Mauri *Commentaria in libros Regum*	» 201
COD. CXXXIV.	Rabani Mauri *De laudibus S. Crucis*	» 202
COD. CXXXV.	Ioannis Theutonici *Summa Confessorum*	» 206
COD. CXXXVI.	*Summae* Raymundi de Pennafort, Bartholomaei Brixiensis, Damasi, Tancredi Bononiensis, Bonaguidae Iudicis; *Praeludia* Uberti de Bonaccursio; *Libellus* Tancredi Bononiensis; *Brocarda* Magistri Damasi; *Libellus* Ranfredi Beneventani; *Margarita iuris canonici; Formulae; Summa titulorum Decretalium; Liber receptionum; Libellus* Bernardi Dorne; *Libellus fugitivus; Ars notariae* Rolanducii Bononiensis; et alia	» 209
COD. CXXXVII.	Thomae Aquinatis *Secunda Secundae*	» 245
COD. CXXXVIII.	Thomae Aquinatis *Summae pars prima*	» 251
COD. CXXXIX.	Vitae Sanctorum	» 253
COD. CXL.	Vitae Sanctorum, et *Visio* Theodini Monachi	» 260
COD. CXLI.	Vitae Sanctorum	» 262
COD. CXLII.	Vitae Sanctorum	» 266

Cod. CXLIII.	Vitae SS. Patrum	pag. 273
Cod. CXLIV.	Vitae Sanctorum, et Homiliae SS. Patrum	» 282
Cod. CXLV.	Vitae Sanctorum	» 287
Cod. CXLVI.	Vitae Sanctorum	» 295
Cod. CXLVII.	Vitae Sanctorum, et Homiliae SS. Patrum	» 302
Cod. CXLVIII.	Vitae Sanctorum	» 306
Cod. CXLIX.	Vitae Sanctorum	» 313
Cod. CL.	Origenes et Ambrosius *in Epistolas* Pauli	» 316
Cod. CLI.	Zachariae Chrysopolitani *Monotessaron*	» 365
Cod. CLII.	Ioannis Chrisostomi *Opuscula*; Adolinus *de Virginitate*, et alia; Vita S. Brendani Abbatis	» 366
Cod. CLIII.	Amalarii Fortunati *de Divinis Officiis*	» 368
Cod. CLIV.	Ambrosii *Expositio in Ps. Beati immaculati*	» 369
Cod. CLV.	Ambrosii *Expositio in Ps. Beati immaculati*	» 372
Cod. CLVI.	Ambrosii *Epistolae*	» 373
Cod. CLVII.	Ambrosii *Opera*	» 378
Cod. CLVIII.	Angeli Sangrini *Poemata sacra*	» 379
Cod. CLIX.	Anacleti Antipapae *Liber distinctionum*, et *Epistolae*	» 384
Cod. CLX.	Petri Flocvent de S. Iacobo *Concordantia Bibliae*	» 386
Cod. CLXI.	Augustini *Opera*	» 387
Cod. CLXII.	Augustini *Opera*	» 389
Cod. CLXIII.	Augustini *Opera*	» 396
Cod. CLXIV.	Augustini *Opera*	» 398
Cod. CLXV.	Augustini *Opera*	» 399
Cod. CLXVI.	Augustini *Opera*	» 400
Cod. CLXVII.	Augustini *Opera*	» 402
Cod. CLXVIII.	Augustini *Opera*	» 403
Cod. CLXIX.	Augustini *Opera*	» 405
Cod. CLXX.	Augustini *Opera*	» 406
Cod. CLXXI.	Augustini *Opera*	» 408

FLORILEGIUM TOMI III.

Ex Codice CX.	Sermo in Octava Epiphaniae	» 3
	Sermo S. Epiphanii Episcopi	» 4
Ex Cod. CXI.	Sermo S. Leonis Pp. de Dominica Ascensione	» 6
	Homilia Aymonis in Evangelium: *Nisi granum frumenti cadens in terra.*	» 8
	Sermo in festis Apostolorum	» 10
	Passio S. Restitutae Virginis et Martyris	» 12
Ex Cod. CXII.	Homilia S. Ioannis Chrisostomi in Evangelium: *Egressus Iesus secessit in partes Tyri et Sydonis*	» 17
	Homilia S. Augustini in Evangelium: *Homo quidam habuit duos filios*	» 23
	Homilia Ven. Bedae Presbyteri in Evangelium: *Dixerunt Pharisaei ad Iesum: Quanta audivimus*	» 27
Ex Cod. CXIII.	Sermo S. Ephrem monachi	» 28
	Homilia Ven. Bedae Presbyteri in Evangelium: *Ibat Iesus in civitatem quae vocatur Naim*	» 31

Ex Cod. CXVI. Sermo S. Augustini Episcopi de Nativitate Domini. . . . . . pag. 34
Sermo S. Augustini Episcopi de Nativitate Domini. . . . . . » ibi
Ex Cod. CXVII. Brevis vita Isaiae Prophetae . . . . » 36
Sermo S. Augustini Episcopi in Nativitate Domini . . . . » ibi
Fabulosa vita S. Stephani Protomartyris . . . . » ibi
Prologus Passionis S. Ioannis Ap. et Evang. . . . . » 38
Sermo S. Augustini (?) in natali Innocentium . . . . » ibi
Homilia in Evangelium: *Angelus Domini apparuit in somnis Joseph* . » 40
Homilia in Evangelium: *Erant Ioseph et Maria* . . . . » 41
Homilia in Evangelium: *Defuncto Herode* . . . . » 42
Sermo S. Augustini . . . . » 43
Homilia in Evangelium: *Cum factus esset dominus Iesus annorum duodecim* . . . . » ibi
Homilia in Evangelium: *Venit dominus Iesus a Galilaea in Iordanem* » 45
Tractatus S. Remigii Episcopi in Evangelium: *Simile est regnum coelorum homini qui seminavit.* . . . . » 46
Homilia in Evangelium: *Ecce nos reliquimus omnia.* . . . . . . » 48
Passio S. Aemiliani Martyris . . . . » 49
Passio S. Constantii Martyris . . . . » 54
Vita S. Severi Episcopi Ravennatis. . . . . » 55
Sermo S. Augustini Episcopi . . . . » 57
Homilia Ven. Bedae Presb.(?) in Evangelium: *Postquam impleti sunt.* » ibi
Passio SS. Quadraginta Martyrum . . . . » 58
De Sancto Ioanne Ab. et de S. Ioanne Ep. Spoletino . . . . . » 61
Homilia in Evangelium: *Simile est regnum coelorum homini patrifamilias* . . . . » 62
Homilia in Evangelium: *Cum venerit filius hominis* . . . . . . » 63
Sermo S. Remigii Episcopi in Evangelium: *Cum appropinquasset dominus Iesus* . . . . » 65
Homilia S. Ioannis Chrisostomi in Evangelium: *Egressus dominus Iesus.* . . . . » 67
Homilia S. Remigii Ep. in Evangelium: *Assumpsit dominus Iesus Petrum et Iacobum et Ioannem* . . . . » 69
Homilia Aymonis in Evangelium: *Erat Iesus eiiciens daemonium* . » 70
Passio S. Catherinae Virginis . . . . » 74
Sermo de passione Domini . . . . » 76
Passio S. Theodori Martyris. . . . . » 78
Passio S. Illuminatae Virg. et Mart. . . . . » 81
Ex Cod. CXXIII. Passio SS. Urbani et Soc. eius . . . . » 84
Prologus in Acta SS. . . . . » 101
Versus de S. Urbano Papa . . . . » 102
Vita S. Anastasii Persae . . . . » ibi
Vita S. Urbani Pp. et Soc. . . . . » 110
Passio S. Euphemiae . . . . » 114
Sermo S. Augustini Ep. . . . . » 116
Sermo S. Ioannis Chrisostomi in Annuntiatione B. M. V. . . . . » 117
Sermo de B. M. V. . . . . » 118

Ex Cod. CXXV.	Sermo S. Augustini Ep. in Evangelium: *Estote misericordes*	pag. 119
	Legum Iustiniani Imperatoris versio nondum edita	» ibi
	Leges civiles, quae in editis desiderantur	» 128
	Canon Concilii Vercellensis	» 130
Ex Cod. CXXVII.	*Kalendarium*	» 131
	Oratio pro exercitu christiano	» 134
Ex Cod. CXXVIII.	*Kalendarium*	» 135
Ex Cod. CXXXVIII.	Ex *Summa* D. Thomae §. 3. Questionis XLVII. *De creaturarum ordine.*	» 138
Ex Cod. CXXXIX.	Passio S. Dimitrii Martyris	» 140
	Passio S. Maximi Martyris	» 147
	Passio S. Caesarii Levitae et Martyris	» 150
	Passio SS. Valentini et Hylarii	» 158
	Passio SS. Quatuor Coronatorum	» 160
	Vita vel obitus S. Ioannis Chrisostomi	» 165
	Vita S. Gregorii Taumaturgi	» 168
	Passio S. Anastasiae et Soc. Mm.	» 179
	Passio S. Caterinae Virg. et Mart.	» 184
	Passio S. Petri Ep. Alexandrini	» 187
	Passio S. Bibianae Virg. et Mart.	» 191
	Passio S. Eustratii et Soc. Mm.	» 193
	Vita S. Basilii Ep. Conf.	» 205
	Ex vita S. Felicis Episcopi Nolani	» 220
Ex Cod. CXL.	Vita S. Eufrosinae	» 221
	Exhortatio de detractione fugienda	» 225
	Prologus et Vita S. Mariae Aegyptiacae	» 226
Ex Cod. CXLI.	Passio S. Ignatii Ep. Antiocheni et Martyris	» 236
Ex Cod. CXLII.	Passio SS. Apostolorum Petri et Pauli	» 238
	Prologus in Passionem SS. Apostolorum Petri et Pauli	» 240
	Passio SS. Martyrum Processi et Martiniani	» ibi
	Passio S. Procopii Martyris	» 242
	Passio S. Pantaleonis Martyris	» 246
	Passio SS. Septem dormientium	» 152
	Passio S. Adriani Martyris	» 259
	De Exaltatione S. Crucis	» 267
	Passio SS. Luciae et Geminiani	» 270
	Passio S. Theclae Virginis et Martyris	» 271
	Passio SS. Pistis, Elpis et Agapis, et Sophiae Matris earum	» 276
Ex Cod. CXLIII.	Vita S. Honuphrii Anachoretae	» 284
	Quaedam ex Vitis Patrum	» 288
	Vita S. Dosithei, auctore S. Dorotheo	» 318
	Admonitio S. Dorothei *ad Monachos*	» 322
	Capitularia S. Ioannis solitarii *de Hospitalitate et peregrinatione*	» 329
	Homilia S. Ioannis Chrisostomi in Evangelium: *Cum oraveritis*	» 330
	Ex Vita S. Pachomii	» 332
Ex Cod. CXLIV.	Prologus Passionis S. Blasii Ep. et Mart	» 334
Ex Cod. CXLV.	Passio S. Iulianes Virginis	» 335

	Passio S. Georgii Martyris	pag. 341
	Passio S. Vitalis Martyris.	» 348
	Passio S. Pancratii Martyris.	» 349
	Epistola Pastoris Presbyteri de vita et obitu S. Potentianae Virginis.	» 350
	Passio S. Eustasii, uxoris et Sociorum eius	» 351
	Passio S. Barnabae Apostoli.	» 354
Ex Cod. CXLVI.	Vita S. Leucii Episcopi	» 358
	Vita S. Dominici Abbatis.	» 365
	Vita S. Amasii Episcopi.	» 366
	Vita S. Albinae Virginis et Martyris	» 368
	Sermo S. Augustini Episcopi de S. Ioanne Baptista.	» 370
Ex Cod. CXLVII.	Passio S. Prisci Episcopi Capuani	» 373
Ex Cod. CXLVIII.	Ex vita S. Donati Episcopi	» 375
	Passio S. Cornelii Papae	» 377
	Vita S. Ioannis Chrisostomi	» 380
Ex Cod. CXLIX.	Ex Vita S. Mercurii Martyris	» 388
Ex Cod. CLII.	Liber S. Ioannis Chrisostomi *de Reparatione lapsi*	» 389
	Vita S. Brendani Abbatis.	» 411
Ex Cod. CLXII.	Epistola S. Augustini ad quendam Comitem	» 428

